✝
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 121.

G 43
H 7a
B 12

IVLII

GVASTAVINII

PATRICII GENVENSIS,

ET MEDICINAM, QVAM

PRACTICAM APPELLANT,

PRIMO LOCO IN PISANO

Gymnasio profitentis,

COMMENTARII

IN PRIORES DECEM ARISTOTELIS

PROBLEMATVM SECTIONES:

Nunquam antehac visi, nec in lucem dati, adiecto insuper INDICE *tam rerum, quàm verborum copiosissimo.*

Ad Serenissimum Principem COSMVM Magni Ducis Etruriæ FERDINANDI filium.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCVIII.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM COSMVM MAGNI DVCIS ETRVRIAE FERDINANDI FILIVM.



OPPORTVNÈ factum est, Sereniſſime Princeps, vt quo tempore publicum in Piſano Gymnaſio Medicinam docendi munus principi loco à Sereniſſimo Parente tuo in me eſt collatum, mei hi in Ariſtotelis problematum ſectiones decem priores commentarij excuderentur. Nam cùm grati animi & beneficij memoris pro illo honorificentiſſimo de me iudicio in totam iſtam Sereniſſimam domum extare cuperem monimentum, & quantum in me eſſet æternum; nulla alia me aſſequi meliori ratione putaui, quàm ſi eum librum ad vos mitterem. Te autem vt appellarem potiſſimùm Sereniſſime Princeps alia etiam cauſſa fuit. Nam, cùm & pro iis quæ à Patre accepi, filio etiam debere magnopere me haud ignorarem, tum verò & gratulationis cauſſa extitit maxima. Nam cùm ex illo publico docendi munere in veſtro Gymnaſio ſuſcepto, in clientelam & familiaritatem iſtius Sereniſſimæ domus adſcitus viderer, non ſolùm gaudia eius omnia gaudenda, ſed & eorum ſigna quædam perpetua mihi imprimenda viſa ſunt; Quem verò ex tuis Sereniſſime Princeps, ampliſſimum hoc matrimonium, quo nuper cum glorioſiſſima gente AVSTRIACA, tanta affinitate iunctus es, ſummo gaudio & incomparabili hilaritate non compleuit? Ad te igitur, quem omnium proximè illa res attingit, teſtem ſummi gaudij, & hilaritatis meæ mitto hunc librum Sereniſſime Princeps. Cur autem ſi & grati animi, & lætitiæ fert argumenta non ſperem libenter fore recipiendum? Cùm præſertim & literarius teſtis ad eum veniat, à quo literæ, & diſciplinæ omnes, earúmque ſtudioſi ſummè coluntur & fouentur? Nam cùm tu Sereniſſime Adoleſcens ad tot vrbium, tot populorum, tam latéque patentis ditionis gubernacula natus ſis, & ad maximas res deſtinatus, ita tamen literarum ſtudia colis, vt ſummam & pulcherrimam poſſeſſionem eam exiſtimes: monitis nimirum, & præceptis prudentiſſimorum parentum, qui & pietate, & moribus Chriſtianis quæ principem locum obtinent, te imbuendum curârunt, & curant, ac exemplo docent, ciuilibúſque præceptis, quæ ad magna quæq; ferant, ſubinde erudiunt, ita quæ ad eaſdem res magnopere valere haud ignorant, diſciplinarum omni genere exornari volunt. Lætitiæ

igitur meæ, & illius quod debeo teſtem, ſume hunc librum Ampliſſime Princeps, qui tuæ tutelæ ſubiectus, iam etiam eò libentiùs in lucem prodit, quòd me ipſo, à quo ille eſt, tanto honore à vobis affecto, non ſine honore ſe apud vos moraturum arbitratur. Viue diu Sereniſſime Princeps: & quod de te, ac fauſtiſſimo matrimonio Sereniſſimi Parentes exoptant, illud vobis largiter concedat DEVS.

***

IVLIVS GVASTAVINIVS
AD LECTOREM.



RÆFARI *aliqua ante libri expoſitionem, qui illud opus aggreditur, & conſuetudine receptum eſt, & vtilitatis ratio poſtulat. Sed cùm alij plura, nos quatuor tantùm in præſentia attingemus, libri auctorem, inſcriptionem, ſubiectum, & docendi rationem. Auctorem præfert titulus Ariſtotelem: & ſanè problematum libros ab eo fuiſſe conſcriptos, apparet tum ex Laërtio in eius Philoſophi vita, tum ex multis auctorum teſtimonijs, qui eos citárunt, ac etiam ex eodem Ariſtotele qui in alijs libris problemata à ſe conſcripta ſepties adducit: quæ loca ne ſua laude fraudentur, collegit Franciſcus Patricius Diſcuſſionum Peripateticarum tomi 1. lib. 4. ſunt autem hæc. In libro de Somno & Vigilia in fine cap. 11.* διότι ἢ τὰ μὲν ἐνύπνια μνημονεύουσιν ἐγερθέντες, τὰς δ' ἐγρηγορικὰς πράξεις οὐ μνημονεύουσιν, ἐν τοῖς προβληματικοῖς, *hoc eſt:* Cur autem ſomnia quidem meminerunt expergefacti, actiones verò in vigilia factas non meminerunt, in problematicis. *Libro de Iuuentute de Senectute cap. 1.* ἀλλὰ περὶ μὲν τὴν αἰτίας ταύτης, ὅτι ἐναντίον συμβαίνει τῷ ἐγκρυπτομένῳ καὶ καταπνιγομένῳ πυρὶ (τὸ μὲν γὰρ μένει), τὸ δὲ σβεννύμενον πλείω χρόνον) εἴρηται ἐν τοῖς προβλήμασιν, *hoc eſt:* Sed de cauſa hac, quòd contrarium accidat abſcondito, & ſuffocato igni (hoc enim extinguitur, illud verò plus temporis manet) dictum eſt in problematis. *Libro ſecundo de generatione Animal. cap. 10.* ἔκ τε τοιούτων γίνεσθαι ἐκ μαλακῶν σκληρὰν, ὥσπερ τῷ καττιτέρῳ μιχθέντα τὸν χαλκὸν, λέγων, ὅτι ὄντι ἐκ χαλκοῦ, καὶ ἐκ καττιτέρου τὴν αἰτίαν ὀρθῶς εἴρηται δι' ἃ ἐν τοῖς προβλήμασιν περὶ αὐτῶν, *hoc eſt:* Atque ex talibus generari ex mollibus dura veluti ſtanno admiſtum æs, dicens, neque de ære, & ſtanno cauſam rectè; dictum verò de his eſt in problematis. *Lib. 4. de generat. animal. cap. 4.* καὶ γὰρ τὰ ὀκτώμηνα ζῇ μὲν, ἧττον δὲ, τὸ δι' ἐναντίον ἐκ τῶν νῦν λεχθέντων συμβαίνει τίς ἂν εἴρῃ) διὰ περὶ αὐτῶν ἐν τοῖς προβλήμασι, *id eſt:* Octomeſtria námq; viuunt quidem ſed minùs: cauſam verò ex nunc dictis conſpiciat quis: dictum verò de his eſt in problematis. *Cap. 7. eiuſdem libri.* περὶ μὲν πάθους τὴν αἰτίας, εἴρηται ἐν τοῖς προβλήμασι, *id eſt:* De paſſionis quidem cauſa dictum eſt in problematis. *In fine tertij de Partibus animalium.* διότι δὲ τοῖς πολυκοίλοις ἐν τῷ ἐχίνῳ γίνεται ἡ πυετία, εἴρηται ἐν τοῖς προβλήμασιν, *id eſt:* Cur autem in omaſo multiuentrium coagulum generetur dictum eſt in problematis. *Secundo Meteor. 6.* περὶ δὲ θέσεως αὐτῶν, καὶ τίνες ἐναντίαι τισὶν, καὶ ποίοις ἅμα πνεῖν ἐνδέχεται, ποίοις δ' οὔ. ἔστι δέ τινες καὶ πόσοι τυγχάνουσιν ὄντες, καὶ περὶ τούτων περὶ τῶν ἄλλων παθημάτων, ὅσα μὴ συμβέβηκεν ἐν τοῖς προβλήμασιν εἰρῆσθαι τοῖς κατὰ μέρος, νῦν λεγομένοις, *id eſt:* De ipſorum poſitione, & qui aduerſi quibus, & quos ſimul flare contingat, & quos non: præterea qui & quos exiſtunt, & ad hæc de aliis paſſionibus, quotcunque accidit non eſſe conſiderata in problematis particularibus nunc dicamus. *Qui autem citarint hæc problemata Auctores, ſunt Plutarchus, Athenæus, Agellius, Macrobius, & alij. Laërtius autem in Ariſtotelis vita, Problematum diſtincta, & ſeparata volumina, ſuoq; titulo, adducit tria hæc,* ὑπὲρ τεταμένων προβλημάτων α, β, *hoc eſt,*

vt conuertunt ; Inſpectorum problematum libri duo. ἐγκυκλίων α, β, hoc eſt, Encycliorum duo. &, προβλήματα ἐκ τῶν Δημοκρίτου α, β, hoc eſt, Problemata ex Democrito, duo. Præter hæc autem tria volumina, aliud etiam proponit, triginta & octo libris diſtinctum, non ſanè problematum titulo, ſed hoc modo : Φυσικῶν καὶ στοιχείων ὀκτὼ πρὸς τοῖς τριάκοντα, id eſt, Phyſicorum ſecundùm elementa triginta octo ; vbi problematum vox, aut titulus, niſi ex ſubſequentibus repetatur, non legi apparet. Haud verò mihi facilè perſuadeat quiſpiam, eos eſſe triginta illas octo ſectiones, quas nos habemus: cùm eas ab Ariſtotele, eo quidem ordine aut numero fuiſſe collocatas, non ſit, puto, qui affirmare audeat, quæ potiùs confuſio, quàm ordo eſt : cùm pro varietate exemplarium, alia alibi plura, alibi pauciora : & alia alibi priora, alibi poſteriora exiſtant. Vt omittam quæ ſæpius iterantur, tum in eadem, tum in varijs ſectionibus : Argumento, ordinem illum, ac numerũ non eſſe ab Ariſtotele. Quod etiã dicitur κατὰ στοιχεῖον, id eſt, ſecundùm elemẽta, nõ video quomodo hîc locũ habeat, aut quam rem in eis ſectionibus velit ea vox ſignificare. Nam quòd elementis literarum libri denotentur, id cum reliquis omnibus, non ſolùm libris, ſed quæcunque numerantur commune illis eſt : hic enim Græcorum mos. Ridiculum autem exiſtimare Laërtium eam rem ſignificáſſe. Non igitur hæc ſunt ; quod & exiſtimat idem Patricius lib. 3. tom. 1. Nam cùm illa dicãtur Phyſica: hæc nõ omnia Phyſica ſunt: cùm & Mathematica aliqua, & Ethica illis ſint inſerta : Ea autem in re, vt ipſi facilè aſſentior, ita quòd adeò pro certo habet lib. 4. tom. 1. hæc problemata Ariſtotelis non eſſe, velim euidentiori probari argumento. Nam quòd dicitur, nullum ex locis ſuperiùs citatis, legi in hiſce problematis, nil aliud oſtendat, quàm hæc non eſſe omnia, quæ ab Ariſtotele ſunt conſcripta: Et verò is ſum, qui ita putem. At verò quæ citantur ab Athenæo, Plutarcho, Agellio, & Macrobio hîc reperiuntur ; quod & nos locis ſuis admonuimus in Commentarijs. Sed & idem Patricius ex loco, quem ex ſecũdo libro Meteororum poſtremum adducit, in quo Ariſtoteles de ventis ſe in Problematis egiſſe tradit, vnam de ventis ſectionem Ariſtotelis eſſe dicit. At verò Franciſcus Vicomercatus in commentarijs ad librum ſecundum Meteororum, ea, quæ de ventis in Problematis tradit Ariſtoteles, Ariſtotelis non eſſe, ſed Theophraſti potiùs exiſtimat ; eo argumẽto, quòd quæ de tempore Orionis ſideris exortus à Theophraſto in libro de ventis proponuntur (quæ falſa eſſe contendit Vicomercatus) eadem in problematis legantur ; ſicuti etiam alia pleraque omnia, quæ de ventis in eiſdem problematis leguntur, habentur ſimiliter in eo Theophraſti libro. Vnde ſubdit Vicomercatus, Problemata illa ab aliquo ex Theophraſti & Ariſtotelis libris eſſe conſarcinata, quod vt facilè conceſſerim ; ſicuti etiam aliqua eſſe his ſectionibus immiſta, quæ nec in Theophraſtum, nec in Ariſtotelem ſint conferenda ; quippe futiles diſſolutiones, & illis Philoſophis indignas, quæ contineant ; ita horum cauſa reliqua omnia condemnare, impium exiſtimem. Sanè quæ ex Theophraſto ſunt, illa Peripatetica ſunt, & diſcipuli doctrina, magiſtri doctrinæ conſentanea. Ariſtotelica autem eſſe hæc, non dicam omnia, & ab Ariſtotele auctore profecta, teſtes ſint, quos ſuperiùs nominaui Plutarchus, Athenæus, Agellius, Macrobius, & alij. Quòd enim quædam ſint haud conſentientia illis, quæ alibi ab Ariſtotele traduntur, non impediat quod dicimus, quando non hæc omnia Ariſtotelis eſſe dicimus. Nec tamen eadem de re, variè in vario librorũ genere, ad varióſque auditores ſcripto proferre, ſit vel abſurdum, vel apud eundem Ariſtotelem nouum. Eiuſdem etiam Ariſtotelis teſtimonium hæc pro ſuis agnoſcentis, non omnino deſit, quando poſtremo ſectionis decimæ problemate ea citet, quæ apud ipſum extant, vt in commentario illius loci oſtendimus. Hæc de auctore. Libri titulus, in omnibus excuſis exemplaribus eſt, προβλήματα, Problemata, nec diſſimiliter ea appellauit locis adductis Ariſtoteles. Vno tantùm qui eſt ſecundo Meteororum, vocem addidit, ſcribens : ἐν τοῖς προβλήμασι καθ' μέρος, id eſt, in problematis particularibus, aut ſecundùm partem, intelligens fortaſſe aliquam eorum librorum diſtinctionem : ſed eo

titulo

titulo nominauit illa etiam Agellius libro 19. noct. Atticarum cap. 6. Athenæus autem lib. 1. adducens problema secundum secundæ sectionis, appellauit προβλήματα φυσικὰ, *hoc est:* Problemata naturalia, *quo titulo etiam vsus est Macrobius lib. 7. Saturnalium. Idem autem Agellius lib. 20. cap. 4. appellauit* προβλήματα ἐγκύκλια, *id est:* Problemata Encyclia: *& verò adducit ille problema, quod in nostris extat decimum tricesimæ sectionis. Vtrum autem fuerint hi naturalium, & encycliorum problematum alij & distincti libri, an potiùs ijdem, non est facilè dicere; Nec etiam vtrum ab Aristotele, an ab alijs sint hæ diuersæ inscriptiones. Sanè eundem librum, alio, ac alio titulo fuisse appellatum, satis constare potest ex alijs eiusdem Aristotelis voluminibus: Nam libri de Physica auscultatione, tum de Principijs, & de primis caussis, tum etiam de natura, & de motu appellati sunt non solùm ab interpretibus, & alijs Philosophis: sed ab eodem Aristotele: nimirum, quòd putem, prout hanc vel illam voluminis partem adducebant, in qua proximiùs de hac vel de illa re tractaretur. Non fuerit absonum igitur dicere, varijs titulis problemata fuisse ab ijs, qui ea citabant, appellata: quando de varijs rebus, magno conscripto problematum numero, vnóque volumine ijs compræhensis, eo titulo appellaretur pars illa, cui pro ratione subiectæ materiæ, ille magis conueniret; non dissimiliter ac apud Latinos in Cornelij Celsi libris varijs, sed vno volumine compræhensis factum esse videmus: aliquando autem vniuersali titulo eos fuisse appellatos. Titulus Encycliorum non solùm est apud Agellium, sed etiam apud Diogenem Laërtium, sicuti proposuimus: qui tamen duos tantùm sub hoc nomine problematum libros proponit. Variatum autem esse horum librorum, & problematum ordinem, ac sedem perturbatam existimare me, superiùs dixi. Physica sanè aut naturalia, quo titulo apud Athenæum, Agellium, & Macrobium citantur, non sunt omnia, quando vt diximus, & Mathematica, & Moralia pleraque sint: Sectio sanè decima, Physicorum Epitome inscribitur, titulo & ipsa immutato, vt existimo, quæ tota de animalibus est. Denique Physica quæ dicuntur, & quæ Encyclia, puto eadem esse: sed vario titulo appellata, sicuti alijs libris euenisse ostendimus, ob rationem propositam, aut etiam fortasse ob alias. Quid autem Encycliorum nomine significetur, non disquiram pluribus. Nec enim mihi afferenda huc, quæ super eo, à Grammaticis primùm, tum à Francisco Patricio, in disquisitionibus Peripateticis allata sunt, & postremùm doctissimè, ac subtilissimè ab Octauiano Ferrario Mediolanensi, in libro de disciplina Encyclio primùm, tum in libro de Sermonibus exotericis, & Acromaticis, inde enim ad satietatem volenti liceat sitim explere; De problemate similiter, quid vox ea significet, & quomodo problema, à Theoremate differat, quid huc ea importunè congeram, quæ vel ab antiquis Philosophis, vel à recentioribus etiam Grammaticis afferuntur? Breuiter: Problema est quod proponitur ad soluendum, seu, illud cuius caussa proponitur inuestiganda, vnde & multi Latinè conuerterunt, quæstionem: subiecta autem res horum problematum non vna est: quare nec huius libri vna scientia, vnius enim scientiæ, vna est res subiecta, cuius principia & affectiones considerat: Hîc autem multiplex subijcitur materia: naturales enim, morales, & Mathematicæ res proponuntur. Ratio autem, & via docendi, ferè quælibet ex caussis, per se, per accidens, ab affectis, à signo: Denique nullum refugit probandi seu rem ostendendi genus: Non enim exquisitiùs, & subtiliùs hæc ad paucos scribuntur: sed pinguiori minerua, atque in multorum, & vulgi etiam gratiam: Hæc habui, quæ præfarer quibus pauca quædam de meis hisce laboribus subijcienda. Nactus eram problematum exemplar satis bonum, quod fuerat Alexandri Iustiniani Chij Medici, & Patricij Genuensis: Is liber erat ex editione Basilicnsi: sed ad cuius oram, vir ille eruditissimus, ex manuscriptis codicibus multas adscripserat lectionum varietates, & castigationes; in quas cùm accuratè inspicerem, Theodoriique simul eorum problematum tralationem, illa occasione considerarem, hanc permultis locis non fidelem, eas autem lectiones sæpius meliores, quàm vulgatas,*

dignoscere

dignoſcere mihi viſus ſum. Quare ſi illæ in publicum ederentur, ad Theodori autem tralationem aliqua adnotarentur, rem fore ſtudioſis haud inutilem, putaui. Rem igitur aggreſſus (id fuit ante annos plus minus tresdecim) in commentarios, non ita breues, laborem euadere ſenſi. Abſolueram autem iam tertiam ſectionem, cùm in Ariſtotelis operum editionem ex Bibliotheca doctiſſimi Caſauboni incidi, in quibus lectionum illas Iuſtinianæi Codicis quæ ad problemata eſſent, varietates extare vidi penè omnes, & verò lætatus ſum ea auctoritate etiam fuiſſe illas confirmatas, cùm tamen nonnullas adhuc eſſe viderem, ſatis vt mihi videbantur concinnæ, quæ in illa editione deſiderarentur; progrediebar itaque eo in labore ſatis nauiter, & quicquid ab ægrorum curatione dabatur otij, id totum in illo ſtudio conſumebam. Peruueneram autem commentando ad octauam ſectionem, cùm morbi ſeuiſſimo accidente ſubito correptus, hoc eſt cordis palpitatione, in id incidi vitæ periculum, vt deſperata ſalus videretur, à quo tamen benigna Dei manu, non humano miniſterio ſubleuatus tandem cùm eſſem; conſueta ſtudia repetentem, idem morbus ita ſubitò inuadebat, vt manifeſtè relinquendum ſtudia, & ablegandos libros appareret, quod & feci. Otiatus igitur multos annos, cùm nihil laborando, & iucundè viuendo, nulláque, niſi leuia quædam, quæque nullam animi attentionem requirerent, legendo, confirmatam tandem valetudinem ſenſiſſem, recuperatáſque maxima ex parte vires; amici quidam qui meos illos in Ariſtotelis problemata labores nouiſſent, cùm fortè eo tempore in Ludouici Septalij commentarios ad ſeptem priores eorundem problematum ſectiones incidiſſent; rem mihi ſignificarunt, & eorum etiam copiam fecerunt. Refricuit illa nimirum res deſiderium videndi, quid in eadem ego iam antea potuiſſem, & ex Septalianis etiam illis non pauca legi. Cùm autem viderem, omiſſa quædam ab eo viro Clariſſimo, leuia ſanè, & minuta, quæ tamen ad Ariſtotelis ſenſa à rudioribus intelligenda facere poſſent; Theodorique particulatim à me ſæpius examinari tralationem, qua paſſim Latini homines vterentur; idémque amici illi mei noſſent, mihi auctores fuerunt, vt opus ederem; quibus vt aſſentirer, eorundem cognitum iudicium effecit. Differre tamen eò vſque volui, donec ſectionem decimam abſoluiſſem, qua re non ita breui tempore perfecta; quippe viribus non vt antea validis, & meliores dierum horæ ægrorum curationibus erant dandæ: abſolui tandem vtcunque potui ante annum, quod hoc tempore in tui vtilitatem, & non alia de cauſſa emittitur ſtudioſe lector; in reliquas ſectiones idem præſtaturus, ſi & valetudinis vires & otium dabunt: hoc enim tempore, & earum infirmitas, & occupationes non exiguæ, quibus diſtineor neceſſariò, ob publicum docendi munus in hoc Piſano Gymnaſio, fauore Ampliſſimi Ferdinandi, poſtremùm ſuſceptum, ſuadent vt in aliud tempus eam cogitationem reijciam; Ad quam tamen animum eò libentiùs adiungam, ſi tibi hæc non ingrata fuiſſe cognouero.

* * *

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟ-
ΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Α.
ὅΣΑ ΙΑΤΡΙΚΆ.

ARISTOTELIS PROBLE-
MATVM SECTIO I.
DE IIS, QVÆ AD MEDICINAM
pertinent THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII
Patricij Genuenſis, & Medici Commentarius.

I.

ΔΙΆ τί αἱ μεγάλαι ὑπερβολαὶ νοσώδεις; ἢ ὅτι ὑπερβολὴν, ἢ ἔλλειψιν ποιοῦσι; τοῦτο δὲ ἐστὶν ἡ νόσος.

CVR exſuperantiæ nimiæ committendi morbi vim habeant? An quia vel exceſſum, vel defectum efficiant: qua quidem re morbum conſiſtere certum, eſt.

QVÆ hac prima ſectione continentur problemata, illa ad medicinam pertinent omnia, quemadmodum & inſcriptio oſtendit. Nec tamen ſola toto problematum volumine ad illam artem ſpectantia hæc leguntur: ſunt enim quædam alia, aliis etiam ſectionibus intermixta, quæ huius ſcientiæ non minùs his propria apparere poſſunt. Nam tria continuè poſita ſectione ſeptima, *cur phtiſis, lippitudo, & ſcabies contagione afficiant? Vtrum ptiſana hordeacea leuior, & ad morbos accommodatior quàm triticea ſit? & cur dentium ſtuporem portulaca ſanet:* nec non primum eiuſdem ſectionis de contagione morborum, medica & ipſa ſunt. Sectione etiam nona, quæ pluribus problematis aduersùs vulnera, & vibices proponuntur remedia, ex pellibus arietũ, ouis confractis, thapſia & cyathis, quis medicinæ, & illius quæ maximè talis eſt, atque corpora curat, propria eſſe non fateatur? ſectione itidem decima quarta problema ſextum, *cur locis paluſtribus vlcera capitis celeriùs, crurium autem tardè ſanari poſſint*, ad quam artem pertinet? Quæ etiam ſectione vigeſima, *cur cibus triticeus maximè corporibus noſtris competat*, vigeſima ſecunda, *cur ficus dentes offendat*, vigeſima quarta, *cur aqua minùs ſalubris balneo ſit, quam ſol tepefecerit*, vigeſima ſexta, *cur Auſtri febres contrahant*, vigeſima octaua, *cur ægrotent, qui vitæ luxurioſæ aſſueti ab ea deſciſcunt*, trigeſima tertia, omnia quæ pluribus problematis de ſternutamento, & ſingultu dicuntur, quæ de affuſione frigidæ in faciem cui de naribus ſanguis fluit, quid aliud, quàm quæſtiones medicæ ſunt? trigeſima ſeptima quæ de frictionibus, nónne ad tuendam valetudinem pertinent? Denique bona pars eorum, quæ de ſudoribus, de vini potu, de venereis, de laboribus, de rigore pertractat Ariſtoteles primis nouem particulis, & alia etiam alibi, quis medicinæ ſaltem valetudinem tuenti eripere audeat? Porrò autem iſthæc, medica licèt, quoniam ad certum quoddam rerum genus ſingula referuntur: eidémque ſubiiciuntur, quo de genere ſeparatim, & per ſe inſtitutum caput eſt propria inſcriptione, eam ob rem illo capite compræhenſa, eum locum ſortita ſunt: hæc autem ſimul omnia in corpus vnum, vnúmque aceruum congeſta, vniuerſali titulo fuere ſubiecta. Nec tamen de hiſce aut ſe-

ctionum titulis, aut ordine, quo totus problematum liber diſpoſitus eſt, magnopere aut quæſierim, aut laborauerim: multa enim ab iis, qui eum manibus verſarunt, quo ad illas res pertinet, de priore ſtatu fuiſſe immutata, ego quidem mihi facilè perſuadeo. Qua de re cùm dixerim in Prolegomenis, veniendum eſt ad problematis expoſitionem. Nimias igitur exſuperantias vim habere morbos committendi, cuius ratio hoc primo problemate quæritur, confirmat etiam illa Hippocratis ſententia ſexto epidemiorum ſectione ſexta, quæ ad tuendam valetudinem pertinet, his verbis, πόνοι, σιτία, ποτὰ, ὕπνος, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια, id eſt, *labor, cibus, potus, ſomnus, venus, ſingula mediocria.* Nam ſi mediocritas tuendæ valetudinis vim habet, exſuperantia profectò eam minuendæ, & morbos procreandi vim habebit. Exſuperantia verò earum rerum omnium hîc accipienda eſt, quæ corpus noſtrum afficere & immutare aptæ ſunt, quæ à medicis non naturales appellantur, & ſex enumerantur, aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, excreta & retenta, atque animi affectiones. In eandem porrò ſententiam apud eundem Ariſtotelem libro ſecundo de moribus ad Nicomachum hæc leguntur: τά τε γὰρ ὑπερβάλλοντα γυμνάσια, καὶ τὰ ἐλλείποντα φθείρει τὴν ἰσχύν. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ποτὰ, καὶ τὰ σιτία πλείω καὶ ἐλάττω γινόμενα φθείρει τὴν ὑγίειαν. τὰ δὲ σύμμετρα καὶ ποιεῖ, καὶ αὔξει καὶ σώζει. hoc eſt. *nam & immoderatæ, & pauciores ſeu remiſſiores quàm par ſit exercitationes vires minuunt, & corrumpunt. Itémque poculenta & eſculenta atque copioſiora ac parciora valetudinem lædunt ac perdunt, moderata autem eam conciliant, augent & cuſtodiunt.* ἢ ὅτι ὑπερβολὴ, ἢ ἔλλειψιν ποιοῦσι. *An quia vel exceſſum, vel defectum efficiunt.* Non eſt exiſtimanda nugax argumentatio Ariſtotelis; exſuperantia morbum facit, quia exſuperantiam facit; eſt enim ab vna cauſſa ad aliam, à generali ad particularem: rerum enim non naturalium exceſſus, exceſſum in qualitatibus aut humoribus noſtri corporis creat, & inde morbos. Fieri etiam poteſt, vt generalis alicuius cauſſæ exſuperantia in aliquo corpore minimè exſuperantiam gignat, ſed mediocritatem inducat, quo tempore non facit, ſed tollit morbum, vt ſequenti problemate apparebit: Oſtendit igitur lædentem cauſam eo in ſingulari ſubiecto, quod malè afficitur, quippe quod à ſuo bono, & æquali ſtatu ab exſuperantia deturbetur, & hoc nobis ſignificat Ariſtotelis argumentatio. τοῦτο γὰρ ἐστὶν ἡ νόσος. *Qua quidem re morbum conſiſtere certum eſt.* Clariùs, & verbum ex verbo. *Id verò morbus eſt.* Morbum autem eſſe exceſſum vel defectum, ſanitatem verò ſymmetriam, aut moderationem earum rerum, quæ vnicuique pro ſua natura debentur, notum apud omnes medicos eſt, & apud eundem Ariſtotelem, qui ſequenti problemate, ſanitatem mediocritatem eſſe dicit. Quam eandem ob cauſſam ab Auctore libri de flatibus, medicina definita eſt *adiectio & ablatio.* Cùm igitur exſuperantiæ minimè cuſtodiant moderationem illam: ſed corpora ſemper ita afficiant, vt vel deficiens vel redundans aliquid in ipſis creent, iure morbos producunt.

I I.

Διὰ τί δὲ τὰς νόσους ὑγιάζουσι πολλάκις, ὅταν πολὺ ἐπιτῇ τις. Καὶ ἐνίων ἰατρῶν τοιαύτη ἡ τέχνη ὑπερβολαῖς γὰρ ἰῶνται, ἢ οἴνου, ἢ ὕδατος, ἢ ἁλμυρᾶς, ἢ σίτου ἢ λιμοῦ. ἢ ὅτι ἐναντία ἀλλήλοις τὰ τῶν νόσων ποιοῦσα εἰς τὸ μέσον ἐν ἄμφω θάτερον ἑκάτερον.

Cur morbi ſæpe curari poſſunt, vbi quis abundè exceſſit? Equidem nonnulli medici eam artem exercent, vt non niſi per exceſſum agant, vel vini, vel aquæ, vel ſalſuginis, vel cibi, vel inediæ. An quoniam cauſſæ, quæ morbos committunt aduerſæ inter ſe ſunt? atque ita efficitur vt genus duci per exceſſum alterius in medium poſſit.

Hæc ex ſuperiori problemate apta eſſe indicat particula, δὲ, qua in proponendis problematis cùm quidpiam tale ſpectat, hoc in libro ſæpius vti ſolet Ariſtoteles, ſicut hac eâdem ſectione problemate decimo quinto, & alibi. Sententia autem quodammodo ſuperiori contraria proponi videtur; vbi enim exſuperantia faciebat morbum, hîc tollit; ad quam contrarietatem indicandam eadem particula, δὲ, quæ oppoſitionis nota eſt ſicuti grammatici docent, ſanè magnopere facit. Malè igitur feciſſe Theodorum exiſtimo, qui eam ſua in tralatione omiſit. Contrarietas autem hæc, quin vtraque, quæ tum ſuperiori, tum hoc problemate continentur vera eſſe poſſint, haud impedit; nam nec propoſitiones vniuerſales ſunt, & ſunt in materia contingente: huiuſmodi autem propoſitiones, etſi contrariæ ſint, vel ſubcontrariæ potiùs vt dialectici docent, veræ ſimul eſſe

poſſunt. Porrò equidem ab eadem cauſſa contrarios prouenire effectus ratione aliarum conditionum, quæ ad effectum gignendum neceſſariæ ſunt, diſertis verbis affirmat Ariſtoteles hoc eodem in libro, ſectionis tertiæ problemate vigeſimo ſexto, & re ipſa exemplis patet ex eodem Ariſtotele problemate primo, & octauo ſectionis vigeſimæ octauæ. Igitur ſummis quarumdam rerum exceſſibus perfici aliquando curationem, nonnullorum medicorum exemplo docet, qui tali curationum genere vterentur, quum ſummam aut vini, aut aquæ, aut ſalſuginis, aut cibi copiam ægrotantibus exhiberent: aut ſummam eiſdem adhiberent inediam. Porrò de excedenti inedia habemus Hippocratis teſtimonium initio libri de ratione victus in acutis, medicos extitiſſe affirmantis, qui ne dum ptiſſanam, ſed nihil omnino exhiberent vſque ad ſeptimum diem, alios verò donec morbus ex toto iudicatus fuiſſet, quo eodem ſanè vitio ab Eriſtrato in libro de febribus inſimulatos fuiſſe Apollonium, & Dexippum Hippocratis diſcipulos, vt in magiſtrum nimirum referretur inuidia, teſtis eſt Galenus commentario primo, & tertio in librum Hippocratis de ratione victus in acutis, quibus in locis, ſicuti etiam commentario quarto in eundem librum particula quinta, ab ea calumnia ſummos illos viros defendit Galenus. Qui autem cibi, vini, aquæ, & ſalſuginis, ſeu aquæ ſalſæ excedenti copia ægrotantes curaret, vnicum eſto exemplum quod omnia comprehendit; antiquus medicus Petrò dictus, ſeu Petronàs. De hoc viro, qui non fuit Ariſtotelis ætate inferior, ita Celſus libri tertij capite nono. *Apud antiquos quoque ante Herophilum, & Eriſtratum, maximéque poſt Hippocratem fuit Petrò quidam, qui febricitantem hominem vbi acceperat, multis veſtimentis operiebat, vt ſimul calorem ingentem, ſitímque excitaret, deinde vbi paullùm remitti cæperat febris, aquam frigidam potui dabat: ac ſi mouerat ſudorem, explicuiſſe ſe ægrum iudicabat, ſi non mouerat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat, & tum vomere cogebat. Si alterutro modo febre liberauerat, protinus ſuillam aſſam, & vinum homini dabat. Si non liberauerat, decoquebat aquam ſale adiecto, eúmque bibere cogebat, vt mouendo ventrem purgaret, & intra hæc omnis eius medicina erat.* De eodem Petrò, atque etiam de Apollonio, & Dexippo, ſicuti & de toto hoc inediæ, aut alimenti quo medici vterentur exceſſu, ita Galenus in libro de optima ſecta ad Thraſybulum capite decimo quarto. *Febricitantes adeò nonnulli inedia macerabant, vt ne aquam quidem concederent. Nonnulli ab initio cremorem hordei propinabãt, nonnulli ſummopere cauebant ne vnquam hordeaceo victu laborans vteretur. Petronàs autem & ſuillas carnes aſſas exhibens, & vinum nigrum meracius, ad vomitum compellebat, & frigidam ad laborantis arbitrium potui dabat. Apollonius verò atque Dexippus Hippocratis auditores nec aquam propinabant, ne dum vinum. Præparauerant enim cyathos quoſdam cereos numero duodecim, vt eſſent ſinguli hæminæ ſexta pars: ex his duos, trés-ve alternatim ægrotantibus dabant.* Porrò autem huius eiuſdem moris, quo Petronàs ille vteretur, meminit iterum, ac tertio idem Galenus commentario primo, & tertio in librum de ratione victus in acutis. In hunc ſanè virum potiſſimùm vt putem intendiſſe animum cùm hæc ſcriberet Ariſtoteles, faciunt illa præſertim verba Καὶ ἐνίοις ἰατρῶν τοιαύτη ἡ τέχνη, quæ videntur illa fermè Celſi: *Et intra hæc omnis eius medicina erat.* Sanè autem huiuſmodi medendi ratio, quoniam medicorum vulgo minimè nota, & conſueta erat, quippe perpetuis, & conſtantibus medicinæ legibus diſſentanea, vnde & temerariam appellauit illam Celſus; nonnullorum medicorum, huiuſmodi artem per exceſſus curandi, eſſe dixit Ariſtoteles. ἢ ὅτι ἐναντία ἀλλήλοις τὰ τῷ νοσοῦντι ποιοῦσι. *An quoniam cauſſæ, quæ morbos cõmittunt.* Rationẽ affert curationis propoſitæ, quæ per exceſſus fit. Eam autem vt apparet ad medicinæ regulas, & præcepta reducit. Oſtẽdit nimirum exceſſus morbos curare, quoniã quæ morbos faciunt exceſſus ſunt ſuperiori problemate; contraria autem contrariis curantur: contraria autem ſunt, quæ ſub eodem genere plurimùm diſtant, plurimùm autem diſtant contrarij exceſſus. Igitur qui morbus alicubi per exceſſum caloris conſtat, ille exceſſu frigoris curabitur, qui autem exceſſu frigoris, per exceſſum caloris; nam pugna inter contrarias illas excedentes qualitates commiſſa, de quarum ratione, & gradu latiùs à medicis diſputatur, exceſſus redigitur ad mediocritatem, in qua conſiſtere ſanitatem ex medicorum ſententia dictum eſt, & dicit hic idem Philoſophus ſequenti problemate. In eandem porrò ſententiam habemus Galeni verba libro de conſtitutione artis medicæ, capite duodecimo in Latinis. *Cùm enim id quod excellenter ſanum eſt, ſit modò illud ſimilare, aut inſtrumentarium; omni ex parte moderatum exiſtat, ægrum verò immoderatum: ſiquidem morbus immoderatio quædam eſt; aduertendum eſt in primis, quæ nam ea ſit illius immoderatio; quippe neceſſarium eſt, aliam inueniri immoderationem huic contrariam.* Et in libro artis medicæ capite octuageſimo nono. *Etenim ſi omne immoderatum eſt præter naturam, moderatum verò ſecundùm naturam, neceſſe eſt omnino vt immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigatur.* Igitur ex his, quæ attulimus, iam non ſit

temeraria illa medicina, quando ex veris, & propriis artis principiis deducta est; nec quorundam medicorum, quod ait Aristoteles in problemate, sed omnium isthæc ars est. Dicimus artem curandi per excessus à duobus medicorum generibus exerceri, seu eandem in medicis aliter, & aliter considerari: si enim summus calor alicubi summum faciat morbum, medicinæ legibus instructus medicus summum adhibendum frigus intelligit, & adhibet ex artis præceptis, vt in febre ardenti, aut synocha, frigidæ largissimum potum, aut sanguinis missionem ad animi deliquium: in summo morbo ex summo frigore, idem consimiliter operatur. Iam verò idem non faciat in morbo, qui ex summo aut calore, aut frigore summus non sit: id verò faciat, quem Aristoteles dicit, medicus, siue Petronàs, siue alius fuerit. Primùm enim eodem calore summè aucto, exinde summè refrigerantia adhibet. Galeni loca superiùs indicauimus, & Cornelij Celsi vnum libro tertio, in quo etiam hæc leguntur. *Neque ideo tamen non est temeraria ista medicina, quia plures si protinus à principijs excepit interimit: sed cùm eadem omnibus conuenire non possint, ferè quos ratio non restituit, temeritas adiuuat, ideóque eiusmodi medici melius alienos ægros, quàm suos nutriunt: sed est circumspecti quoque hominis & nouare interdum, & augere morbum, & febres accendere, quia curationem vbi id quod est non recipit, potest recipere id quod futurum est.* Ergo istiusmodi medicina per excessus, temeraria & regulis dissentanea fuerit in Petronàs, qui eadem semper vteretur, quomodo accepit eam Aristoteles cùm dixit, talem medicinam esse nonnullorum medicorum, nimirum per excessus semper procedentem: non fuerit in Hippocrate, qui ex arte, ac regulis ea vbi vsuueniret vteretur. At quoniam excessus tum ab hoc postremo medicorum genere, tum ab illo priore adhibiti morbum curarunt, & frequens fuit per excessum ægritudinum curatio, cur sæpenumero excessu curarentur quæsiuit Aristoteles. Sunt igitur excessus aliquando ex arte, vt in priori genere, quod scribebat Galenus locis, quos indicauimus, aliquando non ex arte vt in posteriori. Quòd si accidat aliquando, vt bene ac vsus tempore etiam ab illis excessus adhibeantur, enimvero ex accidente res contingat, nec ex medicinæ legibus, quantum quidem ad eos pertinet remedium dici possit. Porrò in textu cùm antea legeretur, θάτερον ἑκατέρου, nos excudendum curauimus, θάτερον ἑκάτερον, hæc enim visa est melior lectio, quam habebat ad marginem adscriptam Alexandri Iustiniani Chij medici, & Patricij Genuensis, virique doctissimi codex, de quo codice in Prolegomenis diximus; in quo similiter post τὸ, μέσον, ponitur particula, οὖ, quam retinet etiam antiqua tralatio, quæ si recipiatur, manifestè patet minimè esse continuandam sententiam, sed diuidendam; & post participium, ποιοῦσα, subaudiendum esse verbum substantiuum.

III.

Διὰ τί αἱ τῶν ὡρῶν μεταβολαὶ, καὶ τὰ νοσήματα ἐπιτείνουσιν ἢ πάυουσι, καὶ κείνουσι τὰς νόσους, καὶ ποιοῦσιν; ἢ ὅτι θερμαὶ, καὶ ψυχραί εἰσι, καὶ ὑγραὶ, καὶ ξηραί. αἱ γὰ νόσοι τέτον εἰσὶν ὑφ' ὧν βολαὶ· ἡ γὰ ὑγεία ἰσότης. ἐὰν οὖν δι' ὑγρότητα ἢ ψύξιν, ἡ ἐναντία ὥρα παύει. ἐὰν δὲ μὴ ἐναντία ὥρα ἔχῃ, ἡ ὁμοία κράσις ἐπιτιθεμένη, ἐπέτεινε, ἢ ἀνῆλαι. διὰ ταῦτα δὴ καὶ νοσίζουσι τὰς ὑγιαίνοντας, ὅτι μεταβάλλουσι, λύουσι τῷ κράσιν. ἅμα δὲ τῇ οἰκείας ὥραις, καὶ ἡλικίαις, καὶ τόποις αὐξάνεται. διὸ δεῖ ἐν τῇ μεταβολαῖς μάλιστα φυλάττεσθαι. ὁ δὴ καθόλε ὡδὶ τῶν ὡρῶν εἴρηται, καὶ κοινὸν μέρος τὸ αὐτὸ αἴτιον. αἱ δὲ τῶν νημάτων μεταβολαὶ, καὶ τῶν ἡλικιῶν καὶ τόπων, ὥρας τινός εἰσι μεταβολαὶ. διὸ καὶ ταῦτα ἐπιτείνει, καὶ παύει, καὶ κείνει, καὶ ποιεῖ, ὥσπερ αἱ ὧραι, καὶ ἐπιτολαὶ τῶν ἄστρων, ὥσπερ ὠρίων, καὶ ἀρκτούρος, καὶ πλειάδος, καὶ κύνος. ὥσπερ νημάτων, καὶ ὑδάτων, καὶ ὑδρίων, καὶ χειμώνων, καὶ ἀλέας.

Cur temporum, statuúmque mutationes morbos intendant, tollántve, iudicent, vel committant? An quòd aut frigidæ, aut calidæ, aut humidæ, aut siccæ sunt, morbósque qualitatum huiusmodi excessus committit. Secunda etenim valetudo mediocritas quædam est. Quòd si per humidam, frigidámve materiam morbus constiterit, tempus accedens contrarium tollere illum poterit. Sed si minùs contrarium subsequutum sit, qui similis status temporis superuenerit, intendet sanè, atque interimet: quo etiam fit, vt qui bene valent ægrotare tempore mutato incipiant, corporis enim proinde temperamentum soluatur necesse est: quippe quod non nisi temporum, ætatum, locorúmque statu idoneo aptum sit augeri, seruaríque. Quam ob rem cùm tempora euariant, ratio tunc valetudinis habenda diligentiùs est. Idem au-

tem illud pro cauſa particulatim etiam adeſt, quod in vniuerſum propoſui de temporibus; mutationes etenim flatuum, ætatum, atque locorum pro temporis cuiuſdam mutatione accipi debent. Quapropter hæc etiam intendendi, vel tollendi, vel iudicandi, vel contrahendi morbum vim habent, quemadmodum tempora, & ſyderum ortus, Orionis, Arcturi, Vergiliarum, Caniculæ, qui flatus, imbréſque excitant, qui ſerenitates, frigora, teporéſve ſolent adferre.

Quæ hoc problemate traduntur, ea ſimilia ſunt iis, quæ tradita ſunt duobus ſuperioribus, niſi quòd illa vniuerſalia magis ſunt, hęc autem ſpecialia magis; ibi enim vniuersè quærebatur de exſuperantiis omnibus, quare morbos committerent, & ſanarent, hîc autem ſeparatim, & ſpeciatim de mutationibus temporum ſolummodo, & ventis, quare partim intendant, & faciant, partim autem ſedent, & iudicent morbos. Problematis autem iſtius ſolutio, quemadmodum etiã ſuperioris, ducitur ab exſuperantia & cõtrarietate: ideo enim mutationes temporum ſedant, aut pariunt morbos, quia cùm ſanitas ſit æqualitas, aut moderata proportio, non poteſt ipſa in temporum mutatione in quibus neceſſariò immoderatio, aut inæqualitas contingit, conſiſtere; ſed vt vnà cum iis afficiatur neceſſe eſt. Et cùm morbi exſuperantiæ & immoderationes ſint, nempe caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & ſiccitatis, mutationéſque temporum ſimiliter per eaſdem qualitates fiant, contingit vt ſi morbus conſtet per humiditatem, & frigiditatem; mutatio temporum ad contrarias qualitates facta, ad caliditatem nempe, & ſiccitatem, tollat ipſum; ſi autem non fiat ad contrarias qualitates, ſed ad eaſdem potiùs, quibus conſtat morbus, tunc morbus per ſimiles qualitates auctus intenditur; & ſic mutatio temporum vt vel faueat, vel aduerſetur morbo neceſſe eſt. ἐαν ἓν δὶ ὑγρότητα ἡ ψύξιν. Ita repoſuimus ex codice Iuſtiniani, cùm antea καὶ ψύξιν legeretur. ἐαν δὲ ἐναντία ὦσα μὴ ἔχηται. Negationem addidimus, quam in expoſitione ſequuti ſumus; illam verò approbat etiam Iuſtiniani codex, in quo ſimiliter pro καὶ ἀνεῖλαι, reponitur ἢ ἀνεῖλαι. Διὰ ταῦτα ἢ ℭ νοσίζουσι τοὺς ὑγιαίνοντας. *Quo etiam fit vt qui bene valent ægrotare tempore mutato incipiant.* Corollarium infert pertinens ad ſanos, hactenus enim de morboſis loquutus eſt, ob eandémque rationem mutationes temporum morbos afferre ſanis dicit, quoniam ſimul immutantes hominum corpora, eorum temperationes ſimiliter diſſoluunt, ac deſtruunt; quam rem probat ea ratione, quoniam à familiaribus, & ſimilibus ſiue temporibus, ſiue ætatibus, ſiue locis eadem temperatio roboratur, ac augetur; huic autem conſequens eſt vt è conuerſo à contrariis, & diſſimilibus minuatur, & diſſoluatur: ſequitur igitur corporis temperatio tempora, ætates, & loca, & ad illorum mutationes mutatur. ὁ ἢ ὡὲι τ ὡρῶν εἰρηται καὶ κ μέρ℗. *Idem autem illud pro cauſſa particulatim etiam adeſt.* Rem adhuc ad magis particularia redigit; quæ cauſſa dicta eſt de temporibus anni, vniuersè nimirum, & ſecundùm genus, eam in iis etiam quæ ſecundùm partem ſunt, eandem eſſe affirmans; inter hæc autem, quæ ſecundùm partem ſunt enumerat ventos, de quibus etiam ſuperiùs in problematis initio mentionem fecerat, ætates, & loca; hæc enim tempeſtatis alicuius mutationes ſunt; hoc eſt, non abſimile fit, ac ſi tempora mutarentur, & ad horum cuiuſlibet mutationem ſequuntur effectus, qui ad temporum mutationem ſequi ſolent. In Iuſtiniani codice poſt τὸ, ὃ ἢ, habetur particula, καθόλα, quæ ſenſui omnino neceſſaria eſt, quámque nos ideo reſtituimus. Διὸ κ ταῦτα ὀπτείνει, κ πάυει, κ κείνει, κ ποιεῖ. *Quapropter hæc etiam intendendi, vel tollendi, vel iudicandi, vel contrahendi morbum vim habent.* Iterat eademmet quattuor verba, quibus vſus eſt ab initio, nec id abſque ratione, vnumquódque enim ipſorum ab altero diuerſum eſt, & propriam vim obtinet: priora enim duo intenſionem, & remiſſionem morbi ſignificant, poſteriora verò inchoationem, & terminationem; per vocem enim, κείνασι, morbi terminus ſignificatur. ὥσπερ αἱ ὧραι ℭ ὀπτολαὶ τ ἄςρων, ὥσπερ ὠρίων, καὶ ἀρκτῦρ℗. *Quemadmodum tempora, & ſyderum ortus, Orionis, Arcturi.* Hæc pendent ex ſuperioribus; eadem enim iterantur confirmata exemplis; ventos nimirum, ætates, & loca intendere, & ſedare, iudicare, & gignere morbos, ſicuti idem faciunt anni tempeſtates, atque ortus ſtellarum, cuiuſmodi eſt Orion, Arcturus, Pleiades, & Canis. Porrò hæc, *atque ortus ſtellarum*, vel poſita ſunt ab Ariſtotele tamquam interpretatio eorum, quæ proximè præponuntur, vt indicaret, quid per tempeſtates intelligeret, mutationes nimirum factas occaſione ortus, aut occaſus quarumdam ſtellarum, aut poſuit tamquam alteram rem, vt tempeſtates ſint temporum anni mutuæ ſucceſſiones, quibus ver excipit æſtas, hanc autumnus, eandem

hyems,ortus autem aſtrorum alias ſignificet mutationes,eorumdem aſtrorum ratione contingentes. Porrò Galenus etiam aphoriſmi primi commentario tertio, quo loco Hippocrates eandem habet ſententiam, his verbis: *Mutationes temporum potiſsimùm pariunt morbos:* Mutationes ſimiliter duobus modis accipi dixit, vel tanquam idem ſignificarent, ac ſucceſſiones, vel tanquam alternationes, quæ fiunt ſecundùm illorum temperaturas: huiuſmodi enim præſertim accidunt in ortu ſtellarum, quæ dictæ ſunt, quemadmodum indicat Ariſtoteles cùm ſubdit. *Qui flatus, imbréſque excitant, qui ſerenitates, frigora, teporéſve ſolent adferre:* hæc enim ita interpretamur iuxta Theodori tralationem, Græca enim videntur aliquantiſper corrupta, cùm illa generandi caſus nomina ἀνέμων ἢ ὑδάτων, & quæ ſequuntur, non habeant vnde ſint apta, quod ego quidem videam; non enim putem à voce ὥρας; nec tamen vt exiſtimo, haud multùm diſſimilis poſſit eſſe ſenſus. Hippocrates præter locum quem indicaui in aphoriſmis,eandem de temporum anni mutationibus ſententiam habet in libro de humoribus, his verbis. *Mutationes maximè pariunt morbos, & præſertim maximæ, & in temporibus magnæ mutationes, & in alijs.* In libro etiam de aëre,aquis,& locis ad problematis huius ſententiam hæc leguntur: *Oportet autem, & auſtrorum exortum conſiderare præcipuè Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occaſum. Morbi enim in his maximè diebus iudicantur, alijq; perimunt, alij verò deſinunt.* Porrò de temporibus quæ determinantur ortu, & occaſu ſignorum,de quibus meminit Ariſtoteles in problemate,ita Galenus aphoriſmo decimo quarto commentarij tertij:*Ortus Pleiadum principium eſt æſtatis,poſt quem Canis ortus operam appellatam inchoat,quam etiam ſecundam partem æſtatis vocant. Poſt hanc Arcturus oriens initium facit autumno, deinde occaſus Pleiadum hyemis principium adducit.* Vt iam fermè in idem incidere appareant temporum mutationes, id eſt mutuæ ſucceſſiones,ac inſignium harum ſtellarum ortus, & occaſus. Quibus autem anni menſibus, & menſium diebus eorum ſyderum ortus,& occaſus contingat variè res proponitur; varietatis autem cauſſa duplex eſt, nam & pro varia poli altitudine diuerſi ſunt diuerſis in regionibus ſyderum ortus, & occaſus, & quoniam totum ſignum non vnica die exoritur, alij alium diem tradiderunt. Nos ex Plinio, qui in Italia ſcripſit, dies hoſce apponemus, capite quadrageſimo ſeptimo libri ſecundi. Pleiadum, aut Virgiliarum ortus eſt ante diem ſextum Idus Maias, hoc eſt decimo die eiuſdem menſis; occaſus earumdem ante tertium Idus Nouembris, id eſt die vndecima eiuſdem; Canis ortus eſt Sole primam partem Leonis ingrediente, die decimo quinto ante Auguſtas Calendas, videlicet die decimo octauo menſis Iulij, Arcturus vndecim diebus ante æquinoctium autumni, nimirum die circiter decima Septembris; Orionis ſexto Calendas Iulij, quæ eſt vigeſima ſexta menſis Iunij dies. Hic tamen ſunt, qui legunt ſexto Calendas Iunij, vt vel totius menſis diſcrimen, atque interuallum adſit. Fuitq; omninò & apud alios controuerſus huius ſyderis ortus. Franciſcus enim Vicomercatus in commentariis ad ſecundum Ariſtotelis librum meteororū reprehendit tum Alexandrum, tum Theophraſtum, tanquam de huius ſyderis exortu falſa ſcribentes; vult autem Vicomercatus eum exoriri Sole finem Tauri, & initium Geminorum tenente: ſed nobis hæc exquiſitiùs hoc loco inueſtiganda non ſunt. De eorum, & aliorum etiam ſignorum exortu præter Ptolemæum poſſunt etiam legi Varro, & Columella Latini auctores, quorum ille capite vigeſimo octauo, & vigeſimo nono libri primi, hic autem capite ſecundo libri vndecimi, non pauca ad hanc materiam propoſuerunt. Ætius etiam ex Adamantio lib. III. cap. CLXIV.

IV.

Διὰ τί ἐν τ μεταβολαῖς τ ὡρῶν ἐμέτοις δεῖ χρῆσθαι; ἢ ἵνα μὴ χύμτα συνταράξῃς, διαφόρων χυμῶν τ περιττωμάτων ἐν τῇ μεταβολῇ.

Cur vomitus cùm tempora immutantur citari maximè debeat? Anne conturbatio redundet, cùm varia excrementa materiæ inutilis ex mutandi ratione proueniant: vnde fit vt cibum alij parum concoquant, alij parum cupiant.

De anni temporum mutationibus, quemadmodum in ſuperiori, agit ſimiliter in præſenti problemate, illud quærens cur in eis neceſſe ſit vti vomitibus? eam autem rationem reddit, ne ob varia genita excrementa conturbatio fiat in corpore. Varia porrò,vel etiam contraria gigni excrementa in temporum mutationibus, ſatis patere poteſt conſideranti

ea, quæ in præcedenti problemate dicta ſunt, cùm alia mutatio fiat ad caliditatem, alia ad frigiditatem, vnaquæque autem ex his propria gignat excrementa; cùm igitur vnius generis tantummodo excremẽtum extat in corpore, illud à natura faciliùs regi poteſt, cùm verò ob mutationem aliud ab eo diuerſum gigni contingit, tunc à varietate magis onerata natura, conturbatur tota, & in morbos incidit, à quibus vt caueamus tutum cõſilium eſt, cùm aliqua mutatio anni temporum fit, vomitu quod genitũ eſt expellere, quo nimirum abſque ſanitatis periculo, aduenienti locus patere poſſit. In codice Iuſtiniani poſt vocem, ἐμέτοις, legitur particula negandi, ϗ, quæ problematis ſenſum priori ex toto contrarium reddit, quam ſi recipiamus ita locum exponemus: In mutationibus temporum non eſſe vtendum vomitibus, quoniam cùm varia in mutatione, & ob mutationem ſint genita excrementa: alia enim temporis conditio alia gignit excrementa, non poſſunt omnia per vomitum expelli, quo tenuiora tantùm, magiſque prompta, & ad ſuperiores partes tendentia euacuantur: reliqua igitur dimouebuntur ſolùm, & corpori turbationem afferent: Præſtat igitur corpora non mouere; valetudinis tamen habere rationem, quod proximo problemate dixit. Porrò Theodorus aut aliam ſcripturam ſequutus eſt, aut illa de ſuo addidit. *Vnde fit vt cibum alij parum concoquant, alij parum cupiant.* Iuſtinianus in margine pro ἐν τῇ μεταβολῇ, habet διὰ τὰς μεταβολάς. Admonuiſſe contenti non immutauimus, quòd ad ſenſum minimùm intereſſet.

V.

Διὰ τί ϗ οἱ κιβδηλιῶντες, ϗ οἱ ὑπὸ λιμοῦ τὺς πόδας οἰδοῦσιν; διὰ τὴν σύντηξιν ἀμφοτεροι; σωτήκονται γὰρ οἱ μὲν διὰ λιμὸν, διὰ τὸ μὴ ὅλως λαμβάνειν τροφήν. Οἱ δὲ κιβδηλιῶντες, διὰ τὸ μηδὲν ὑποληφθεῖν ὧν λαμβάνουσι τροφῆς.

Quam ob rem qui vel cibo vitioſo veſcuntur, vel fame diutina laborant, pedibus intumeſcere ſoleant? an vtríſque per tabem, conſumptionémque illud accidat? Tabeſcunt enim & qui eſuriunt, quia nullum penitus capiunt alimentum; & qui vitioſè veſcuntur, quia quod aſſumpſerint perfrui nequeunt.

De duabus corporis conſtitutionibus in quibus pedes intumeſcere ſolent verba facit, cauſſam huius accidentis inquirens: ſunt autem illæ duæ conſtitutiones, tum eorum qui famem tolerant, tum qui vocantur ab Ariſtotele κιβδηλιῶντες; dictionem autem κιβδηλιῶντες tranſtulit Theodorus, qui cibo vitioſo veſcuntur; de quibus quamquam verum ſit problema; qui enim vitioſis cibis aluntur, iis inflantur pedes, ideo tamen minùs approbanda eſt ea verſio, quòd ex generali problema reddit particulare; vox enim κιβδηλιῶντες, non ſolùm prauis edulijs enutritos ſignificare poteſt, ſed in vniuerſum pallidos, & morboſos, ſeu malo corporis habitu detentos. Teſtis ſit Heſychius, qui & κιβδηλιᾷν exponit ὠχριᾶν, & κιβδηλιῶντας ὠχροὺς ὑπὸ τῆς κιβδήλεως ἐνοχλουμένους. Quid autem κιβδηλὸς ſit, rurſus exponit per hæc verba, ἔστι δὲ κιβδηλὸς ἐν τοῖς μεταλλοῖς σκώρια ἀφ' ὧν παμφύλοι κιβδηλοι, μοχθηρὸν φαῦλον, ψεῦμα, νόθον, ἀδόκιμον. Si igitur, κιβδηλον vitioſum ſignificat, prauum, corruptum, & adulterinum, à ſcoria metallorum, quæ eo nomine dicitur tranſlata ſignificatione, quæ totius metalli deterior, & ſpuria pars, ac fex illius eſt; cur non ſimiliter omnes homines, qui prauis excrementis, & vitioſis humoribus redundant, & pro eo quod ad ſanitatem pertinet ſic affecti ſunt, vt vitioſum, prauum, & minùs legitimum ſtatum poſſideant, κιβδηλιῶντας etiam, nomine illinc deducto appellabimus? de his igitur in vniuerſum problema inſtituens Ariſtoteles, quærit quam ob rem tum iis pedes intumeſcere ſoleant, tum etiam verò ſimiliter iis, qui famem tolerant? Cauſſam autem dicit eſſe σύντηξιν, quam Theodorus vertit tabem, & conſumptionem; propriè autem dicatur colliquatio, cuius effectus tabes eſt; hæc autem colliquatio, nimirum humoris & ſubſtantiæ abſumptio, vel fit latenter, vel manifeſta aliqua fluxione. Latenter vt exempli gratia cùm in febribus, quæ marasmodes dicuntur, ſubſtantia corporis, vaporis modo diſſoluitur, & abſumitur, totúmque corpus exſiccatum, & tabefactum relinquitur: manifeſtè vt cùm in febribus colliquatiuis, per alui fluxum immoderatum eadem tabefactio contingit: vterque modus in præſentia locum habere videtur. Nam qui famem tolerant, illi latenter colliquantur, & abſumuntur, quoniam calor innatus, cui cibus ſubinde neceſſarius eſt, alimento haud ingeſto, quibuſcúmque poteſt abutitur ad paſtum, corporis humoribus,

& inde corpus exsiccatur, & tabescit: sed quoniam illi nec sufficiens, nec aptum eiusdem nutrimentum esse possunt, debilitatur idem, ac corrumpitur: debilitatus autem, ac corruptus, haud potest ampliùs alias quæ singulis adhuc corporis partibus affixæ sunt proprias humiditates regere, & detinere, quod caloris naturalis proprium munus est: Illæ igitur gubernatrice vi destitutæ, vel potiùs tamquam vinculis solutæ, diffusæque per corpus, qui rerum grauium proprius motus est, deorsum fluunt, & labuntur ad pedes, eósque in tumorem attollunt: fit igitur occulta absumptio in cæteris corporis partibus, manifesta colliquatio, & fluxio ad pedes; ex quo illud accidit, quod dixit Hippocrates in libro quarto de morbis ad finem, in hydrope, in qua præ caloris natiui imbecillitate huiusmodi colliquatio contingit, ventrem magnum fieri, & crura impleri aqua, supernas autem corporis partes attenuari. Hæc autem ratio similiter etiam in iis valet, qui malo corporis habitu siue cachexia laborant, siue illa à prauo victus genere, siue ab alia caussa ortum duxerit; nam cùm ij minimè fruantur eo alimento, quod assumunt, perinde est ac si non assumerent; quæque de calore debilitato, & humiditatibus crudis defluentibus ibi dicta sunt, hîc similiter locum habent. Quibus illud præterea adiungi potest, quòd cùm cibus assumptus, ob caloris debilitatem minimè concoquatur, apponatur, aut agglutinetur, factus excrementitius, & ad pedes decidens eos in tumorem attollit: ob eandemq; caussam similiter, quod tamen hîc non dicitur ab Aristotele, contingit vt iidem cachexia laborantes, cùm impensè debilitati sunt, corripiantur sæpenumero alui profluuiis, haud potente nimirum ampliùs natura, seu calore naturali humiditates in corpore retinere. Plinius, quod etiam omittendum non putaui, eadem voce, syntexes, Latinè vsus est, sicut etiam, syntectici, eamque iunxit alij, quam ab Aristotele intelligi dixi, nimirum huic, cachectæ, ita scribens capitè nono libri vigesimi octaui. *In Arcadia bubulum lac bibunt phtisici, syntecticiq́, & cachectæ.* οἱ μὲν διὰ λιμὸν διὰ, restituimus ex Iustiniani codice, cùm antea absque eo locus legeretur. διὰ τὸ ὅλως μὴ. In Aldinis negatiua particula non erat in textu, sed in margine. Nos ex Theodori tralatione, approbante Iustiniano eam suo loco restituimus. ἧς λαμβάνει τροφῆς ex Iustiniani codice. Aldinus enim habet ἀπολαμβάνει.

V I.

Διὰ τί τὰ ἀπὸ χολῆς νοσημάτων ἐν τῷ θέρει (πυρέττουσι γὰρ μάλιστα ἐν τῷ θέρει) τὰ ὀξέα ἀπὸ χολῆς ὄντα, ἐν τῷ χειμῶνι γίνεται μᾶλλον; ἢ ὅτι μὲν πυρετῶν ὄντα, ὀξέα ἐστι, διὰ τὸ βίαια εἶναι, ἡ δὲ βία παρὰ φύσιν. ὑγραινομένων γὰρ πόρων, θερμὴ φλεγμασία γίνεται. ἡ δὲ φλεγμασία ἐκφέρουσα θερμότητος ἔσα, ποιεῖ τὰς πυρετούς. ἐν μὲν οὖν τῷ θέρει, ξηραὶ καὶ θερμαὶ εἰσιν αἱ νόσοι. ἐν δὲ τῷ χειμῶνι, ὑγραὶ καὶ θερμαί: διὸ ὀξεῖαι. ταχέως γὰρ ἀναιροῦσιν: ὁ γὰρ θέλει πέττεσθαι διὰ τὸ πλῆθος τῶν περιττωμάτων.

Quamobrem cùm vitia bilis per æstatem contrahi debeant, morbi acuti, qui certè ex bili consistunt, per hyemem potiùs vrgeant? An quia febribus illi comitati, acuti propterea sunt, quia violenti: violentia verò contra naturam est. Locis enim quibusdam in corpore humescentibus feruens oritur inflammatio, quæ cùm non nisi caloris exsuperantia fit, febres vtique accendere potest. Æstiuo igitur tempore arida, calidáque vitia malè homines habent, hyberno autem humida, calidáque: proinde acuta: celeriter námque interimunt, cùm propter humoris supercrescentis abundantiam concoqui nequeant.

Cùm morbi, qui à bile concitantur æstate potiùs ingruant quàm hyeme, eo enim tempore ob temperaturæ similitudinem multa bilis copia gignitur, faciléq; inde morbi accenduntur; acuti tamen, hoc est periculosi qui à bile sunt, quemadmodum angina, pleuritis, & peripneumonia, quare magis per hyemem gignãtur, quærit hoc in loco Aristoteles; morbos autem hos magis hyeme, quàm æstate gigni, tum experiẽtia obseruamus quotidie, tum verò Hippocratis testimonio patet, qui pleuritim, & peripneumoniam inter hyemales morbos cõnumerat, & anginam inter autumnales: bilioſos autẽ morbos magis æstate concitari, quod sumpserat Aristoteles, probat signo quodã, nimirum quia eo tempore homines febricitant magis: videtur autem signum hoc supponere febres omnes oriri à bile, quæ sententia

quam

quamquam falsa, fuit illa tamen quorundam medicorum, aduersùs quos disputat Galenus libro secundo de differentiis febrium capite primo, nec tamen in ea hæresi fuisse Aristotelem ex his verbis omninò asserere cogimur; illud enim nobis satis esse possit, quæ æstate oriuntur febres, eas propemodum omnes bilioſas esse, sic enim satis argumenti erit, morbos qui æstate contrahuntur esse bilioſos, siue morbos bilioſos æstate contrahi solere, cùm æstate maximè vulgaris morbus febris sit, eique maximè propria. Alioqui etiam particula hæc, aut parentheſis, quæ signum continet, omissa est à Theodoro Gaza in sua versione, vnde affirmandum non absque ratione sit, caruisse ea illos codices, quibus doctissimus hic vir vsus est, quæ tamen nunc in impressis omnibus Græcis reperitur. Quamobrem igitur hyeme potiùs, quàm æstate contingant morbi ex bile acuti, & periculoſi quærit hoc in loco Aristoteles: causſamque illam affert, quòd cùm hi morbi vnà cum febribus coniuncti accedant, necessario merito febrium acuti & periculoſi sunt, quia nimirum sunt violenti, sunt autem violenti, quia præter naturam. Quòd porrò febres hyeme contingentes sint violentæ, & præter naturam, tanquam notum omisit Aristoteles; patet autem ea ratione quòd maximè aduersentur temporis naturæ: febris enim est intemperies calida, & sicca, hyems autem frigida, & humida; vnde causſa admodum valida, & efficaci opus fuit, quæ febrem gignere potuerit; hæc autem summè periculoſa est: quod scripsit etiam Hippocrates his verbis aphorismo vigesimo quarto libri secundi. *In morbis minùs periclitantur quorum naturæ, aut ætati, aut consuetudini, aut anni tempori congruit morbus, quàm vbi nulli istorum congruit.* Quæ sententia fusiùs explicatur à Galeno in commentario illius loci. *ὑγραινομένων γάρ τινων τόπων. Locis enim quibusdam in corpore humescentibus.* Quod valde necessarium erat, probat hoc in loco Aristoteles: quare nimirum per hyemem oriantur febres in morbis, causſam autem ad humiditates, quæ eo tempore redundant, non redundant autem in æstate refert summus doctor; nam ex illarum redundantia calidæ quædam efferuescentiæ oriuntur in locis, hoc est corporis partibus, iis præcipuè quæ obstructæ sunt; efferuescentia autē cùm sit caliditatis exsuperantia febres generat. Legit autem Iustiniani codex non *ἡ ὑπὸ θερμασία*, sed *ἡ ὑπὸ φλεγμασία*, quemadmodum etiam Aristotelis ratiocinatio videtur postulare, & ita nos reposuimus. *ἐν μὲν οὖν τῷ θέρει ξηραὶ καὶ θερμαὶ εἰσιν αἱ νόσοι. Aestiuo igitur tempore arida calidáque vitia malè homines habent.* Ex his, quæ dicta sunt concludit Aristoteles, in æstate fieri morbos calidos, & siccos, deficiente nimirum eo tempore humiditate, ex quo, vt ego existimo, colligi vult rationem, quare bilioſi morbi per illa tempora minimè acuti, hoc est periculoſi sint, qui totus est problematis scopus; nam cùm desint eo tempore humiditates illæ, ex quibus calida efferuescentia ortum ducit, morbúsque similis sit qualitate, & natura, qualitati, & naturæ ipsius temporis, vtrúmque enim est calidum, & siccum; minimè ea ratione contingit violentia, ob quam morborum fieri acutiem, hoc est periculum in ipsis creari, existimat Aristoteles; contingit autem violentia hyeme, in qua per vim ob illarum humiditatum redundantiam febres accenduntur, vt superiùs dictum est, hincque sequuntur morbi acuti, seu periculoſi, & qui citò interimunt. *ἐπὶ γὰρ θέλει πέπτεσθαι διὰ τὸ πλῆθος. Cùm propter humoris supercrescentis abundantiam concoqui nequeant.* Auget vim argumentationis petitæ ab humiditatibus, siue excrementis per hyemem adauctis, & efferuescentibus, in quas res omnem acutiei, seu periculi occasionem reijcit Aristoteles, affirmans illas ob multitudinem non posse concoqui, quæ multitudo haud ita contingit æstate; atque eo modo acutos, & periculoſos morbos concitare; sed quoniam tota hæc huiusce problematis ratiocinatio longiuscula est, difficiliórque fortasse comprehensu, ideo clarioris doctrinæ gratia, eam in hunc modum in syllogismi formam collegimus. Quo tempore à locis humescentibus calidæ efferuescentiæ contingunt, febrem accendentes contrariam naturæ temporis, eo tempore morbi acuti magis oriuntur; Sed hyeme ob temporis humiditatem, minimè autem æstate, humescentibus locis, efferuescentiæ febrem accendentes contingunt, igitur hyeme, minimè autem æstate morbi acuti magis oriuntur. *ἢ ὅτι μὴ πυρετῶν.* Ex Iustiniani codice, cùm antea legeretur *διότι μὴ πυρετῶ.*

VII.

Διὰ τί ποτε ὁ λοιμὸς μόνη τῶν νόσων μάλιστα τοὺς πλησιάζοντας τοῖς θεραπευομένοις ἐφαπτόμενος πλησιάζει; ἢ ὅτι μόνη τῶν νόσων κοινή ἐστιν ἅπασιν. ὥστε διὰ τοῦτο πᾶσιν ὁμοίως φέρει ὁ λιμὸς, ὅσοι φύλλως ἔχοντες ἐφυπάρχουσι. καὶ γὰρ διὰ τὸ ὑπέκκαυμα τῆς νόσου τῆς ἐπὶ τῶν θεραπευομένων γινομένης, ταχέως ἐπὶ τὸ ἐφάπτεσθαι ἁλίσκονται.

Cur morbus peſtilens ſolus ex omnibus vitiis præcipuè afficiat eos, qui ad laborantes eo morbo prope acceſſerint? An quod is ſolus omnium morborum communis omnibus hominibus eſt. Itaque peſtem facilè omnibus infert, qui ſcilicet deprauato iam habitu ſunt. Fit enim vt morbo cubantis veluti quodam fomite ſuccendente, vitium illud protinus exultet, concipiatúrque in aliis.

Si peſtem ſolam ex morbis, contagioſam eſſe proponeret hoc loco Ariſtoteles, ſanè & ea proponeret quæ falſa ſunt, & illis contraria, quæ problemate primo ſectionis ſeptimæ & octauo eiuſdem monimentis conſignauit: quo loco phtiſim, ophtalmiam, & ſcabiem tum contagioſa eſſe, tum verò eiuſdem rei cauſſam pluribus explicauit. Diligenter igitur ſunt verba cõſideranda vt ſenſus eliciatur, qui & verus ſit, & eiuſdem Ariſtotelis dictis minimè repugnet. Ex ratione igitur, quæ pro diſſolutione proponitur ille inueſtigãdus. Duas igitur in ſolutione obſeruo apponi peſtis conditiones, alteram ex parte rei cõtagione afficiendæ, alteram ex parte rei afficientis: ratione quarum peſtis dicitur contagioſa: Hæ autem cùm nulli alij morbo communes ſint, nullus alius iure contagioſus, niſi peſtis erit; vt hic ſit Ariſtotelis ſenſus, morbum nullum ſicuti peſtem contagioſum eſſe; prima conditio eſt, quòd cùm alij morbi aliis ætatibus, locis, temporibus ſint proprij, ſicuti tum ex aliis, tum ex Hippocrate potiſſimùm patet tertio aphoriſmorum libro, vbi proprios temporum, & ætatum morbos enumerat, atqui etiã ex libro de aëre, aquis & locis; ſola peſtis ita omnibus eſt communis, vt non magis vni ætati, loco, & tempori, ac aliis dici poſſit propria, & ineptus videretur qui magis puerum, quàm adoleſcentem, aut hunc quàm virum, eidem obnoxium eſſe diceret: eodémque pacto de anni temporibus exiſtimandum eſt: atqui alios morbos, inter quos & contagioſi ſunt, præter peſtem, per illas ætates, & tempora diſtinxit Hippocrates eo libro, irridendus ſi peſtem etiam inter illos enumeraſſet. Negari tamen haud poteſt aptitudinem quoque, & apparatum ad eam rem, ſicuti & ad alias omnes requiri, quod indicauit Ariſtoteles cùm dixit ὅσοι φαύλως ἔχοντες, *Qui praue affecti ſunt, aut deprauato ſunt habitu*, vt vertit Theodorus; non enim omnes eo morbo æquè corripiuntur, ſed qui ita ſunt affecti, vt promptè contagione corripi poſſint: tales autem, non omnes ſunt; ſecus enim omnes corriperentur: ſunt tamen omnes ad eam apti, qua ratione illa ſola dicitur maximè, aut potiſſimùm contagioſa: alij enim morbi & ipſi contagioſi; at hæc ſola potiſſimùm. Cauſſa differentiæ eſt ipſius peſtilentioſi morbi natura, quæ cùm inſignis, & efficax admodum ſit, nec in corporis humoribus fundamentum poſitum habeat, vt ex eiſdem dependeat cauſſa nulla eſt. Nec enim in caliditatem, & humiditatem, quibus putredo ipſa conſiſtit, peſtis natura referenda eſt, vt harum qualitatum inſigni exceſſu poſſimus corpora quædam magis habilia dicere: hæ namque pernicioſas potiùs quaſdã, & malignas febres creant, quàm peſtem ipſam, de qua propriè loquitur Ariſtoteles, quæ occulta potiùs quadam venefica qualitate toti aëri ſubſtantiæ impreſſa conſiſtit, & inde per contactum corporibus communicatur. Illæ tamen qualitates, quæ dictæ ſunt, putredini maximè accommodatæ, apparatus ſunt ad eam faciliùs recipiendam, vnde & corpora quantum fieri poteſt illis occaſionibus exſiccanda dicebat Galenus: eſt hic nimirum prauus ille habitus, quem dicit Ariſtoteles in problemate. Igitur ratione corporis afficiendi hæc eſt prima conditio, omnium communis ad peſtem habilitas: Altera eſt ratione corporis iam infecti, à quo nimirũ per contagionem morbus in alio exultat: hæc autem ab Ariſtotele dicitur ὑπέκκαυμα, hoc eſt *fomes ad ſuccendendum*, aut *ebulliens ſuſcitabulum*: Semper enim in eiuſmodi morbo correptis adeſt virus, quod tum ſpiritu per os, tum halitu, ac vapore per vniuerſum corpus egreditur, ratione inſignis, veneficæ, totaque ſubſtantia corruptelæ intus exiſtentis, eadem qualitate prædita, ac ea vnde morbus irruit, quam & ipſe ſimiliter ob eundem fomitem ebullientem, alteri celeriter communicare poteſt: talis autem fomes, eiuſdémque naturæ, aliis morbis, vel contagioſis haud quaquam ineſt; horum autem qualis ſit, & quomodo illi communicentur, non eſt hic locus explicandi. Ariſtoteles loco adducto, hoc eſt problemate octauo ſectionis ſeptimæ non pauca ad hanc rem attulit. Igitur inter contagioſos morbos peſtis, quia & morbus omnibus communis eſt, & fomitem ſuccendentem continuum habet, ſola maximè contagioſa eſt. *Veluti quodam fomite ſuccendente.* Ita emendauimus ex coniectura; codices enim quoſcumque vidi impreſſos, *ſuccedente*, habebant. Puto autem fuiſſe librarij, aut operarum erratum, ac Theodorum ſcripſiſſe, ſuccendente.

VIII.

Διὰ τί τὸ χειμῶνος βορείου γλυκμῶδες, ἐὰν τὸ ἔαρ ἔπομβρον γένηται καὶ νότιον, τὸ θέρος νοσῶδες γίνηται πυρετοῖς καὶ ὀφθαλμίαις; ἢ ὅτι τά τε σώματα ἐκδέχεται τὸ θέρος, πολλὸν ἔχοντα ἀλλότριαν ὑγρότητα· καὶ ἡ γῆ, καὶ ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἂν οἰκῶσι, γίνεται ἔφυδρος, καὶ τοιοῦτος οἷοι λέγονται οἱ ἀεὶ νοσώδεις τόποι; πρῶτον μὲν ἐν ὀφθαλμίαι γίνονται, τοῦ κυκλοῦντος τῆς περὶ τὴν κεφαλὴν περιττώσεως. ἔπειτα πυρετοί. δεῖ γὰρ νοῆσαι, ὅτι τὸ αὐτὸ καὶ θερμότατον γίνεται, καὶ ψυχρότατον. οἷον, ὕδωρ καὶ λίθος, ὁ μὲν ζεῖ, τὸ δὲ κάμνει μᾶλλον. ἔν τε ἦρι ἀεὶ πνεῦμα γίνεται, θερμαινομένου τοῦ ἀέρος διὰ πάχος. καὶ ἐν τοῖς σώμασιν ὡσαύτως πνεῦμα καὶ κάυμα· τὸ μὲν ἐν τοῖς σώμασιν καῦμα, πυρετός ἐστιν· ἐν δὲ ὀφθαλμοῖς, ὀφθαλμία· ὅλως δὲ καὶ ἡ μεταβολὴ ἰσχυρὰ ἅσα, τὰ σώματα φθείρει, ὅταν τοῦ ἀέρος ὑγρὸς ὄντος, αἴθρης γενομένης τὸ θέρος, θερμὸν ὂν καὶ ξηρόν· ἔπειτα χαλεπώτερον ἐὰν καὶ τὸ θέρος ἔπομβρον γένηται. ἔχει γὰρ ὁ ἥλιος ὕλην, ὥστε ποιῆσαι ζέειν, καὶ ἐν τοῖς σώμασι, καὶ ἐν τῇ γῇ, καὶ ἀέρι. διὸ γίνονται πυρετοὶ καὶ ὀφθαλμίαι.

Cur ſi venti Septentrionales hyemem occuparunt, ver autem Auſtros pluuiáſque exhibuit, æſtas proxima grauis tam febribus, quàm lippitudinibus inſequi ſoleat? An quòd æſtas corpora noſtra multum humoris alieni continentia excipit, & terra madet, & habitandi locus perhumidus eſt, taliſque redditur, qualis qui grauis perpetuò conſtat. Primùm itaque lippitudines ſubeunt, cùm excrementa humoris in capite deliquere incipiunt, dein febres. Ita enim intelligendum eſt, vt res eadem & calidiſſima, & frigidiſſima reddi poſſit; ceu aqua, vel lapis: feruet etenim illa, vrit hic vehementiùs. Fit igitur vt aër ſuæ craſſitudinis cauſſa calorem pleniorem ſuſcipiēs exardeſcat, & corpora pari ratione, anxietate, æſtúque vexentur: æſtus verò in corpore febris, in oculis lippitudo eſt. Denique mutatio quæq; valida corpus peruertit, cùm ſcilicet cœlo adhuc madente, æſtas protinus ſicca, & calida occupauit; vitium etiam augetur, ſi pluuia æſtate acceſſit. Ita enim vis ſolis materiam latè obtinet, quam ferueſcere tum in corporibus, tum in terra, tum etiam in aëre faciat, qua de cauſſa febres oriuntur, & lippitudines.

De temporum anni conſtitutionibus nonnullis, quum propriis mutatis temperamentis alia acceperint, verba facit in proximis quinque ſequētibus problematis; qua de re copiosè etiam diſſerit Hippocrates, tum in libro de aëre, aquis, & locis, qua parte de anni temporibus agit, tum etiam tertio aphoriſmorum vndecimo, duodecimo, decimo tertio, & decimo quarto aphoriſmis, iiſdem penè vtrobique verbis; ad quos aphoriſmos cùm vberrimi Galeni extent commentarij, videre eos lector poterit; nobis enim huc omnia minimè afferentur, ſed illa tantùm, quæ aut neceſſaria, aut magno vſui fore videbuntur: loca tamen Hippocratis, & Ariſtotelis ſingula ſingulis vt conferat lector maximè auctor ſum, dilucidiora enim tum ſenſu omnia, tum verò rationum momenta ex collatione fore vt appareant mihi quidem dubium non eſt. Igitur Ariſtoteles octauo hoc problemate, quod aphoriſmo vndecimo tertij libri reſpondet, & conſtitutioni quæ primo loco proponitur in libro de aëre, aquis, & regionibus, illud quærit, cur ſi hyems aquilonia fuerit, ver autem pluuioſum, & auſtrale, æſtas ſubſequatur febribus, & ophtalmiis abundans: cauſſam autem eſſe inquit humiditatem extraneam, acquiſitam & derelictam à vere ob pluuias, & auſtros in eo exſuperantes, & caliditatem magnam æſtate neceſſariò ſubſequentem; ſubſequitur autem ob æſtuationem, ſiue ſuffocantem æſtum, qui & in corporibus, & in aëre eo tempore contingit ratione craſſitiei in ipſo inductæ à pluuia præcedente, quæ tum terrā, tum locos omnes humiditate repleuit; craſſus enim aër quemadmodum reliqua corpora omnia ad recipiendum calorem magis accommodatus eſt, quàm tenuior, & quò craſſior, eò accommodatior. Ratione igitur huius caliditatis immenſæ colliquatio fit excrementi in capite exiſtentis, & inde tum ophtalmiæ primùm, decumbente illo excremento ad oculos, tum deinde febres ſimili excremento ebulliente oriuntur; cur autem ophtalmiæ primùm, tum febres, oſtendit Ariſtoteles problemate decimo nono, ibique à nobis etiam de hac re nōnulla in commentariis afferentur. Quæ verò hìc de æſtate dicuntur, ea non de toto ipſius tempore accipienda ſunt, ſed de prima ipſius parte tantummodo vſque ad Canis exortum, vt interpretatur

Galenus vndecimo aphoriſmo libri tertij; nam cùm in ſecunda ipſius parte, nempe ad Canis exortum, pluuiæ moderatæ contingant, & etheſiæ ſpirent, quod in æſtatis hac parte ſecundùm naturam ſe habente vſuuenit; ceſſat ad autumnum aëris inſalubritas, vt affirmat Hippocrates in libro de aëre,aquis,& locis,& noſter Ariſtoteles decimo nono problemate. δεῖ γὰρ νοῆσαι ὅτι τὸ αὐτὸ καὶ θερμότατον. *Ita enim intelligendum eſt vt res eadem & calidiſſima, & frigidiſſima reddi poſſit.* Hæc eò pertinent vt demonſtret Ariſtoteles exemplorum ſimilitudine, aërem talem eſſe, qui ea pati poſſit, quæ ad effectus producendos, de quibus quæritur in problemate neceſſaria ſunt. Si enim in aëre æſtuatio, aut ſuffocans calor minimè poſſet contingere, iam altera, quæ pro cauſſa lippitudinum, & febrium adducta eſt, ceſſaret: æſtuatio autem nihil aliud quàm caliditas maxima in aëre eſt:aër autem hanc patitur in ea,quæ nunc proponitur æſtate, ſicuti etiam paſſus eſt ſummam frigiditatem cùm borealis antea extitit: pati igitur vtrúmque poſſe dicit Ariſtoteles, non ſecus ac aquam,& lapidem, quas res ſummæ tum caliditatis, tum frigiditatis participes fieri ex eo quilibet comprehendit, nam cùm illæ frigidæ ſint aliquando, interdum ita calore afficiuntur, vt illa ebulliat, hic comburat magis; addit autem rationem etiam Ariſtoteles, quare æſtate dicta tantam concipiat aër caliditatem, nimirum ob craſſitiem ex pluuiis, quæ vere præceſſêre; hac autem re iam ſimilis aliqua ex parte fit aquæ, & ligno, vnde exemplorum pateat ratio. Igitur aëre ita exardeſcente, & ſuffocante ea ratione quæ dicta eſt, in hominibus ſimiliter, ait Ariſtoteles, ſuffocationes, & æſtuationes contingunt; hæc autem in vniuerſo corpore nil aliud ſunt quàm febres, in oculis quàm ophtalmiæ. Hippocrates loco quem indicauimus libro de aëre, aquis, & locis ad æſtatis propoſitæ conditionem indicandam vtitur eiſdem vocibus, πνυγὸς & καῦμα,& ait ea tempeſtate καῦμα duplicari. Galenus etiam in expoſitione aphoriſmi decimi tertij libri ſeptimi, ex medicorum ſententia καῦμα dicit vtraſque has res ſignificare, nimirum tum ambientis aëris incendium, tum etiam febres; quibus notionibus ea voce hîc vſus eſt Ariſtoteles. ὅλως δὲ ἡ μεταβολὴ ἰσχυρά. *Denique mutatio quæq; valida corpus peruertit.* Probat eandem ſententiam vniuerſaliori quadam ratione, ipſamque adeò ſententiam vniuerſaliorem reddit, extendens etiam ad alia corporis vitia non ſolas febres,& lippitudines. Inquit enim generatim quòd tranſmutatio omnis, quæ vehemens, & potens eſt, corpora vitiare, & corrumpere ſolet,quoties vere humido exiſtente,excipiuntur corpora ab æſtate calida, & ſicca; quod etiam multò magis contingit, ſi æſtas ſit pluuioſa,tunc enim materiei maior adeſt copia,nempe humiditatis,in quam caliditate ſua agens Sol,eam ebullire facit, vbicumque poſita ſit,ſiue in corporibus, ſiue in terra, & aëre: & hinc inter cæteros morbos tum febres, tum ophtalmiæ oriuntur.Per æſtatem autem pluuioſam eam accipere hoc loco debemus, quæ maximè talis eſt, & in qua maxima aquarum copia irruit; pluuiæ enim mediocres, & circa Canis exortum cõtingentes, ſalubrem potiùs, quàm morboſum aërem efficiunt, vt ſuperiùs ex Hippocratis, & Ariſtotelis ſententia indicauimus. Hac autem vniuerſaliori ſententia fortè comprehenduntur morbi illi, quos huic conſtitutioni familiares propoſuit Hippocrates vtrobique; non propoſuit autem nominatim Ariſtoteles in problemate,nimirum dyſenterias mulieribus euenientes,ſi tamen de morbo illo ita ſenſiſſe Ariſtotelem dicendum ſit; non fuit enim omiſſa dyſenteria mulieribus eueniens problemate proximè ſequente, nec etiam problemate decimo nono,quam contingere autumno dixit poſt hyemem aquiloniam,ver auſtrinum, & æſtatem admodum ſiccam, nullius ſexus mentione facta; illam tamen huic conſtitutioni aſſignauit ſimiliter Cornelius Celſus capite primo libri ſecundi his verbis. *Si hyems ſicca Septentrionales ventos habuit,ver autem Auſtros,& pluuias exhibet, ferè ſubeunt lippitudines, tormina, febres, maximeq; in mollioribus corporibus, ideoq; præcipuè in mulieribus.* Dyſenteriam enim tormina ab eo Latinè dici notum eſt: ſed quoniam dum tota problematis concluſio probaretur, prima orationis pars, quæ hyemem aquiloniam continebat nunquam venit in medium, neque ad probationem vſui vlli fuit,ſed tota probatio ea re niti viſa eſt,quòd ver eſſet pluuioſum, & auſtrale; illinc enim per ſubſequentis æſtatis caliditatem maximam morbos oriri demonſtratum eſt; ideo quare hyemis aquiloniæ in hac conſtitutione Ariſtoteles meminerit, quémve fructum illa ferat, quæſiuerit aliquis, cui mihi Galeni verbis in commentariis ad aphoriſmum ſuperiùs adductum planiſſimè ſatisfaciendum eſt; Galenus etenim poſtquam probauit quam ob rem morbi ſuperiùs nominati minimè orti ſint nec ipſa hyeme,nec etiam ipſo vere, ſed tardauerint vſque ad ſubſequentem æſtatem, hæc verba ſubiungit vt quidem vertit Leonicenus. *Ipſe verò dixerat* Hippocrates *non ſimpliciter præſentes conſtitutiones fore conſiderandas, ſed ex quibus ad quales fiant permutationes. Præexſiccatum itaque corpus per hyemem ſiccam, atque aquilonam exiſtentem, non modò nihil ex vernis*

pluuijs patietur, ſed potiùs aliqua ex parte iuuabitur ad naturalem rediens mediocritatem. Si verò totum ver humidum fuerit, ad contrariam ducetur corpus conſtitutionem illi, quæ priùs inerat, id eſt ſiccæ, tranſcendens illam, quæ medium tenet mediocritatem. Quare æſtas ſubſequens paratum excipiet offenſioni. Hæc Galenus. Porrò in Theodori tralatione pro, *calida*, ſubſtituimus, *valida*, qua exprimitur Græca vox, ἰσχυρὰ, & ita puto ſcripſiſſe Theodorum, quamquam in omnibus Latinis codicibus, quos ego viderim, deprauata ſit illa dictio, fortaſſe ob ſenſus ſimilitudinem, cùm de mutatione ad calidum in proximè ſequentibus verbis agatur. ἔχει γὰρ ὁ ἥλιος ὕλην ἣν ποιήσει ζέειν τὰ ἐν τοῖς σώμασιν, ἢ ἐν τῇ γῇ, ἢ ἀέρι. *Ita enim vis Solis materiam latè obtinet, quam ferueſcere tum in corporibus, tum in terra, tum etiam in aere faciat.* Iterat in ampliore ſententia, quas ſuperiùs in non ita ampla propoſuit cauſſas, nimirum materiam, hoc eſt humiditatem extraneam, & efficientem, hoc eſt Solis calorem, cuius vi cuncta ebulliunt, tum in aëre, tum in corpore, ſicuti etiam ſuperiùs dictum eſt.

I X.

Διὰ τί ἐὰν ὁ χειμὼν νότιος γένηται καὶ ἔπομβρος, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, νοσώδες γίνεται καὶ τὸ ἔαρ, καὶ τὸ θέρος· ἢ ὅτι ἐν μὲν τῷ χειμῶνι διὰ τὴν ἀλέαν καὶ ὑγρότητα, ὁμοίως τὰ σώματα διάκειται τῇ ὥρᾳ; ὑγρὰ γὰρ ἀνάγκη εἶναι καὶ ἀνειμένα. ὅταν δὲ ἐχόντων; τὸ ἔαρ ψυχρὸν ὄν, ἔπηξε, καὶ ἐσκλήρυνεν αὐτὰ διὰ τὸν αὐχμόν· ὥστε τὰ μὲν κυήσαντα ὁ τοκετὸς ἐκεῖνος εἰς ἀπεψίας γίνεται, διὰ τὴν θερμασίαν, καὶ τὸ σφακελισμὸν τὸ ῥευμάτων τῆς ξηρᾶς ψυχρότητος, ἅτε οὐκ ἐκκενουμένης τῆς ὑγρότητος· τὰ δὲ κύημα παιδία, ἀσθενῆ γίνεται καὶ πρὸς διὰ τὴν καῦσον τῶν ψύχους. συμβαίνει γὰρ τότε ῥευμάτων ἐν διάρσι, καὶ συρροαῖς καὶ τροφαῖς ἐν τῇ τεκούσῃ. τοῖς δὲ ἄλλοις, ἅτε ἐν τῷ ἀέρι οὐκ ἀποκαθαρθέντος τὸ φλέγματος διὰ τὴν καῦσον, (ὃ συμβαίνει ὅταν ἀλεεινὸν γίνεται) ἀλλὰ διὰ ψύχος συστάντος, ὅταν ἐπιλάβῃ τὸ θέρος, καὶ ἡ ἀλέα πήξασα βίᾳ, τοῖς μὲν χολώδεσι καὶ ξηροῖς, διὰ τὸ μὴ διεῤῥεῖν τὰ σώματα αὐτοῖς, ἀλλὰ τὴν φύσιν αὖον ἔχειν, γίνονται μὲν ὑγρότητες, αὖται δὲ λεπταί· ὥστε ὀφθαλμίαις ξηραῖς ἁλίσκονται· οἱ δὲ φλεγματώδεις, βεάγχοις, καὶ εἰς τὰ πνεύμονα καταῤῥοις. ταῖς γυναιξὶ δὲ δυσεντερίαι γίνονται, διὰ τὴν ὑγρότητα καὶ ψυχρότητα τῆς φύσεως. τοῖς δὲ γεραιτέροις ἀποπληξίαι, ὅταν ἀθρόον λυθὲν ὑγρὸν ὑπίπτῃ, καὶ δι' ἀσθένειαν τὸ συμφύτου θερμοῦ παγῇ.

Cur ſi hyems auſtrina, & pluuioſa fuit, ver autem ſiccum, & Aquilonium eſt, corpora tam vere, quàm æſtate morbi exercent? An quòd hyemis tepor, & humor faciunt vt corpora tempori eiuſmodi proxima in qualitate reddantur. Humida enim, laxáque fiant, & ſoluta, neceſſe eſt. Quæ cùm ita ſe habeant, vere frigido, atque ſicco, facilè concreſcere poſſunt, & indurari. Itaque grauidæ, quibus tunc adeſt partus, abortu periclitantur, videlicet incaleſcendi, crudeſcendíque ratione. Quæ res ſyderatio appellata eſt, quam illa committit frigiditas, impatiens omnino excernendi humoris. Infantes verò, quos gerunt, imbecilles, læſóſque immodicam ob frigiditatem, edunt. Accidit enim, vt qui tunc cœlo ſereno naſcuntur, iidem pluuio benignè, & conſtiterint, & nutriti fuerint intra parentem: cæteris verò, cùm pituita vitio ſuæ nimietatis purgata non eſt (quod fit vbi tepidum ſe exhibuit) ſed coacta à frigore conſtitit, cùm tepor occupauit, æſtatis vi colliqueſcit, ſi bilioſi, ſiccíque ſunt quòd eorum corpora minimè humidam, ſed ſquallibundam ſortiuntur naturam excitantur quidem humores, ſed tenues: quamobrem eos lippitudo arida malè habet. Si verò pituita redundant, raucitates, diſtillationéſque in pulmonem oriuntur: mulieres extorquent difficultates inteſtinorum, quia natura ſunt humida frigidáque; ſeniores ſtupor attonitos reddit, vbi vniuerſus reſolutus humor incubuit, éxque imbecillitate caloris natiui concreuit.

Aliam temporum conſtitutionem proponit, eámque contrario modo ſe habentẽ, quàm illa quæ ſuperiori problemate poſita eſt; ibi enim de hyeme boreali, & vere auſtrali ſermonem inſtituerat, hîc autem è contrario de auſtrali hyeme, & boreali vere ſuſcepta oratione, illud quærit, quam ob rem tum ver cùm ita affectum eſt, tum etiam æſtas ſubſequens mor-

boſa ſint. Cauſſam autem eſſe ait quòd ab hyemis qualitatibus, quæ calida, & humida, proponitur, corpora iiſdem qualitatibus affecta, quibus tempus ipſum, redduntur plena humiditatis, mollia, & laxa, minimè autem conſiſtentia, quæ deinde à veris frigiditate, & ſiccitate compreſſa, & indurata in eos incidunt morbos, de quibus dicitur. ὥστε τ μὲν κυούσας ὁ τόκος ὁ ἐαρινὸς. *Itaque grauidæ, quibus tunc adeſt partus.* Morbos qui in propoſita conſtitutione accidunt incipit enumerare, & primùm abortus, qui ſimiliter primo loco proponuntur ab Hippocrate, tum aphoriſmo duodecimo tertiæ ſectionis, qui præſenti problemati reſpondet, tum etiam conſtitutione, quæ ſecundo loco propoſita eſt libro de aëre, aquis, & regionibus, capite, quod ex aliquorum diuiſione eſt ſextum illius libri. Ait igitur Ariſtoteles quòd mulieribus, quæ vterum ferunt fœtus verni, hoc eſt qui in ver incidunt ad abortus degenerant; certè enim, ὁ τόκος ἐαρινὸς, quemadmodum ex Iuſtiniano emendauimus, minimè verò, ὁ τόπος, legendum eſt, ita enim habet etiam Hippocrates locis, qui adducti ſunt. Partus igitur qui in hoc tempus incidunt ad abortum degenerant, ob caliditatem nimirum, & ſphaceliſmum factum à ſicca frigiditate. Verùm antequam Ariſtotelis ſenſa, & verba quæ rationem continent liquidiùs explicem, conuertenda eſt mihi inprimis ipſa Ariſtotelis oratio; Theodorus enim ab ea nimiùm atque nimiùm diſceſſiſſe viſus eſt. Conuertam autem & pauca quædam proximè præpoſita. Ita igitur verbum ex verbo Ariſtotelica ſonāt. *Illis autem ita ſe habentibus, ver frigidum exiſtens eadem condenſat, & indurat ob ſiccitatem. Itaque grauidæ ſanè quibus vere partus inſtat, abortu periclitantur ob caliditatem, & ſphaceliſmum factum à ſicca frigiditate, tamquam non excreta humiditate.* Duas itaque videtur Ariſtoteles in hac conſtitutione abortus cauſſas proponere, caliditatem, & ſphaceliſmum, caliditatem equidem accipere poſſumus vt facit Aponenſis hyemis præcedentis, quæ corpora relaxando, & meatus aperiendo viam muniit frigori, & ſiccitati, quæ ſubſequuta ſunt vt faciliùs penetrarent, ex quibus ſphaceliſmus. At re vera vt quod ſubiit ingenuè fatear, durum mihi videatur hac dictione, θερμασίαν, quæ ab eodem Ariſtotele hoc in libro dicitur ὑπερβολὴ τ θερμότητος, id eſt *exceſſus coloris*, intelligere calorem illum hyemis, qui vt ſummus fuerit, vix fuerit tepor, quo modo etiam appellauit illum paullò ante hoc eodem problemate Ariſtoteles; & quòd etiam videatur Philoſophus eadem voce non cauſſam, quæ hyeme multò ante præceſſit, ſed quæ ſit abortus tempore denotare. Igitur alio fortaſſe modo accipienda ea vox, de quo paullò poſt. De ſphacelo, aut ſphaceliſmo, quem Theodorus ſyderationem vertit, multa habemus tum à Galeno ſecundo de locis affectis, & ſeptimo aphoriſmorum quinquageſimo, atque alibi, tum etiam ab Ariſtotele libello de iuuentute, & ſenectute ad finem, atque etiam à Theophraſto capite decimo tertio libri quarti de hiſtoria, & decimo, & vndecimo quinti de cauſſis plantarum: Nobis autem huc omnia congerenda non ſunt. Inprimis ſyderatio, & ſphaceliſmus videntur Ariſtoteli, & Theophraſto nō omnino eadem, illa ἀσφυξία, hæc σφακελισμὸς dicitur. Differunt etiam cauſſis, quemadmodum ſimiliter habetur à Plinio libri decimi ſeptimi capite vigeſimo quarto, ſyderatio enim tota cœlo conſtat, & ſphaceliſmus etiam aliunde: idem tamen in vtraque re effectus, qui eſt corruptio, & mors extincto calido innato, ſeu fiat in animali, ſeu in planta. De animali ita Galenus ſeptimo aphoriſmorum quinquageſimo: *Partis carnoſæ mortificationem ex magnitudine inflammationis, quam propriè medici gangrenam nominant, Græci ſphacelum etiam appellabant:* de plantis, Ariſtoteles libello de iuuentute, & ſenectute. *At ſi aut continens frigore exſuperet ob tēporis conſtitutionem, vigente nimirum valido gelu, obareſcunt, aut per æſtatem vehementes æſtus accidant, neque humor, qui è terra trahitur refrigerare poſſit; calor earum marcore corrumpitur, atque per id tempus arbores ſphaceliſmum ſentire, atque ſyderari dicuntur.* Sphaceliſmus igitur fit extincto calore innato, vnde iure nigredo, de qua Theophraſtus quarto de hiſtoria loco qui adductus eſt: extinguitur autem calor innatus tum à ſummo calore, tum à ſummo frigore; à ſummo autem frigore duobus modis, vel per ſe tamquam à contrario extinguente cōtrarium, vel ex accidente per antiperiſtaſim, pellente nimirum externo frigore calorem innatum ad partes interiores, à quo coacto, aucto, & roborato, deinde abſumitur humidum, quod eiuſdem caloris pabulum eſt, hoc autem deficiente illi accidit interitus, vt iam ex frigore oriatur aduſtio, quam rem ſignificauit Virgilius cùm dixit in Georgicis

——*penetrabile frigus adurit.*

Hinc autem opinio inciderat, cuius paulò ante memini, θερμασίαν, de qua ſuperiùs Ariſtoteles, hanc eſſe accipiendam: fit enim illa à ſicca frigiditate per antiperiſtaſim, quod hîc euenire Ariſtoteles dicit. Dubia autē ſunt adhuc illa *tanquam non excreta humiditate*, quę Theodorus vertit, *impatiens omnino excernendi humoris*; humor enim tantū abeſt vt ſphaceliſmum adiuuet, vt etiam inducta frigiditate prohibeat, qua ratione lapidum genera quædam, &

vasa aquis repleta plantis apponi refrigerationis ergô eodem loco scribit Aristoteles. Dicimus;humorem de quo in problemate,fuisse collectum hyeme præcedẽte,molléſque,& laxas,ac ideo debiliores effeciſſe partes,qua ratione ſubſequens in vere ſiccum frigus, altiúſque ſubiens,ſphacelum potuit faciliùs gignere, haud ita facilè futurum ſi excreta humiditate partes illæ,& loci muliebres robuſtiores eſſent effecti.Sphacelum eundem non ſemper accipi pro abſoluto, & completo affectu, nimirum pro vera ſubſtantiæ corruptione, quæ iam mortua ſit, ſed pro initio diſpoſitionis, tradit idem Galenus loco quem indicaui ſeptimo aphoriſmorum,quod eam ob rem addidi,ne præcisè dictionem accipientes, quòd ſemper vera corruptio haud contingat falſi ſentẽtiam inſimularemus. τὰ δὲ νυμφα παιδία ἀδυνῆ γίνεται καὶ πηρὰ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τὴς ψύχους. *Infantes verò quos gerunt imbecillos, læſoſq; immodicam ob frigiditatem edunt.* De mulieribus vterum gerentibus proximè locutus eſt, modò verò de puerulis ipſis, qui geruntur tamquam de re coniuncta, & quæ ad ſuperiora referatur:id nobis inſinuat particula, δὲ, quam à ſuperiori, μὲν, dependere infinita paſſim apud Græcos auctores exempla demonſtrant. Hos igitur puerulos ait, in ea quæ deſcripta eſt, conſtitutione,debiles naſci,& imperfectos, idque ob frigoris immoderationem, quæ cùm omnia naturæ opera generatim vitiet, nec ſuis numeris abſolui permittat, vel ideo tamen plus ipſos puerulos lædit, quoniam fit vt ipſi, qui tunc primùm in lucem eduntur, conſtituti,& nutriti antea eſſent in pariente, hoc eſt in vtero matris, in quo ab omni aëris inclementia immunes,& tuti tepido in loco degebant; illinc igitur repentè in exſuperantẽ aëris qualitatem emerſi,iure merito maximopere læduntur. Porrò autem tota hæc problematis pars variè nimis legitur.Theodorus enim vt ex illius verſione apparet, cœli ſereni, & pluuij hoc in loco mentionem facit,quod totum in Baſilienſibus,& Aldinis codicibus Græcis deſideratur:Antiquus autem interpres ſerenitatis tantummodo meminit, cum quo ſentit Iuſtiniani codex, qui poſt τὸ ἠλιώδες addit εὐδίᾳ. Hippocratis autem aphoriſmus,& locus in libro de aëre,aquis,& regionibus,quamquam eandem quam hîc ſententiam continens,nullum nobis præſtare poteſt auxilium, nam & ille controuerſus eſt, cùm enim alij τὸ,εὐδίῳ, ibi legant,expungunt alij,inter quos Manardus eſt epiſtola ſecunda libri primi,& Fuchſius in commentariis ad aphoriſmum, quos commentarios legat, qui exactam huius rei cognitionem quærit; nobis autem faciendum omnino videtur,vt quomodo ſe Græca in vulgatis codicibus habent,ea bona fide conuertamus in hunc modum. *Contingit enim vt qui tunc naſcuntur,iidem conſtiterint,& nutriti fuerint in pariente* Quod ſi addamus, εὐδίᾳ, iuxta antiquũ interpretem,& Iuſtinianum, apponetur ea dictio orationis parti ſecundæ,hoc modo. *Contingit enim vt qui tunc naſcuntur,iidem in tranquillitate conſtiterint, & nutriti fuerint in pariente.* Intelligit autem hyemem auſtrinam,quæ placida,& tranquilla fuit,quo tempore illi in vtero matris conſtituti ſunt.Duplici igitur tranquillitate,ac tepore antea gaudentes;temporis, & loci in quo degebant,in omnino contrarias emerſi,iure maximè læduntur. Porrò Theodorũ,qui τὸ,ἐν εὐδίᾳ iunxit antecedẽtibus,cùm verterit, *qui tunc ſereno cælo naſcuntur*, omnino lapſum exiſtimo;accepit enim eam vocem contraria notione ac ei ſubſit, tamquam illa ſignificetur tempus aquilonium, ſiccum, (quale hîc dicitur ver, quo tempore hi pueruli naſcuntur)aſperum,ac immite;at εὐδίᾳ,vt ſignificet ſerenum:& ſiccum tempus,cum placiditate, tranquillitate, ac tepore ſiccitatem illam denotat. Præterea coactus fuit Theodorus vt ſententiam,quam exiſtimabat eſſe, abſolueret, de ſuo addere pluuij cœli benignitatem, cuius ne littera quidem in Græcis exemplaribus. τοῖς δὲ ἄλλοις,ὅτε ἐν τῷ ἀέρι ἐνδιατριβέντος τὸ φλέγματος διὰ τὴν ὑπερβολὴν (ὃ συμβαίνει ὅταν ἀλεεινὸν γίνεται) ἀλλὰ. *Cæteris verò cùm pituita vitio ſuæ nimietatis purgata non eſt (quod fit vbi tepidum ſe exhibuit) ſed, &c.* Alia hominum genera,variáque,alios etiam, varióſque morbos recenſet : eos primùm qui temperamento bilioſo ſunt, in prænarrata temporum conſtitutione ſiccis lippitudinibus comprehendi affirmans. Hoc autem ideo contingit, nam cùm in aëre ſint verſati, qui per hyemem humiditatibus abundauit, repleti ſunt & ipſi plurima pituita, quæ cùm ob maximam copiam minimè repurgari potuerit, quod vſu venire potuiſſet in vere, ſi pro frigido calidum extitiſſet, ſed potiùs ob frigoris vim conſtiterit, ideo factũm eſt vt ſuccedente æſtatis calore huius vi colliquatæ ſint humiditates, quæ ad oculos dicumbentes, lippitudines creauerint ; hæ verò ſiccæ ſunt, naturæ enim de quibus agitur bilioſæ ſunt, hoc eſt calidæ, & ſiccæ, minimè verò humidæ;tenues igitur humiditates illæ ſunt, & ideo lippitudines creant ſiccas, id eſt vt interpretatur Galenus in commentario ad aphoriſmum decimum tertium ſine fluxu : frigiditas enim ambientis aëris exteriorem corporis ſuperficiem denſat, ſic vt nihil ex humiditatibus extra fluere poſſit. Tum de pituitoſis agit per ea quæ ſequuntur. Sed antea nonnulla ad Theodori verſionem adnotanda ſunt. *Vbi tepi-*

dum se exhibuit; nimirum ver, aut aëris temperamentum. Theodorus autem illa non videtur agnouisse ἐν τῷ ἀέρι, quæ etiam Iustinianus notis compungit, tamquam aut abessent, aut aliter legerentur; ac fortè τῷ ἀέρι, necessariò tamen vel apponenda, vel subaudienda sunt vt pateat sensus. *Squallibundam*; efformauit vt puto Theodorus vocabulum hoc, quòd squallidam, aut squallentem dicere noluerit: vtrum augendæ, an minuendæ significationis caussa, cùm vtriusque generis in lingua quidem Latina ea terminatione extent mihi sanè haud certum; certum tamen tum squallentem, tum squallidã, atque etiam aridam,& exsuccam, quod Græcè est, αὖον, potuisse ab eo commodè dici. Enimvero totam etiam hanc problematis partem, vt Aristotelis sensa quod ego quidem existimem patere melius possint, pingui minerua, at bona fide ita mihi vertendam existimaui. Aliis autẽ quia in vere minimè purgata pituita est ob illius excedentem copiam (quod fit cùm tepidum existit) verum ob frigus constitit, cùm eandem occupat æstas, atque tepor vi colliquat, bilioſis quidem, & siccis quòd nõn humida ipsis sunt corpora, at squallentem habent naturam, gignuntur humiditates, verùm tenues, quam ob rem siccis lippitudinibus capiuntur. οἱ δὲ φλεγματώδεις βράγχοις καὶ εἰς πνεύμονα καταῤῥοις. *Si verò pituita redundat, raucitates, distillationesque in pulmonem.* Homines temperamento præditos ei contrario quod proximè dictum est,nimirum pituitoso, ait laborare raucedine,& distillationibus in pulmonem, cuius caussa est plurima qua abundant, & superioribus excellunt pituita, quæ Aquilonis vi tamquam manu pressa, ad guttur, & pulmonem delabens,efficit dictos morbos: de hac autem distillatione pluribus Hippocrates libro de aëre,aquis, & locis,quâ hanc constitutionem præcurrit, quæ secunda est, & Galenus in commentario aphorismi duodecimi, & decimi tertij libri tertij. ταῖς γυναιξὶ δὲ δυσεντερίας γίνονται διὰ τὴν ὑγρότητα καὶ ψυχρότητα, τῆς φύσεως. *Mulieres extorquent difficultates intestinorum quia natura sunt humida.* Hippocrates tum in aphorismo, tum in libro de aëre, aquis, & locis fieri quidem dysenterias hac constitutione scribit, at non mulieribus, quibus eundem morbum assignauerat constitutione de qua in superiori problemate; verùm eisdem mulieribus accidere abortus cùm hac constitutione dixisset, aliis dysenterias fieri tradidit, cuius sententiam etiam Galenus sequutus est. Aristoteles porrò hoc loco ideo mulieres eo morbo corripi dixit, quòd earum natura sit frigida, & humida; harum enim qualitatum occasione cùm multa humidi, frigidique humoris copia colliquatur, eáque ad intestina procumbat, dysenteria gignitur, vera sanè si nimirum cum sanguinis excretione, quia humor ille frigidus, & humidus aliqua salsedine, aut acrimonia contracta ob eam, quæ hyemem præcessit caliditatem, vt dicit Galenus intestina radat, atque vulneret; aliter enim diarrhæa potiùs quàm vera gignetur dysenteria. τοῖς δὲ γεραιτέροις ἀποπληξίαι. *Seniores stupor attonitos reddit.* Vltimos seniores enumerat, quos in prædicta constitutione apoplexiis facit obnoxios, idque humiditatis merito, quæ cùm confestim incidat, nempe in ventriculos cerebri, vt est Galeni sententia, neque ob caloris innati debilitatem, ortam, tum ob veris frigiditatem, tum ob æstatem ipsam discuti possit, meritò contingit vt morbi illi seniores appræhendant: sunt igitur quæ enumerauit Aristoteles in propoſita constitutione sex hominum, & sex similiter morborum genera, grauidis abortus, puerulis debilitates, & læsiones, bilioſis lippitudines siccæ, pituitoſis raucedines, & distillationes, mulieribus dysenteriæ, & senioribus apoplexiæ; quos morbos eadem constitutione similiter fieri, dysenteria & apoplexia exceptis, de quibus haud meminit,scriptum etiam reliquit Cornelius Celsus his verbis libri secundi capite primo. *Si verò Austri pluuiæq; hyemem occuparunt, ver autem frigidum, & siccum est, grauidæ quidem fœminæ,quibus tum adest partus abortu periclitantur; hæ verò quæ gignunt,imbecillos, vixq; vitales edunt; cæteros lippitudo arida, & si seniores sunt grauedines, atque distillationes male habent.*

X.

Διὰ τί ἐὰν μὲν τὸ θέρος ἀυχμηρὸν γένηται καὶ βόρειον, τὸ δὲ μετόπωρον εὔανθες, ὑγρὸν & νότιον, ἐν τῷ χειμῶνι κεφαλαλγίαι τε γίνονται, & βράγχοι, καὶ βῆχες, καὶ τελευτῶσιν εἰς φθίσεις; ἢ ὅτι λαμβάνει ὕλιν πολλὴν ὁ χειμών. ὡς αὐτοῦ ἔργον ὄντι, πῆξαι τὴν ὑγρότητα καὶ φλέγμα ποιῆσαι, ἐν μὲν ἓν τῇ κεφαλῇ, ὅταν ὑγρασία γένηται, βάρη ποιεῖ· ἐὰν δὲ ἡ πολλὴ καὶ ψυχρὰ, σφακελισμός. ἐὰν δὲ διὰ πλῆθος μὴ πήξῃ, ῥεῖ εἰς τὸν ἐγκάρδιον τόπον· ὅθεν αἱ βῆχες καὶ οἱ βράγχοι, καὶ αἱ φθόαι γίνονται.

Cur si æstas sicca, & aquilonia fuit, autumnus ex aduerso humidus,atque austrinus, hyeme, quæ proxima est dolor capitis, raucitas, tussiq; oriantur, atque in tabem demum euadant? An quia hyems multum materiæ excipit,

itaque

itaque humorem cogere, atque pituitam inde conficere magnum ei negotium eſt. Ergo difficile eſt humorem denſari, conficíque inde pituitam. Quòd ſi in capite humor conſtiterit, grauitatem committit: & ſi nimius, frigidúſque eſt, crudorem vtique mouet, cui ſyderatio nomen eſt: nec non ſi ob nimiam ſui copiam concreſcere minùs potuit, in locum defluit proximum, atque ita tuſſim, raucitatem, & tabem contrahit.

Quam temperaturam in ſuperiori problemate hyemi, & veri aſſignauit, eandem nunc æſtati, & autumno attribuit, ſiccitatem nempe, & frigiditatem, humiditatem autem, & pluuias autumno; Reſpondet autem præſens problema aphoriſmo decimo tertio, & conſtitutioni, quæ quarto loco ſcripta eſt in libro de aëre, & aquis: quam ſanè modò habent vulgata exmplaria, licèt ea caruiſſe, qui Galeni tempore circumferebatur hic liber, apud eundem Galenum legamus, qui conſtitutionem hanc ab Hippocrate non fuiſſe ibidem poſitam ſcribit, ſed illius loco aliam, quam eodem loco refert. Fuit etiam hæc conſtitutio variè deſcripta; Aponenſis enim legit. *Si æſtas ſicca fuerit, & auſtrina; autumnus verò contrarius, humidus & borealis:* & ita etiam ſcriptum fuiſſe in codice vnde Iuſtinianus varias lectiones deſumpſerat, ex margine apparet, in qua pro, βόρειον, quod ad æſtatem refertur, ſcribitur, νότιον, & pro, νότιον, quod dicitur de autumno, ſcribitur βόρειον. At ex tralatione Theodori, & ex aphoriſmo, patet ita ſcribendum ſicuti habent omnia vulgata exemplaria. Quomodo etiam legendum eſſe in libro de aëre, aquis, & locis docuit Adrianus Alemanus medicus in commentariis, quos ad eum librum plurimis ante annis edidit, & quomodo etiam excudendum curauit clariſſimus Mercurialis. Quærit igitur Ariſtoteles huiuſmodi conſtitutione exiſtente, quam ob rem per eam, quæ ſubſequitur, hyemem dolores capitis fiant, & raucedines, & tuſſes, & nonnullis phtiſes: cauſſam autem totam conijcit Philoſophus in autumni humiditates, & hyemis frigiditatem, hyems enim ſuapte natura frigida eſt, & talis hoc loco, nimirum quæ naturalem conditionem retineat accipienda eſt, quemadmodum etiam apud Hippocratem tertio libro aphoriſmorum accipit Galenus in aphoriſmi decimi tertij commentariis: Humiditas igitur autumno collecta ob pluuiarum abundantiam, quæ ipſi attributa eſt, ſuccedente hyemis frigiditate, quæ plenitudinem nullam, vt ait Galenus, vlla in corporis parte diſſoluit, partim in capite moram trahens, & ipſum replens, & partim ad alia loca fluens, enumeratas creat ægritudines. Æſtatis autem quæ præceſſit ſiccitas, & frigiditas, quarum ab Ariſtotele in initio ſtatim problematis mentio fit, minimè illæ quidem otioſæ ſunt, ſed vna potius ex cauſſis, vt hyems talis euadat, qualis in problemate propoſita eſt, illiq; hyeme contingant morbi, qui alioquin in præcedenti autumno contingere præueniſſent, quemadmodum etiam in problemate octauo ex Galeni ſententia in commentario ad aphoriſmum duodecimum adnotauimus, idem præterea ad aphoriſmum decimum tertium repetentis. ἢ ὅτι λαμβάνει ὕλλω πολλὴν ὁ χειμών. ὥς ἀυτῷ ἔργον ὄξι, πῆξαι τὴν ὑγρότητα καὶ φλέγμα ποιῆσαι. *An quia hyems multum materiæ excipit, itaque humorem cogere, atque pituitam inde conficere magnum ei negocium eſt.* Materiam multam, hoc eſt humiditatem autumno collectam excipit hyems, vnde difficile admodum ac laborioſum eidem eſt, ſeu calori naturali eo tempore, tantum humiditatis copiam cogere, & incraſſare, pituitámque ex ea conficere; qui pituitoſus humor naturæ amicus, & ſemicoctus minimè eam grauat, ſed quoddam potiùs eidem nutrimentum eſt; manens igitur humor ille tenuis, & per caput diffluens, ipſum humectans, & grauans, continuiq́ue ſolutionem inferens dolorem creat. ἐὰν ᾖ ἢ πολλὴ καὶ ψυχρὰ. *Et ſi nimius frigidusq́. eſt.* Materia hæc de qua diximus, ſi adiunctam præterea habeat hanc conditionem vt frigida ſit, non ſolùm creat grauitatem, & dolorem à grauitate pendentem, qui dolor quidam ſtupidus eſt, & iners haud eximiè ſenſum afficiens, ſed σφακελισμὸν hoc eſt *dolorem immoderatum:* hanc enim inter alias ſubeſſe huic voci ſignificationem teſtis eſt Heſychius, qui primam illius hanc ponit notionem; ſic enim ait σφακελισμὸς, καὶ σφάκελος ἡ ἄμετρος ὀδυνη. Hæc igitur vox aliter ſumitur hoc loco quàm proximè ſuperiori problemate, quo pernicioſum, & maximè grauem morbum, vel potiùs pernitiem ipſam ſignificabat. Galeni autem ſententia eſt in conſtitutione, de qua modò loquimur, hyeme ſuum temperamentum ſeruante, fortiorem nullam ægritudinem conſiſtere, præter phtyſes, de quibus ad finem problematis. Quod autem Theodorus adſcripſit *crudorem cui ſyderatio nomen eſt*, quid ſit non bene aſſequor: ſi enim idem intelligit, quod ſuperiori problemate, crudoris ibi nulla mentio, ſi aliud, iam cur eadem ſyderationis voce vſus? Apud Hippocratem in libro de aëre, &

aquis habemus etiam eandem vocem, quam interpretes conuertunt cerebri corruptiones: at ſi vera eſt Galeni ſententia, nullum fortem morbum hac conſtitutione contingere, quomodo cerebri corruptio ſit accipienda, illi viderint. Nobis planiſſimè Ariſtotelis verba accipiuntur. Si multus ſit & frigidus humor, ſphaceliſmum efficit; hoc eſt intenſum, & immoderatum capitis dolorem. *ἐαὶ ὴ διὰ πλῆθος μὴ πήξῃ, ῥεῖ εἰς τὸ ἐχόμενον τόπον. Nec non ſi ob nimiam ſui copiam concreſcere minùs potuit, in locum defluit proximum.* Cauſſam reddit aliorum ſymptomatum, quæ ſuperiùs nominata ſunt: ſi enim humiditas quæ dicta eſt, tanta ſit, vt non poſſit eam calor naturalis præ multitudine cogere, & incraſſare, quam rem eſſe valde operoſam in ea conſtitutione dictum ſuperiùs eſt, creat grauitatem, & dolorem capitis vt antea dixit; quòd ſi præterea magis adhuc excreuiſſe contigerit eam copiam, vt non poſſit neque cogi, neque tota in capite contineri, fluit illius pars ad proximos locos, nempe ad guttur, vel aſperam arteriam, vel thoracem, & gignit raucedines & tuſſes. *καὶ αἱ φθόαι γίνονται. Et tabem contrahit.* Hippocrates dicit phtyſes, Ariſtoteles phthoas; vtraque igitur voce idem ſignificatur, nimirum vitium pulmonis cum vlcere; hic autem maximè grauis morbus. Galenus igitur hunc ſolum grauem, & periculoſum ea conſtitutione fieri dicit, nec multis, ſed quibuſdam, hoc eſt illis tantùm, qui natura ad eum ſunt propenſi, nimirum qui anguſto ſunt pectore, & quibus fluxio ad pulmonem fit, vt penè naturæ illorum, non conſtitutionis vitium dici poſſit, quam rem ſignificauit etiam Cornelius Celſus, cùm hanc Ariſtotelis, & Hippocratis ſententiam ita Latinè reddidit libri ſecundi capite primo. *Si ſicca æſtas Aquilones habuit, autumno verò imbres, Auſtrique ſunt, tota hyeme, quæ proxima eſt, tuſſis, diſtillatio, raucitas, in quibuſdam etiam tabes oriuntur.*

X I.

Διὰ τί ἐαὶ βόρειον γένηται τὸ θέρος, ἢ αὐχμώδες, ἢ τὸ μετόπωρον, συμφέρει τοῖς φλεγματώδεσι, ἢ τὴν γυναικείαν; ἢ ὅτι ἡ φύσις ἐπὶ θάτερα ἀμφοῖν ἐκβάλλει; ὥστε εἰς τοὐναντίον ἡ ὥρα ἐλκύσασα, καθίσησιν εἰς τὴν ἐύκρασίαν· καὶ εὐδιαχεῖμά τε ὑγιαίνουσιν, ἐαὶ μή τι δι' ἑαυτὸς ἁμαρτάνωσι, ἢ εἰς τὸν χειμῶνα ἐχ ὑγροὶ ἀφικνῶνται, ἔχοντες ὑποκαύματος τῇ ψύχει.

Cur ſi ſicca æſtas, ſiccúſque autumnus Aquilones habuerint, mulieribus, & omnibus pituita abundantibus ſecunda valetudo contingat? An quia natura vtrorúmque in alteram exuberat partem, itaque tempus in partem trahendo contrariam ac medium habitum, bonúmque perducit. Eo igitur ipſo tempore optimè valent, niſi quid vltro ipſi perperam agant; aut humidi ad hyemem ita deueniant, vt fomitem quendam, & incitabulum frigori ſubminiſtrent.

Hoc problema reſpondet aphoriſmo decimo quarto; quamquam enim in aphoriſmo ſolus proponitur autumnus Aquilonius, & ſiccus, nulla æſtatis mentione facta, ex ſuperiori tamen eandem intelligi ſiccam, & aquiloniam, & Galenus teſtatur in commentario, & particula, ἢ, aphoriſmi initio appoſita, quam ſimiliter hoc loco apponit Iuſtinianus ita legens *Διὰ τί δὲ ἐαὶ βόρειον.* In libro autem de aëre, aquis, & locis eſt hæc conſtitutio quinta, pluribúſque verbis deducitur, vt non ſolùm præſens, ſed etiam duodecimum quod ſequitur compræhendat Problema, quæ duo ſimiliter iunguntur tum in aphoriſmo decimo quarto, tum etiam à Cornelio Celſo loco quem indicauimus his verbis: *Sin autem autumnus quoque æquè ſiccus iiſdem Aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus, inter quæ muliebria eſſe propoſui, ſecunda valetudo contingit, durioribus verò inſtare poſſunt, & aridæ lippitudines, & febres partim acutæ, partim longæ, & hi morbi, qui atra bile naſcuntur.* Hippocrates autem pluribus rationem morborum ita reddit, vt vice commentarij huic problemati eſſe poſſint præter ea, quæ à Galeno in commentariis dicuntur; vt pauca mihi ad hunc locum omnino afferenda ſint. Ait igitur Ariſtoteles eiuſcemodi conſtitutionem ideo conferre pituitoſis & mulieribus, quoniam cùm ipſæ excedant in humidis qualitatibus, ab ea conſtitutione, quæ illis contraria eſt exſiccantur, atque ad temperatum ſtatum reducuntur, exceſſu enim alterius contrarij alterum trahi ad mediocritatem, habuimus etiam ſuperiùs problemate ſecundo; pituitoſi igitur quod ad aëris qualitates pertinet, protinus ſaneſcunt, niſi aliud culpa ipſorum interueniat erratum: per phlegmaticos autem intelligit Ariſtoteles humidos, non autem frigidos, & humidos ſimul, quemadmodũ etiam Hippocrates

locis adductis, in aphorismo enim XIIII. nō iam φλεγματοῖσι, seu φλεγματώδεσι, sed ὑγροῖσιν habet. καὶ ὠφελήματά τε ὑγιαίνουσιν. *Eo igitur ipso tempore optimè valent.* Indicat exsuperantiam illam humiditatis morbosam fuisse, quando per contrariam qualitatem dicat sanitatem induci. ἢ εἰς τὸ χειμῶν ἐχ ὑγροὶ ἀφικνέονται. *Aut humidi ad hyemem ita deueniant vt fomitem quendam.* Non bene intelligo quid sibi voluerit Theodorus; & vereor vt vel non bene conuerterit, vel Aristotelis sensum non fuerit assecutus, negatiuam enim particulam, quam habet Aristotelica sententia, in Theodori tralatione non agnosco; bona itaque fide, sed ruditer hanc partem ita conuertere possumus. *Et protinus saneſcunt, nisi in se ipsos aliquid peccent & ad hyemem perueniunt non humidi, habentes frigori incitamenta.* Saneſcunt igitur illæ naturæ, & ad hyemem perueniunt minimè humidæ, miniméque habentes incitamenta ad frigus, hoc est minimè habentes opportunitates, quibus vtens frigus possit morbos procreare: incitamenta autem, & opportunitates frigori vtiles humiditates forent, illæ enim si extarent in corpore, trahentes moram vel in capite, vel ad inferiores partes defluentes, morbos gignerēt; appellat autem huiusmodi susceitabula, aut opportunitates ὑποκαύματα, qua voce ardor, & incendium denotatur, quoniam si hyeme extarent in corpore, ob stipationem fortè aliquam à frigore factam, incalescere possent, & febres etiam, aut alios calidos morbos procreare: alioquin etiam & ὑπόκαυμα metaphoricè pro incitamento, aut fomite ponitur.

XII.

Διὰ τί τοῖς χολώδεσι, νοσώδεσ ὄζι τὸ βόρειον καὶ αὐχμώδες ἦρ ὂν καὶ μετόπωρον; ἢ ὅτι ἐπὶ ταὐτὸ ῥέπει αὐτοῖς τὸ σῶμα καὶ αἱ ὧραι; ὥστε ὥσπερ πῦρ ἐπὶ πυρὶ γίνεται· ξηραινομένων γὰρ τῶν σωμάτων, καὶ τὸ γλυκυτάτου μὲν ἐξικμαζομένου ἐξ αὐτῶν, ὑφθερμαινομένων δὲ λίαν, ἀνάγκη διὰ μὲν τὰς συντήξεις ὀφθαλμίας ξηρὰς γίνεσθαι· διὰ δὲ τὸ χολώδεσ τὰς ὑπολειπομένας εἶναι χυμούς. ὑφθερμαινομένων δὲ καὶ τέτων, πυρετὸς ὀξεῖς γίνεσθαι, ἅτε ὑπὸ ἀκράτου τῆς χολῆς. ἐνίοις δὲ μανίας, οἷς ἂν μέλαινα χολὴ φύσει ἐνῇ. αὕτη γὰρ ὑπερπολάζει, ἀναξηραινομένων τῶν ἐναντίων χυμῶν.

Cur si ficca æstas, & aquilonia, & autumnus siccus iisdem aquilonibus perflatur, morbo bilioſos infestet? An quoniam ad idem corpus eorum, ac temporis habitus vergunt: itaque veluti ignis igni adjicitur. Cùm enim corpora exsiccentur, quantúmque in his dulcedinis erat euaporatum sit vehementérque incalescant, necesse est, vt dum humor consumitur aridæ lippitudines oriantur, resiuóque quod bilioſum remanserit, eodémque recalescente febres acutæ vtpote ex bili syncera inuadant. Nonnullos insania rapit, quorum scilicet natura atra bile abundat: hæc enim largè supereſt, cùm eius humores contrariis resicceſcant.

Constitutio proximè superiùs dicta, cùm æstas, & autumnus borealia, & ficca sunt, quid operaretur in naturis pituitoſis, seu humidis dixit paullò ante, quid eadem efficiat in bilioſis modò subiungit; quæ duo vno & eodem aphorismo ab Hippocrate comprehensa sunt, & vna eadémque constitutione in libro de aëre, aquis, & locis vt notauimus. Vt igitur pituitoſis naturis erat illa proficua, sic noxia est bilioſis, afferens lippitudines siccas, febres acutas, nonnullis etiam insanias, quorum rationes reddit, in idem enim conuenientibus tùm constitutionis, tum corporum qualitatibus, fit in corporibus earundem exsuperantia, & velut ignis igni adjicitur, vnde eo, quod in corporibus dulciſſimum est, quod Hippocrates loco adducto, liquidiſſimum, & aquoſiſſimum appellat, euaporante, atque exsiccato, corporibúsque vehementer supercalescentibus, & colliquatione sicci humoris ad oculos facta, lippitudines aridæ, & ex quibus nihil extra ob siccitatem fluit, ortum ducunt, vt etiam dictum est problemate nono. Quia verò adhuc relicti alij humores, præter eos, qui ad oculos fluunt; bilioſi, & ipsi sunt; ijdem etiam in venis supercalefacti, febres acutas gignunt, tamquam à syncera bile procedentes, quæ maximè tales morbos procreare consueuit. Iustinianus pro, ἀκράτου, habet, ἄκρου, id est extrema, aut admodum insigni, eodem sensu. ἐνίοις δὲ μανίας. *Nonnullos insania rapit.* Hippocrates tum in aphorismo, tum in libro de aëre, aquis, & locis dixit, non maniam, quam Theodorus vertit insaniam, sed fieri melancholias. Sanè vt hæ conueniunt, quia vtræque species alienationis mentis sunt; sic differre ratione humorum efficientium discimus ex Galeno: mania enim

quæ

quæ propriè dicitur, fit à bile, nimirum tenui, & calido humore, prauitatem etiam, seu malignitatem adepto, sicut scribit Galenus commentario tertio, aphorismo vigesimo secundo, & tertio prognosticorum vigesimo septimo; est autem semper sine febri, sicuti phrenetis cum febre, teste eodem Galeno secundo de symptomatum caussis capite vltimo; melancholia autem fit ab humore atro, quæ & ipsa sine febre est: ater autem hic humor melancholiam efficiens frigidus est, melancholica enim deliria frigidum succum semper pro caussa habent, vt eodem secundo de symptomatum caussis capite vltimo. Atqui eundem hunc atrum succum duobus modis generari, vel ex adustione flauæ bilis, aut crassi sanguinis, scribit idem Galenus tum commentario tertio ad aphorismum vigesimum secundum, tum etiam ad tertium prognosticorum particula vigesima septima, ex quo etiam melancholiam fieri, videtur in commentario ad aphorismum dicere; at si frigidus est, ex quo ea fit, hic autem per adustionem genitus, iam quomodo ex frigido succo semper fiat dubitari licet; cùm etiam in commentario ad tertium prognosticorum particula vigesima septima, vbi eadem repetit; quæ fit ex bile assata atra bilis prauitatem, aut malignitatem in se ipsa habere dicat, ex qua maniam gigni dicebat commentario tertio aphorismo vigesimo primo. Sanè hi morbi licèt admodum propriè sumpti, eo modo differre videantur, quo dictum est; & melancholia frigidum succum pro caussa habeat, mania autem tenuem, & calidum, tamen sunt illi admodum proximi, vixque est vt aliquando distinguantur. Ac Hippocrates vel à non dissimili caussa fieri putauit illo aphorismo: *Quibuscúmque mania laborantibus si varices, vel hemorrhoides superuenerint maniæ solutio:* aut maniam pro melancholiam, posuit, vt dicit Galenus in expositione illius loci: Coniungit illa quidem sæpius idem Hippocrates, vt aphorismo vigesimo & vigesimo secundo libri tertij, pro opportunitate nimirum temporis similis, quo vtraque generatur. Plato in Phædro maniæ duas esse species tradidit, alteram ab humanis morbis, qua de loquimur: comprehendit autē vt existimo tum maniaca, tum melancholica; alteram ex diuino numine, quo quis præter morem, & institutum viuendi extra se abripitur, quam deinde sub quattuor Deorum tutelam in quattuor diuidit partes, diuinatoriam sub Apolline, initiatoriam sub Libero, poëticam sub Musis, & amatoriam sub Venere, & Amore. Interpretes maniam Latinè vertunt modò insaniam, vt hoc loco Theodorus, modò furorem vt sæpius apud Galenum interpretes: non omnino malè si ea attendamus, quæ paullò ante dicta à nobis sunt: non omnino bene si Ciceronem audimus tertio Tusculanarum quæstionum libro ita scribentem. *Græci autem μανίαν vnde appellent nō facile dixerim; eam tamen ipsam distinguimus nos melius quàm illi; hanc enim insaniam, quæ iuncta stultitiæ patet latius, à furore disiungimus. Græci volunt illi quidem; sed parum valent verbo: quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant. Quasi verò atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueatur, quo genere Athamantem, Alcmæonem, Aiacem furere dicimus.* Et paullò post. *Furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia cæcitatem, quod cùm maius esse videatur, quàm insania, tamen eiusmodi est, vt furor in sapientem cadere possit, non possit insania.* Sed nos hæc omittamus, quæ iam ad nomina potiùs pertinent. Ait Aristoteles in prænarrata constitutione fieri nonnullis manias; ait Hippocrates fieri nonnullis melancholias: dicamus vtrumque fieri, quando ad vtrumque valet ratio; in iis enim, qui nigro humore abundant facta magna exsiccatione ratione constitutionis, consumptóque liquido, & aquoso, quæ tamquam contraria illius humoris vim oppugnabant; fit vt maximè ille exundet, ac dominetur, atque tum maniaci, tum melancholici affectus gignantur.

XIII.

Διὰ τί τὸ τὰ ὕδατα μεταβάλλειν, νοσώδες φασιν εἶναι, τὸ δὲ τὸν ἀέρα, οὔ; ἢ ὅτι τοῦτο γίνεται τροφή, καὶ ἐρχόντες, καὶ ἀπολειπόντες τὰ ὕδατα ἀπέρχονται, τοῦ δὲ ἀέρος οὐδέν; ἔτι ὕδατος μὲν πολλὰ εἴδη ἐστὶ, καὶ διάφορα καθ' αὑτὰ, ἀέρος δὲ οὔ. ὥστε καὶ τοῦτο ἄπορον. ἐν μὲν γὰρ τῷ ἀεὶ χρόνῳ τῷ αὐτῷ συμβαίνει ὁμοτελῆ, καὶ ἀποδημοῦντες ἐν δὲ ὕδασιν ἄλλοις. διὸ καλῶς δοκεῖ νοσώδης ἡ τοῦ ὕδατος μεταβολὴ εἶναι.

Cur mutationem aquarum, grauem, aëris verò non grauem esse affirment? An quòd aqua corporibus alimento est, quo iam habito complexóque peregrinemur. Aër autem nullo se exhibet alimento. Aquarum item genera multa, & varia per se sunt, sed aëris minimè. Itaque hoc etiam caussæ esse potest: quippe cùm peregrè etiam profectis in cœlo qui-

dem prope eodem, in aquis autem variis versari eueniat, quapropter aquæ mutationem grauem esse, rectè putandum est.

Quæ præsenti loco proponuntur, ea vulgi opinionem magis spectare, quàm veritatem ipsam, argumento est verbum, aiunt, quo Aristoteles vtitur: eo siquidem indicari, quæ vulgi existimatione comprehensa, ipsius ore efferuntur, tum aliorum locorum exemplis, tum verbo ipso dicere licet: Communis igitur dicti, & vulgaris opinionis magis, quàm veræ sententiæ rationem reddendam sibi proponit hoc loco Aristoteles. Sanè enim aëris permutatio quamquam non æquè noxia sit, atque aquarum, grauem tamen, & morbosam esse medicis omnibus notum, & confessum est. Omitto illa auctoris libri de flatibus. *Mortalibus autem vitæ, & morborũ ægrotis salutis is* [aër] *est auctor.* Omitto quæ superioribus problematis de constitutionibus temporum dicta sunt; illa enim quamquam ad aërẽ pertinent, non tamen per se ac propriè ex illius vitio sunt: hîc autem de aëris innata qualitate, & propria natura, quam quilibet perpetuò obtinet, sicuti existimo, loquitur Aristoteles: quam ob rem etiam nec aër pestilens, aut morbosus in medium veniat, de illo enim nec hoc loco, sicuti neque de ægrotis hominibus, quibus morbo aërem contrarium opitulari, & vulgus fateatur. De sanis igitur hominibus sermo est; quibus noxiam etiam aëris mutationem esse, cùm saluber alicubi, insaluber alibi aër existat, ex Galeno ipso discere licet; qui libro primo de tuenda valetudine capite vndecimo, eadẽ salubritatis, & insalubritatis ratione, aërem & aquam coniunxit, qui cauendus, & qui eligendus, quæ cauenda, & quæ eligenda ostendens; quin & alium librum se scripturum pollicetur, quo incommoda ex vitiosis aëre, aquisque prouenientia modum corrigendi copiosè doceretur. Verùm quoniam aëris operationes aduersùs corpora nostra non ita à vulgo percipiuntur, ac illæ, quæ ab aqua sunt; eo modo, & sentit, & dicit, cuius dicti, & opinionis causſam inquirit Aristoteles ἢ ὅτι γίνεται τροφή. *An quòd aqua corporibus alimento est.* Vt effectus ex vulgi opinione est propositus, ita ratio pene ex vulgi opinione petita. Aqua nutrimento nostris corporibus est; minimè aër, qui igitur mutat aquam, mutat nutrimentum, iure igitur percipit læsionem. Aquam tamen haud nutrire, sicuti nec vllum aliud ex elementis, sententia est Aristotelis libro de sensu, & sensilibus, capite quarto, & quinto: animalia enim sicuti mixta sunt, ita nutriuntur ex mixtis, omnia enim nutriuntur ex eisdem ex quibus sunt, vt dicitur libro secundo de ortu, & interitu textu quinquagesimo. Galenus etiam idem affirmauit pluribus in locis, nam tertio de ratione victus in acutis particula decima septima, hæc ab eo scripta habemus; *At quæ nullo pacto nutriunt vt aqua, ea virtutem neque summè imbecillitare, neque roborare quipiam verè dixerit, nisi id aliquando per accidens contingat.* Voluit autem eo loco eandem aquam esse cibi vehiculum, idque ex Hippocrate his verbis. *Nam humiditatem non modò Hippocrates, verùm quoque & medicorum probatissimi ferè omnes, cibi vehiculum, non cibum censuerunt:* quem Hippocratis locum continent vltimi libri de alimẽto verba hæc: ὑγρασίη τροφῆς ὄχημα. *Humiditas alimenti vehiculum est.* Quæ itidem à Galeno adducuntur quarto de vsu partium, hunc in modum. *At enim in hac quoque vena caua, multa adhuc humiditate tenui, & aquosa plenus est sanguis: vocat autem ipsam Hippocrates ὄχημα τροφῆς, hoc est vehiculum nutrimenti, simul cum appellatione vsum quoque eius ostendens: neque enim ex ventriculo in venas commodè transumi poterat chymas iam ex cibis factus, neque facile pertransire venas, quæ sunt in hepate, & multæ, & angustæ, nisi tenuis quædam, & aquosa humiditas tamquam vehiculum fuisset ei admixta. Hinc itaque vsum præstat animalibus aqua, siquidem ex ea nutriri nulla particula potest.* Quarto etiam aphorismorum libro cùm decimi tertij aphorismi sententiã enarraret, atque ex cibo omni, qui simpliciter talis esset, humectari natura sua corpora diceret, aquam neque epotam, neque extrinsecus occursantem natura esse aptam, quæ solidas animalis partes humectaret apertè scripsit. Igitur Aristotelem dicemus hoc loco ex vulgi opinione fortasse locutum, existimantis, quæ intus in corpus ingeruntur, & recreationem maximam afferunt, vt aqua sitis tempore, illa nutrire, præsertim aëris ipsius comparatione. An potiùs, & verè nutrire aqua dicenda est? quæ enim extat apud nos, quaque passim vtimur, sicuti simplex non est, aut impermixta, quemadmodum nullum etiam aliud ex iis, quæ elementa dicuntur, cùm nullum tale hîc quidem nobis demonstrari liceat; sicuti scripsit Galenus libro primo de elementis capite quinto ad finem; ita nutrimentum aliquod licet exiguum præbere, non sit fortè rationi absonum; ita tamen vt præcipuus eius vsus sit cibum ipsum vehere; quod tamen cùm dixit Hippocrates, non de ipsa solùm aqua, sed de aliis etiam humidis, vt vino, ac tenuibus liquoribus, & ipsa etiam solidorum ciborum aquea parte dixisse visus est, vt iam ea quidem ratione, aut auctoritate, nec illa

etiam nutrire dicendum ſit, aut conſimiliter nutrire omnia. Dixerim igitur minimè nutrire aquam, nec liquida, hoc eſt aqueas ciborum etiam ipſorum ſolidiorum partes nutrire alias: verùm vt plurimæ hæ ſunt in ſolidis cibis, illæ exiguæ, ſic in liquidis, & in aqua præcipuè, illæ plurimæ, hæ admodum exiguæ, quæ partes iam non elementa, & corpora ſimplicia, ſed mixta quodammodo ſunt. Atque hic verborum ſenſus Galeni eſt, quæ habentur quarto de vſu partium. Nutrit igitur aqua, vt dicitur non ſolùm hoc problemate, ſed loco etiam alio pulcherrimo eiuſdem Ariſtotelis quarto de generatione animalium capite ſecundo quo docebat ad generationem, & ſterilitatem, atque etiam ad procreationem marium, aut fœminarum, maximè conferre huius, vel illius aquæ potum; cùm maximè affici corpus ipſum, tum ex aëris temperamento, tum ex ingrediente cibo diceret, præcipuè autẽ ex alimonia aquæ, huius enim plurimum intus aſſumitur, (ſunt hæc Ariſtotelis verba) *& in omnibus hæc alimento eſt etiam ſiccis; quam ob rem aquæ crudæ, & frigidæ aut ſterilitatem, aut partum fœmineum faciunt.* καὶ ἔχοντες, καὶ ἀπολελαυκότες. *Quo iam habito, complexóque.* Aqua continetur intus, eiúſque vſu diutius fruuntur corporis noſtri partes, ſiue nutrimentum ſit quod modò dixit Ariſtoteles, ſiue vehiculum quod Galenus vt vidimus, (vtroque enim modo libet, quando licet, locum exponere) ſi igitur alicunde nobis abire contingat, & aquam mutare, eandem tamen corpus noſtrum iam amplexa eſt, atque retinet, firmáque ex ea impreſſa diſpoſitio eſt; id verò non contingit in aëre, illum enim non amplectuntur, nec retinent corporis noſtri partes, ſed nouus ſubinde inſpiratur, & expiratur. Qui igitur diſcedit ab aqua, vel aquam, vel eiuſdem impreſſam affectionem portat; qui ab aëre nequaquam: altera igitur mutatio, altera minimè mutatio eſt: mutatio autem grauis, atque noxia corporibus contingit; vt habemus problemate decimo quinto. Hunc ſenſum non puto bene exprimi à Theodoro; ſonant autem ita Græca. *Et habentes, atque complexi ab aqua diſcedunt, in aëre autem nihil.* Duo autem obſeruo, quæ non animaduertit Theodorus. Primum quòd illa, τῷ ὕδατος, adiunxit præcedentibus tamquam diceret, *& habentes, ac complexi aquam diſcedunt:* nos autem adiungimus ſequenti verbo hoc modo. *diſcedunt ab aqua*, eo ſenſu, quem oſtendi, licèt hoc ad eundem ſenſum exprimendum, haud multùm fortè interſit: Alterum quòd illa, τῷ ἢ ἀέρος οὐδέν, *in aëre autem nihil:* putauit Theodorus de ſolo alimento intelligi, ſicut etiam conuertit, cùm tamen de eà re quoque intelligantur, quam proximè dixit, ſcilicet non contineri quemadmodum continetur aqua; hæc autem licèt admodum proxima ſint, & ad rem vnam reduci queant, quoniam tamen ab Ariſtotele tamquam duo proponuntur, tamquam duo à nobis explicentur. τῷ ἢ ἀέρος οὐδέν. *Aer autem nullo ſe exhibet alimento.* Aërem haud nutrire non oſtendit hoc loco, probauit contra Pythagoricos libro de ſenſu, & ſenſili. Nam quod nutrimentum ex aëre percipiunt ſpiritus noſtri, de quo multa medici, quoniam illud admodum ſpirituale, vt ita loquar, eſt, ac vulgo ignotum, omiſſum fuit ab Ariſtotele, nec enim hîc locum vllum habebat. ἔτι ὕδατος μὴ πολλὰ εἴδη ὄντι. *Aquarum item genera multa.* Altera ratio, quæ tamen valde ſimilis, & proxima videatur illis, quæ modò dicta ſunt. Qui mutat aquam, mutationem alicuius rei facit, mutat enim ſpeciem rei, nam aquarum multæ ſpecies ſunt, & inter ſe differentes, cùm aliæ graues, aliæ leues, aliæ ſalſæ, aliæ dulces, & aliis etiam multis modis inter ſe differant; Aët autem has diuerſitates non recipit, ſed cùm locum mutaueris, in eodem ferme aëre diuerſaris; dicit autem ferme, quoniam verè & in aëre ipſo diuerſitas adeſt, alterque ab altero differt, alterque ab altero diuerſa infert corporibus accidentia, minùs tamen quàm aqua, quoniam minus materiei, & impuritatis in ſe continet, quò enim ſuperioribus, & cœleſtibus corporibus, quidq; propinquius eſt, eò purius, & ſyncerius eſt, minúſq; mixtionem, & diuerſitatẽ accipere natum, quæ maximè hac ratione à materia eſt.

XIV.

Διὰ τί μᾶλλον ἡ τῶν ὕδατος, ἢ ἡ τῶν σιτίων μεταβολὴ νοσώδης; ἢ ὅτι πλεῖστον ἀναλίσκομεν τὸ ὕδωρ; ἔν τε γὰρ τοῖς σιτίοις ὑπάρχει, καὶ ὄψοις, καὶ ἐν τῷ πόματι τὸ πλεῖστον ὕδωρ.

Cur ciborum mutatio minùs quàm aquæ grauis occurrat? An quia plurimum aquæ conſumimus. Nam & in pane, & obſoniis, & in potu aquæ vſus plurimus eſt.

Aquarum mutationem magis grauem, & noxiam eſſe corporibus noſtris, quàm mutationem aliorum ciborum, hinc probat Ariſtoteles, quoniam aquæ maiorem copiam quàm

aliorum

aliorum ciborum intus in corpus ingerimus: aquam enim assumimus & multam per se ipsam in potu, atque etiam in aliis cibis, vt in pane, qui sine aqua non conficitur,& in aliis obsoniis, vt sunt carnes, olera, & legumina, quæ omnia ex aqua per elixationem parantur, & hominum esui accommodata redduntur, qua de re etiam in sequenti problemate. Fit igitur vt mutata aqua maxima pars eorum, quæ assumimus,mutetur, sicque multò maior quàm videri possit, ex aquæ mutatione contingit in ratione cibi re vera mutatio.

X V.

Διὰ τί δὲ ἡ μεταβολὴ νοσώδης; ἢ ὅτι πᾶσα μὲν ἡ μεταβολὴ, καὶ ὥρας καὶ ἡλικίας, δύκινητον. Εὐκίνητα γὰρ τὰ ἄκρα, διὸ καὶ αἱ ἀρχαὶ καὶ αἱ τελευταί· ὥστε καὶ αἱ τροφαὶ ἕτεραι ἔσαι ἀλλήλας φθείρουσιν. αἱ μὲν γὰρ ἄρτι, αἱ δ' ὅπω προσαπέφυκησιν. ἔτι δ' ὥσπερ ἡ ποικίλη τροφὴ νοσώδες, (ταραχώδης γὰρ καὶ ἐμία πέψις) ὅπω συμβαίνει μεταβάλλουσιν ὕδωρ, ποικίλη πόματα χρῆσθαι τῇ τροφῇ· καὶ ἡ τοιαύτη τροφὴ, κυριωτέρα τῆς ξηρᾶς ὄζει, τῷ πλείων εἶναι, καὶ ἐξ αὐτῶν τὸ σιτίων τὸ ὑγρὸν γίνεσθαι τροφώ.

Sed cur cibi, & aquæ mutatio grauis sit? An quòd omnis mutatio etiam temporis, & ætatis motu facilis est. Extrema nanque generis cuiuscúnque moueri facilè possunt, quomodo & principia, & fines. Ergo & cibi, qui inter se distant, corrumpere se inuicem queunt: quippe cùm aut nuper, aut nondum adhæserit, qui præcesserat.Ad hæc vt varius cibus grauis est: turbulenta enim,nec æqualis concoctio eius agitur, sic in iis accidit,qui aquam mutârint, scilicet vt variæ potionis vtantur alimento, estq; id alimenti genus, quàm siccum, valentius, quoniam plurimum est, exque cibis ipsis non nisi quantum dilutum est, vim habet enutriendi.

A superiori dependet hoc problema, quod & indicat particula, ἢ, in eo enim de mutatione aquæ comparata mutationi ciborum,quærebatur quam ob rem illa noxia magis, hæc autem minùs noxia esset;hîc autẽ de ipsa aquarum, & ciborũ mutatione quæritur vniuersè quod ibi sumebatur;quam ob rẽ morbosa sit;licèt enim cibi,& aquæ haud fiat mẽtio nominatim in problemate,de illis tamen accipienda est,quæ dicitur mutatio,sicuti fecit,& conuertit Theodorus;Caussas autem duas reddit,quarũ prima magis vniuersalis est, vniuersaliorémq; sententiam continet, altera autem particularis magis; Ideo igitur aquarũ mutatio morbosa corporibus est,quoniam omnis mutatio, quæcunque sit, siue temporis,siue ætatis generatim morbosa est: id autem ex eo probat, quoniam mutatio omnis mobilitas quædam est,hoc est aptitudo, seu facilitas ad patiendum, & infirmitas: quam rem rursus signo, seu potiùs inductione demonstrat; extrema enim cuiusmodi sunt principia, & fines, circa quæ mutationes contingunt, non enim alicuius rei mutatio fit, nisi adsit illius finis quæ desinit, & alterius, quæ incipit principium, facilè mobilia, & infirma esse consueuerunt, quæ fuit etiam sententia Hippocratis aphorismo trigesimo libri secundi, sic dicẽtis: περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλεα πάντα ἀσθενέστερα, περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότερα. hoc est, *circa principia,& fines omnia debiliora, circa statum autem fortiora*; rationem autem vniuersalem propositæ quæstioni adaptat per ea, quæ subiungit. ὥστε καὶ αἱ τροφαὶ ἕτεραι ἔσαι ἀλλήλας φθείρουσιν. *Ergo & cibi, qui inter se distant, corrumpere se inuicem queunt.* Cùm in omni mutatione aptitudo ad patiendum, seu infirmitas adsit, fit vt cùm cibi qui assumuntur, varij sint inter se, ideo enim mutatio fieri dicitur, quia alij erant qui assumebantur priùs, alij qui postea assumuntur,fit inquam,vt se inuicem corrumpant:quæ enim non sunt firma,& difficilè mobilia, ea facilè pati possunt; quoniam igitur hæc firmitas, & constantia, cùm ciborum mutatio fit, minimè adest, sed mobilitas, facilitas, & inconstantia potiùs, ideo efficitur, vt cùm ij ob hanc rationem, vel paullò ante adhæserint, & agglutinati sint corporis partibus, vel etiam nondum hæc adhæsio, vel agglutinatio præcesserit, mutua corruptio ad inuicem facilè contingere possit. ἔτι δ' ὥσπερ ἡ ποικίλη τροφὴ νοσώδες. *Ad hæc vt varius cibus grauis est.* Alteram rationem affert, quæ à similitudine sumpta est; quemadmodum enim varietas ciborum morbifica est,quoniam eorum concoctio ob varietatem rerum coquendarum perturbatur, nec vna potest esse, cùm alij cibi ob ipsorum naturam longius, alij breuius tempus ad concoquendum expostulent: ita in aquarum varietate contingit, qui enim aquam mutant, illi etiam vario alimento ex potione mutata vtuntur; eandem igitur incurrere læsionem par est. Auget autem huius rationis vim dicens; huiusmodi alimentum quod ex potione est, valentius, & magis principale quàm siccum esse duabus rationibus, nam &

plurimum eſt; multum enim aquæ per ſe aſſumimus in potu aut ſolam, aut vino mixtam vt multùm afficere poſſit, atque etiam ex ipſismet cibis, illud fieri alimentum inquit, quod humidum eſt. Nam & aquæ opera omnia ferè edulia coquuntur, & elixantur, aliter homini vix futura edendo, & intus ingeſta ſine aquæ, aut humoris vehiculo non poſſint nutrire, ad quem vſum eorundem ciborum etiam liquida pars adiumento eſt. Magnum igitur ad corporis noſtri nutritionem cùm obtineat aqua momentum, iure illius mutationem ad corporis noſtri valetudinem ſummopere facere exiſtimandum erit.

XVI.

Διὰ τί ἡ τῶν ὑδάτων μεταβολὴ, τοῖς ἔχουσι φθεῖρας, ποιεῖ πολλὰς ἔχειν; ἢ ὅτι ἀπεψία γινομένη τῷ ὑγρῷ διὰ τὴν ταραχὴν, ἢ γίνεται διὰ τὴν ποικιλίαν τοῦ ὕδατος, πυκνὰ μεταβάλλουσιν, ὑγρότητα ἐμποιεῖ· ἢ μάλιστα ἐν τῷ ὁπωσδήποτε ὑγρῷ τόπῳ; ὁ δὲ ἐγκέφαλος, ὑγρός· διὸ καὶ ἡ κεφαλὴ ἀεὶ μάλιστα. δηλοῖ δὲ, ὅτι αἱ τρίχες ἔνεισι μάλιστα ἐν αὐτῇ. ἡ δὲ τοῦτο τοῦτο ὑγρότης, φθειρῶν ποιητική. δηλοῖ δὲ ὅτι τῶν παίδων. ὑγροκέφαλοί τε γὰρ εἰσι, καὶ πολλάκις ἢ κορυζῶσιν, ἢ αἷμα ποιεῖ ῥεῖν. καὶ φθεῖρας πλείας οἱ ἐν ταύτῃ τῇ ἡλικίᾳ ἔχουσι.

Cur mutationes aquarum faciunt, vt pediculi in quibus haberi poſſint, multi habeantur? An quòd humoris cruditas, quam perturbatio illa committit, quæ ex aquæ vario vſu in crebra commutatione redundat, humoris creare copiam poteſt, præſertim in loco humori opportuniore. Cerebrum autem natura humidum eſt: quare caput maximè perpetuò humet. Cuius rei indicium eſt quod pili in hoc potiſſimùm exeunt: huius autem loci vis ad progenerandos pediculos apta eſt: patet hoc in puerili ætate. Caput enim puerorum madet abundè, & ſæpe aut grauedine conflictatur, aut ſanguinis profuſione. Quin etiam pediculos plures illa ætas habere ſolet.

Ex aquarum mutatione oriri morbos, ſuperiùs dictum eſt ab Ariſtotele; ex iis quendam recenſet modò, nempe pediculorum auctam multitudinem in iis, quibus illi gigni conſueuerunt, non enim in omnibus animalibus gignuntur, cùm aſini, oues, & capræ illis careant, ſicuti ſcribit Ariſtoteles quinto libro de hiſtoria animalium capite trigeſimo primo, & Plinius: gignuntur autem pediculi ex mutatione aquarum ſiue potu aſſumantur, vt hîc dicitur ab Ariſtotele, ſiue lauatio ex eis adhibeatur, quod ab eodem ſcriptum eſt eodem loco his verbis. *Proueniunt largiùs pediculi mutatione aquarum, quibus lauare ſe ſolent ea, quorum natura pediculum patitur*: Et à Plinio libro vndecimo capite trigeſimo tertio his verbis. *Aquas quoque quaſdam, quibus lauamur, fertiliores eius generis inuenio apud auctores.* Cauſſam auctæ multitudinis, cruditatem eſſe affirmat hoc loco Ariſtoteles, quæ ex turbata concoctione oritur; turbatur porrò concoctio ex aquæ varietate: in genere coctionem turbari ſuperiùs probatum eſt: cruditas igitur humiditatem efficit, quæ eſt pediculorum materia, vt habemus etiam ex Plinio loco quem modò adduximus: fruſtrata nanque coctione non fit appoſitio, aut agglutinatio alimenti ad ſingulas corporis partes, ſed extraneæ potiùs quædam, & excrementitiæ humiditates magna copia procreantur, præſertim in locis huic rei accõmodatis, cuiuſmodi caput eſt; caput enim ratione cerebri intus in ipſo exiſtentis ſemper humidum eſt; cui rei illud eſt argumento, quòd capillis maximè abundat; capillorum autem abundantiam à cerebri humiditate proficiſci, oſtendit idem Ariſtoteles libro ſecundo de partibus animalium, capite decimo quarto. Humiditas igitur huius loci, pediculorum genetrix eſt, quod vel ex eo ſigno colligi poteſt, cùm pueri maximè pediculis abundent: quod etiam ſcripſit idem Ariſtoteles loco adducto quinti libri de hiſtoria animalium; in illis autem pars ea valde humida eſt, quam humiditatem indicant deſtillationes, & ſanguinis fluxiones, quibus ætas illa ſæpe-numero laborat. Sic igitur ex humiditate omnia pendent, humiditas autem à cruditate, cruditas à turbatione, turbatio poſtremùm ab aquarum varietate, quæ in mutatione contingit.

XVII.

Διὰ τί ἀπὸ πλειάδος μέχρι ζεφύρου οἱ τὰς μακρὰς νόσους κάμνοντες μάλιστα αἰωρεῖσθαι, καὶ οἱ γέροντες μᾶλλον τῶν νέων; πότερον ὅτι δύο ὄντε τὰ φθαρτικώτατα, ὑγρότης τε καὶ ψῦχος; τὸ

γὰρ ζῆν, θερμόν· ἡ δὲ ὥρα αὕτη, ἄμφω ταῦτ' ἔχει. ψυχρά τε γάρ ἐστι καὶ ἀκμαιότατος ὁ χειμών. τὸ λοιπὸν γὰρ, ἔαρ ἐστίν. ἢ ὅτι ὁμοίως μὲν διάκεινται τοῖς γέρουσι τῶν καμνόντων οἱ τὰς μακρὰς κάμνοντες ἀσθενείας; ἔοικε γὰρ ἤδη γήρας, ἡ μακρὰ ἀσθένεια συμβαίνει. τὸ γὰρ σῶμα ἀμφοῖν, ξηρὸν καὶ ψυχρόν ἐστι τῶν μὲν, διὰ ἡλικίαν, τῶν δὲ, διὰ νόσον· ὁ δὲ χειμὼν καὶ οἱ πάγοι, ὑπερβολή ἐστι ψυχρότητος καὶ ξηρότητος. μικρᾶς οὖν δεομένοις αὐτοῖς ῥοπῆς, γίνεται οἷον πῦρ ὑπὸ πυρὶ ὁ χειμών. καὶ φθείρει διὰ ταῦτα.

Cur à Vergiliarum occaſu ad Fauonij vſque flatus hi potiſſimùm pereant, qui morbo longo laborant, & ſenes, quàm iuuenes potiùs? vtrum ſummæ intereundi cauſſæ duæ adſint, frigus, atque exceſſus: vita enim calore fouetur, ſeruatúrque. Tempus autem iſtud ambo illa ſortitur. Frigidum enim, & hyems tum acerrimè vrget, ſubſequens enim tempus ver eſt. An quòd qui vitiis laborant diuturnis, non ſecus ac ſenes effecti ſunt: longus etenim morbus quaſi ſenecta iam adeſſe videtur. Ea nãque corpora ſicca, & frigida ſunt, altera ſcilicet ob ætatem, altera ob languorem: hyemem verò, & gelu, frigoris atque ſiccitatis eſſe exceſſionem certum eſt. Quare fit cùm vel paruo momento corpora pateant, hyemis rigor quaſi ignis igni iniungatur, atque ita interimat.

De toto illo temporis ſpatio quod ab occaſu Pleiadum vſque ad Zephyri flatus intercedit quærit hoc loco Ariſtoteles, quamobrem longis ægritudinibus ſit mortiferum, ita vt qui iis laborant de medio tollantur, & ſeniores magis quàm iuuenes. Tempus autem hoc plus quàm octuaginta dies, quique maximè ſunt hyemales continet: Pleiades enim, quæ à Latinis Vergiliæ dicuntur, ante diem tertium dies Nouembris, hoc eſt die vndecima huius menſis occidunt, vt Plinius auctor eſt libro vndecimo capite quadrageſimo ſeptimo, & Galenus commentario in primum librum Hippocratis de morbis vulgaribus, qui ab Aſtrologis occaſus coſmicus dicitur, ab eodem autem Plinio matutinus dici conſueuit, quoniam matutino tempore, quo Sol ſuper horizontem aſcendit, eædem ſub horizontem deſcendunt: quo etiam tempore, diei hora diuerſa, earundem ortus contingit, qui à recentioribus cronicus dicitur, cùm ille veſpertino tempore Sole infra horizontem deſcendente, in Oriente ſupra horizontem emergunt, quem intelligens Ouidius dixit:

--Quattuor autumnos Pleïas orta facit.

Quod ideo annotauimus, vt cùm ab Ariſtotele in problemate, neque ortus, neque occaſus mentio aliqua fiat, ſed à Pleiadibus tantummodo dicatur (licèt à Vergiliarum occaſu verterit Gaza) nos per illa verba, tum occaſum, tum ortum eius aſtri eo modo, quo dictum eſt, intelligere poſſimus. Pleiades igitur occidunt die vndecimo Nouembris, Zephyri autem, qui à Latinis Fauonij dicuntur ſpirare incipiunt ante diem ſextum Idus Februarias, nempe octauo die huius menſis, vt idem Plinius auctor eſt loco ſuperiùs citato. Hoc igitur tempore quærit Ariſtoteles quam ob rem longis ægritudinibus affecti interire ſoleant, & ſenes iuuenibus magis. Solutiones autem duas affert. Primùm enim illud ideo contingere aſſerit, quòd cauſſæ duæ corrumpendi, ſeu interimendi vim maximam habentes vnà coëant eo tempore, exſuperantia nempe, & frigus: cùm enim ſanitas conſiſtat in moderatione; quæ immoderata ſunt, cuiuſcumque generis illa ſint, ſanitati aduerſantur, atque adeò tractu temporis vitæ; & cùm vita conſtet beneficio caliditatis, nihil mirum eſt, ſi frigiditas illam deſtruat; Vtraque hæc autem in eo, quod propoſitum eſt tempore reperiuntur, illud enim & frigidum eſt, & hyems maximopere viget; quod ille porrò vigeat, & virium ipſius eo tempore veluti flos ſit, innuit Ariſtoteles per hæc verba: τὸ λοιπὸν γὰρ, ἔαρ ἐστίν: quæ non eo modo præcisè accipienda ſunt quemadmodũ poſita videntur; neque enim aut vera ſunt, aut propoſitæ ſententiæ congruunt; nam quod ſtatim à Fauoniis ſubſequitur tempus, ex medicorum ſententia minimè ver eſt; cùm huius principium ſit æquinoctium vernum, vt auctor eſt Galenus commentario primo ad primum librum Hippocratis de morbis vulgaribus, quod tempus in noſtris regionibus incidit in vigeſimum circiter diem Martij; Fauonij autem quemadmodum ſuperiùs dictum eſt ad octauum diem Februarij, nempe menſe vno, & duodecim diebus antea flare incipiunt; dixi autem ex medicorum ſententia, quoniam Plinius tum loco ſuperiùs adducto, libro vndecimo capite quadrageſimo ſeptimo, tum libro decimo octauo capite vigeſimo quinto, idem veris, &

Fauonij principium facit, niſi tamen de vere quod agricolarum eſt, illud ſcripſiſſe exiſtimandum; ſed Ariſtoteles cùm de his loquatur in præſentia, quæ ad medicinam pertinent, multámque partem ex Hippocraticis monumentis deſumat, eundem quem Hippocrates conſtituere anni ordinem, iure exiſtimandum eſt; ordo autem ille eſt, quem ſuperiùs ex Galeni ſententia nos adduximus ad finem expoſitionis problematis tertij. Minimè verò etiam propoſitæ ſententiæ quadrat, non enim aliquo argumenti genere probatur, ideo hyemis vigorem præceſſiſſe quòd ſubſequens tempus ver ſit, cùm poſt hyemis vigorem illius inclinatio potiùs ſuccedat. Sunt igitur illa Ariſtotelis verba potiùs accipienda tanquam reſpectum aliquem contineant, ſiue ratio quædam in eis habeatur extremæ partis hyemis, in qua iam Fauonij ſpirare incipiunt, ad illius ſummum vigorem; illius enim inclinatio in qua iam tepor quidam eſt, præ vigore, & acutie ipſius, ver eſt. Ait igitur Ariſtoteles, argumento tibi ſit, vſque ad ortum Fauonij eſſe hyemis exſuperantiam, & vigorem, quoniam quod ad Fauonium ſubſequitur tempus, quanquam hyemis adhuc pars ſit, comparatum tamen ei, quod præceſſit, ver eſt, hoc eſt tanta aëris temperie conſtãs vt ſummo vigore collatũ ver dici meritò poſſit. ἢ ὅτι ὁμοίως μὲν διάκεινται τοῖς χέρσι τῶν καμνόντων οἱ τὰς μακρὰς καμνόντες ἀσθενείας, *Aut quòd qui vitiis laborant diuturnis, non ſecus ac ſenes effecti ſunt.* Alteram affert rationem à ſimilitudine ſumptam, ideo enim tempus illud longis morbis laborantibus ita noxium, atque adeò mortiferum eſſe ſolet, quoniam ſenibus quoque, vt omnibus patere poteſt, paria detrimenta infert; laborantes autem morbis longis, atque ſenes ſimiliter videntur affecti, vtriſque enim frigidum, & ſiccum corpus eſt, ſed illis ob morbum, his autem ob ætatem: morbus enim longus iam quædam ſenecta eſt. Cùm igitur hæ duæ qualitates, quæ vitæ ipſi contrariæ ſunt, illa enim caloris, & humoris beneficio conſtat, maximopere hyeme, ſeu hyemis vigore excellant; hyems enim, & gelu frigiditatis, & ſiccitatis exſuperantiæ ſunt, nihil mirum, ſi ipſorum iniquitatem haud ferant ita laborantes, atque ideo de medio tollantur: hyemem autem ſiccam appellat, quamuis illa humida natura eſſe dicatur, quòd eam potiſſimùm hoc loco intelligat, quæ cum gelu ac borealibus ventis adeò eſt coniuncta, ea enim eſt, quæ ſic laborantibus adeò noxia eſſe conſueuit; atque ob id hyemi gelu adiunxit Ariſtoteles. Verùm Iuſtinianus ad oram libri adnotat pro ξηρότητος, *ſiccitatis*, legi ὑγρότητος, *humiditatis*, ſicuti in altera ratione ſuperiùs propoſita pro ἀκμαιότατος itidem ὑγροτατος *humidiſſimus*, & pro ψυχρά, ψυχρός, hoc modo, ψυχρός τε γάρ ἐστι καὶ ὑγρότατος ὁ χειμών, vt quæ Theodorus ibi vertit, *frigidum enim, & hyems tum acerrimè vrget*, ita ſonent: *frigidus enim, & humidiſſimus tunc hyems eſt*, vt iam qui illis diebus contingit exceſſus, non de ſiccitate, verùm de humiditate ſit intelligendus. Nos vulgatam lectionem ſecuti ſumus. Igitur cùm ſic affectis parua inclinatio ſatis ſit, vt deorſum labantur, illæ hyemis qualitates veluti ignis igni adiectus, qui eum excreſcere facit, augent qualitates vitæ contrarias, atque ideo hominem corrumpunt; hæc autem omnia quæ tum in prima, tum in ſecunda ratione continentur, quo magis ſenioribus, quàm iunioribus conueniunt: illiſque ſi cætera ponantur paria, detrimentum maius afferri demonſtrant, eo magis illius, quod ſecunda problematis parte propoſitum eſt, ratio cunctis patere poteſt.

XVIII.

Διὰ τί ἐν τοῖς ἐλώδεσι, τὰ μὲν ἐν τῇ κεφαλῇ ἕλκη, ταχὺ ὑγιάζει, τὰ δὲ ἐν τῇ κνήμαις, μόλις; ἢ ὅτι βαρεῖα ἡ ὑγρότης, διὰ τὸ γεώδης εἶναι: τὰ δὲ βαρέα, εἰς τὸ κάτω ἀποχωρεῖ; τὰ μὲν οὖν ἄνω, ἔκκριτα, διὰ τὸ ἀποκεχωρηκέναι εἰς τὰ κάτω· τὰ δὲ κάτω πολλῆς γέμει φθειρώσεως καὶ σήπτα.

Cur in plenis, impuríſque corporibus vlcera capitis non magno negotio ſanentur, tibiarum autem ægrè? An humor eorum, quia terrenus, grauis eſt: graue autem omne deorſum tendit: ergo ſuperiora curari facilè poſſunt, quoniam ſeorſum humor deceſſerit: inferiora propterea nequeunt, quòd admodum excreſcant, & putredini pateant.

Quam ob rem iis, qui in paluſtribus, & humidis locis degunt, vlcera capitis celeriùs ſanentur quàm vlcera tibiarum, quærit hoc in loco Ariſtoteles; cauſſam autem huius rei eſſe ait, lationem humiditatis ad partes infernas: nam cùm ob loci qualitatem in quo degunt, corpora etiam ipſa multa humiditate repleantur; quæ in capite colligitur, ea ob gra-

uitatem

uitatem deorſum fertur: grauia enim omnia natura ſua deorſum labuntur: grauis autem ideo eſt humiditas, quia terreſtris, terræ autem grauitatem ineſſe, nemo eſt, qui ambigat. Igitur ob humiditates illas è capite ſecretas, & ad alias partes, nimirum deorſum latas, partes eæ, ſiue vlcera illarum partium, hoc eſt partium ſuperiorum depurata atque exſiccata redduntur, inferiora autem è conuerſo multis excrementis redundari contingit, & facili negotio putredinem concipere, atque vlcera augeri; vnde ſanationis difficultas emergit. Theodorus problema accepit non de locis, id eſt regionibus, ſed de corporis partibus qui tranſtulit, in plenis impuriſque corporibus, cui etiam videtur conſentire lectio, quæ habetur in margine Iuſtiniani ἑλκώδεσι, nimirum in corporibus vlceroſis, & multa ac impura humiditate abundantibus, atque hoc etiam modo fortaſſe legit idem Theodorus. Nobis cõmodior viſa eſt alia lectio, & iuxta ipſam de humidis locis problema expoſuimus.

XIX.

Διὰ τί ἐὰν τῶ χειμῶνος ὑγρομήνε βορέα, ἢ τ ἔαρος νότε ἢ ἐπόμβρε, τὸ θέρος λίαν αὐχμηρὸν γένηται, θανατῶδες γίνεται τὸ μετόπωρον πᾶσι, μάλιστα δὲ τοῖς παιδίοις. ἢ τοῖς ἄλλοις δὲ δυσεντερίαι ἢ τεταρταῖοι χρόνιοι γίνονται; ἐν αὐτῷ; ἢ ὅτι μετρίως μὲ ὑπεγρομήνε ὕδατος θερινῦ, καταψυχθὲν τὸ ζέον ὑγρὸν ἐν ἡμῖν, λωφᾷ ὅσον ἠθεμόνη ἐν τῷ ἦρι ὑγρῷ τῷ ὑγρῷ; εἰ δὲ μὴ, τὰ μὲ παιδία, διὰ τὸ ὑγρὰ φύσι ἢ θερμὰ εἶ, ὑπάρζει τῷ πάθει διὰ τὸ μὴ καταψυχθῆναι· ὅσοι δὲ μὴ τ θέρους, τ μετοπώρου ὅσον ἐπιζεῖ. αἱ δὲ ῥεύτεώσες, ἐὰν μὴ διὰ δὺς ἀνέλωσι, πρὶν πονεῖν μονα ἢ ἀρτηρίαν γινόμεναι· ἄνω δὲ πεφύκασι συμβαίνειν, διὰ τὸ ὑπὸ τ ἀέρος ἡμᾶς θερμαίνεσθαι· διὰ δὲ ταῦτα ἢ ὀφθαλμίαι πυρετῶ πρότερον γίνονται ἐν τῷ νοσερῷ θέρει· ἐὰν δ' ἂν μὴ ἐν τοῖς ἄνω (καθάπερ εἴρηται) τὰ πεπτώματα διὰ δὺς ἀνέλῃ, καταβαίνουσιν εἰς τὰς κοιλίας ἀπέπτα ὄντα· τοῦτο δὲ ὅτι δυσεντερία· διὰ δὲ τὸ μὴ ἐκκένεσθαι ὑπὸ πλήθους τὸ ὑγρὸν, ἢ ἐὰν πάυσωνται, τεταρταῖοι γίνονται τοῖς σωζομένοις. ἡ γὰρ τ ἀπέψις ὑπόστασις, μονιμωτάτη ὅτι, ἢ σύντονος γίνεται τῷ σώματι, καθάπερ ἡ μέλαινα χολή.

Cur ſi poſt hyemem Aquiloniam, & ver Auſtrinum, ac pluuium, æſtas ſicca admodum fuit, pernicioſus omnibus autumnus accedat, & pueris præſertim? Nam & cæteris difficultates inteſtinorum, febréſque quartanæ longæ eo tempore ſolent euenire. An quòd ſi aqua mediocri per æſtatem inceſſit, quantum humoris collectum eſt per ver humidum, in noſtris corporibus refrigeratum quieſcit: ſed ſi non ita contingit, pueri, qui ſuapte natura humidi, & calidi ſunt, vehementer eo ferueſcunt affectu, quoniam refrigerati minimè fuerint. Etſi per æſtatem reſtiterint, autumno certè, quorum humor vltra modum ferbuerit corripientur. Excrementa verò niſi confeſtim peremerint, orta videlicet circa pulmonem, atque arteriam (ſupra enim primùm conſiſtunt, eo ſcilicet quòd aëris tepori corpora noſtra pateant: hinc enim lippitudines quoque prægreſſis febribus in graui æſtate ſequi conſueuerunt.) Ergo ſi non locis ſuperioribus excrementa humorum exorſa, vt dictum eſt, protinus interemerint, deſcendent cruda ad ventrem, atque ita difficultatem creabunt inteſtinorum. At ſi præ nimia ſui copia humor excerni nequiuerit, quartanæ iis orientur, qui euadere mortem potuerunt, etiam ſi illud inteſtinorũ vitium omnino quieuerit. Quod enim crudi humoris ſubterſedit, ſtabile, firmumq; vehementer modo atræ bilis adhæret.

Ad temporum redit conſtitutiones: quæ autem hoc loco deſcribitur, eam ſequitur proximè, quæ ſuperiùs problemate octauo deſcripta eſt; ibi enim de morboſa æſtate poſt ver humidum, & pluuioſum, ac hyemem borealem ſubſequente verba fecit, hîc autem eadem temperie hyemi, & veri aſſignata, & præterea maxima ſiccitate æſtati; qui morbi autumno ſequantur, recenſet; Quanquam autem diſiunxerit Ariſtoteles, propter rerum tamen affinitatem, coniunxit illas duas tempeſtates Hippocrates in libro de aëre, aquis, & locis, vbi cùm de hyeme boreali, ac vere humido, & pluuioſo, eandem, quam Ariſtoteles problemate octauo ſcripſiſſet ſententiam, ſtatim ſubdit: καὶ ὧν μὲ ὅπι κυνὸς ἐπιτολῇ, & quæ ſequuntur, hoc eſt, *& ſi quidem circa canis exortum accedat aqua, ac tempeſtas, & etheſiæ ſpira-*

uerint,

uerint, ſpes eſt ceſſationis, & vt autumnus ſalubris fiat: Sin minus periculum eſt, ne & pueri, & mulieres moriantur, minimè verò ſenes; & ne, qui ſuperſtites euadunt, in quartanas deſinant, & de quartanis in Hydropes. Quæ ſimiliter ab Hippocrate, & Ariſtotele vt credere par eſt, deſumens, coniunxit etiam Auicen. lib. 1. Fen ſecunda ca. 7. cõſtat autem legendum eſſe in initio problematis, τῷ ἔαρι, id eſt *veris*, minimè autem, ἀέρος, id eſt aëris, vt in impreſſis & Aldinis, & Baſilienſibus legitur, idque tum ex locis Hippocratis adductis, tum ex verſione Gazæ, tum etiam ex iis Ariſtotelis verbis, quæ paullò poſt ſequuntur. λωφᾷ ὅσον ἠρεμίσῃ ἐν τῷ ἦρι γλυκεῖ τῷ ὑγρῷ. ἢ ὅτι μετρίᾳ μὲ ὀπτηγυμνῷ ὕδατι θερινῷ. *An quòd ſi aqua mediocri per æſtatem inceſſit.* Cauſſam reddit eorum morborum, qui prædicta conſtitutione ingruunt, ea autem eſt maxima æſtatis caliditas, hæc enim ad tempora prædicta ſequens, morbos gignere apta eſt, ob rationes ſuperiùs problemate octauo adductas, illóſque gignit omnino, niſi interueniens impedimentum aliquod prohibeat: hic autem eſt aquarum mediocrium deſcenſus circa canis exortum, illius enim beneficio refrigerata efferueſcenti humiditate, quæ vere collecta erat, reſpirat veluti ab onere quodam natura, & ſanus conſeruatur homo; oneris enim propriè leuationem quandam indicat λωφᾷ verbum, quo vtitur Ariſtoteles, deſumptum à bobus vt Heſychius auctor eſt, cùm ablato ipſis iugo à labore reſpirant. Si verò prohibens illa occaſio minimè aduenerit, morbi ſequuntur conſtitutionis proprij, iiſque tum reliquo æſtatis tempore, tum proximo autumno. Et primùm quidem ægrotant pueri ob eorum temperationem, quæ calida, & humida eſt, ideóque maximè ebullitioni apta; efferueſcunt ipſi igitur vehementer, quoniam non refrigerantur, idque protinus, nempe in æſtate ipſa; quòd ſi ob virium fortaſſe robur reſiſtant nonnulli, ſaltem proximo autumno quantum humoris minimè quieſcit, ſed ebullit, tantum morbos procreat. αἱ δὲ περιττώσεις, ἐὰν μὴ δι' ὀξέος ἀνέλωσι, περὶ πνεύμονα καὶ ἀρτηρίαν γλυκάνουσι. *Excrementa verò niſi confeſtim peremerint, orta videlicet circa pulmonem atque arteriam.* Demonſtrauit paullò ante in prædicta conſtitutione ſequi morbos, eóſque tum extrema æſtate, tum autumno: illi verò quoniam diuerſi ſunt; qui priùs, quíve poſteriùs contingant modò declarat. Priùs igitur illos contingere dicit, qui in ſuperioribus corporis partibus gigni conſueuerunt, hoc eſt in partibus ſpiritui attrahendo dicatis, cuiuſmodi ſunt & pulmo, & aſpera arteria, adeóque mortiferi maximè ſunt hi morbi, protinúſque homines necare ſolent; quoniam verò de excrementis, aut ſuperfluitatibus, ſiue de iis, quæ ſecernuntur & ſuperſunt ab humoribus, dum illi efferueſcunt morbi procreantur, ideo ait Ariſtoteles, quòd excretiones, aut ſuperfluitates illæ, niſi protinus interimant, hoc eſt morbi ex ipſis geniti niſi interimant protinus, deſcendunt illæ crudæ in ventres inferiores, & genus ſecundum morborum gignunt; cur verò oriantur antea morbi, qui in ſuperioribus corporis partibus contingunt, quàm illi poſtremi, cauſſam affert Ariſtoteles, eámque eſſe ait caliditatem ab aëre prouenientem; illa enim efficit vt excrementa, ſeu ſuperfluitates, quæ morborum cauſſæ dictæ ſunt, priùs conſiſtant ſuperiùs, hoc eſt in partibus ſupra diaphragma ſitis, quæ ſpiritui dicatæ ſunt; aër enim, qui inſpirando attrahitur cùm calidus ſit, calefacit primùm & maximè partes illas, totáque caliditatis ea natura eſt, vt ſemper ſuperiora petat: fiunt igitur efferueſcētiæ primùm in partibus ſuperioribus, & ſic inibi primùm ex ſuperfluitatibus ab efferueſcentiis contingentibus morbi procreantur; eadémque ratio eſt, quare in æſtate morboſa, quæ nimirum talis contingit merito illius conſtitutionis, quæ deſcripta eſt ſuperiùs problemate octauo, primùm lippitudines excitentur, deinde autem febres, quod affirmauit etiam Galenus, quia ſcilicet in his locis congregentur antea ſuperfluitates: Theodori tamen Latina verba, quæ ad hunc ordinem pertinent, *lippitudines prægreſſis febribus ſequi*, dubia videntur, nec facilè intelligas, vtras febres an lippitudines præcedere, an ſequi velit: quòd ſi præcedere febres intellexit, legiſſe ſuſpicandum πυρετῶν προτέρων, quæ lectio, & Theodori interpretatio tolerari, & defendi poſſet, niſi aduerſantem haberet problematis octaui ſententiam; quadraret enim huic loco, ſeu rationi hoc loco adductæ, gigni priùs febres in mortifera æſtate quàm lippitudines, quoniam lippitudo, quanquam oculorum morbus eſt, qui collocati ſunt in ſuperioribus corporis partibus, quia tamen febres haud oriuntur niſi calefacto corde, calefit autem maximè & primùm cor ex inſpiratione aëris calidi, ideo conſonum erat febres antecedere, lippitudines ſequi: ſed quoniam diſertè Ariſtoteles problemate octauo contrarium aſſerit, eúmque locum dum hîc morboſam æſtatem nominat, certò innuit, ideo repudianda eſt Gazæ lectio, & argumentum à nobis allatum quod facilè diſſolui poteſt, flocci ſanè faciendum. τοῦτο δ' ἔστι δυσεντερία. Διὰ τί τὸ μὴ ἐπικρατοῦντος ὑπὸ πλήθους τοῦ ὑγροῦ. *At ſi præ nimia ſui copia humor externi nequiuerit.* Aliud morborum genus perſequitur in prædicta conſtitutione eueniens: ſunt

autem

autem dyſenteriæ,& quartanæ; ſi enim ſuperfluitates illæ in ſuperioribus partibus collectæ non ſtatim interimant,deſcendunt crudæ, id eſt à natura minimè euictæ in ventres inferiores, inteſtináque onerando, & ob ipſorum etiam prauam qualitatem lædendo, dyſenteriam procreant; quòd ſi illorum humorũ copia ingens ſit, eáque tota per inteſtina excerni haud poſſit, ceſſat quidem cum maximo vitæ ægrorum periculo dyſenteria, iis autem qui ſeruantur gignitur quartana febris. Locus autem hic in omnibus codicibus Græcis tum Aldinis, tum Baſilienſibus deprauatus eſt, integrum tamen habuiſſe videtur, & Theodorus, & interpres antiquus, cùm enim in Græco coniungantur ſententiæ, merito particulæ διὰ, quæ ſuperioris dicti rationẽ reddere videtur, diſiungit eas tamen Gaza, cum antiquus interpres merito alius particulæ ἢ, poſt διὰ poſitæ,quæ deeſt in impreſſis quos citaui,ſed reponitur à Iuſtiniano; & ad ſubſequentem ſententiam hæc referunt vtrique, vt hæc ſit Ariſtotelis ſententia. Si igitur in ſuperioribus partibus collectæ ſuperfluitates haud ſtatim interimant, deſcendunt crudæ in ventres inferiores, id autem eſt dyſenteria; quia verò ob copiam excerni haud poteſt aliquando totum humidum, contingit ceſſare dyſenteriam, ſed iis, qui ſeruantur, febres quartanæ oriuntur; Et nos locum ita reſtitutum excudendum curauimus. ἡ γὰρ τῆ ἀπέπτῳ ὑπόστασις μονιμωτάτη ἐστί. *Quod enim crudi humoris ſubterſedit ſtabile firmúmque.* Cauſſam quartanarum reddit in iis, qui ſic afficiuntur; nam illius humoris crudi pars ea, quæ ſubſidet inferiùs, craſſior nimirum, & magis terrena, illa firmiſſima eſt, & maximo robore corpori adhæret; cuiuſmodi naturæ eſt etiam nigra bilis. Illa igitur cùm ob ſui firmitatem minimè in dyſenteria excreta fuerit, materia eſt quartanæ, quoties in ea præternaturalis calor accenditur.

X X.

Διὰ τί ἐὰν τὸ θέρος ἐπομβρον γένηται καὶ νότιον, καὶ τὸ μετόπωρον χειμὼν νοσερὸς γίνεται; ἢ ὅτι σφόδρα ὑγρὰ τὰ σώματα ὁ χειμὼν λαμβάνει, καὶ ἡ μεταβολὴ ἐπὶ μεγάλη γίνεται ἐξ ἀλέας πολλῆς, καὶ σφόδρα ἐκ ψυχαγωγῆς, διὰ τὸ καὶ τὸ μετόπωρον γίνεσθαι ἀλεεινόν; ὥστε τοῖς μὲν γίνεσθαι ἀνάγκη τὰ ἐξέα νοσήματα, μὴ, ἀραιοῖς ἐσι. τοῖς γὰρ τοιούτοις ἄνω μᾶλλον τὰ ὑγρὰ ψευτώματα ἀθροίζεται. διὰ τὸ τοὺς μὲν τὰς τόπους ἔχειν χώραν, τοὺς δὲ κάτω ἑτέρως ἔναι· οἱ ἂν ὄντες πυκνόσαρκοι, ὀλίγα ψευτώματα δέχονται· ψυχομένης ἐν τῆς ψευτώσεως, τῆς ἐν τοῖς ἄνω μέρεσι τῶ σώματος, ὥσπερ τοῖς οἰνωμένοις ὅταν ῥιγῶσι, τὰ ἐρημένα νοσήματα συμβαίνει γίνεσθαι· τοῖς δὲ ἀραιοτέροις πυρετῶν γενομένων, τοὺς ὑπὸ πλείσης ἀπεψίας γινομένους πυρετούς, καύσους συμβαίνει γίνεσθαι, διὰ τὸ τοῖς τοιούτοις ἐσκεδάσθαι μᾶλλον κατὰ πᾶν τὸ σῶμα τὰ ὑγρὰ, ἢ τοῖς πυκνοσάρκοις, συνισταμένης δὲ τῆς σαρκὸς αὐτῶν ὑπὸ τοῦ χειμῶνος, θερμαινόμενα τὰ ὑγρὰ, πυρετοὺς ποιεῖν· ἡ γὰρ παντὸς τοῦ σώματος ὑπερβάλλουσα θερμότης, ὀξὺς πυρετός. Ἐπιτεινομένη δὲ διὰ τὸ πλῆθος τῆς ὑπαρχούσης αὐτοῖς ὑγρότητος, καῦσος γίνεται.

Cur ſi æſtas, aut autumnus imbres auſtróſque habuerunt, hyems grauis conſequi ſoleat? an quòd hyems corpora præhumida excipit,mutatio etiam ingens occurrit. Non enim paulatim,ſed repentè ex calore immodico ad frigoris acerbitatem venitur, quando autumnus quoque tepidus extitit. Itaque qui denſo corpore ſunt, hos morbi extorqueant acuti neceſſe eſt: his enim humida excrementa ſupra potiùs colliguntur, cùm partes ſuperiores humoribus huiuſcemodi opportunas,inferiores inhabiles illi habeant.Ideóque qui tali textura corporis ſunt, non multa excrementa ſibi admittunt. Cùm igitur qui locis ſuperioribus corporis humor excreuerit, infrigeſcere incipit, fit vt prædicta vitia oriantur, quemadmodum vinolentis prope accidit cùm algent. At quibus laxius corpus eſt, iis febribus orſis euenit, vt quæ ſumma de cruditate febres conſtiterint, tranſeant in ardores,quoniam his magis totũ corpus ab humoribus occupatur,quàm denſa illis mole conſtantibus,exque vi frigoris coacto eorum corpore humores incaleſcentes febres accendunt: ſuperans enim calor totius corporis febris eſt: & ſi idem nimio intendatur humore,ardor effici poteſt.

Aliam aggreditur temporum conſtitutionem, in qua tum æſtas, tum autumnus pluuioſi & humidi ſunt; ad quæ quam ob rem conſequatur morboſa hyems quærit hoc loco.

Duo autem pro cauſſa affert, humiditatem temporum præteritorum, & frigiditatem aduenientis; præteritorum humiditas expreſsè dicitur in problemate, frigiditas autem tanquam hyemi propria intelligitur, quæ tamen in hac conſtitutione vel eo magis ad lædendum apta eſt, quòd repentè, non autem ſenſim, & paullatim aggreſſa corpora eſt; vnde mutationem magnam ſecutam fuiſſe eſt neceſſe: at mutationem omnem magnam, noxiam eſſe corporibus, pluribus locis ſuperiùs apparuit, repentinam autem fuiſſe eam mutationem quæ ad frigus facta eſt, inde contigit, quòd autumnus calidus extitit, hoc autem vel ponitur ab Ariſtotele, vel comprehenditur in verbis ſuperiùs adductis ἐπομβρος καὶ νότιος; ille verò, anno & conſtitutione ſalubri, ſolet eſſe medius inter æſtatis caliditatem, & hyemis frigiditatem, quo abſque ea læſione, de qua modò mentio fit, & quæ in prædicta conſtitutione incidit, ex vno tempore in aliud corpora migrare poſſint. ἀφ' τὸ καὶ τὸ μετόπωρον ἀλεεινόν. *Quando autumnus quoque tepidus extitit.* Ex hoc probatur mutationē minimè fuiſſe factam ſenſim, & ideo magnam extitiſſe, quoniam etiam autumnus calidus extitit, hac re ſimilis æſtati; vnde ex æſtatis caliditate ad hyemis rigorem abſque medio tranſitus factus eſt. ὥστε τοῖς μὲ γένεσθ ἀνάγκη τὰ ὀξέα νοσήματα, μὴ ἀρεοῖς ἔσι. *Itaque qui denſo corpore ſunt hos morbi extorqueant acuti neceſſe eſt.* Cauſſas explicat ſuperiùs allatas. Quoniam verò hyems corpora humida excipiēdo, frigore ſuo illis nocumento eſt: frigus autem provt corpora affecta ſunt, ſic morbos procreat, ideo duplex corporum genus quod à frigore variè afficitur in medium affert; eſt enim genus vnum quod craſſo, & compacto habitu, ſiue denſis meatibus conſtat; eſt alterum huic contrarium, quod tenui, & raro. Illud autem ob ſoliditatem, & denſitatem ſuam, exigua per totum corpus ſpatia obtinet, vbi excrementa colligantur; quare in eo hæc minimè congregantur, niſi in partibus illis, quas valde latas, & capaces natura efformauit; cuiuſmodi ſuperiores partes ſunt, ſupra diaphragma, aut mediaſtinum ſitæ, quas ad reſpirationis vſus deſtinauit natura; hoc igitur corporum genus in prædicta conſtitutione acutos morbos incurrit, eos nimirum qui ſubitò hominem de medio tollunt, cuiuſmodi ſunt apoplexia, & aſthma, cùm reſpirationis vſus, ſine quo homo viuere non poteſt impediatur, aut tollatur: per acutos enim morbos tales hîc intelligi, etiam ex ſuperiori problemate ſatis conſtat; vel etiam ex Hippocrate intelligere poſſumus pleuritides, & peripneumonias, quas in hac conſtitutione bilioſis hominibus fieri dicit in libro de aëre, aquis, & locis; nam circa pulmonem, & ſpirituales partes morbi illi acuti ſunt; illud tamen offendit, quòd bilioſis pleuritides, & peripneumonias fieri dicit Hippocrates, morbos hoſce acutos illis Ariſtoteles, qui denſa corporis textura ſunt; at bilioſi non denſa, ſed rara conſtant textura. Sed exponamus Ariſtotelis ſenſa: refrigerato igitur excremento, ſeu humiditate in cerebro vel pectore per hyemem collecta, deſtitutáque eo calore, quo antea fouebatur; prædictæ acutæ ægritudines incidunt, non ſecus ac iis, qui vino perculſi ſunt, ac rigent, iis enim qui vino ſe ingurgitauerunt, maxima vaporum copia ad partes ſuperiores aſcendit, qui vapores dum calore continentur, regunt illi ſeſe, nec prolabentes hominem perimunt; calore autem deſtituti, & à frigore concreti, & denſati collabuntur, ſuffocationémque, de medio ſublata reſpiratione, inducunt: quæ res ſimiliter iis accidit in prædicta conſtitutione, qui cùm denſa textura ſint; plures humiditates in partibus ſuperioribus collectas hyeme habent. Hæc igitur patitur hoc corporum genus. Alterum autem quod tenues, ſiue raros meatus per vniuerſum corpus obtinet, in febres incidit, eáſque ardentes, ob maximam copiam cruditatum, ſiue humiditatum, quas præcedentibus temporibus collectas dixit: febres autem contingunt, minimè verò acuti illi morbi ſtatim necantes, quoniam eæ humiditates ob laxitatem meatuum, & viarum, diſperſæ ſunt in venis per vniuerſum corpus, minimè verò in capaci aliquo ſpatio ſupra diaphragma ſuſpenſæ, vnde ſubita mors impendet, quod denſa carne conſtantibus euenit. Quoniam igitur ob hyemis frigus corpora, ſeu carnes conſtringuntur, calefiunt illæ humiditates cùm non ampliùs ventilentur, ſed ebulliant, ſicque febris accenditur, quæ nihil aliud eſt quàm per vniuerſum corpus excedens caliditas; ſed quoniam redundans ea humiditas plurima eſt, adeóque ingens copia materiei adeſt, atque etiam acris, quippe bilioſa, aut ſalſa vt medici docent, quæ exuri poſſit; fit in corpore ardor magnus, & validus, qui cauſos, ſiue febris ardens appellatur. Cauſonem enim, ſeu ardentem febrem caliditatis vehementia per totum corpus diffuſa præſtare, dicit Galenus quarto prognoſticorum textu primo, ſicuti eandem febrem tum ex bili, tum ex ſalſa pituita ortum habere idem teſtis eſt: Hippocrates cùm hanc eandem conſtitutionem deſcriberet libro quem indicaui, in eáque ſimiliter febres ardentes fieri diceret, illis addidit eas fieri, qui quadrageſimum annum exceſſiſſent, quibus verbis illud intelligi puto, quod hîc dicit Ariſtoteles, qui rara ſunt corporis textura, illis enim,

quod

quod quidem ad ętatis rationem attinet, meatuum raritudo ineſt. τὰς δὲ κάτω τέρας εἶναι. *Inferiores inhabiles illi habeant.* Eſſe alios, & diuerſos à ſuperioribus, hoc eſt minimè habere ſpatia vacua. οἱ ἔν ὄντες πυκνόσαρκοι. *Ideóque qui tali textura corporis ſunt.* Hæc non eſt concluſio, neque concluſionem innuit hoc loco particula ἔν, ſed illationem potiùs quandam, quam corollarij loco affert, non ſecus ac ſi particula, διὸ vſus eſſet.

XXI.

Διὰ τί ὅταν ἐκ χῆς ἀνίη ἀτμὸς πολὺς ὑπὸ τῆ ἡλίε, τὸ ἔτος λοιμῶδες γίνε; ἢ ὅτι ὑγρὸν ἀνάγκη καὶ ἔπομβρον τὸ ἔτος σημαίνειν, καὶ τὴν γῆν ὑγρὰν ἀνάγκη εἶ; διὸν ἔν ἐν ἑλώδει τόπῳ ἡ οἴκησις γίνεται· νοσώδης δὲ ἡ τοιαύτα ὅτί· καὶ τὰ σώματα δὴ τότε ἀνάγκη περίττωμα πολὺ ἔχειν· ὥστε ἐν τῷ ἦρι ἔχειν ὕλιν νοσώδη.

Cur annus peſtilens tunc inuadit, cùm Sol multum vaporis de terra excitat? An tunc annus humidus, pluuiúſque ſignificetur, neceſſe eſt, terrámque madeſcere neceſſarium. Fit igitur, quaſi locis paluſtribus, grauibúſque proinde inhabitetur, & corpora quoque multis tunc excrementis redundare neceſſarium eſt, ita vt ægrotandi materiam habeant in æſtate.

Inter futuræ peſtilentiæ ſigna, illud quod hoc loco ab Ariſtotele ponitur, obſeruatum ſæpenumero eſt; exoriente nempe Sole, vnà cum eo multum vaporem de terra aſcendere; huius autem illam eſſe rationẽ ait Ariſtoteles, quòd annus humidus, & pluuioſus exinde ſignificetur, hic autem maximè aptus eſt putredini, à qua peſtilẽtia oritur, quemadmodum contingit in locis paluſtribus, in quibus peſtilens ſemper habitatio eſt. Corpora igitur illinc excrementa multa colligunt; quæ in æſtate præcipuè, eo enim anni tempore præcipuè ingruit peſtilentia, vt auctor etiam eſt Auicenna, materia illius peſtiferi morbi ſunt. Obſeruatum etiam hoc ſignum legimus ab eodem Auicenna libro quarto Fen prima tractatu quarto cap. tertio his verbis. *Et ſimiliter quando videris aërem alterari in die vno multis vicibus, & clarificatur aër die aliquo, & oritur Sol clarus, & conturbatur die alio, & oritur in velaminibus nebulæ, quæ eſt vt puluis, tunc iudica quòd peſtilentia accidet.*

XXII.

Διὰ τί γίνεται τὰ ἔτη νοσώδη, ὅταν γένηται φορὰ τῶν μικρῶν βατράχων τῶν φρυνοειδῶν; ἢ ὅτι ἕκαστον φύεται ἐν τῇ οἰκείᾳ χώρᾳ τῶν φύσεως; ἐν ταύτᾳ δὴ φύσις ἐστὶν ὑγρά· ὥστε ἔπομβρον καὶ ὑγρὸν σημαίνειν τὸν ἐνιαυτὸν γίνεσθαι. τὰ δὲ τοιαῦτα ἔτη νοσώδη ἐστὶν· ὑγρὰ γὰρ τὰ σώματα ὄντα, πολὺ ἔχει τὸ περίττωμα, ὅ ἐστι τῶν νόσων αἴτιον.

Cur grauis tunc adeat annus, cùm copia eſt puſillarum ranarum, quæ rubetarum faciem repræſentant? An res vnaquæq; loco ſuæ naturæ idoneo abundare ſolita eſt. Itaque eiuſmodi animantium genus cùm natura humidum ſit, humidum pluuiumq; annum ob eam ipſam cauſſam indicat. Anni eiuſmodi verò graues procul dubio ſunt. Quibus enim corpora facta perhumida fuerint, multis idcirco excrementis premuntur, quæ cauſſæ ſunt, vt morbi proueniant.

Aliud peſtilentiæ ſignum recenſet, prouentum paruarum ranarum rubetis ſimilium; ratio autem eadem eſt, quæ in ſuperiori problemate, quod annus pluuioſus, & humidus, atque adeò putredinoſus ſignificetur; nam cùm vnaquæque res in regione illa vigeat, & copioſè proueniat, quæ naturæ ſuæ accommodata eſt; animalia autem illa humida ſint, ideo ab anni humiditate multiplicantur: at anni humidi morbos afferunt, quoniam in corporibus excrementa multa colliguntur, quæ morborum cauſſa ſunt. Signum autem hoc adducitur ſimiliter ab Auicenna libro quarto Fen prima tractatu quarto capite tertio his verbis. *Signa autem quæ ſunt ſecundùm ſemitam ſocietatis cauſſæ, ſunt verbi gratia vt videas ranas iam multiplicari, & videas reptilia generata ex putredine iam multiplicari.* Quibus deinde alia ſigna addit, quæ hîc recenſere non eſt neceſſe. Sanè cùm vox φρυὼ, aut φρυών, craſſas ranas ſignificet, vt auctor eſt Heſychius, per φρυνοειδῶν nihil aliud quàm rubetis

ſimilium, aut rubetas imitantium, aut rubetarum faciem repræſentantium, vt vertit Gaza, intelligere poſſumus, quæ ſcilicet paruæ ſunt vt dictum eſt, ſed facie ſimiles craſſis, quæ φρυώες, aut φρυώοι dicuntur; de quibus, earúmque veneno Nicander in Alexipharmacis ad finem, & Plinius libro trigeſimo ſecundo capite quinto.

XXIII.

Διὰ τί οἱ νότοι οἱ ξηροὶ καὶ μὴ ὑδατώδεις, πυρετώδεις εἰσίν; ἢ ὅτι ὑγρότητα καὶ θέρμιν ἀλλοτρίαν ποιοῦσιν; ὄντι γὰρ ὑγροὶ καὶ θερμοὶ φύσει· τοῦτο δ' ὄντι πυρετῶδες· ὁ γὰρ πυρετὸς, ἐξ ἀμφοτέρας τὰ τούτων ὄντιν ὑπερβολῆς. ὅταν μὲν ἓν ἀνὰ ὕδατος πνέωσι ταύτην ἐν ἡμῖν ποιοῦσι τὴν διάθεσιν, ὅταν δὲ ἅμα ὕδατι, τὸ ὕδωρ καταψύχει ἡμᾶς. οἱ δὲ ἀπὸ θαλάττης νότοι καὶ συμφέρουσι τοῖς φυτοῖς· εὐψυχμώδεις γὰρ ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἀφικνέονται πρὸς αὐτά· αἱ δ' ἐρυσίβαι, γίνονται ὑπὸ ὑγρότητος καὶ θέρμης ἀλλοτρίας.

Cur auſtri ſicci, & nihil humentes febres creare ſoleant? An quia calorem, humorémque excitant alienum. Sunt enim ſuapte natura humidi, calidíque: qua quidem re febris committitur, quippe quæ non niſi per exceſſum ambarum qualitatum illarum oriri ſoleat: Cùm igitur imbre auſtri vacant, corpora noſtra ita afficiantur neceſſe eſt: at cùm flatibus imber adeſt nos aqua refrigerat. Auſtros tamen, quos mare miſerit prodeſſe ſtirpibus certum eſt. Refrigerati nanque beneficio maris, deueniunt contra æruginem, quæ humore, caloréque alieno conſiſtit.

De auſtris, qui abſque pluuia ſpirant, quos auſtros ſiccos appellat, quærit hoc loco quare febres adducant; cauſſam autem in illorum naturam rejicit; nam cùm natura calidi, & humidi ſint, cùm nempe ad nos peruenerint; nam in loco vbi oriuntur, qui cancri circulus eſt, ſicci potiùs ſunt; ſed cùm ad nos perueniunt abſque pluuiis, ita enim ſicci intelliguntur, quoniam tales ſunt, gignunt humiditatem, & caliditatem alienam: hæ autem qualitates febribus maximè idoneæ ſunt; febris enim ex huius vtriuſque exſuperantia id eſt humiditate, & caliditate aliena conſtat: quod Ariſtotelis dictum minimè opinandum eſt aduerſari opinioni Galeni, febrem calidam & ſiccam affectionem eſſe affirmantis: Ariſtoteles enim hîc potiùs febrium materiam, quàm formam conſiderat, earúmque maximè, quæ putridæ ſunt: Galenus autem formam potiùs, quæ caliditate, & ſiccitate conſtat. Cùm igitur ſicci, & abſque pluuiis flant, huiuſmodi diſpoſitionem, quæ febribus accommodata eſt, in nobis creant, cùm verò pluuiis ſociati, tunc ex pluuiis refrigeratio naſcitur, temperatúrque calor, qui altera ex cauſſis eſt febrem parientibus; nec dicendum eſt ab humiditate, quæ tunc præterea aduenit, eos multò magis idoneos reddi ad febres pariendas, nam mauis eſſe auxilium, quod à frigiditate naſcitur, quæ cum humiditate eſt iuncta, quàm noxam ex humiditate aucta, ex obſeruatione à qua oritur problema, diſcere facilè poſſumus. Eandem omnino ſententiam, atque ipſa pene verba habet Theophraſtus libro de ventis in hunc modum Latinè. *Rurſus auſtri ſicci, & abſque pluuia exiſtentes febres faciunt; humiditatem enim calidam extraneam in corpora nonnulla inducunt, qui calidi, & humidi natura ſunt: hæc autem affectio febriculoſa, quippe febris ex harum ambarum qualitatum exceſſu fit, quando autem cum pluuia ſpirant, aqua refrigerat habitum.* οἱ δὲ ἀπὸ θαλάττης νότοι καὶ συμφέρουσι. *Auſtros tamen, quos mare miſerit.* Ob eandem rationem, qua auſtros pluuiis coniunctos minimè febriculoſos eſſe dixit, eadem eos plantis non ſolùm non nocere, ſed prodeſſe potiùs affirmat, idque beneficio frigiditatis, quam ſecum ex mari afferunt, refrigerati enim auſtri à mari, ſiue à vaporibus, qui de mari exeuntes cum ipſis commiſcentur, ad plantas accedunt, eíſque qualitatem ſuam imprimunt; cùm verò plantarum vitium potiſſimum rubigo ſit, quæ ab humiditate, & caliditate extranea ſimiliter ortum ducit, vt habemus ab eodem Ariſtotele ſectione vigeſima ſexta problemate decimo nono, & à Theophraſto libro quarto de cauſſis plantarum capite decimo quinto, qui dicit eſſe σῆψιν τινὰ τῶν ἐφεστώτων ὑγρῶν, hoc eſt *putredinem quandam aſſidentis humoris*, maximéque infeſtare frumentacea, & legumina in locis κοίλοις καὶ δροσώδεσι, id eſt, *conuallibus, & roſcido tractu*, vt vertit Plinius, iure merito refrigerans qualitas ſummo illis beneficio erit; qua de re plura ab eodem Ariſtotele habemus problemate quod modò indicaui ſectione vigeſima ſexta; atque etiam de rubigine eruditè à Plinio libro decimo octauo capite vigeſimo octauo.

Διὰ

XXIV.

Διὰ τί ἐν τοῖς νότοις βαρύτερον ἔχουσι καὶ ἀδυνατώτερον οἱ ἄνθρωποι; ἢ ὅτι ἐξ ὀλίγου πολὺ ὑγρὸν γίνεται, ἀφισταμένου διὰ τὴν ἀλέαν· καὶ ἐν πνεύματι κάφει, ὑγρὸν βαρύ; ἔτι δὲ ἡ δύναμις ἡμῶν, ἐν τοῖς ἄρθροις ἐστί· ταῦτα δὲ ἀνίεται ὑπὸ τῶν νοτίων· δηλοῦσι δὲ οἱ ψόφοι τῶν κεκολλημένων· τὸ γὰρ γλίσχρον ἐν τοῖς ἄρθροις, πεπηγὸς μὲν κωλύει κινεῖσθαι ἡμᾶς· ὑγρὸν δὲ λίαν ὂν συντείνεσθαι.

Cur corpora humana ſe tardiora, debilioráque ſentiant; cùm Auſtri afflant? An quia multum ex paullo tunc redundat humoris, quem deliqueſcere tepor coëgit, exque leui afflatu grauis humor citatur: adde quòd vires noſtræ conditæ in articulis ſunt, qui auſtrinis laxari flatibus conſueuerunt. Conſtat id ex eorum crepitu, quæ pridem conglutinata, tunc remittuntur, ac reſoluuntur. Tenax etenim humor, qui articulis inditus eſt, vt concretus nos moueri non patitur, ſic nimis humefactus intendi minimè ſinit.

Effectum auſtri, de quo in præſentia loquitur Ariſtoteles, propoſitum etiam habemus ab Hippocrate tertio aphoriſmorum quinto, quo loco hanc habemus ſententiam, *Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes.* Quæ etiam, vt pleráque alia ex eiſdem aphoriſmis, iterantur in libro de humoribus eiſdem omnino verbis, & à Cornelio Celſo proponuntur libro ſecundo capite primo. *Auſter aures hebetat, ſenſus tardat, capitis dolores mouet, aluum ſoluit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum.* Porrò debilitatis, & grauitatis huius, quæ ex Auſtrorum flatu in corpore noſtro percipitur, cauſſas duas affert Ariſtoteles, quarum prima hæc eſt, nam cùm ipſi calidi ſint, colliquant humiditatem noſtram, diſpergúntque eam per vniuerſum corpus, vnde ex pauca redditur multa, & ad nocendum magis acommodata: quippe leuis antea ſpiritus qui in nobis erat, per Auſtri flatum, & colliquationem grauis fit humiditas; craſſeſcit enim ſpiritus omnis qui in nobis eſt ex Auſtri flatu, humoréſque augeſcunt, & diſſoluti magis quàm antea diffunduntur: Theodorus autem, qui ea ἐν πνεύματι κάφει ὑγρὸν βαρύ, vertit, *exág leui afflatu grauis humor citatus*; non de ſpiritibus corporis, πνεῦμα κάφον, accipere videtur, ſed de ipſo Auſtri flatu, qui licèt lenis grauem citat humorem, atque vterque quidem ſenſus in idem recidit; ſed verba, quem nos indicauimus, proximiùs exprimere videntur; à neutro tamen horum diſſident, quæ de eodem auſtri flatu ab Hippocrate dicuntur in libro de ſacro morbo his verbis. *Auſter autem contraria huic operatur, primùm enim incipit aërem compactum liquare, ac diffundere, quapropter etiam non ſtatim magnus ſpirat, ſed primùm lentus, ac lenis eſt, quoniam aërem ſtatim ſuperare non poteſt, qui priùs denſus eſt, & compactus, ſed temporis progreſſu ipſum diſſoluit.* Theophraſtus in libro de ventis, cùm eundem Auſtri effectum proponeret, eâdem ſimiliter ratione, atque iiſdem verbis vſus videtur, quòd ex pauco fieret multus humor, & ex leui ſpiritu grauis humiditas; ſunt tamẽ verba illa adeò corrupta vt non fuerint ad hunc locum adducenda, & niſi ex hoc problemate aliqua corrigantur, nec ſenſum habeant. ἔτι δὲ ἡ δύναμις ἡμῶν ἐν τοῖς ἄρθροις ἐστί. *Adde quòd vires noſtræ conditæ in articulis ſunt.* Altera ratio, facultas, quæ membra noſtra regit ac mouet, in articulis tanquam in inſtrumento poſita eſt; illi autem à re humida cuiuſmodi auſtrini flatus ſunt, laxantur, ac elangueſcunt, iure igitur pigra, grauia, & debilia inde redduntur membra: ratio ſatis plana eſt; non tamen ita plana, quæ ſequitur ab exemplo confirmatio: δηλοῦσι δὲ οἱ ψόφοι τῶν κεκολλημένων. *Conſtat id ex eorum crepitu, quæ pridem conglutinata tunc remittuntur, ac reſoluuntur.* Theodorus de ſuo addidit poſtrema hæc, *tunc remittuntur, ac reſoluuntur.* Non eſt autem ita planum quomodo illa, quæ glutine iuncta, & compacta ſunt, ob humiditatem relaxata crepitum edant; videantur enim potiùs illa crepitum edere propter ſiccitatem, arefacto enim, & abſumpto humido, quod in glutine eſt, conglutinata diſſiliunt, & crepitum edunt. Theophraſtus cùm idem tractaret argumentum loco quem modò attulimus, & eandem ſimiliter de articulis proponeret rationem, hoc glutinatarum rerum exemplum minimè attulit; attulit paullò poſt, cùm aliis quibuſdam ſententiis interpoſitis, non ſolùm humiditatem, & diſſolutionem verùm etiam denſitatem, & conſiſtentiam attuliſſet in medium his verbis. *In fructibus, & aliis ſimilibus eodem modo res ſe habet, omnia enim ad humiditatem, & diſſolutionem, & denſitatem, ac conſiſtentiam, & quæcunque alia ex vtraque ſerie ſunt referentur. In inanimatis etiam ſimiliter, ſicuti & chordæ quæ rumpuntur, & crepitus eorum, quæ glutinata ſunt,*

& alia quæcunque contingunt humectatis, & dissolutis. Non videatur igitur ita planum ruptiones, quæ chordis,& crepitus,qui glutinatis contingunt; in hac Theophrasti dictione referri ad humiditatem, & dissolutionem,cùm densitatem,& consistentiam,quæ siccitatem denotant, vnà cum illis proposita sint; faciunt tamen vt ad illud existimandum adducar, quæ iterantur ista. *Quæcunque contingunt humectatis, & dissolutis*, id est iis, quæ humectantur, & dissoluuntur: hæc enim omnino eam vim habere puto, vt quæ proximè antea dicta sunt, de chordarum ruptione, & glutinatorum crepitu ad ea referri debeant, sicuti hoc loco ad eandem humectationẽ refertur ab Aristotele crepitus, qui dum glutinata dissiliunt exauditur. Hunc igitur non minùs à siccitate, quàm ab humiditate oriri non erit difficile videre, si ea occurrent quæ de conuulsionis ortu à Galeno dicta sunt; cùm Hippocratis aphorismum trigesimum nonum sexti libri exponeret, quo docebat nos antiquissimus medicinæ magister, conuulsionem fieri vel ex repletione, vel inanitione: sunt autem hæc Galeni verba: *Ea repletione ita nerui intenduntur vt chordæ in valde humidis ambientis nos aeris constitutionibus, atque ideo propter hanc causſam sæpe etiam rumpuntur, idem verò & in siccioribus constitutionibus accidit: nam in seſe colliguntur, ac conuelluntur omnia neruosa corpora violentiùs exsiccata, veluti lora si paullò magis ab igne calefiant, quibus similia patiuntur, & quæ Solis feruor exsiccauit. Conuulsio igitur non absque ratione à contrariis fit causis.* Igitur nec etiam absque ratione erit si crepitus glutinatorum dissilientium à contrariis etiam fiat causis, & ab humiditate,quod hoc loco dicitur ab Aristotele; non enim intelligit crepitus audiri ex ipsis articulis,sed signum proponit ex humiditate fieri laxationem & dissolutionem nimirum talem vt etiam crepent glutinata. *τὸ γὰρ γλίσχρον ἐν τοῖς ἄρθροις πεπηγὸς μὴ κωλύει κινεῖσθαι ἡμᾶς. Tenax etenim humor qui articulis inditus est vt concretus nos moueri non patitur.* Redditio hæc causſæ non pertinet ad ea, quæ postremò dicta sunt, sed ad totam rationem, quæ secundo loco ex articulis proponitur; docet enim exquisitiùs, quomodo illi ex Austri flatu debilitentur, considerato viscido eo humore qui natura articulis inditus est: nam cùm illum ex Austrinis flatibus pati, & alterari centingat præter id quod eius natura fert; atque adeò ex ea dimoueri; infirmari similiter articulos, & eorundem motum necesse est.Sciendum igitur ex libris medicorum, in articulis, qui nihil aliud sunt quàm structuræ aut compositiones ossium ad inuicem, quæ sicuti varium motum habent; & vario modo fiunt; ita diuersa sortiuntur nomina, alia enim Synarthrosis dicitur, cuius rursus species tres, de quibus, Galenus;& alij anathomici. In hisce igitur articulis naturam humorem quendam indidisse, cuius vsus plurimus est, illud autem meliùs Galeni verbis, quàm meis exprimam, ille igitur libro decimo tertio de vsu partium capite octauo de eo ita scribit. *At etiam humor viscosus huic tunicæ est circumfusus,quomodo & tunicæ spondylos colliganti, & articulis omnibus, & linguæ, & laringi,& meatui vrinario,& oculis pinguedo, & vt summatim dicã omnibus iis,quæ moueri assiduè oportebat: metuendum enim erat ne exsiccata quidem ipsa dolerent, ac tandem actiones ipsæ labefactarentur, quod homines imitati curruum axes,atque plaustrorum vngunt priùs succo humido, ac viscoso, quo nihil illa patiantur, & moueantur celeriùs.* Eadem penè habet iterum Galenus commentario tertio in librum Hippocratis de articulis ita scribens. *Circa ipsas autem vertebras innatum est vinculum mucosum, hoc est glutinosum, & quasi pituita plenum, vt vertebræ promptiùs moueantur, ipsumque vinculum minùs lædatur. In vehementi enim motu abrumpuntur quæ sicca sunt,& sine humore,atque idcirco qui loris ad vehicula,& iumenta vtuntur, ipsa inungunt: quanquam huiusmodi mucosus humor in omnibus articulis ob eandem causſam inuenitur.* Hunc igitur humorem qualem oporteat in articulis existere, & conseruari ad commodum animalium motum, docet hîc Aristoteles: nimirum nec concretus nimiùm, nec nimiùm humidus,aut diffluens fuerit,sed moderationem quandam consistentiæ habeat,& symmetriam; ita enim appellauit eam Theophrastus libello de ventis quem adduximus; vbi postquam hanc eandem Aristotelis rationem de humore concreto,& fluido,licèt mutila,& fœdè corrupta sententia attulisset; symmetriam addidit requiri, vt robur & contentio partibus inexistere posset. Igitur lentus hic humor si nimiùm concretus sit, prohibet nos moueri, non enim libera, & expedita partium dimotio; si autem nimiùm fluens, non permittet intendi hoc est laxitas nimia consequetur, cui succedit effectus similiter ac in conuulsione: flatus autem Austrini, ob humiditatem nimiam hanc in articulis laxitatem procreant; viscositatémque illam de conuenienti natura deturbant,vt iure difficultas in motu cõtingat. Postremam hanc partem quæ ad contentionem pertinet nos ita exposuimus qui legerimus quemadmodum legit Theodorus *σωπτείνεσθαι*, vt à superiori *κωλύει* dependeat, ac interpres antiquus videtur legisse *σωπτοῦνται*, qui vertit, *distenditur*; sensus autem etsi contrarius videatur,moderatione quadam adhibita in idem recidit; nimirum vt ex lectione Theodori,plus

æquo

æquo diffluens viſciditas impedit contentionem motui neceſſariam, ita ex hac antiqui interpretis, contentionem nimiam efficit, quæ & ipſa motui impedimento eſt, ſymmetria enim eſt quam requirimus.

XXV.

Διὰ τί ἀῤῥωστοῦσι μᾶλλον τὸ θέρος, ἀποθνήσκουσι δὲ μᾶλλον οἱ ἀῤῥωστοῦντες τὸ χειμῶνος; ἢ διὰ τὴν πυκνότητα ἐντὸς τοῦ σώματος συνεσταλμένην τοῦ θερμοῦ. καὶ πονοῦντες μᾶλλον, εἰ μὴ πέπεπται, τὸ ἐν ἡμῖν συνεσταλμένων περιττωμάτων, ἰσχυρὰν ἀνάγκη τὴν ἀρχὴν εἶναι τῆς νόσου; τοιαύτην δὲ ὄντων, φθαρτικὴν εἰκὸς ἶναι αὐτὴν εἶναι· ἐν δὲ τῷ θέρει, μανοῦ καὶ κατεψυγμένου παντὸς τοῦ σώματος, καὶ ἐπιλελυμένου πρὸς τοὺς πόνους ὄντος, ἀρχὰς νόσων ἀνάγκη πλείους μὲν γίνεσθαι, ἀφ' ὧν τε κόπους καὶ ἀπεψίαν τοῦ εἰσφερομένου, (καὶ γὰρ οἱ νέοι καρποὶ τότε εἰσὶν) ἀλλ' ἐχ ὅτως ἰσχυράς· διὸ δύσκριτοι.

Cur per æſtatem magis aduerſa valetudine laboretur, per hyemem verò magis qui laborant emoriantur? An quia calor, qui per hyemem intus propter corporum denſitatem coërcetur, parum adiuuat, nec labor operum qui ampliùs per id tempus ſuſcipitur excrementa humorum poteſt concoquere, ideo validam eſſe mali originem neceſſe eſt: quod cùm ita ſit, pernicioſum morbum vrgere ratio eſt. Contra in æſtate quoniam corpus vniuerſum rarum, refrigeratum, reſolutum, atque laborum impatiens eſt, idcirco morbos plures quidem oriri neceſſarium videtur, videlicet ob laſſitudinem, cruditatémque ciborum: noui etenim fructus tunc adſunt: non tamen ita validos eſſe naturæ ratio patitur, quam ob rem facultas hiſce ſuccurrendi datur faciliùs.

Æſtiuos morbos hyemalibus comparat, ſiue illorum multitudinem, ſiue periculum ſpectemus quod ex eis impendet. Proponit igitur cur æſtate plures, ſed periculoſæ minùs, hyeme contra pauciores, ſed magis periculoſæ, ac lethales incidant ægritudines; hoc enim eſt quod Ariſtoteles ait, æſtate plures ægrotare, hyeme plures mori. Probat autem vtramque partem eadem ratione, ſed primùm priorem tractat. Ait igitur, plures qui hyeme ægrotant interire, quoniam morbi, qui hyeme contingunt vehementiores, & potentiores ſunt, & ideo magis mortiferi, qui verò æſtate debiliores. Vehementiores autem eſſe hybernos hinc probat, quoniam cauſſas ſalubres, quæ ab eiſdem nos defendere ſolent, ipſi vincere, & ſuperare potuerunt, hyeme enim ob corporum denſitatem, quæ à frigore fit, calor naturalis in partibus internis colligitur, interiùs autem collectus potentior exiſtit; calor autem hic naturalis cùm & ſanitatem, & vitam regat, excrementáque morbos procreantia concoquat; eo tempore vt hæc meliùs præſtet conſentaneum eſt, quo validior exiſtit, huiuſmodi autem hyeme eſt; Si verò eo tempore id minimè contingat, ægrotentq; homines, cauſſas morbum facientes neceſſe eſt validiſſimas fuiſſe, quibus à calore adeò potenti minimè reſiſti potuerit, & ideo mortiferas induci ægritudines. Additur huic rationi, quòd per hyemem homines laborant magis, id eſt exercent ſeſe; æſtate enim ob corporum imbecillitatem omittitur exercitatio, quæ obiri non poteſt; at labor maximè iuuat concoctionem, vnde dicebat Hippocrates ſecundo libro aphoriſmorum, *cibum labor præcedat*; Si igitur eo tempore, quo optima fieri deberet concoctio, ea minimè fit, ſed ob excrementorum copiam morbi incidunt, hos ſanè à validiſſimo principio, & cauſſa oriri dicendum eſt; vnde meritò contingit, vt cùm eos corpora haud ferre poſſint, ſuccumbant. Nititur autem tota hæc ratio ea Hippocratis ſententia ſecundi libri aphoriſmorum, quæ ita ab ipſo ſcripta eſt. *In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut conſuetudini, aut anni tempori magis congruit morbus, quàm vbi nulli iſtorum congruit.* ἐν δὲ τῷ θέρει. *Contra in æſtate.* Tractat alteram partem. In æſtate, inquit, contrariè omnino ſe res habet, nam cùm corpus rarum, & laxum ſit, minimè cohibetur intus calor, ſed foras erumpit, refrigeratúmque adeò remanet corpus, & cùm exercitationes eo tempore intermittantur, quas ferre homines haud poſſunt, non adeò perfectam fieri coctionem eſt neceſſe. Faciliùs igitur poſſunt excrementa colligi, & faciliùs morbos procreare. Nil mirum igitur ſi plures contingunt morbi, cùm eis reſiſtentes, eóſque prohibentes cauſſæ pauciores ſint, contrariæ verò multæ; laſſitudines enim ob excrementa illa plurima contingunt, quæ morborum nuntiæ ſunt, cruditatéſque plurimæ ſimiliter gignuntur ob nouos fructus, qui eo

tempore

tempore comeduntur, sunt tamen debiliores quàm hyemales, quippe à debilioribus caussis qui potuerint gigni, vnde & ipsis faciliùs succurri potest.

XXVI.

Διὰ τί μᾶλλον τὰς τροπὰς ἀμφοτέρας, μέχρι ἑκατὸν ἡμερῶν ἀποθνήσκουσι μάλιστα; ἢ ἄχρι τοσούτου ἑκατέρα ἡ ὑπερβολὴ διέχει, ἥτε τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ψυχροῦ; ἡ δὲ ὑπερβολὴ, τοῖς ἀσθενέσι ποιεῖ τὰς νόσους καὶ τὰς φθοράς.

Cur post vtrumlibet solstitium per centum dierum spatium mori maximè accidat? An quòd eatinus vtraque vehementia caloris, & frigoris se dilatat, quæ morbos, perniciémque afferre infirmis potest.

Totum illud temporis spatium quod à Solis vtralibet conuersione, nimirum & æstiua, quæ solstitium dicitur, & hyemali, quæ bruma appellatur, per centum proximos dies subsequitur, ægrotis maximè pernicioſum esse ait Aristoteles; solstitium autem fit ex Plinij sententia Sole existente in octaua parte cancri, quod eiusdem temporibus ante diem octauum Calendas Iulij contingebat, nempe ad diem vigesimum quartum Iunij, vt ipse testatur libro decimo octauo capite vigesimo quinto, & vigesimo octauo; bruma autem Sole in octaua parte Capricorni; sicuti idem affirmat: quod eisdem similiter temporibus contingebat ante diem octauum Calendas Ianuarij, nempe ad diem vigesimum quintum Decembris. Cùm verò ab illo tempore ad nostram ætatem, ambo variata essent, sicuti & æquinoctia, pérque plures dies anticiparent ob rationes, quas non est necesse hîc recensere, ita vt solstitium vndecima die Iunij, bruma autem vndecima Decembris accideret; ante nonnullos annos, nimirum anno salutis humanæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, à Gregorio decimo tertio Pontifice Maximo anno restituto, decémque diebus Octobri mensi ademptis, illud ad vndecimum Calendas Iulij, hoc est ad vigesimum primum Iunij, hanc ad xij. Calend. Ianuar. hoc est xxj. Decembris, iuxta æquinoctia, quæ & ipsa vigesimum primum Martij; & vigesimum primum Septembris accepêre, redacta sunt. Aristoteles igitur de proposito temporis spatio, quod dictum est inquirit, atque ait, rationem quare illud maximè pernicioſum ægrotis contingere soleat, hanc esse, quia in ipso maxima vigeat exsuperantia aut caloris, aut frigoris; cùm enim Sol dum ad nos accedit calorem, dum recedit frigus inuehat, in æstiua autem conuersione ille nobis quàm fieri possit proximior sit, hyemali autem siue bruma remotior, ideo aut caloris, aut frigoris contingit eo tempore exsuperantia, ex eáque corporibus debilioribus, cuiusmodi ægrotantes sunt, interitus impendet. Dicuntur autem solstitia conuersiones, quoniam cùm Sol ad puncta illa peruenit, subsistit iam nec progreditur vlteriùs, sed mutat, ac conuertit cursum suum vel ascendendo, vel descendendo. Porrò autem solet tum à solstitio calor, tum à bruma intendi frigus, quanquam & ab illo statim Sol remeare, & dies contrahi incipiant, ab hac autem idem redire ad nos, & dies produci, quoniam in aërem ipsum per illos propositos dies caloris, aut frigoris maior subinde fit impressio, & in corpora nostra eodem modo, vt maior etiam subinde fiat tum caloris tum frigoris sensus, donec illo dierum præterito spatio, aër ob aliam Solis reuersionem, alium etiam accipiat statum. Hippocrates libro de aëre, aquis, & locis, periculosissima esse dixit ambo solstitia, maximéque æstiuum, caussam verò nullam attulit, nec post solstitium dies vllos ipse enumerauit. Quod verò Hippocrates dicit magis periculosum æstiuum quàm hyemale, Aristoteles autem superiori problemate periculosiores morbos hyeme oriri proposuit, non est aduersa sententia, & facilis est responsio. Hippocrates enim promptiùs, & faciliùs nos labi in morbos, atque idcirco plures numero eos esse opinatur: Aristoteles id non negat, sed hyeme qui oriuntur, qui non multi sunt, qui tamen oriuntur eos ad mortem trahere dicit. Æstate igitur plura pericula in morbos incidendi, hyeme plus periculi ex morbis decedendi. At quod modò proponit Aristoteles, post æstiuum solstitium per dies centum maximè mortem contingere, quomodo accipiendum? an non illi dies æstiui? dixerim, si conferantur solstitia reliquis anni temporibus, illa esse omnium maximè periculosa, æstiuum quidem potissimùm ob rationem frequentiæ morborum, tum etiam ratione multitudinis eorum, qui ex iisdem moriuntur; vbi enim frequentes morbi, frequentes etiam interitus: nec id negat Aristoteles, qui conferri vult parem æstiuorum morborum numerum, cum pari numero hyemalium, magisque lethales hos esse, quòd ea paritate posita plures ex his, quàm ex illis moriantur;

riantur; si autem inuicem alterum alteri comparentur solstitia, hyeme plures intereunt, æstate plures ægrotant, quod dixit præcedenti problemate; Multos tamen vtroque proposito spatio emori, id verò hinc minimè prohibetur, quod dicit in præsentia, vnde & ibi vsus est particula μᾶλλον, hîc autem μάλιστα, quanquam haud ignoro earundem particularum vsum sæpe etiam confundi, nec ita præcisè accipi.

XXVII.

Διὰ τί τὸ ἔαρ ἢ τὸ φθινόπωρον νοσώδη; ἢ ὅτι αἱ μεταβολαὶ νοσώδεις; τὸ δὴ μετόπωρον, τοῦ ἔαρος νοσωδέστερον, ὅτι μᾶλλον τὸ θερμὸν ψυχόμενόν, ἢ τοῦ ψυχροῦ θερμαινόμενόν νοσερόν. ἐν μὲν δὴ τῷ ἔαρι, τὸ ψυχρὸν θερμαίνεται· ἐν δὲ τῷ μετοπώρῳ, τὸ θερμὸν ψύχεται.

Cur ver, atque autumnus morbis infestent? An quia mutationes graues omnes occurrunt: sed autumnus vere grauior est, quia corpore calido refrigescente, quàm frigido incalescente potiùs ægrotamus. Vt igitur vere frigidum recalescit, sic autumno calidum refrigescit.

Ver obnoxium esse plurimis morbis affirmauit etiam Hippocrates libro tertio aphorismorum aphorismo vigesimo, & Galenus similiter, qui dilucidè sententiam illam in commentariis explanauit, & pluribus docuit quomodo illud verum sit, quod ab Hippocrate dicitur, saluberrimum esse ver, & simul morbis multis ab eodem noxium fieri; autumno etiam plurimos gigni ex eodem Hippocrate patet in aphorismo vigesimo secundo, in quo dum autumnales morbos recenset, inter eos multos æstiuos reponit; multósque præterea illius temporis proprios enumerat. Aristoteles autem hoc loco multitudinis huius caussam in mutationem rejicit, mutatio enim vt etiam superiùs problemate tertio dictum est, morbos gignere consueuit, sed cùm vterque tum autumnus, tum ver morbosi sint, magis tamen morbosus est autumnus, quoniam in eo mutatio fit ex caliditate ad frigiditatem, aër enim calidus æstatis eo tempore refrigescit, vere autem ex frigiditate ad caliditatem, quoniam incalescit aër hyemalis, morbi autem magis contingunt ex refrigerato calido, quàm frigido calefacto, vt enim naturæ nostræ calor amicus est, sic inimicum frigus, eámque maximè labefactare solet.

XXVIII.

Διὰ τί ἐν τῷ χειμῶνι, ἐλάττω μὲν τὰ ἀῤῥωστήματα, ἢ ἐν τῷ θέρει, θανάσιμα δὲ μᾶλλον; ἢ ὅτι ἐν μὲν τῷ θέρει ἀπὸ μικρᾶς προφάσεως τὰ ἀῤῥωστήματα, ἐν δὲ τῷ χειμῶνι, ἅ; πεπικώτεροι γὰρ καὶ ὑγιεινότεροι ἡμῶν αὐτῶν. ὥστε εἰκότως τὰ ἀπὸ μείζονος προφάσεως γινόμενα, μείζω καὶ ἀναιρετικώτερα· ταὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ἀθλητῶν, καὶ ὅλως ἐπὶ τῶν ὑγιεινῶς διακειμένων ὁρᾶσθαι· ἢ γὰρ ὑ λαμβάνοντα νόσῳ, ἢ ταχὺ σωματίοις· μεγάλης γὰρ αἰτίας δέονται.

Cur per hyemem minùs quidē quàm per æstatem; sed pernicioſiùs ægrotetur? An quoniam in æstate morbi vel parua de causſa exiſtunt, quod in hyeme minimè accidit ita: ſumus enim tunc & ad concoquendum, & ad bene valendum aptiores. Itaque ratione maiora, pernicioſioráque mala ſunt, quæ maiori de cauſſa prouenerint. Quod idem in athletis, & omnino in iis, qui ſecunda valetudine eſſe ſolent, licet perſpicere. Aut enim nullo morbo premuntur, aut preſſi celeriter è vita decedunt, quippe qui niſi magna cum cauſſa ægreſcere nequeunt.

Problematis huius ſententia eadem eſt, quæ & problematis vigeſimi quinti, nimirum ægrotare nos æſtate quidem magis, ſed periculosè minùs, eadémque ſimiliter ratio, quæ ibi, affertur hîc, quòd nimirum æſtate occaſiones, aut cauſſæ morbum adducentes plures quidem ſint, ſed quas minùs poſſe appareat; hyeme autem è conuerſo pauciores, ſed poſſe magis, hincque magis labefactari naturam, quæ cùm cauſſis adeò potentibus minimè reſiſtere poſſit, ſuccumbit; in perniciémq; adeò vita trahitur; addūtur tamen hîc quæ problemate vigeſimo quinto omiſſa ſunt ad idem confirmandum, præter rationem ſuperiùs adductam, exempla athletarum, & omnino eorum, qui ſalubri fruuntur valetudine; athletas

autem apparet hoc loco non ſolùm poni tanquam ſanos, verùm etiam tanquam ſummè, & perfectè tales. Quippe robur maximum ipſos poſſediſſe, ad idque comparandum omnes adhibuiſſe diligentias, notius eſt, quàm vt hoc loco à me oſtendi debeat. Galenus tamen libro ad Thraſibulum capite trigeſimo ſexto, & trigeſimo ſeptimo reprehendit athleticam quandam, quam vitioſam appellat, eamque vere minimè eſſe bonum habitum affirmat, quin potiùs eos debiles: ignauiſſimos, negotiiſque tum ruſticis, tum ciuilibus inutiles prædicauit, verbis etiam Platonis ex tertio libro de Republica adductis. At nobis hæc in præſentia exactiùs diſtinguenda non ſunt; quibus illud ſatis, extitiſſe athletas valde ſanos, & robuſtos. Igitur cùm & hi athletæ, & qui ſalubri fruuntur valetudine, morbis corripi non ſoleant; ſi contingat aliquando vt corripiantur, celeriter intereunt; maximam enim, ac validiſſimam extitiſſe cauſſam neceſſe eſt, quæ morbum adduxerit, cui cùm ſana natura minimè reſiſtere potuerit, ægrota vt reſiſtat multò minùs fieri poſſe iudicandum eſt. Porrò vltima problematis verba ita habentur in margine Iuſtiniani codicis. ἢ γὰρ ὑ νοσεῦσιν, ἢ εἰ ταχὺ νοσεῦσιν μεγάλης αἰτίας δέον) ὡρὸς τὸ νοσῆσαι, καὶ ἀναιρεθῆναι.

XXIX.

Διὰ τί τὲ μὲν Φθινοπώρε καὶ τὲ χειμῶνος οἱ καῦσοι μᾶλλον γίνον) ἐν τ ψυχραῖς ὥραις, τὲ δὲ θέρες τὰ ῥίγη ἐνοχλεῖ καυμάτων ὄντων; ἢ ὅτι τῶν κζ τ ἀνθρώπων, ἡ χολὴ μὲν ὅτι θερμὸν, τὸ δὲ φλέγμα ψυχρόν; ἐν μὲ ὃν τῷ θέρει, τὸ ψυχρὸν ἀνάλυε), καὶ διαχυθὲν ῥίγη καὶ τρόμες ἐξαπιδάζει· ἐν δὲ τῷ χειμῶνι, τὸ θερμὸν ὑπὸ τ ὥρας κρατεῖ) κατεψυγμένον· οἱ δὲ καῦσοι, μᾶλλον ἐνοχλεῦσι τὲ χειμῶνος καὶ τὲ Φθινοπώρε, ὅτι διὰ τὸ ψύχος, τὸ θερμὸν ἔσω συσέλλε)· ὁ δὲ καῦσος ἔσωθέν ὅτι, καὶ οὐκ ὀπιπολῆς· εἰκότως ὃν οἱ καῦσοι ταύτῳ τῷ ὥρᾳ γίνον)· καταμάθοι τὲτο δ' ἂν τις ἀκριβέςερον ὅτι τ ψυχρολετρουμένων τ χειμῶνος, καὶ τῶν τ χειμῶνος λουμένων τῷ θερμῷ· ὅτι οἱ μὲ τῷ ψυχρῷ λουμένοι, ἀποῤῥιγώσαντες ὀλίγον χρόνον ἕως λύον), τὸν λοιπὸν ἡμέραν ὑδὲν πάσχουσιν ὑπὸ τ ψυχρ· οἱ δὲ τῷ θερμῷ ὕδατι χρησάμενοι, δυσειμερώτερος διάγουσι· τ μὲ γὸ τῷ ψυχρῷ λουμένων, πυκνὸν) ἡ σαρξ, καὶ συσέλλε) ἔσω τὸ θερμόν· τ δὲ θερμολετρουμένων, ἡ σαρξ ἀραιῦται, καὶ τὸ θερμὸν ἕως τ ἔξω τόπε ῥεισασᾶται.

Cur per autumnum, ac hyemem febres ardentes potiùs oriantur, quæ tempora frigus præ ſe ferunt: per æſtatem verò cùm æſtus adſunt, rigores magis infeſtent? An quia in corpore hominis bilis calida, pituita frigida eſt. Itaque per æſtatem quod frigidum eſt diſſoluitur, diffuſúmque horrores, tremoréſque excitat. Per hyemem autem quod calidum eſt, vi temporis preſſum refrigeſcit. Febres tamen ardentes per hyemem, autumnúmque potiùs conflictant, quoniam calor pulſus à frigore introrſus ſe contrahit. Ardor enim non reſidet in ſummis, ſed intrinſecus ſe expandit, atque ita efficitur vt ratione febres ardentes hyberno tempore oriantur. Meliùs id in iis intelligi poteſt, qui aqua frigida, quique calida ſe hyberno tempore lauerint: qui enim frigida ſe infuderint, ibi aliquandiu, dum diluerentur friguerunt, reliquo toto die tuti à frigore ſunt. At qui calida vſi fuerint, frigus diutiùs experiuntur. Caro ſpiſſeſcit, calórque introrſus ſe colligit eorum, qui ſe aqua diluerint frigida. Cõtra autem iis euenit, qui calidam admisêre: caro quippe rareſcit, calórque ad exterum vſque locum euocatur.

Hippocrates libro tertio aphoriſmorum vigeſimo primo, febrem ardentem numerat inter morbos æſtiuos, ita ſcribens ex Leoniceni verſione. *Aeſtate autem nonnulli horum & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ.* Ariſtoteles autem hoc loco fieri eam proponit autumno ac hyeme; nec ſilet cauſſam, qua fortè motus quippiam, eam contra æſtate potiùs contingere arbitraretur, ſicuti rigores hyeme, quæ eſt altera problematis pars: eſt autem cauſſa, illa ipſa ambientis aëris qualitas: nam cùm æſtate calidus exiſtat aër, hyeme frigidus, ea febrem ardentem, quæ itidem calida, & bilioſa admodum eſt, hoc rigores qui affectus frigidi ſunt, fieri conſentaneum videbatur. At Ariſtoteles, qui non ſolùm ambientis qualitatem hac in re præcisè conſiderauit, ſed corpus etiam, & alia ad eam conſequentia, aliter hoc loco rem fieri tradit. Ab Hippocrate quidem non ſolam ambientis qualitatem, cùm

morbos temporibus assignauit,fuisse consideratam, sed alia etiam præter hæc, scriptum est à Galeno ad commentarium aphorismi vigesimi : at vel hoc loco id non fecit, aut aliter quàm Hippocrates ea de re existimauit Aristoteles. Porrò nomine rigoris intelligit hoc loco Aristoteles, non quem propriè ita Galenus accipit ; sed in vniuersum, omne frigoris, aut perfrictionis genus morbosum, idque per se extet, vel etiam febribus sit coniunctum, nimirum illas præcedens,quæ febres periodicæ,& intermittentes sunt : ita verò accipit hoc nomen idem Aristoteles sectione octaua sequenti, qua ad hunc affectum pertinentia problemata multa proponit.Docet autem rigoris hunc affectum ortum ducere à pituita,sicuti causonem à bile : Primóque de rigore rem tractat, atque ait rigores ideo fieri æstate, quoniam cùm in hominis corpore extet tum pituita,quæ frigida est, tum bilis, quæ calida, pituita à calore æstatis dissoluta,ac diffusa,perque corpus, & illius sentientes particulas delata frigus efficit ; ac tremorem, frigida enim contactu refrigerant. Non disputandum autem hac loco, vtrum hac re, seu modum, seu causam rigoris respicias, idem sentiat cum Galeno : iam enim dixi rigorem ab Aristotele aliter ac ab eo accipi. οἱ δὲ καῦσοι μᾶλλον ἐνοχλοῦσι χειμῶνος. *Per hyemem autem quod calidum est vi temporis pressum refrigescit.* Docet quo modo per hyemem fiant ardentes febres ; nimirum bilis, quæ huius febris materia est,sicuti,& pituita salsa, humor scilicet calidus, ab aëris qualitate contraria domatur, refrigeratúrque ; qua ex re non ita potest efferri, nec liberè ad quascunque corporis partes vagari, quod in æstate pituitoso humori dissoluto dictum est contingere : bile igitur intus collecta, & calore intus coacto, ardens febris tandem gignitur ; quæ febris est,sedem habens intus in penitioribus corporis partibus, quæ hyeme replentur, & incalescunt, minimè autem in superficiariis,ad quas magis ascendunt humores æstate, vnde & rigores fiunt qui superficialium partium affectus sunt. Porrò autem ratio hæc, totúsque incalescendi modus,quo per hyemem calidiores magis sumus intus, æstate autem foris, maximè declaratur exemplo eorum, qui hyeme lauantur aqua calida ; primi enim illi frigescunt sanè per aliquod temporis spatium, nempe spatium illud quo lauantur, vel paullò ampliùs ; at deinde collecto calore, partibúsque plùs quàm antea calefactis, nihil per totum diem à frigore patiuntur,sed calidi degunt ; contra verò qui lauantur aqua calida, postquam lauatio desiit, totum diem horrent,lauationis enim causæ pori cutis ex calida aperiuntur, facilísque,& latior aditus tum calori ad partes exteriores, tum frigori ad partes interiores patet. At per lauationem ex frigida densantur pori, concluditúrque intus calor vt ei aditus extra minimè sit ; atque adeò partes illæ assiduè magis incalescunt.Hæc autẽ incalescendi ratio quanquam vera sit,probetúrque Hippocrati aphorismo decimo quinto libri primi cùm ait. *Ventres hyeme,& vere natura calidissimi sunt :* non inde tamen ex eiusdem Hippocratis sententia colligitur, febres ardentes morbos esse hyemi cognatos, vult enim ille quidem antiquissimus, & sapientissimus Philosophus, partes interiores ob caloris intus collectionem calidiores esse magis hyeme, quàm æstate : sed calidiores natura, hoc est vt Galenus interpretatur,calore innato, minimè autem calore extraneo, qui is est quem febrem nominamus; calor autem innatus huic calori contrarius est, morbificísque caussis repugnat,cùm omnia naturæ opera perficiat,& hominem saluum, ac viuum contineat ; extraneus autem morbosa omnia adducit,hominémque de medio tollere properat.

XXX.

Τὶς καταπλάσματος ἀρετή ; ἡ λύσις τὸ χυτικὸν εἶναι, καὶ ἀνιδρῶτας ποιεῖ καὶ ἀποπνοάς.

Quæ nam virtus sit cataplasmatis? An vt resoluat, vt moueat sudorem,vt euocet vaporem.

In margine Iustinianæi codicis, ante hæc quæ sequuntur problemata titulus propositus est his verbis. Τὰ αὐτόθεσα βοηθήματα πρὸς ἴασιν,hoc est. *De auxiliis,quæ ad curandum adhibentur:* qui fortasse non ineptè quadrat, vt materiam sequentium problematum à præcedentibus paullò diuersam aliquo modo insinuet.Hucúsque enim de caussis ægritudinem,& quæ magis ad præseruandum valent,quæque ad theoricam potiùs pertinent,sermonem habuit,hîc autem de iis quæ faciunt ad curandum, & auxilia morbis afferenda, quæ in medicina facienda magis vsuueniunt,quod etiam ab Aponensi obseruatum est. Primùm igitur de virtute cataplasmatis inquirit, quam esse ait diffundendi, cui consequens est vt dissoluat, nimirum quæ concreta, & coacta sunt,sudores moueat, & expirationem, seu exhalationem

moliatur. Eſt autem cataplaſma medicamentum quod vlceribus imponitur, confectum ex herbis aliquando crudis, aliquando coctis, teſte Hippocrate libro de affectionibus cùm ait. *Talia autẽ cataplaſmata ſint aut betæ coctæ in aqua, aut apium, aut oleæ folia, aut fici folia, aut rubi, aut quercus, aut mali punicæ Atque his coctis vtendum eſt, crudis verò rhamni foliis, auc viticis, aut ſaluiæ, aut tichimalli, aut pulegium viride, aut porrum, aut apium, aut coriandrum, aut iſatidis folia impone.* Cataplaſmata autem pollere virtute diffundendi, quod affirmat hoc loco Ariſtoteles, eſt etiã ſententia Hippocratis libro quem modò citauimus de affectionibus, paullò ante ea verba quæ adducta ſunt cùm περὶ τ̃ φυμάτων, ſeu de tuberculis agens ita ſcribit ex Cornarij verſione. *Conducit autem horum aliqua per cataplaſmata, & pharmaca potui data diffundere, aliqua autem per cataplaſmata maturare, & diffundunt quidem cataplaſmata, quæcunque cùm calida ſint humectant, & non in ſe ipſa trahunt.* De talibus porrò cataplaſmatis loquitur hîc etiam Ariſtoteles, nimirum quæ cum caliditate humectant, nam ſunt & alia cataplaſmata, quæ refrigerant, teſte eodem Hippocrate in loco qui à nobis primo citatus eſt, in iis autem non habet locum quod hîc ab Ariſtotele proponitur; legendum autem in textu non ἀνιδρωτὶ, hoc eſt, αὖδ ἱδρωτὸς *ſine ſudore*, ſed ἀνιδρώτῳ, vt habet Iuſtiniani codex, quod valet ac ſimplex ἱδρώτῳ vt reddit Theodorus.

XXXI.

Τῷ δῆλον ὅταν ἔμπυον; ἢ ἐὰν καταχεομένου τ̃ θερμῷ ἀλλαγῇ, ἔμπυον; εἰ δὲ μὴ ὄ.

Quoniam argumento conſtet abſceſſum iam purulentum eſſe? An ſi aqua perfuſus calida immutatur, purulentus eſt, ſin minùs nondum eſt.

In Aldina editione hæc iungebantur & continuabantur ſuperioribus; vt omnia vnum ſolum conſtituerent problema, quomodo etiam legiſſe apparet & antiquum interpretem, & cum eo Aponenſem, ſed Baſilienſis editio, & Theodorus diſiungunt, vt verè diſiungenda ſunt, nouúmque conſtituunt problema; quo quæritur ab Ariſtotele, vnde manifeſtum nobis eſſe poſſit pus eſſe factum. Reſpondet autem, ſi affuſo calido, nimirum aut cataplaſmate, aut oleo, aut aqua, aut alia re calida, immutetur pars laborans, argumento tibi ſit pus eſſe factum, ſi autem non immutetur, nondum eſt factum. Immutatio autem tum circa colorem, tum circa formam, ſeu figuram contingit, nam pars vbi facta eſt ſuppuratio ex rubra fit albida, & acutiem quandam præterea, quam non habebat, in figura adipiſcitur.

XXXII.

Ποῖα δεῖ καίειν, ἢ ποῖα δεῖ τέμνειν; ἢ ὅσα μὲ ἔχει σῶμα μέγα, καὶ ἐ ταχὺ συμφύε), ταῦτα καίειν δεῖ, ὅπως ἐσχάρα ἐπὶ πέσῃ; ἕτο γὰ ὄπ ἔσῃ ὕπελα.

Quænam vrenda, quæue ſint incidenda? An quæ ore ſunt amplo, nec breui coagmententur, hæc vrenda ſunt, vt cruſta illic incumbat: ſic enim nullum pus cicatrice inducta occultabitur.

Quibus in vulneribus, aut vlceribus cauterio vtendum ſit, ea candenti ferro inurendo, inquirit hoc in loco Ariſtoteles: illa autem eſſe dicit; quæcunque ore amplo, & magno conſtant; neque celeriter coagmentari, aut agglutinari poſſunt; id enim cùm fiat ratione multæ humiditatis ad partes illas confluentis, à qua partes illæ magnopere debilitantur, hinc ferri candentis vſus mirificè prodeſt, partes enim exſiccat, eiſque maximum robur adiungit; debent autem eo vſque aduri quoad eſchara, aut cruſta illic fiat; hoc enim tantæ exſiccationis, quanta ſatis eſſe poſſit, argumento eſt; poterúntque in hunc modum deinde vniri, & coagmentari partes, & ad ſanitatem reduci; neque de occulto aliquo malo erit poſtea ſuſpicandum, quod dolosè, & ex inſidiis prodiens, ægroto periculum creet. Illud autem timeri meritò poſſit, ſi medicamentis aliis vteremur, quæ cùm virtute igni æquali haud ſint prædicta, effectus adeò validos producere minimè poſſunt, ideóque in validis morbis recidiua timeri meritò poteſt. Vocem autem illam, ὕπελα, dolosè, & ex inſidiis prodiens, interpretati ſumus ex auctoritate Heſychij, quam Theodorus per illa expreſſit, *nullum pus cicatrice inducta occultabitur.*

XXXIII.

Τὶς ἐναίμε ἀρετὴ; ἢ τὸ ξηραντικὸν ἔϛ, καὶ τὸ ὑπόσης φλεγμώσεως σαλτικὸν ἄνευ ἐσχαρώσεως ἢ σήψεως τ σαρκός; ἅπαν γὰρ ἀφλέγματον ἂν εἴη καὶ συμφυτικόν. μὴ ὑπερρέοντ@ μὲν γὰρ, ἀφλέγματον ἔσαι· ξηρὸν δὲ ὂν συμφύσ@ ἕως δὲ ἂν ὑγροῤῥοῇ, ἀ συμφύσ@· διὰ τᾶτο ἂν δριμέα τὰ πάντα ὥσε ὑποσύφειν.

Quænam virtus medicamenti ſupprimentis ſanguinem ſit; quod enæmum appellant? An vt exſiccet, & materiæ inutilis confluuium compeſcat, ſine cruſta, aut carnis putredine. Ita enim efficitur vt vulnus ſimul & inflammatione careat, & vnitati ſit opportunum: quod enim materia non ſuperfluit, inflammatione carebit. Quod ſiccum eſt, vnitati opportunius erit: quamdiu nanque præmadet, concorporeſcere nequit. Quam ob rem quæ cruentis iniicienda cenſemus, aëria magna ex parte ſunt, quo acerbitate ſua poſſint adſtringere.

Pharmaca aut medicamenta enæma ea ſunt, auctore Galeno in tertio commentario libri Hippocratis de fracturis tertio; & quarto de articulis vigeſimo ſeptimo; quæ cruentis vulneribus protinus iniiciuntur. Horum igitur vſum explicat hoc loco Ariſtoteles: qui vſus duplex eſt, nempe prohibere inflammationem, & vlcus, ſiue vulnus conglutinare: hæc autem ab enæmis præſtantur beneficio exſiccationis, & conſtrictionis, ſeu contractionis, quæ in vulnera ab enæmis proficiſcitur: nam cùm enæma adſtringant, & contrahant partes, inhibetur fluxio humorum, & ſic impeditur inflammatio, quæ ex humorum affluxu contingit, & cùm exſiccent fit agglutinatio partium, abſumptis humiditatibus, quæ agglutinationem impediunt. Horum autem enæmorum eo tempore vſus eſt, cùm vſurpare cauteria minimè noſtri conſilij eſt; de quibus in præcedenti problemate verba fecit, & ideo adiunxit Ariſtoteles verba illa, ἄνευ ἐσχαρώσεως ἢ σήψεως τ σαρκὸς, id eſt, *abſque eſchara, & putrefactione*; illa enim quæ aut eſcharam, aut putrefactionem moliuntur cauſtica ſunt, hac ſolum re diſſidentia inter ſe, quòd eſcharotica aliquantiſper calidiora ſunt, & partium magis craſſarum: putrefacientia autem quanquam calida in quarto gradu, non adeò tamen ac eſcharotica, & partium magis tenuium. Primi generis ſunt inter alia, myſi, chalcitis, ſori, & chalcantum, ſecundi autem pityocampes, dryopteris, aconita, arſenicum, & alia. Enæmorum porrò non exiguum numerum recenſet Cornelius Celſus capite decimo nono libri quinti ſuæ medicinæ.

XXXIV.

Ποῖα τέμνειν δεῖ, ἢ ποῖα καίειν, καὶ ποῖα ἃ, ἀλλὰ φαρμάκοις θεραπεύειν; ἢ τὰ μὲν ὑπὸ τ μαχάλαις ἢ βουβῶσι, φαρμάκῳ; μὴ γὰρ διαίρεσιν, τὰ δὲ ὑπόπονα, τὰ δὲ ὀπικίνδυνα. καίειν δὲ τὰ πλατέα τ φυμάτων, καὶ πολὺ προβλημα ἔχοντα· καὶ ἐν φλεβώδεσι, καὶ μὴ ὐσαρκοις τέμνειν δὲ τὰ εἰς ὀξὺ συνηγμένα, ἢ τὰ μὴ ἐν σαρξίν.

Quænam incidenda, quæve vrenda, quæ contra non ita curanda ſint, ſed medicamentis? An quæ in ala aut in inguine abſceſſerunt, medicamentis curandum potiùs. Diducta enim partim laborioſa, partim periculoſa reddunturVrendi ſunt illi abſceſſus, qui lati, proceſſúque multiplici eruperunt, quíque venoſis non carnoſis reſident locis. Incidendi qui in acutum ſe colligunt: quíque non parte ſolida extant.

Idem tractat hoc loco argumentum, quod ſuperiùs problemate trigeſimo ſecundo, ea abſoluens quæ inchoata reliquerat. Ibi enim cùm propoſuiſſet quæ malè affecta loca eſſent vrenda, quæque incidenda, primam tantummodo partem explicuerat, hîc verò tum ea repetit, tum quæ oporteat incidere, quæque abſque igne, & ferro, ſolis medicamentis curari oporteat, manifeſtum facit. Ait igitur quod in alis, & inguinibus, quoties aut tumores, aut morbi alij medicam opem expoſcentes innaſcuntur, minimè vti debemus igne, aut ferro; ſed medicamentis potiùs; nimirum medicamentis, quæ leniter morbum tollant,

quæque partim interiùs, partim exteriùs vſurpanda ſunt: interiùs, vt ſunt medicamenta quæ materiam fluentem euacuant: exteriùs, quæ iam effluxam concoquunt; ſi enim inciduntur, & diuidantur partes illæ, tum labor inſignis, tum periculum maximum ægrotantibus impendet. Porrò autem hæ duæ voces, *labor* & *periculum*, ſeu *laborioſa* & *periculoſa* ab Ariſtotele diſiunctim pronunciatæ ſunt, dicente, *partim*, & *partim*, quaſi vnum vni, & alterum alteri ſi incidantur, contingat: quare ſi ita religiosè locum interpretemur, periculum alis ob cordis viciniam tribuemus, & inguinibus laborem: ſed vtrúmque vtríque vt ego quidem exiſtimo, rectè accommodari poteſt. Illud tamen quod Ariſtoteles dicit, non video caueri à Chirurgis noſtris, qui ferro paſſim in bubonibus, & igne etiam aliquando vtuntur, vbi tumoris conditio illud auxiliũ requirere videatur. κῄειν ἢ τὰ πλατέα τ̃ φυμάτων. *Vrendi ſunt illi abſceſſus, qui lati, proceſſuq́ multiplici exſuperant.* Vrenda ſunt phymata, hoc eſt tubercula, quæ lata ſunt, & multùm progrediuntur; quæ autem phymata dicantur docet Galenus in ſextum Hippocratis de morbis vulgaribus commentario primo, ſectione decima tertia, his verbis vt Cornarij Latina ſonant. *Ab ijs quæ terra enaſcuntur vocauerunt homines phymata omnes tumores præter naturam, quicunque vniuersè abſque externa aliqua cauſſa fiunt, maximè tamen eos ſic nominant, qui ad externum corporis locum propelluntur: ſed quoniam aliud non adeſt nomen, eos etiam qui lati ſunt, & paullò ſublimiores naturalibus ſic appellant.* Hæc Galenus. Vtendum autem igne in iis eſt vt diximus, quo procedens, & ſeſe extendens morbi materia cohibeatur, neque progrediatur vlteriùs. Vrendi ſunt etiam tumores, qui conſiſtunt in locis venoſis, quod fortè ad eum finem reſpicit, vt cohibeatur ſanguis aliquando nimiùm fluens: minimè autem adhibendus ignis in iis partibus, quæ iuſtè, temperatè, æqualiter, & mediocriter carnoſæ ſunt; ita enim vocem, εὐσάρκοις interpretor ex Galeno primo de tuenda valetudine capite quinto: huiuſmodi enim loca cùm præ illorum iuſta, & moderata temperie ſint maximo, acerrimóque ſenſu prædita, meritò euenit, vt in exuſtionibus nimius contingat dolor, quem vitare, cùm inſigniter vires proſternat, periti medici eſt. Aut aliter exponamus: vſtionem adhibendam in locis in quibus penitior, ac profundior illa haud requiritur, minimè vbi præ carnis copia nimia penetratio eſt neceſſaria. τέμνειν ἢ τὰ εἰς ὀξὺ συνηγμένα. *Incidendi qui in acutum ſe colligunt.* Quemadmodum qui in latum procedebant tumores vrendos eſſe dixit paullò ante, ſic qui in acutum tendunt, & apicem quendam efformant, incidendos nunc dicit; in his enim continetur materia acuta, tenuis & calida, cui ſectio magis per ferrum, quàm vſtio per ignem conuenit; declinanda tamen ſectio ab his membris eſt, quæ ſolida ſunt, nam & difficulter coagmentantur, & propter inciſionem nerui, aut arteriæ, accidere poteſt conuulſio aliqua, quæ ægrotantem de medio tolleret.

XXXV.

Διὰ τί ἐὰν χαλκ῀ τις τμηθῇ, ῥᾷον ὑγιάζεται, ἢ σιδήρῳ; πότερον ὅτι λειότερον· ὥσθ' ἧττον ἀπαράττει, καὶ πληγήν· ἢ εἴπερ ἀκμὴν μᾶλλον ὁ σίδηρος λαμβάνει, ῥᾴων καὶ ἀπαθεστέρα ἡ ἀφαίρεσις; ἀλλὰ μὴν φαρμακῶδες ὁ χαλκὸς, ἡ δ' ἀρχὴ ἰσχυρά· τὸ μὲν ἓν ὠθοῦς ἅμα τῇ τομῇ θᾶττον τὸ φάρμακον ποιεῖ τῇ σύμφυσιν.

Cur ſi quis ære inciſus ſit, faciliùs quàm ſi ferro ſaneſcat? Vtrum quia æs leuius eſt, itaque minùs laceret, ictumq́; faciat. An è diuerſo, quòd ferrum acie adactiorem recipiat ſectionem, idcirco faciliorem, tolerabiliorémque efficere debeat. At verò æs medicamenti vim obtinet, & principium quodcunque pars potiſſima rei eſt. Quòd igitur æs ſimul ac fuerit inciſum, medicamento præſentiſſimo adeſt, facit vt vulnus celeriùs coëat.

Comparat æri ferrum in opere ſectionis, & inquirit quam ob rem qui eo ſecantur faciliùs, qui verò hoc difficiliùs ſaneſcant. Rationem autem eam primò adducit, quòd cùm æs planius, æquabilius & magis læue, ac expeditum ſit, quàm ferrum, ideo diuellit minùs partes, quæ ab eo ſecantur, minorémque plagam efficit: inæqualitas enim, cuiuſmodi eſt aſperitas, in omni inſtrumento ſectorio cauſſa eſt, vt particulæ ſecti membri magis diducantur, & ob eam rem difficiliùs ſaneſcant, cùm illarum ſanitas vnio ſit. Deinde verò contra pro ferro diſputat Ariſtoteles: nam cùm ferrum melius acui poſſit, quàm æs, aptiorémque ad ſecandum aciẽ nanciſci valeat, ideo diuiſio, quæ ab eo contingit, cùm fiat merito aciei, faciliorem erit ad ſanandũ, & minorem moleſtiam exhibebit: vt quantũ ab acie minuitur æqua-

bilitate

bilitate & læuore; tantum illud vincat acie ad ſecandum aptiore. Aliam deinde pro ære rationem affert his verbis. ἀλλὰ μὴν φαρμακῶδες ὁ χαλκὸς. Vt concedatur, inquit Ariſtoteles, propter rationes dictas, quarum altera alteri fauebat, neutrum ex illis exſuperare alterum, ſed eſſe paria inter ſe; pro ære tamen noua adeſt ratio, quæ illi victoriam tribuit: æs enim metallum eſt, quod medicamenti vim obtinet, vulneribúſque ſua natura magis accommodatum, quàm ferrum: pluráque & meliora inde pro vulneribus parantur medicamenta, quàm ex ferro: cùm igitur vnà cum lectione, ſtatim à principio medicamentum vulneri incidat; principium autem potiſſima & validiſſima res ſit, iure merito fit celerior coitio vulneris, celeriórque ſanitas aduenit, quàm ferro vulneratis. In Iuſtiniani codice legitur ad finem problematis, non ἡ τῆ ἀρχὴ ἰσχυρὰ, ſed ἡ τῆ ἀκμὴ ἰσχυρὸν, quæ non ineptum ſenſum habet, vt in re præſtanda aciei robur oſtendat. Hoc Ariſtotelis problema cùm citaret Plutarchus 3. lib. Sympoſiacῶν ad finem, non ſolùm vulnera faciliùs ſanari retulit, ſed minorē etiam inferri dolorem: quod non habemus apud Ariſtotelē. Sunt autem hæc Plutarchi verba. Ἀριστοτέλης δέ φησι τὰ τραύματα τὰ ὑπὸ τῶ χαλκῶν ὀπισθοτατίδων καὶ μαχαιρῶν ἧττον εἶναι δυσελκῆ, καὶ ῥᾷον ἰᾶσθαι τῶ ὑπὸ τῶ σιδήρω, διὰ τὸ φαρμακώδες ἔχειν τι τῶ χαλκὸν ἐν αὑτῶ καὶ τῶτο ταῖς πληγαῖς ἐνδὺς ἐναπολείπειν. hoc eſt, *Ariſtoteles auctor eſt, quæ æreis cuſpidibus & gladijs infliguntur vulnera, corpori minorem inferre dolorem, & faciliùs ſanari, quàm quæ à ferreis, quia ſcilicet æs in ſe quidpiam medicamenti habeat, ídque in vulnere ſtatim relinquat.* Macrobius etiam lib. 7. Saturnal. eandem rem ex Ariſtotele proponit qui tamen non vt Plutarchus doloris mentionem vllam facit.

XXXVI.

Διὰ τί δὲ καὶ τὰ καλκᾶ καύματα ταχέως ὑγιάζει; ἢ ὅτι μανώτερον καὶ ἧττον σωματικόν; ἐν δὲ τοῖς στερεωτέροις πλέων ἡ θερμότης.

Cur ambuſta ex aëre ſanantur celeriter? An quoniam à laxioribus, minúſque corpulentis effecta ſunt. Plus enim calor corpori inhæret ſolidiori.

Corrupti erant hoc loco omnes impreſſi codices Græci, tum Aldinus, tum Baſilienſis, cùm legeretur τὰ κάτω, quemadmodum etiam ex antiquo interprete legerat Aponenſis; at ſanam lectionem habuerat Gaza, quam agnoſcit Iuſtinianus qui pro κάτω, reponit καλκᾶ, vt nos etiam imprimendum curauimus. Quærit igitur Ariſtoteles, quam ob rem ea quæ vruntur ære, nempe ignito, celeriùs ſaneſcant, quàm ea nimirum quæ vruntur ferro, id autem ſubaudiendum eſt ex ſuperiori problemate, in quo ſimiliter de ære, & ferro, ea inuicem comparando agebatur, idque particula δὲ manifeſtè innuit, quippe quæ duo hæc problemata, coniungat. Quare igitur ambuſta ex ære celeriùs ſaneſcant, quàm ambuſta à ferro, illa cauſſa eſt, quòd æs ſit naturæ, aut ſubſtantiæ rarioris, & laxioris; ferrum autem ſolidioris, & magis denſæ; quod autem magis ſolidum, & denſum eſt, illud caliditatem quoties impreſſa in eo eſt, retinet magis, fitque ideo calidius; tale autem exiſtens ſi corpori adhibeatur, qualitatem indit magis validè & inſigniter, ſeu potiùs violentius, partémque magis à naturali ſtatu alienat, ad quem poſtea eandem reducere multò difficilius eſt.

XXXVII.

Πότερον ἡ πτισάνη κριθοτέρα ἡ κεγχίνη, καὶ βελτίων πρὸς τὰ ἀρρωστήματα, ἢ ἡ πυρίνη; δοκεῖ γάρ τισιν αὕτη, συμβῆναι ποιμαίνοις τὲς μεταχειριζομένες, ὅτι πολὺ διαφέρουσι οἱ περὶ τὸν τῶν ἀλφίτων ἐργασίαν, ἢ τὸν τῶ ἀλφίτων· ἢ ὅτι ὑγρότερον ἡ κριθὴ, τὸ δὲ ὑγρότερον πλέον ἐκ πέψεως. ἢ ἔτι κωλύει ἕνια ἔχειν δυσπεπτότερα, καὶ ἕνια πρὸς κοιλίαν χρησιμώτερα; ἐκ γὰρ μόνον ὑγροτέρα ἐστὶν ἡ κεγχρὶς τῶ πυρῶ, ἀλλὰ καὶ ψυχροτέρα· δεῖ δὲ τὸ ῥόφημα καὶ τὸ ποτὸν εἶναι τῶ πυρέττοντι, ὃ τροφὴν τε βραχεῖαν ποιήσει, καὶ καταψύξει. ἡ δὲ πτισάνη τῶτο ἔχει ἡ κεγχρίνη. διὰ γὰρ τὸ ὑγρότερον, ἢ σωματωδέστερον εἶναι, ὀλίγον δίδωσι καὶ τῶτο ψυκτικόν.

Vtrum ptiſſana ordeacea leuior, & ad morbos accommodatior, quàm triticea ſit? Hanc enim nonnulli anteponunt, argumentúmque ex piſtoribus capiunt, quòd multo coloratiores ſunt qui tritici, quàm qui ordeacei piſturam exercent, addunt etiam quòd ordeum humidius eſt: quod autem humi-

dius eſt,

dius eſt,concoctionem deſiderat pleniorem. Sed nihil prohibet, quo minùs vt concoctu quid difficilius ordeum habeat, ſic ad leuitatem quid vtilius præſtet:hoc enim non humidius tantùm tritico eſt, ſed frigidius etiam:qualis certè ſorbitio, cibúſque competit febrienti,vt parum alat,& ſatis refrigeret,quod ptiſſana ordeacea facere poteſt: quia enim humidior,vel corpulentior eſt,hinc alimenti parum,idque frigidiuſculum præſtat.

Ptiſſanæ nomine communiter quidem intelligitur illa quæ ex hordeo fit, ſicuti apparet ex Galeno commentario primo in librum Hippocratis de victus ratione in acutis vigeſimo ſexto; vbi ſiue dicamus ptiſſanam ſimpliciter, ſiue ptiſſanam hordeaceam,vnum & idem dici affirmat; factam tamen etiam fuiſſe ex tritico apparet tum ex hoc loco tum ex Dioſcoride libro ſecundo capite centeſimo octauo, & ex Galeno libro primo de alimentorum facultatibus capite ſexto, vbi Dioclem & Philotimum medicos veteres, alicam frixam cum oleo,& ſale, aceto aliquando adiecto, ſeu cum mulſo, aut vino dulci, ptiſſanam triticeam appellaſſe ſcribit. Fiebat etiam ex oriza, quod habemus à Plinio libro decimo octauo capite ſeptimo his verbis. *Itali maximè quidem oriza gaudent,ex qua ptiſſanam conficiunt,quam reliqui mortales ex hordeo:* erat etiam ex lente, quam appellabant φακοπτισάνην: Ex variis igitur frugibus conficiebatur,iis maceratis, purgatis, decorticatis, in Sole ſiccatis,& ad vſum repoſitis: Verùm de modo eam conficiendi abundè Galenus,& alij medici, ad quos diuertere eſt. Ariſtoteles in præſentia de triticea, & ordeacea diſputat, vtra ex ipſis leuior, & ægrotantibus conuenientior ſit. Primùm autem ex aliorum opinione triticeam magis laudat, duóque ad id argumenta ponit, quæ ſoluit paullò poſt, hordeaceámque febrientibus meliorem eſſe concludit. δοκεῖ γάρ τισιν αὕτη, αὕτη pro ταύτη atticè,nimirum *hæc triticea,* quæ vltimo loco propoſita eſt videtur talis aliquibus, σημεῖον πιεμόνοις τὰς μεταχειριζομένους. *Argumentúmque ex piſtoribus capiunt.* Hoc eſt primum argumentum, quo ex aliorum opinione triticeam magis laudat, nam cùm ij, qui circa triticum ſe ſe exercent, illud manibus tractando pinſendóque, meliori ſint colore præditi,quàm ij,qui circa hordeum idem operantur, bonitatis illius non paruum hoc ſignum apparet. De hac autem re ſectione vigeſima prima proponit vigeſimum quartum problema. εἰ ὅτι ὑγρότερον ἡ κριθή. *Addunt etiam quòd hordeum humidius eſt.* Alterum argumentum pro triticea ptiſſana; nam cùm hordeum humidius ſit quàm triticum,quod autem humidius eſt pleniore egeat coctione, ideo ptiſſana ex hordeo confecta minimè erit leuior, ſed grauior: quod autem humidius eſt pleniorem requirere concoctionem, non probatur ab Ariſtotele, ſed ſumitur: poteſt autem probari, nam quod eſt humidius,illud eſt grauius, grauitatem enim efficit humiditas; quod verò graue eſt illud pleniorem deſiderat concoctionem. Quod verò in hac ratione ſumitur ab Ariſtotele hordeum humidius eſſe tritico, minimè intelligendum ſimpliciter eſt, aut de ipſa hordei natura, & facultate, quippe quod natura, & facultate à Galeno primo libro de alimentorum facultatibus dicitur eſſe ſiccum; ſed potiùs de accidentibus, & qualitatibus ipſius nonnullis, quibus mediis non ſolùm non exſiccare, ſed magis etiã humectare quàm triticum poteſt: cui ſententiæ etiam aſtipulatur Galenus loco ſuperiùs adducto, vbi pro apparatus diuerſitate hordeum modò exſiccare, modò autem humectare tradit: quæ nam autem ſint qualitates, quarum beneficio ita apparetur hordeum, vt magis quàm triticum humectet circa finem apparebit. Locum autem hunc aliter legiſſe Theodorum exiſtimo, quàm nunc in impreſſis habeatur, neſcio enim quomodo verba illa τὸ δὲ ὑγρότερον πλέον ἐ πέψεως, reddi poſſint quemadmodum ille reddit; *quod autem humidius eſt concoctionem deſiderat pleniorem:* legiſſéque exiſtimandum πλέον δεῖται πέψεως. Iuſtinianus habet πλέον ἢ πέψεως. Nos tamen Theodori verſionem ſecuti ſumus. ἢ ἐθὲν κωλύει ἔνια ἔχειν δυσπεπτότερα. *Sed nihil prohibet quo minùs vt concoctu quid difficilius.* Soluit rationes ſuperiùs adductas, vel potiùs illis conceſſis, cõcludit tamen hordeaceam ptiſſanam meliorem eſſe triticea:ait igitur, an nihil prohibet (ita enim propriè vertendum eſt, non, ſed nihil, quomodo reddit Theodorus) an igitur nihil prohibet quin hordeum poſſit habere nonnulla, quæ difficilioris concoctionis ſunt, quàm triticum, quod in ſecunda argumentatione dicebatur; ſimul tamen habere nonnulla alia, quæ ad leuitatem præſtandam vtiliora ſint? quod oſtendit, dicens hordeum non ſolum eſſe humidius, verùm etiam frigidius tritico, quod autem huiuſmodi eſt, illud quod ad alimenti leuitatem pertinet, commoda multa habet, vt patebit paullò poſt:eſtque hæc minor propoſitio ſyllogiſmi,quam repetit & meliùs explicat paullò inferiùs. δεῖ δὲ τὸ ῥόφημα καὶ τὸ προσφερόμενον. *Qualis certè ſorbitio cibúſque.* Hæc eſt maior

propoſi

propoſitio, quæ ita ſonat. Sorbitio, quæ febrienti affertur (de hoc enim ægrotante potiſſimùm loquitur) talis eſſe debet, vt & exiguum alimentum præbeat, & refrigeret; hæc autem tanquam ab omnibus conceſſa minimè probatur ab Ariſtotele, ſed minorem ſubiungit: ἡ δὲ πτισάνη τοῦτο ἔχει. *Sed ptiſſana hordeacea eſt huiuſmodi*, minimè verò triticea, id enim à nobis adiungendum eſt, igitur ptiſſana hordeacea ægrotis conuenientius alimentum eſt, quàm triticea. Διὰ γὰρ τὸ ὑγρότερον, ἢ σωματωδέστερον εἶναι. *Quia enim humidior, vel corpulentior eſt.* Probat minorem propoſitionem; totúmque adeò rationis aut argumentationis momentum his verbis, & hac ſententia nititur, quam etiam innuebat ſuperiùs, cùm eandem minorem propoſitionem poneret. Probat igitur ptiſſanam hordeaceam exiguum, ſeu leue præſtare corpori alimentum; hordeum enim tritico humidius eſt, & corpulentius, quo verbo innuit nobis, quam humiditatem intelligat, nimirum tenuem, crudam, & aquoſam, quã etiam intelligebat ſuperiùs, humiditas autem hæc minimè, aut parum nutrit, quæ enim nutrit humiditas, ea eſt pinguis, & oleoſa; hac autem humidius triticum eſt, humiditate autem illa tenui, & aquoſa non ſuperatur tantùm hordeum à tritico ratione naturæ propriæ, ſed multò magis ratione habitus corporis ipſius, vt ita dicam, & ratione apparatus, qui in illo contingit, quod vt inſinuaret nobis ſubiunxit Ariſtoteles verba illa, vel corpulentius, & hoc illud eſt quod paullò ſuperiùs dicebamus hordeum ratione nonnullarum qualitatum eſſe humidius tritico, quia enim eſt corpulentius, hoc eſt quia dum in aqua incoquitur, & ex eo ptiſſana paratur, maiorem in ſe recipit aquæ copiam, qua imbibitur magis quàm triticum ob corporis raritatem, & meatuum laxitatem ideo humidius eſt; & leuius ſeu magis exiguum præbet corpori alimentum.

XXXVIII.

Διὰ τί τὴν αἱμωδίαν παύει ἡ ἀνδράχνη, καὶ ἅλες; ἢ ὅτι ἡ μέν, ὑγρότητά τινα ἔχει; φανερὰ δὲ αὕτη μασωμένοις τε, καὶ ἐὰν σωτεθῇ χρόνον τινά. ἕλκεται γὰρ ὑγρότης. τὸ δὲ γλίχρον εἰς δύμβυον ἕλκει τὸ ὀξύ. καὶ γὰρ ὅτι συγχυτικὸν, ἡ ὀξύτης σημαίνει· ἔχει γάρ τινα ὀξύτητα ὁ χυμός. ὁ δὲ ἅλς σωτήκων, ἕλκει καὶ τὴν ὀξύτητα.

Cur dentium ſtuporem portulaca herba, aut ſal tollere poteſt? An portulaca, quia lentum quendam habet humorem, qui vel manducanti, aut manu aliquantiſper confringenti pateſcit: hæret enim, ac trahitur. Lentor igitur ſubiens ille à corpore educit acorem, quippe qui affinitate quadam coniungi valeat, argumento ſaporis, quem acidulum reddit. Sal verò macerat, liquefacítque, atque ita acorem quoque extrudit.

Dentium affectus, de quo in præſentia loquitur Ariſtoteles, αἱμωδία à Græcis dictus, illorum quidam ſtupor eſt, quo debiles, torpidi, ac veluti illigati ſic redduntur, vt ſi eis quiſpiam vti velit, dolore crucietur. Docent id vel ipſi grammatici qui etymon proponunt illud, τὰς ὀδόντας ὀδωδάσι, quibus nonnulli addunt μὴ κνισμῷ. Heſychius autem τὰς ὀδόντας ναρκᾶν, dentes obſtupeſcere. Oritur hic affectus ex vſu rei frigidæ, auſtera, aut acida qualitate præditæ; huiuſmodi enim humore imbuti dentes, ita affecti redduntur, ſicuti diximus: tales autem ſunt oporarij fructus, nimirum frigidi, & acerbi quos memorat Alexander problematum auctor, initio illius libri: talis eſt vomitus humoris acidi ſicuti pituitæ aliquando, aut nigræ bilis, quemadmodum ex Galeno, atque Hippocrate habemus. Oritur etiam ex auditu, aut inſpectione rei contriſtantis, vt ex ferræ ſtrepitu, aut marmorum mutuo attritu, & inſpectu alicuius, qui res aridas comedat, quod obſeruauit Heſychius grammaticus loco citato, Galenus libro de optima ſecta capite decimo tertio, Alexander problematum auctor loco quem indicauimus, & idem Ariſtoteles problematum ſectione ſeptima problemate quinto, vbi etiam eiuſdem effectus rationes inueſtigauit. Porrò huic affectui portulacam mederi, ab iiſdem auctoribus traditur locis quos citauimus, ac præterea à Dioſcoride libro ſecundo capite centeſimo quinquageſimo. Eiuſdem affectus rationem inquirendam proponit hoc loco Ariſtoteles, atque vt dubiæ cauſſæ difficultatem magis augeret, idem de ſale propoſuit; portulaca enim frigida, & humida, ſal calidum, & ſiccum; quomodo igitur à contrariis cauſſis idem effectus? Præterea quod retulit Alexander loco quem adduximus, affectus frigidus eſt, & ex re frigida; quomodo igitur à frigida re illi medela? Atque hæc ratio, vt apparet tantum valuit apud eum auctorem, vt quæſtionem hanc inter illas repoſuerit, quæ inexplicabiles, & modum penitus humani in-

genij excedentes, ſoli Deo cognitæ ab ipſo dicuntur. Veruntamen rationem proponit hoc loco Ariſtoteles: propoſuit Galenus ſecundo de alimentorum facultatibus capite quadrageſimo ſexto; quanquam ex Eraſiſtrato libro de ſectis capite quinto per experientiam inuentum fuiſſe remedium dicat; & libro de optima ſecta capite decimo abſque cauſſarum cognitione; hæc enim fieri vtraque poſſunt: quare mox capite decimo tertio inueſtigatam fuiſſe cauſſam dicit, quam obſeruantes, in vniuerſum ad effectum creatum ab acidis, aut acerbis eadem vtamur: quo loco, & qua occaſione etiam adnotat, non valere ad eum ſtuporem, quem fluxio, aut vomitus aut ſecantis ſerræ ſtridor effecerit: quod ſanè dictum, pro eo quod pertinet ad vomitum, aut fluxionem, niſi vomitus, aut fluxio ſit materiei minimè acidæ, qua ratione ſuſtineri poſſit non video. Sed exponamus Ariſtotelis ſenſa. Portulacam igitur dentium ſtuporem ob eam cauſſam tollere dicit, quoniam illa humiditatem quandam viſcidam habet, quæ omnibus apparet, qui vel eam manducant, vel per aliquod tempus manibus tractant; extrahitur enim facilè humiditas illa ex planta: hæc igitur lenta, & viſcida humiditas, quum manditur portulaca ſubit dentes, & pellit acidum illum humorem, qui ſtuporem inferebat; pellit autem trahendo ipſum extra dentes, tanquam rem ſibi ſimilem, & cognatam; attractiones enim fieri qualitatum familiaritate docuit Galenus tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & alibi. Quod porrò ſimiles partes habeat portulaca, ſeu cognata ſit acori dentes obſtupere facienti, illinc cognoſcitur, quòd & ipſe portulacæ ſuccus aciditatem quandam habeat, quæ coniuncta eſt cum multa humiditate, viſciditate, & lentore. Galenus ſecundo de alimentis, quem locum paullò ante adduximus, voluit ſtuporem illum tolli à portulaca merito lentoris morſus expertis, quo prædita eſt portulaca; ſimilitudinem autem, ſeu cognationem cum acido humore dentibus inhærente nullo modo videtur ſignificaſſe; ſed potiùs quia leniat, atque æquet partes. ὁ δ' ἅλς σωτήριον. *Sal verò macerat.* Sal tollit eundem ſtuporem colliquando, hoc eſt ob caliditatem, & ſiccitatem abſumendo, reſoluendo, & exſiccando aciditatem, quæ dentibus inhærebat, & ſtuporem intulerat.

XXXIX.

Διὰ τί ἓν κονία μὴ τὸ νίτρον ἀ; ἢ ὅτι σύφει, μὴ ἀ τήκει.

Sed cur lixiuium, nitrúmve hoc idem facere nequeat? An quòd hæc ſuam ob acerbitatem adſtringunt, non liquefaciunt?

Cùm ſal colliquando, & abſumendo ob ipſius abſterſoriam, & exſiccatoriam facultatem, vt modò dictum eſt tollat dentium ſtuporem, cur idem non præſtat lixiuium, & nitrum, quæ eiſdem facultatibus videntur prædita? Reſpondetur quòd illa minimè habent colliquatiuam facultatem, hoc eſt facultatem humiditatum reſolutoriam; nam adſtringunt; humiditas igitur illa acida, quæ ſtuporem infert, potiùs compingitur intus, & magis quàm antea retinetur, nedum extra trahatur.

XL.

Διὰ τί τὰς μὲν θερινὰς κόπους λουτρῷ ἰᾶσθαι δεῖ, τὰς δὲ χειμερινὰς ἀλείμμασιν; ἢ τὰς μὲν ἀλείμματι, διὰ τὰς φύσεις μὴ τὰς γινομένας μεταβολάς; θέρμη γὰρ λύειν δεῖ, ἢ ποιῆσαι ἀλεάζειν· τὸ δ' ἔλαιον θερμόν. ἐν δὲ τῷ θέρει καθηγριαίνειν. ἡ γὰρ ὥρα ξηρὰ μὴ ἀ φοβεραὶ αἱ φύσεις, διὰ τὸ εἰς ἀλέαν ἐκκλίσιν· ὀλιγοσιτία δὲ & κωθωνισμὸς θέρους· τὸ μὲν, ὅλως, τὸ δὲ, μᾶλλον. ὁ μὲν πότος, θέρους ὅλως, διὰ τὸ ξηρότητα· ἡ δὲ ὀλιγοσιτία, κοινὸν μὲν μᾶλλον δὲ θέρους· ἐνθερμαίνεται γὰρ διὰ τὸ ὥραν ὑπὸ τῶν σιτίων.

Cur æſtiuis laſſitudinibus balneo, hybernis vnctione mederi conueniat? An hybernis vnctio datur propter horrores, mutationéſque vrgentes: per calorem enim laxandum eſt, qui membra tepeſcere faciat: oleum verò calidum eſt. At in æſtate humefaciendum cenſetur, quoniam tempus id ſiccum eſt, nec metus interpellit horroris, eo quòd ſtatus temporis ad teporem ingenuè vergit: hinc etiam cibus parcus, potio liberalis per æſtatem admittitur, ille magis, hæc omnino. Potioni nanque per æſtatem ob temporum

ſiccitatem indulgendum ex toto eſt: parſimonia verò cibi communis temporum omnium eſt, ſed magis æſtati conuenit, ne ob habitum temporis feruentem, corpus cibo immodico preſſum exæſtuet.

Laſſitudinum medela per æſtatem lauacrum, ſiue balneum eſt, per hyemem autẽ inunctio. Porrò de laſſitudine, tum quid ipſa ſit, & quot eius genera, tum quomodo eam curare oporteat, copioſiſſimè tractat Galenus tertio, & quarto de tuenda valetudine libro, quæ tamen huc afferre, & cum iis, quæ ab Ariſtotele dicuntur comparando conſiderare, vtrum conſonent an diſſonent, longioris temporis negotium eſt, & minimè noſtri inſtituti, quibus illud tantùm propoſitum eſt, vt ſenſa Ariſtotelis quo ad per nos fieri poſſit liquidùs explicemus, eorúmque veritatem ſuis rationibus comprobemus, minimè ſolliciti quid de eiſdem rebus alij ſenſerint; niſi ſi quando obiter nonnullis in locis, & breuiter id fiat. Ad inſtitutum igitur redeuntes, per balneum hîc intelligitur balneum ex aqua dulci, moderatè calida, quale laſſitudinibus maximè accommodatum remedium eſt: inunctio autem ex oleo de maturis oliuis expreſſo, id quod ex ipſa problematis ſententia, ac verbis haberi facilè poteſt. Per hyemem igitur qui laſſitudinem patiuntur ita inungendi ſunt: nam cùm eo tempore propter ambientis aëris frigiditatem horrores contingant, & mutationes circa corpus, calidis vti neceſſe eſt ad laſſitudinẽ ſoluendam, & tepiditatem inducendam: hæc autem præſtare oleum poteſt, ex quo inunctio fit, calefacit enim tum actu ſi calidum inungatur, tum etiam facultate; quod ſcripſit Galenus tertio de temperamentis capite quarto, & quinto; ſed vberiùs ſecundo de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite vigeſimo quarto, vbi poſt longam ſuperioribus capitibus habitam diſputationem, rationéſque multas, tum eorum qui calidum, tum qui frigidum oleum dicerent; compluribus modis oleum nos calefacere oſtendit, nimirum vt alimentum, vt medicamentum, & vt integumentum; obtinere tamen quodammodo locum medium inter ea quæ nos excalefaciunt, ac refrigerant; oleum igitur hæc præſtat hyeme: balneum autem ſiue ex frigida, ſiue ex calida contrarios præſtaret effectus; nam frigida horrores ſtatim induceret, calida autem cutis poros aperiendo, & frigori aditum patefaciendo. Æſtate autem balneum conuenit quoniam humectat, tempus autem illud ſiccum eſt; neque tunc horrores timendi, cùm ij ob frigiditatem contingant, tunc autem ad caliditatem inclinatio fiat. Galenus autem cùm remedia tum ex balneo aquæ, tum ex oleo aduersùs laſſitudines proponeret, hanc inter illa ex temporum anni varietate diſtinctionem haud retuliſſe memini: alia tamen ratione eorundem vſum mixtim approbaſſe apparet ſecundo de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite vigeſimo quinto: de qua mixtione habemus etiam Ariſtotelis problema ſextum, ſectione quinta. Verba autem Galeni quoniam ad problematis ſententiam, & remedium ab Ariſtotele adductum illuſtrandum maximè faciunt, quamquam longiora, vt vberior aliquantiſper eſſet explanatio, huc afferenda cenſui: habent autem ita Latinè. *Porrò ſi pluſculùm membra frices oleo, calorem ex frictione adſcititium comparabis, atque hac interim ratione laſſos non parum iuuabis, partim quòd in minutos corporis meatus pingue ingrediatur, & quæ indurata ſunt emolliat; partim quòd humiditatẽ acrem, ac ſubtilem, quæ in laſſitudine ex colliquatione proueniens ſub cute latebat, per habitum caliditate digerat. Conſpiciuntur enim exercentibus tum foras effluere ſudores, tum intus in ventrem non pauca defluere excrementa, quæ velut liquamina ſunt. Ex hiſce autem colligendum eſt, complura toto in corpore eiuſmodi relinqui, quæ euacuationem depoſcant, quippe duplex in laſſitudinibus affectio naſcitur, ſicuti alibi oſtendimus. Nam ſimilares quidem animantis partes reſiccantur, humectantur verò vacua ſpatioſa non vtili, & naturali humore, nam ſic foret plethora, ſed tenui, & acri, mordacíque; proindéque remedijs indigent duplicibus, tum ijs, quæ humorem acrem euacuent, tum ijs, quæ ſiccitatem corporis irrigent. Itaque ad hæc aptiſſima ſunt dulcium aquarum lauacra, nimirum quæ humiditate ſua inſtrumentorum corrigant ſiccitatem, & caliditate tenuem, atque acrem humorem digerant. At ſi corporibus inhærere poſſet aqua, nec facilè defflueret, ipſa quidem per ſe ſufficeret. Atqui cùm ea quæ foris circumfunditur facilè defluat, & quæ in poros ingreſſa corporis, nullam habens anſam promptè effluat: in hoc ſanè ipſum vtiliter miſcetur oleum, maximéque iuuat ſi ex vtroque quis diutiùs fricetur, id quod veteres Græci χυτλοῦσθαι nominârunt, cui oppoſitum impoſuerunt vocabulum ξηραλειφεῖν, quod eſt ſicca vti frictione: eſt ſanè & hoc quodammodo laſſitudinem ſanare potens, ſed multùm relinquitur ab eo quod χυτλᾶσθαι nuncupant: Nam vt reliqua taceam, vbi cum oleo aqua confunditur, teritúrque, haud facilè ſolubili mixtione coit, vt quibus ita corporibus inungatur oleum, neceſſe ſit, & pluſculùm inhærere aquam.* Hæc Galenus. ὀλιγοσιτία ὄ. *Hinc etiam cibus parcus.* Ob eandem cauſſam, qua in laſſitudinibus per æſtatem lauacro, per hye-

mem inunctionibus vtimur, fit vt eadem æstate cibi copiæ parcamus, potioni autem indulgeamus; nimirum ob siccitatem vt paullò post dicitur, quæ magnopere corpora nostra affligit. Quod autem dictum est & de potus largitate, & de cibi parcitate, illud partim quidem omnino, & absolutè intelligendum est, partim autem comparatione facta ad alia tempora: potus enim æstate absolutè, & omnino conuenit, absque eo quòd ratio vlla habeatur an largè, an parcè bibere aliis temporibus quispiam assuetus sit; cibi autem parcitas comparationem aliorum temporum requirit: nam, etsi illa semper obseruanda est, magis tamen in æstate ob æstuationem, & calorem summum, quem ex cibis corpora nostra incurrunt. Consideranda igitur portio ciborum est, quam in aliis temporibus quispiam assumere consueuerit, minuendáque illa est in æstate, quanquam antea exigua satis fuerit, potus autem sine aliqua tali consideratione liberalis omnino concedendus per æstatem est. Indulgentior igitur Aristoteles est in copia potus per æstatem concedenda; etiam reclamante aliorum temporum consuetudine, quàm in cibi copia eâdem consuetudine permittente. Porrò de copia cibi æstate minuenda, potionis augenda, non dissimiliter Hippocrates, seu Polybus libello de ratione victus idiotarum per hæc verba. *Hyeme plurimùm esse, minimùm bibere conducit: sed potioni vinum quàm meracissimum.* Augendum cibum hyeme, dixit etiam ipse germanus Hippocrates primo aphorismorum decimo quinto. Inter Latinos Cornelius Celsus, qui Hippocratis dicta repetere voluit, loca confudisse visus est; nam cùm libro de victu idiotarum, de sanis loquens proposuisset auctor quod retulimus, & aphorismo decimo quinto, de sanis itidem, potissimùm hyeme copiosiora alimenta exhibenda: inde autem aphorismo decimo septimo de ægrotis susceptо sermone modum considerasset, quo exhibendus cibus, num semel an sæpius qualibet die, aut nocte, vt Galenus exposuit; Cornelius Celsus libro primo capite tertio absque distinctione omnia subinde proposuit. Primò enim hæc habet: *Hyeme plus esse conuenit: minus, sed meracius bibere, multo pane vti.* Mox: *At vere paullùm cibo demendum, adiyciendumq; potioni, sed dilutius tamen bibendum est.* Tum demum. *Aestate verò & potione & cibo corpus sæpius eget, ideo prandere quoque commodum est:* quo in loco illa etiam, *vere paullùm cibo demendum*, nisi cauta interpretatione accipiantur, eiusdē Hippocratis doctrinæ aphorismi decimi quinti manifestè aduersantur.

XLI.

Διὰ τί τῶν φαρμάκων, τὰ μὲν, τὴν κοιλίαν λύει, τὴν δὲ κύστιν δ' τὰ δὲ, τὴν μὲν κύστιν λύει, τὴν κοιλίαν δὲ δ' ἢ ὅσα μὲν ὄξη ὑγρὰ τὴν φύσιν καὶ ὑδατῶδη μετὰ ταῦτα ἂν ᾖ φαρμακώδη, λύει τὴν κύστιν. ἐκεῖ γὰρ ὑφίστα τὰ ἀσηπέα τῶν ὑγρῶν· ὑποδοχὴ γάρ ὄξη ἡ κύστις τοῦ μὴ πεπομμένα ὑγρὰ ἐν τῇ κοιλίᾳ, ὃ δ' μένει, ἀλλὰ πρὶν ποιῆσαί τι ἢ παθεῖν, ὑποχωρεῖ· ὅσα δὲ ἐκ γῆς τὴν φύσιν ὄξη, ἂν ᾖ φαρμακώδη, ταῦτα δὲ τὴν κοιλίαν λύει· εἰς ταύτην γὰρ ἡ φορὰ τῶν γεωδῶν· ὥστε ἂν ᾖ κινητικὸν, ταράττει.

Cur ex medicamentis alia aluum soluant, vesicam autē minimè: alia vesicā soluant cùm aluum nihilo moueant? An quòd ea, quæ natura humida sunt, atque aqua referta, si medendi obtinent facultatem vesicam soluunt: subsident enim in ea humores, qui putredine immunes euaserunt: quippe vesica pro eius humoris conceptaculo habetur, qui minimè in ventre concoquitur, qui non manet, nec priùs quàm agat quicquam aut patiatur, excernitur. At quæ terrenam sortiuntur naturam, si vires habeant medicas, aluum hæc fundere queunt. In hac enim terrena quæque materia se prouoluit. Itaque turbat si mouendi obtinet facultatem.

Pharmacorum, aut medicamentorum nonnulla sunt, quæ ventrem quidem soluunt, vesicam autem minimè; quædam autem è contrario vesicam quidem soluunt, ventrem nullo pacto. Horum rationem ita reddit Aristoteles, vt velit illa soluere vesicam quæ humida sunt, & aquoso humore plena: ventrem verò illa quæ sunt terrestria: vtrisque tamen hæc necessariò requiritur conditio, vt medicamentosa sint. Igitur quod pertinet ad vrinas ducentia, prima illa conditio, seu qualitas, nimirum quòd sunt aquosa, causa est vt ad vesicam deferantur; huc enim secedere consueuerunt humida, seu humiditates corporis, quæcunque putredinem minimè contraxerunt; quæ enim computruerunt, illa ad alias partes à natura pelluntur: sed putredinis expertes humiditates ad vesicam feruntur; est

enim vesica receptaculum totius humidi illius, quod in ventre haud coctum est; nam quod in eo coctum est in sanguinem, & alimentum conuertitur; hîc enim de vera, & propria coctione sermo fit. Hocce igitur humidum haud coctum, minimè manet in ventre, sed antequam faciat, aut patiatur aliquid, nempe antequam corrumpatur aut putrescat, quod paulò ante dictum est, secedit ad vesicam. Cùm igitur humidum aliquod, & aquosum assumitur, illud ratione illius humidi, & aquosi vt dictum est, ad vesicam defertur; si verò medicamenti vim obtineat, (ita enim virtutem eam hîc appellat) irritat eadem facultate vesicam; vnde eorum, quæ in ipsa continentur excretio contingit. Porrò quoniam vltima huius partis verba aliter exposuimus quàm Theodori tralatio habeat, secuti Græcum vulgatum exemplar, illa idcirco Latinè, quomodo vulgata sonant, proponenda existimaui hoc modo. *Est enim vesica receptaculum illius humoris, qui in ventre haud est coctus, qui non manet: sed antequam quicquam agat, aut patiatur secedit.* Theodori autem tralatio superiùs proposita est: sit autẽ ex ea hæc Aristotelis sententia; nimirum humorem illum, qui in ventre minimè concoquitur, in ipso non manere; nec excerni tamen è corpore antequam quicquam agat, aut patiatur, hoc est deferri antea ad vesicam, naturámque circa ipsum nonnulla operari, ipsumque similiter corpori aliquos vsus præstare, tum demum è vesica excerni; quæ quanquam & ita intelligi, & vera esse possint, mihi tamen problematis sensui communis, & proposita lectio quadrare magis videtur. ὅσα δὲ ἐαγῆς τὴν φύσιν ἔχει. *At quæ terrenam sortiuntur naturam.* Alteram problematis partem aggreditur, docétque pari ratione ideo nonnulla soluere ventrem, minimè autem vesicam; quòd ea quæ id præstant, sint terrea natura, & medicamenti vim quoque obtineant: quia enim sunt terrea natura ad ventrem feruntur; ad hunc enim feruntur terrea omnia, & grauia; quia verò medicamenti facultatem obtinent, soluere possunt corpus: quippe medicamenti vis mouet, & perturbat, & excretionem citat, ita verò locum accipimus, Theodorum sequentes, quem manifestè apparet legisse non κινητὸν, vt habet Basilienſis editio, sed κινητικὸν, vt ad marginem restituit Iustinianus. Appellat autem κινητικὸν, quod paullò ante dixit φαρμακώδη, eadem enim iterari videntur: nec facultatem aliam à proposita diuersam intelligi putem: ac si diceret: turbant igitur, quia motricem & medicamentosam facultatem habent, quæ nimirum proposita fuit. Nisi dicamus non iam iterari eadem: sed hæc adiici ob nonnullorum corporum conditionem, quæ à medicamentis vix, aut ne vix quidem purgantur: nimirum huiusmodi terrea, & grauia, ac medicamẽtosa, si vim habeant mouendi, perturbationem efficere, & aluum soluere: quòd si subiecto alicui occurrant, quod ab ipsis haud moueri possit, iam nec perturbare, nec ventrem soluere. Fortè verò & isthæc iterauit, vt conditionem illam, qua perturbare dicit, cum purgatrice iungi ostenderet. Quod si κινητὸν legamus, patiendi modo, vt Latinè sonent. *Quare si mobilia sint conturbant:* de humoribus accipietur verbum: nimirum grauia hæc terrena, & medicamentosa in vẽtrem lata, turbare & deturbare si quod in vẽtre mobile est, seu quæ in eo mobilia sunt; nimirum humores expulsioni paratos & idoneos: quibus verbis, illa quoque fortasse corpora significantur, quæ à medicamentorum facultate, & viribus inuicta permanent: quem sensum elici etiam posse legendo κινητικὸν vt quidem Aristotelis verba proferuntur, paullò ante diximus. Sanè autem quod pertinet ad problematis sententiam de diureticis, ne in dubium ipsius veritas reuocetur, sciendum est quòd ea quæ vrinam prouocant duplicia genere sunt, alia enim id præstant; primùm, per se, & forma seu facultate propria; hæc autem sunt, quæ vires habent serum à sanguine separandi, quæ sunt aëria, calida, & sicca, vt semen apij, asarum, daucus, & similia: alia autem id præstant non ex illa forma, sed potiùs ratione materiæ, seu ratione quantitatis, cui tamen adiuncta simul sit medicatrix vis illa, quam dixit Aristoteles: quæ alia est ab ea forma. Huiusmodi autem sunt vina aquosa aquæ nonnullæ thermales, asparagi, semina peponum, & alia similia, & de his posterioribus loquitur hoc loco Aristoteles.

XLII.

Διὰ τί δὲ τὰ μὲν τῆ ἄνω κοιλίαν, τὰ δὲ τῆ κάτω κινεῖ; ὅτι ἐλλέβορος μὲν τῆ ἄνω, σταφὶς δὲ τὴν κάτω· τὰ δὲ ἄμφω, ὅτι ἐλατήριον, καὶ τῆς θαψίας ὁ ὀπός. ἢ ὅτι τὰ μὲν ὅτι ψυχρὰ τῆ φαρμάκων. τῶν δὲ κοιλίαν κινούντων, τὰ δὲ, θερμὰ τὰ δὲ ἄμφω ὥστε τὰ μὲν διὰ τὴν θερμότητα διὰ τὴν ἄνω κοιλίαν ὄντα, φέρει· διὰ δὲ ταύτης πρὸς τὸν ἄνω τόπον, κἀκεῖθεν σωτήζαντα, μάλιστα μὲν τὰ ἀλλοτριώτατα καὶ ἥκιστα συμπεφυκότα· ἐὰν δὲ ἰσχυρὸν ᾖ τὸ φάρμακον, ἢ πολὺ διὰ τῆς φύσεως, καθάπερ διὰ τὴν ἄνω κοιλίαν, ταῦτά τε, καὶ ἐὰν τὸ περίττωμα ᾖ ἧ διὰ τὴν θερμότητα ταραττόμενον τὸ πνεῦμα πολὺ γινόμενον ἐπ' αὐτὸ, παρασῴζειν τὸς ἐμέτας ποιεῖ· τὰ δὲ ψυχρὰ τῆ φύσιν αὐτῶν διὰ ἐάρα, καὶ πρὶν

παθεῖν τι ἢ ποιῆσαι, κάτω φέρεται· κακεῖθεν ὁρμῶντα, τὸ αὐτὸ δρᾷ τοῖς ἄνω. καὶ γὰρ τὰς πόρους ἀνιόντα ἐκεῖθεν, καὶ κινήσαντα ὧν ἂν κρατήσῃ φαρμάκων καὶ σωτηγμάτων λαβόντα, τῷ αὐτῷ ἄγει ὁδόν· ὅσα δὲ ἀμφοῖν μετέχει, καὶ ἔστι μικτὰ τῶν φαρμακωδῶν ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, ταῦτα δὲ δι' ἑκατέραν τὴν δύναμιν ἀπεργάζεται ἄμφω, ὥσπερ καὶ νῦν ᾠξησοδάζουσιν οἱ ἰατροὶ μιγνύντες ἀλλήλοις.

Cur alia ventrem mouent ſuperiorem, alia inferiorem: vt veratrum ſuperiorem, ſcammonea inferiorem: alia verò citant vtrúmque, vt elateriũ, & thapſiæ ſuccus? An quòd ex medicamentis, quæ ventrem mouent alia frigida, alia calida ſunt: itaque alia propter ſuum calorem, protinus vt in ſuperiori ventre fuerũt, loca petunt ſuperiora, ac inde liquefaciẽdo, maximè quæ aliena ſint, minúſque inſidentia, ſed etiam quæ inſunt naturæ intima, medicamento ſcilicet vehemẽtiori epoto, aut copioſiori quàm natura patiatur, tam ea ipſa, quàm quæ excreſcentia adfuerint, in ventriculum deducunt: hîc verò feruore excrementa perturbant, flatúmque excitant multum, qui obſiſtens, vexánſque demum vomitum mouet. Alia quòd natura frigida ſunt deorſum versùs pondere ſuo labuntur, etiam priùs quàm quicquam vel afficiantur, vel agant, ac inde proficiſcentia, idem actitant quod ſuperiora: vbi enim per abdita foramina illinc aſcenderunt, atque materiam agitârunt, eodem tramite ſecum, quæ corripuerint excrementa, colliquamentáque deducunt: at genus medicamenti, quod qualitatis vtriuſque particeps, miſtúmque ex calido, frigidóque eſt, hoc ob eam vtrámque facultatem rem poteſt vtranque conficere. Hinc & medici miſtis cibi generibus ſæpe medicinas componunt.

De purgantibus medicamentis ſermonem adhuc proſequitur, oſtendens quare nonnulla ex iis vomitum, nonnulla aluum, alia autem vtrúmque cieant. Cauſſam autem tũ caliditatem, tum frigiditatem, tum qualitatem ex vtriſque mixtã eſſe dicit, primi ſanè primam, alterius alteram, & tertij tertiam. Ait igitur Ariſtoteles, quòd medicamentorum ventrem mouentium (hîc autem ventris nomen communiter pro inferiori, qui inteſtina continet, & ſuperiori, hoc eſt ventriculo vſurpat) nonnulla frigida, nonnulla calida ſunt, nonnulla autem vtraque qualitate prædita, nimirum & calida, & frigida. Addenda ſunt enim in textu, vt nos ex codice Iuſtiniani addidimus, quæ deerant in impreſſis hæc, τὰ δὲ θερμά, τὰ δὲ ἄμφω, quorum primam partem habuit etiam qui eam reddidit Theodorus, & antiquus interpres. Dicit igitur quòd calida ſimul atque in ventre ſuperiori, ſiue in ventriculo fuerint, feruntur ob ſuam ipſorum qualitatem ad ſuperiorem locum, nempe ad ipſum ventriculi os, caliditatis enim proprium eſt, vt ad ſuperiora aſcendat, merito partium leuium quæ cum illa ſunt: ibi autem colliquationem efficiunt, maximè quidem eorum, quæ magis aliena ſunt, & minùs adhærent, quippe quæ minùs à natura retineantur, quorum etiam facilior motus eſt & eliquatio; & hic ſanè leuior vomitus eſt; qui ex huiuſmodi calidis medicamentis. Si verò aſſumptum medicamentum ſit ex vehementioribus, aut maiori quantitate detur, quàm natura ferre poſſit; non ſolùm in ventriculo eliquat aliena illa, quæ dicta ſunt, ſed ſurſum trahit etiam; nempe ad ipſum ventriculi os, & illa, & excrementum ſi quodpiam, aliud reperiatur; ibi verò ob caliditatem, ac feruorem à medicamento excitatum conturbatio multa fit, gignitúrque flatus multus; caliditas enim dum vi ſua in excrementa agit, eáque commouet, flatum creat: hic autem nitens, impetum faciens, & vim inferens loco, quæ conturbati flatus natura eſt, vomitum creat; ſuperior enim ventriculi pars quoties irritatur, per vomitum ea expellit quæ illi negotium faceſſunt. Duplex igitur Ariſtoteli vomitorij medicamenti genus: alterum debilius, validius alterum; eliquat illud, trahit hoc etiam à ſingulis corporis partibus: medici autem tria conſtituunt genera, duo vehementiora, ſed alterum altero plùs, tertium blandius. Primi generis hæc ſunt ærugo æris, caules, & folia cucumeris aſinini, geniſtæ flores, folia, & ſemina: alterius hæc, bulbus narciſſi, radix ſilybi, raphanus in quo maceratæ ſint radiculæ ellebori albi, quo modo illo vtebatur Philotimus teſte Oribaſio libro ſeptimo collectaneorum ad Iulianum Blanda autem vomitoria ſunt mel crudum copioſum, mulſa meraca, id eſt in qua copioſum mel eſt, & non multùm cocta, radix & ſemen raphani, oximel copioſum: Nec tamen putem hæc

illa

illa esse, quæ Aristoteles dicit si maiori copia assumantur vomitum excitare; quæ enim proponit Aristoteles trahunt, & ratione copiæ æquantur alteri generi, id autem de his blandioribus non putem dici posse. Ratio igitur quare vomitoria per illam partem euacuent, illa ex Aristotele videtur esse, quòd in ventriculum recepta, & lata ad partes superiores colliquant, ac trahunt, flatúque excitato ac ventriculo conturbato, humores educunt. Sunt medici quibus hæc non satisfaciunt: vnde ad insitam, & occultam proprietatem confugiunt; aliqua enim extant, quæ etiam in ventriculum haud assumpta vomitum excitant: refert enim Oribasius collectaneorum libro septimo capite vltimo, Plistonicum glandes aliter, atque aliter ex elleboro confeciſſe, anóque admotis vomitum excitasse: eundem compositum cum passo elleborum, bubulóque fele dilutum naribus admouisse, simimilitérque citasse. Dioclem etiam vtero glande ex eodem elleboro imposita idem feciſſe: Idem Dieuchem ano instar emplastri elleboro circumposito. Quin & illum vsum fuisse suis temporibus refert Oribasius, vt pedes irrigarent cocto in aqua marina elleboro, oleóque ciprino, & nitro infusis, ex qua perfusione vomitus consequeretur. Cùm igitur quomodocúnque assumptus elleborus (hîc autem albus intelligitur) vomitum cieat ad insitam naturam medicamenti, seu proprietatem occultam, seu formam specificam vt appellant, sunt qui confugiant, vt dicebam: de ea autem nihil hoc loco Aristoteles, nisi eliquationem, vim, aut attractionem, etiam ad hanc naturam, & proprietatem reuocemus, vt ideo eliquent, aut trahant vomitoria medicamenta, quia tali natura: At exquisitiùs non sunt ista hoc loco examinanda. Conuertenda potiùs Aristotelis verba; Theodorus enim nimia licentia in iis reddendis mihi vsus videtur, & nonnulla apposuisse quæ non erant in Græco textu, nisi tamen ille diuersam scripturam secutus est. Ita igitur cum fide reddo. *Itaque alia quidem propter calorem suum simul atque in superiori ventre recepta sunt, feruntur ex ipso ad superiora loca, atque inde colliquant, maximè quidem quæ plurimùm sunt aliena, & minimè hærent: Si autem admodum validum sit medicamentum, aut maiori copia datum quàm natura ferat, sursum trahit ad superiorem ventrem tum hæc, tum excrementum si quod adsit, ac merito caloris perturbatione genita à flatu, qui multus ab eo genitus est, obsistens flatus vomitũ facit.* Putaui autem illa καθάγει εἰς τὼ ἄνω κοιλίαν ταῦτά τε καὶ ἐὰν τὸ περίττωμα· ἢ καὶ, legenda, & interpungenda aliter, nimirum quomodo hæc bene accepisse videtur Theodorus ἀναγὴ εἰς τὼ ἄνω κοιλιὰν ταῦτά τε κὴ ἐὰν περίττωμα ἢ, καὶ &c. quomodo & exposui, & conuerti, ἀναγὴ autem pro καθαγὴ ex Iustiniano est, sed & καθαγὴ aptè accõmodetur aliquâ variato sensu. τὰ δὲ ψυχρὰ τὼ φύσιν αὐτῶν. *Alia quòd natura frigida sunt.* Causſam reddit secundæ partis problematis, quare nonnulla pharmaca aluum soluant; dicit autem quòd medicamenta ea quæ frigida sunt, simul atque assumpta sunt, feruntur statim ob grauitatem suam deorsum, quemadmodum alia ob caliditatem, cum qua leuitas inerat ferebantur sursum: appellat autem illa frigida comparatione facta ad hæc posteriora; quia nimirum illis minùs calida sunt, partésque frigidiores, & grauiores habent; re vera enim & Scammonium calidum est; Hæc igitur quæ frigida modò appellantur, feruntur ad partes inferiores, antequam quicquam agant, aut patiantur, nimirum antequam ad operationes exeant, vt vincant, aut vincantur à natura; quorum alterutrum iis quæ assumuntur, contingit; medicamenta enim vincunt, alimenta vincuntur. Igitur frigida hæc & grauia protinus atque assumpta sunt, feruntur ad partes inferiores, sicuti calida illa ferebantur ad superiores: illinc autem impetu facto, idem operantur quod calida; nimirum excitato flatu (id enim & hîc repetendum puto) ventris solutionem moliuntur, quod magis declarat subdens. κὴ γὸ τὲς πόρες ἀνιόντα. *Vbi enim per abdita foramina illinc ascenderunt.* Medicamenta frigida, seu grauia deorsum lata, illinc impetum sumunt, excitatóque flatu, & per meatus corporis euntia commouent, & perturbant excrementa, & colliquamenta, quibus quidem dominantur, quemadmodum etiam illa superiora faciebant in ventriculo, eisdémque excrementis, & colliquamentis secum abreptis, per eandem viam nimirum per partes infernas ad quas medicamenta illius generis vergunt, illa expellunt; inferior enim ventriculi pars pondere grauata, per partes eas trudit pondus deorsum. Notandum autem hîc dici excrementa, & colliquamenta, sicuti de iis, quæ ciebant vomitum dixit similiter, ea & colliquare maximè aliena, ac expellere tum hæc, tum quod inerat excrementi, vt duo humiditatum genera videatur vtrobique Aristoteles significare; quorum alterum colliquamentum, alterum excrementum dicitur; quid autem differat excrementum à colliquamento, περίττωμα illud, hoc σύνταγμα dicitur, habemus diffusè ab Aristotele explicatum libro primo de generatione animalium capite decimo octauo. ὅσα δὲ ἀμφοῖν μετέχει. *At genus medicamenti quod qualitatis vtriusque particeps.* Tertiæ partis propositæ causſam reddit. Medicamenta enim quæ vtráque facultate participant vt par-

tim sint

tim ſint calida, partim frigida, diuerſaſque partes, mixtáſque vires obtineant, cuiuſmodi multa reperire eſt, non ſolùm ex ſoluentibus, ſed etiam ex alterantibus, vt roſa, & alia, de quibus Galenus quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite vigeſimo tertio, & alibi: cùm inquam purgantia hæc vtráque facultate participent, atque vtráque etiam ad actionem deducatur, & effectum ſuum producat, ac pars calida ad ſuperiorem, frigida ad inferiorem vergat, meritò fit vt eo modo, quo dictum eſt, medicamenta illa tum vomitum, tum aluum cieant. Huiuſmodi autem tum ab Ariſtotele initio problematis propoſitus eſt thapſiæ ſuccus, & elaterium; tum etiam à Dioſcoride eadem talia proponuntur. Nam libro quarto capite centeſimo quinquageſimo quinto de elaterio ita ſcribit, *Mouet tum inferiori, tum ſuperiori parte purgationem pituitam, ac bilem trahens.* Et eodem lib. ca. centeſimo quinquageſimo ſeptimo, de thapſia hunc in modũ. *Iam cortex radicis, quam ſuccus purgandi vim habet, & lacteus ſuccus in aqua mulſa potus, ſuperiori enim, & inferiori parte bilem extrahit* Porrò ab Ariſtotele in hac, quæ à medicamentis purgãtibus fit euacuatione, video quidem attractionis mentionem factam; rationem autem attractionis, quam alij familiaritatem, aut ſimilitudinem, aut proprietatem totius ſubſtantiæ, aut formam dicunt ſpecificam, non video memorari; ſicuti nec etiam in ſequenti problemate, quo de eadem re iterum agitur, nec alibi quod ego quidem viderim. ὥσπερ καὶ νῦν ἀξιοῦσιν οἱ ἰατροὶ. *Hinc & medici mixtis cibi generibus.* Id quidem rarò fit à medicis, vt ſimul, & vomitum, & aluum moueant; ſi tamen id velint, vtriuſque generis miſcent medicamenta; ita verò alterum ad ſuperiora, alterum ad inferiora latum, illud vomitum, hoc deiectionem molitur, de qua mixtione nonnulla etiam Oribaſius loco quem modò adduximus.

XLIII.

Διὰ τί τὰ φάρμακα καθαίρει, ἄλλα δὲ πικρότερα ὄντα, καὶ ψυφότερα, ἢ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ἐμβάλλοντα, οὐ καθαίρει; ἢ διότι οὐ διὰ τὰς τοιαύτας δυνάμεις καθαίρει, ἀλλ' ὅτι ἄπεπτά ἐστι; ὅσα γὰρ δι' ὑπερβολὴν θερμότητος ἢ ψυχρότητος, μικρὰ ὄντα τὰς ὄγκους ἄπεπτά εἰσι, καὶ διὰ κρατεῖν, ἀλλὰ μὴ κρατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ζώων θερμότητος, διὸ διάχυτα ὄντα ὑπὸ τῶν δύο κοιλιῶν, ταῦτα φάρμακά ἐστιν· ὅταν δὲ εἰς τὴν κοιλίαν εἰσέλθωσι καὶ διαχυθῶσι, φέρονται καθ' ὡσοῦς ἡ τροφὴ πόρους εἰς τὰς φλέβας. οὐ πέφθεντα δὲ, ἀλλὰ κρατήσαντα, ἐκπίπτει φέροντα τὰ ἐμπόδια αὐτοῖς· καὶ καλεῖται τοῦτο κάθαρσις· χαλκὸς δὲ καὶ ἄργυρος καὶ τὰ τοιαῦτα, ἄπεπτα μέν ἐστιν ὑπὸ τῶν ζώων θερμότητος, ἀλλ' οὐ διὰ διάχυτα τῶν κοιλίαις· ἔλαιον δὲ καὶ μέλι καὶ γάλα, καὶ τὰ τοιαῦτα τῆς τροφῆς, καθαίρει, ἀλλ' οὐ τῷ ποιῷ, ἀλλὰ τῷ ποσῷ· ὅταν γὰρ διὰ πλῆθος ἄπεπτα γένηται, τότε καὶ καθαίρει, ὥστε καθαίρειν· διὰ δύο γὰρ αἰτίας ἄπεπτά ἐστιν, διὰ τὸ ποιὰ αὐτὰ εἶναι, ἢ διὰ τὸ ποσά· διόπερ ὁ φάρμακον ἐστὶν ἐναντίον τῇ τροφῇ τὸ φάρμακον. τὸ μὲν γὰρ, πέφθεν ὑπὸ τῆς φύσεως, τοῦτο προσφύεται τοῖς σώμασι, καὶ καλεῖται τροφή· τὸ δὲ, μὴ πεφυκὸς κρατεῖσθαι, εἰσιὸν δὲ εἰς τὰς φλέβας, καὶ διὰ ὑπερβολὴν θερμότητος ἢ ψυχρότητος ταράττον· αὕτη δὲ φαρμάκου φύσις ἐστίν.

Cur medicamenta purgare valeant, cùm alia pleráque amariora, cæteríſque eiuſmodi qualitatibus inſigniora id facere nequeant? An quia non ob eiuſmodi vires purgandi obtinent facultatem, ſed quia concoqui nequeunt; etenim quæ ob exceſſum caliditatis, aut frigiditatis, quamuis exiguo corpore incoctilia ſint, aptáque vincere, non vinci ab animantium calore, reſoluíque eadem facilè à ventre vtrolibet poſſint, hæc medicamenta habentur. Vbi enim ventrem adierunt, reſolutáque ſunt, ſtatim ad venas per eaſdem feruntur ſemitas, quibus permeat cibus: mox cùm nihilo cõcoqui potuerunt, ſed victrice perſtiterint potentia, relabuntur, & quæ ſibi obſiſtunt ſecum detrahunt: quæ res purgatio vocitatur. Æs verò, argentum, cæteráque generis eiuſdem, & ſi concoqui à calore animalium non poſſunt, ſed reſolui à ventribus nequeunt. Oleum, mel, lac, cæteríque eiuſmodi cibi purgandi quidem vim obtinent, ſed quantitatis, non qualitatis ratione: vbi enim ob nimiam ſui copiam concoqui minimè potuerunt, tum purgant, ſi quando id facere poſſunt. Duabus enim illis de cauſſis aliquid concoqui nequeat, aut quia generis peruicacis eſt, aut quia modum exceſſerit. Quam ob rem nihil ex præ-

dictis

dictis medicamentum eſt, quippe cùm non ob aliquam ſui facultatem purgare valeat. Acerbitas autem, acor, malúſque odor medicamenta comitantur, eo quòd genus medicamentorum cibo contrarium eſt. Quod enim concoctum à natura acceſſit, id corporibus adhæreſcit, alimentúmque appellatur: quod autem conuinci, domaríque minimè poſſit, ſed venas ingreſſum per exceſſum caliditatis, frigiditatíſve ſuæ perturbet, hoc naturam ſanè obtinet medicamenti.

Cùm admodum inſignes & præſtantes ſint euacuationum effectus, qui in corporibus noſtris vſu medicamentorum purgantium fieri conſpiciuntur; taléſque ab iis, quæ excedenti aliqua, & inſigni qualitate prædita ſunt prouenire par ſit; iure quærendum videtur, cur amara, & auſtera, aut aliis ſimilibus excedentibus qualitatibus prædita, non eundem creent effectum, purgéntque & ipſa, ſicuti purgant pharmaca. Reddit autem quæſiti cauſſam, duabus medicamentorum purgantium, neceſſariis conditionibus propoſitis; quæ cùm ſemper non inſint excedentibus qualitatibus dictis, haud mirum eſt ſi ſemper non purgent. Purgantibus igitur medicamentis quæ ex Ariſtotelis ſententia neceſſariò requiruntur conditiones hæ ſunt. Primùm quòd incoctilia ſint, & à calore noſtri corporis minimè vincantur: duo autem hæc in idem recidunt, ſed illum potiùs ſuperent, corporíque dominando corpus moueant; verbo enim κρατεῖν motricem virtutem contineri exiſtimo, quæ in pharmaco omnino requiritur, & quam ei veluti neceſſariam tribuit Ariſtoteles inferiùs problemate quadrageſimo quarto; tum quòd imminuta, aut reſoluta per corpus diffundantur, atque ob has cauſſas purgantia ſunt, & dicuntur. ὑπὸ τὴ δύο κοιλιῶν. *A ventre vtrolibet.* Duo hi ventres, ſeu potiùs duæ cauitates, in quibus exiſtentia medicamenta, haud tamen vinci poſſunt à calore naturali ſunt ventriculus, & venæ. ταῦτα φάρμακά ἐϛιν. *Hæc medicamenta habentur.* Legerem libentiùs ταύτῃ, id eſt, *hoc modo, & hac ratione,* vt reſponderet particulæ ὅτι, ſuperiùs poſitæ, dicit enim Ariſtoteles, medicamenta non ideo ſunt purgantia quòd obtineant aliquam talem excedentem facultatem, qualis dicta modò eſt: ſed quoniam concoqui non poſſunt, & quæ ſequuntur, ideo pharmaca ſunt. ὅταν γὰρ εἰς τὴν κοιλίαν εἰσέλθωσι. *Vbi enim ventrem adierunt.* Modum explicat quo pharmaca purgant; ait enim ſimul atque in ventrem ingreſſa ſunt, & per ipſum diffuſa ferri in venas (& hæc altera eſt ex cauitatibus ſuperiùs dictis) non ſecus ac cibus per poros, ſeu meatus: in venis autem, cauitatibúſque minimè concocta, aut euicta, ſed vincentia potiùs, & dominantia, excidere ex ipſis, ſecumque vnà deportare (qua voce innuit etiam motricem, & tractricem virtutem) quicquid ipſis obuium fuerit, vocaríque hanc purgationem. χαλκὸς δὲ ἢ ἄργυρος ἢ τὰ τοιαῦτα. *Aes verò, argentum, cæteráque generis eiuſdem.* Ex conditionibus poſitis, quas requiri dicebat vt aliquid pharmacum nominaretur, colligit æs, & argentum, quanquam incoctilia ſunt, quæ altera erat ex requiſitis conditionibus, non poſſe dici pharmaca, quòd altera deſit conditio: cùm huiuſmodi metalla per corpus minimè fundi, aut diſſolui poſſint. ἔλαιον ἢ κηρὸς, μέλι, ἢ γάλα, καὶ τὰ τοιαῦτα δ' τροφῆς. *Oleum, mel, lac, cæteríque eiuſmodi cibi.* Ob alteram conditionem, ſegregat etiam ex numero pharmacorum oleum, mel, lac, & ſimiles cibos; illa enim quanquam per corpus diffundantur, non ſunt tamen incoctilia; quod ſanè pertineat ad qualitatem ipſorum; nam ob quantitatem incoctilia eſſe poſſunt, nimirum tantam eorum copiam aſſumi, vt à calore minimè vinci poſſit: & eo tempore purgant ſanè, non tamen propriè pharmaca ſunt; quæ enim propriè ſunt pharmaca, ea incoctilia ſunt non ob quantitatem, ſed ob qualitatem; cùm verò hæc ſi incoctilia ſunt, id fiat merito quantitatis, & ob hanc purgent, ſi modò purgant (ita enim ſonant Ariſtotelis verba, quæ Theodorus vertit, *ſi quando id facere poſſunt*) hoc eſt ſi tanta aſſumatur copia, & in tali corpore, vt effectus ille purgandi contingat, idcirco pharmaca dici minimè debent. δύο γὰρ αἰτίας ἄπεπτά ἐϛιν. *Duabus enim illis de cauſsis concoqui nequeat.* Quæ concoqui non poſſunt id ob alterutram cauſſam patiuntur; vel quia talia ſunt, vel quia tanta: quæ verò pharmaca propriè ſunt id habent ob qualitatem; cùm verò id cibis ſuperiùs nominatis contigerit ob quantitatem, nullum ex iis pharmacum meritò dici poteſt. στυφότης ἢ κὴ πικρότης συμβέβηκε. *Acerbitas autem, acor, malúſque odor medicamenta comitantur.* Quoniam in problematis initio de excedentibus nonnullis qualitatibus verba fecerat, quorum etiam occaſione problema inſtituerat, miratus eas purgationem minimè inducere; quanquã huius rationem in principio inſinuauerit, latiùs tamen, & clariùs rem explanat. Ait enim quòd vel auſteritas, vel amaritudo, vel malus odor, ex quibus reliquas etiam innuit huiuſmodi qualitates, acciden-

tia ſunt, quæ pharmaca ipſa conſequuntur. Pharmaca igitur iam naturam ſuam obtinent, & propriam facultatem cuius beneficio purgant, quibus deinde iam ſuas vires obtinentibus eæ quæ dictæ ſunt qualitates tanquam accidentia quædam conſequuntur: conſequuntur autem, eò quia pharmaca natura ſua res quædam cibo contraria eſt; cùm cibus pro ſua ipſius moderata temperie & naturæ noſtræ familiaritate concoquatur, & agglutinetur corpori; pharmacum autem contra pro naturæ & facultatis exceſſu, vnde etiam excedentes facultates oriuntur, à natura noſtra minimè vinci poſſit, ſed potiùs ingrediens venas exceſſu ſuo aut caliditate, aut frigiditate (his autem duo purgantium pharmacorum genera innuit ſuperiori problemate enumerata) totum corpus perturbat, ac euacuat.

XLIV.

Διὰ τί τὸ μὲν πέπτει, πολὺ μὲν ὂν, τῷ κύσιν λύει· ὀλίγον δὲ τὴ κοιλίαν; ἡ δὲ σκαμμωνία πολλὴ ὖσα τὴ κοιλίαν λύει· ὀλίγη δὲ καὶ παλαιὰ, τῷ κύσιν; ἢ διότι ἑκάτερον ἑκατέρᾳ ὄξει κινητικώτερον; τὸ μὲν γὰρ πέπτει, ἀρητικόν ὄξιν· ἡ δὲ σκαμμωνία καθαρτικόν. τὸ μὲν οὖν πέπτει, πολὺ μὲν ὂν, φέρεται εἰς τὴ κύσιν, καὶ ἐ διαχεῖται ἐν τῇ κοιλίᾳ· ὀλίγον δὲ ὂν, κρατηθὲν, διαλύει, καὶ γίνεται φάρμακον αὐτῆς· ἡ δὲ σκαμμωνία, πολλὴ μὲν ὖσα, εἰς τοῦτο κρατεῖται, ὥστε διαχυθῆναι· διαχυθεῖσα δὲ γίνεται φάρμακον, διὰ τὴν εἰρημένην ἐν τοῖς ἀνωτέρω αἰτίαν. ὀλίγη δὲ ὖσα, μὴ ἔ ποτὲ ἀναπνέται εἰς πόρους, ἔ ταχὺ, πρὶν ταραχθῆναι, καταφέρεται εἰς τὴ κύσιν, καὶ ἐκεῖ τῇ αὐτῆς δυνάμει, ἀπάγει τὰ περιττώματα, καὶ τὰ σωτηρίως ὅσα ὑπόπολής ὄξιν· ἡ δὲ πολλὴ, ὥσπερ εἴρηται, διὰ τὸν ἰσχὺν πολὺν χρόνον ἐμμένασα, καθάγει πολλὴν καθάρσιν καὶ γεώδη.

Cur piper ſi largè ſumatur, veſicam ſoluet, ſi parcè aluum: è contrario ſcammonea ſi largè ſumatur, aluum ſoluet: ſi parcè, & quæ vetus eſt veſicam? An quia ſingula magis à ſingulis mouentur: piper enim magis vrinam ciet, ſcammonea aluum. Itaque ſi piper ſumptum copioſius eſt, ad veſicam defertur, nec ſe in aluum diffundit: ſed ſi exiguum ceperis, retentum id aluum ſoluet, atque ita medicamentum eius exiſtit. Scammonea verò quæ data copioſiùs eſt, retinetur, vt reſoluatur: reſoluta iam medicamentum efficitur, ob cauſſam quâ ſuperiùs propoſuimus. At ſi exigua vnà cum epoto humore per inuiſibiles meatus imbibitur, ac celeriùs antequam perturbet, in veſicam defertur; quà pro ſua facultate recrementa, colliquamentáque reſidentia per ſumma abducit. Sed illa multa, vt dictum eſt, quòd diu ex virium ſoliditate permanſerit, largè expurgat, ſordéſque terrenas potiſſimùm detrahit.

Piper larga copia aſſumptum veſicam ſoluit, exigua verò aluum; ſcammonium autem contra, multa copia ſoluit aluum, exigua autem, & vetus veſicam. Huius rei rationem inquirit Ariſtoteles, & ait illam eſſe quoniam vtrumque ex illis alterum alterius humoris mouendi facultatem obtinet; piper enim facultate ſibi inſita à natura poteſt mouere vrinas, & veſicam ſoluere; ad eamque rem ſponte fertur: ſcammonium ſimili ratione idem circa ventrem inferiorem operatur; piper igitur cùm aſſumitur copia inſigni, fertur ad veſicam, eò nimirum delatum à propria natura, qua ad id procreatum aptum eſt, ibique effectus ſuos producit; minimè autem diſſoluitur in ventre antequam ad veſicam perueniat; properat enim natura illius ad veſicam ipſum deferre; ſi verò pauca copia aſſumatur, tunc ſuperatur ipſius natura, & ad eos effectus redditur imbecillis, qui ipſi proprij ſunt: nam vt vnaquæque res proprios edat effectus, non quælibet rei illius quantitas ſufficit, ſed tanta deſideratur, vt in illa virtus ſeu facultas conſiſtere poſſit; ſi igitur exigua copia aſſumatur piper, victa ipſius facultate in ventre, & ipſo diffuſo, non ampliùs ad veſicam, quæ erat ipſius natura, & facultas, ſi minimè deuictum fuiſſet, properat, ſed ipſius ventris medicamentum euadit; caliditate enim, & ſubtilitate ſua attenuatis excrementis, aut alia facultate ipſum conturbat, & ad excretionem irritat: ἡ δὲ σκαμμωνία πολλὴ μὲν οὖσα. *Scammonea verò quæ data copioſiùs eſt.* Alteram partem aggreditur, in qua ſoluit id quod de ſcammonea propoſitum eſt. Ait igitur quòd ſcammonea largè aſſumpta diffunditur, & diſſoluitur in ventre; hactenus enim vinci à natura vt diffundatur, & diſſoluatur concedit Ariſtoteles; quin & neceſſariò requiri voluit ſuperiori problemate, quanquam purgantia incoctilia eſſe dixerit, ibi enim de coctione ea intelligebat, qua res aſſumpta conuertitur in

ſubſtantiam rei, quæ nutritur, & adglutinatur corpori, vt ibidem diſertis verbis explicuit; hîc autem non ea propriè concoqui intelligit, ſed potiùs aliquantiſper ſuperari, & ideo ait ea in tantum vinci vt diſſoluantur, minimè autem ea ſimpliciter concoqui; verè enim hanc alterationem à natura patiuntur medicamenta purgantia, minimè autem illam. Scammonium igitur largè aſſumptum diſſoluitur in ventre, diſſolutum autem pharmacum fit, eo modo, & ob eas rationes, quæ ſuperiùs nimirum problemate quadrageſimo primo, ſecundo, & tertio explicatæ ſunt. Si autem exigua quantitate aſſumatur, aut vetus, in quo vires exolutæ iam ſunt, & exiguæ non ſecus ac in exigua quantitate; non poteſt in ea mole virtus, ſiue facultas conſiſtere, ex qua propriæ illæ operationes exoriuntur; vnde neque moratur in ventre, neque illius pharmacum eſſe poteſt; ſed vnà cum potu, nimirum cum liquore cum quo aſſumitur, vel quem reperit in ventre, qui natura ſua fertur ad vias vrinæ, abſorbetur illud etiam ſimul in poros, & meatus corporis; atque celeriter antequam corpus perturbet, hoc eſt purget, fertur deorſum in veſicam, & ibi facultate qua pollet, nimirum calefaciendi, attenuandi, & attrahendi, ducit excrementa, & colliquamenta, quæcunque in ſuperficie ſunt, hoc eſt magis tenuia, & aquoſa, & ad ſubducendum faciliora, quæ per vias illas euacuari poſſunt; & hîc rurſus dicit excrementa, & colliquamenta ſicuti ſuperiùs problemate quadrageſimo ſecundo: in vtroque tamen genere faciliora ad exeundum ſcammonij virtute deduci intelligit: Si verò inſigni quantitate idem aſſumatur, præ virtute, & facultate ſua, quáque id illi inſitum eſt, multum tempus moratur in ventre, & ibi non ſolùm trahit quæ in ſuperficie ſunt, & tenuia; ſed inſignem purgationem molitur, craſſa etiam & terrena ducendo. Fuit autem hæc Ariſtotelis ſententia de pipere, & ſcammonea adducta etiam à Serapione in tractatione de ſimplicibus medicamentis capite tum de pipere, tum de ſcammonea, vbi ex libro illo quæſtionum quem citat, eadem quæ hîc Ariſtoteles adducit. Et fortè quæſtionum liber ille, ſunt hæc Ariſtotelis problemata, qui liber ſine titulo, & cum aliis etiam non Ariſtotelicis problematis circumferebatur. Contrarium tamen ſenſiſſe viſus eſt Auicenna canone ſecundo capite de pipere, vbi piperis exiguam copiam prouocare vrinam, multam autem ſoluere ventrem aſſerit, idque contrario modo contingere in ſcammonea; ſed corruptum eſſe hunc locum, & aliter ſeu potiùs contrario modo legendum, conſentaneè nimirum iis, quæ & Ariſtotoles, & Serapion habent, docuit Andreas Bellunenſis in caſtigationibus, quas in illum auctorem edidit. Porrò illa ad initium problematis verba: *διὸ τὴ ἑκάτερον ἑκατέρου ὀξὺ κινητικώτερον.* ita reſtituimus ex Iuſtiniano, ſicuti etiam expoſuimus, accipientes *τὸ κινητικώτερον* agendi ſignificatione ſicuti propriè ſonat, Theodorus tamen patiendi notione accepiſſe viſus eſt, ita tamen reddidit vt ſenſus idem ſit.

XLV.

Διὰ τί τὰς αὐτὰς φλεγμασίας, οἱ μὲ ψύχοντες, ὑγιάζουσιν· οἱ δὲ θερμαίνοντες, πέπτουσιν; ἀλλ' οἱ μὲν, ἀλλοτρίᾳ θερμότητι· οἱ δὲ καθ' ψύχοντες, τῇ οἰκείᾳ συναύξουσιν.

Cur inflammationes eaſdem alij frigefaciendo ſanent, alij calefaciendo concoquant? An quòd illis per refrigerationem, his per externum calorem, caloris ſui copiam colligere placet.

Rationem inquirit, ac reddit curationis illius quam phlegmaſiis, aut inflammationibus per contraria remedia adhibebant medici; alij enim eas refrigerantium vſu, alij calefacientium perſanabant. Phlegmaſiæ autem nomen, quod Theodorus in textu inflammationes vertit, aliter ab antiquioribus medicis, aliter à recentioribus fuiſſe acceptum ſcribit Galenus, tum primo aphoriſmorum ſeptimo, tum quarto de ratione victus in acutis vigeſimo primo, quo loco etiam ſignificationes illas pluribus diſtinxit. Nobis ea omnia huc afferenda non ſunt. Illud ſatis ſit, ſignificari eo nomine in præſentia apud Ariſtotelem affectum calidum; quanquam Heſychius generalius nomen de omni tumore accipiat, qui interpretatur *φλεγμαίνει, ὀγκᾶται, φυσᾶται*, hoc eſt *tumeſcit, & inflatur.* Quomodo igitur à contrariis cauſſis idem oriatur effectus, & quomodo à calidis calidus curetur affectus docet Ariſtoteles. Rationem autem illam reddit, quoniam tumor omnis præter naturam curatur à calore proprio, & innato; hic autem vnitur, cogitur, & validior fit; tum merito refrigerantium, tum calefacientium; iure igitur vtraque morbum tollunt: calefacientia igitur augent eum quoniam illi ſimilia ſunt, ſimile autem ſimili augetur: caliditas enim hæc quan-

quam aliena dicitur ab Aristotele, nimirum quæ forinsecus adueniat, est tamen intelligenda temperata, & suauis, & similis calori natiuo, minimè verò aliena, hoc est præter naturam, inimica, & nimiùm excedens, cuiusmodi ex febre aduenit: Hæc igitur ob similitudinem, caliditatem natiuam cogit, hæc verò coacta, & validior effecta humorẽ coquit, qui phlegmasiam, seu inflammationem parit; & sic morbum tollit; refrigerantia autem eundem producunt effectum, nam adstringunt, & densant; adstricto autem, & densato corpore, natiuus, & proprius calor vnitur magis, & hac ratione maior, & validior quàm antea fit. Præterea refrigerantia tollunt partis intemperiem: At intemperie sublata, partéque ad naturam propriam reducta calor naturalis in ea validior, & potentior quàm antea gignitur, & sic morbum tollit.

XLVI.

Διὰ τί μεταβάλλειν δεῖ τὰ καταπλάσματα; ἢ ὅπως μᾶλλον αἰσθάνηται; τὰ γὰρ σιτία, ὥσπερ ὅπερ τὰ ἐδέσματα, οὐκέτι φάρμακα, ἀλλὰ τροφὴ γίνεται· ὅπερ καὶ ὅπερ τὰ τοιαῦτα.

Cur mutari cataplasmata debeant? An vt plenius sentiatur. Solita enim, vt ea, quæ ventriculo mandamus, non amplius medicamenta sunt, sed pro alimentis recipiuntur; sic etiam hæc fungere suo munere nequeunt.

In tumoribus, aut vlceribus, aut aliis, quæ id genus remedij postulent, solent medici subinde mutare cataplasmata, ita vt cùm horũ genere vno vsi sunt, altero postmodum vtantur. Id autem ea ratione fieri ait Aristoteles, vt cataplasmatũ vis, & facultas à natura magis percipiatur; nam quæ consueta sunt minùs percipiuntur, cùm ob consuetudinem illam adeò sensibus familiaria euadant, vt ab eis minimùm aut nihil afficiantur; quemadmodum in iis etiam contingit, quæ per os assumuntur; pharmaca enim per os assumpta præsertim alterantia, cuiusmodi sunt endiuia, lactuca, feniculus, & similia; si assiduè eis vtamur, minimè pharmaca amplius sunt, hoc est corpus nostrum minimè amplius afficiunt quemadmodum pharmaca afficere consueuerunt: sed potiùs fiunt cibi, à quibus propriè corpus non alteratur, sed in eo relictum statu, in quo erat, nutritur solùm. Id autem verum etiam est in pharmacis leuiter purgantibus, seu lenientibus, cùm & illa cibi quodammodo sint, seu mediæ cuiusdam naturæ inter cibos, & medicamenta, vt pruna, tamarindi, cassia, manna, rosæ, violæ, & similia; quæ & ideo exigua quantitate non purgant. Sed & vehementiora etiam medicamenta, cuiusmodi rheobarbarum est; & validiora etiamsi exigua quantitate, vel etiam subinde aliquantisper maiori, quispiam sumere assuescat, nec purgationem moliuntur. Quin vel ipsa venenata assiduo vsu mitescere, vetulæ illius Athenien sis exemplo manifestum fit, de qua Galenus tertio de simplicium medicamentorum facultatibus capite decimo octauo, quæ à minima cicutæ portione auspicata, nullo detrimento ad permagnam progressa est copiam: principio enim paucum exiguitate ipsa deuictum est, at consuetudo naturale reddidit.

XLVII.

Διὰ τί ὑγιεινὸν τὸ τῆς τροφῆς μὲν ὑποστέλλεσθαι, πονεῖν δὲ πλείω; ἢ ὅτι τὸ νοσεῖν αἴτιον πλεῖστον ἀθροίζεται πλῆθος; τοῦτο δὲ γίνεται, ἢ νίκης τροφῆς ὑπερβολὴ, ἢ πόνων ἔνδεια.

Cur cibum imminuere, laborem augere salubre est? An quia caussam ægrotandi excrementorum habet nimietas, quæ tunc certè exultat, cùm aut cibus supersit, aut labor desit.

Laudat sobrietatem, & exercitationem: maximè ad sanitatem conferre dicens exiguum comedere, & multum laborare: illam autem huius rei optimam rationem affert, quòd morborum caussa excrementorum multitudo est; hæc autem tunc in corpore gignitur, cùm aut cibi exsuperantia, aut laborum defectus contigerit. Hæc porrò sententia non sine distinctione debet à nobis accipi; nam vbi exiguum cibi assumitur, abesse debet exercitatio multa, resolueret enim plùs quàm par sit: vnde dicebat Hippocrates 11. aphor. 17. *Vbi fames laborandum non est.* Sed accipienda potiùs iuxta aliam Hippocratis sententiam. *Studium sanitatis est, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.* Sed quomodo distinctiùs hæc sint accipienda, & ab hominibus, quibus tuendæ valetudinis consilium est, vsurpanda,

ex medicorum libris de salubribus, petendum est; Aristoteli enim vniuersalem proposuisse sententiam satis fuit.

XLVIII.

Διὰ τί τὰ φάρμακα καὶ τὰ πικρὰ ὡς ὄπτα πολὺ καὶ τὰ δυσώδη καθαίρει; ἢ ὅτι ἄπαντα τὰ πικρὰ καὶ δυσώδη ἄπεπτά ἐστι; διὸ καὶ τὰ φάρμακα, πικρὰ καὶ δυσώδη· ταῦ γὰρ ἄπεπτα εἶναι, καὶ κινητικὰ μᾶλλον πικρότητος, φάρμακά ἐστιν· καὶ ἐὰν δοθῇ πλείω, διαφθείρει. ὅσα δὲ, κἂν σμικρὰ δοθῇ, διαφθαρτικὰ, ταῦτα δὲ φάρμακα λέγω εἶναι, ἀλλὰ θανατηφορά· ἔστι δ' ὅσα μὴ τῷ ποιῷ καθαίρει, οἷόν ἐστι φάρμακα· καὶ γὰρ ἡ τροφῆς πολλὰ μᾶλλον ταὐτὸ ποιεῖ, ἐὰν ποσὰ δοθῇ, οἷον γάλα, ἔλαιον, γλεῦκος· ἄπεπτα δὲ ταῦτα, διὰ τὸ μὴ εὔπεπτα, καθαίρει· καὶ τούτοις οἷς μὴ εὔπεπτα καθαίρει καὶ τούτοις· ἔστι γὰρ ἄλλα ἄλλοις εὔπεπτα καὶ δύσπεπτα· διὸ δ' ἅπασι ταῦτα φάρμακόν ἐστι, ἀλλ' ἐνίοις ἴδια· ὅλως γὰρ τὸ φάρμακον δεῖ δὲ μόνον μὴ πέπτειν, ἀλλὰ καὶ κινητικὸν εἶναι; ὥσπερ καὶ τὸ γυμνάσιον ἔξωθεν ἦκον ἡ ἔσωθεν τῇ κινήσει ἐκκρίνει τὰ ἀλλότρια.

Cur medicamenta, & res amarae, aut fœdi odoris, magna ex parte purgare possint? An quoniam amara quæcunque, maléque olentia concoqui nequeunt: qua de causa medicamenta quoque amara sunt, atque fœtida. Quòd enim concoctionem nullam sibi admittunt, moueréque cum amaritudine possunt, hinc medicamenti sortiuntur naturam. Et si iusto plus data sint periment. Quæ autem necant, etiamsi exigua dentur, hæc non medicamenta, sed toxica esse dicimus. Ne illa quidem medicamenta vocamus, quæ non sui generis qualitate purgare queant. Sunt enim pleráque in genere cibi, quæ si largè sumantur, facere idem poterunt, ceu lac, oleum, mustum. Sed hæc omnia, quòd minùs facilè concoquuntur idcirco purgant: nec omnes, sed aliquos. Sunt enim aliis alia concoctu facilia difficiliáue. Quamobrem non eadem medicamento omnibus sunt, sed propria pleríque comperiuntur. Denique medicamentum non solùm concoctionis immune, sed etiam motus efficiens esse debet: sicut & exercitandi ratio extrinsecus illa quidem, aut intrinsecus accedens, non nisi per motum alienam excernit materiam.

Duo proponit: cur purgent pharmaca, idque absolutè, quod etiam proposuit superiùs problemate quadragesimo tertio; & cur purgent amara, ac fœdi odoris; id verò non absolutè, sed vt plurimùm. Hinc autem tollatur contrarietas, quæ huic sententiæ videtur esse, cum ea quæ proponitur eodem quadragesimo tertio problemate, amara minimè purgare; ibi enim de purgatione ea, quæ absolutè, & ex formæ ratione, ac ideo semper fit, erat sermo; hîc autem de ea quæ non semper, & ex ratione formæ, sed vt plurimùm fit. Vtriúsque autem quæsiti rationem reddit Aristoteles dicens, omnia hæc purgare, nimirum & pharmaca, & amara, ac fœdi odoris, quia incoctilia sunt: hæc enim verba ita accipio tanquam ἀσύνδετον. Sed necesse illa vti sonant proponere, Theodorus enim conuertit vt putauit exponenda: sonant autem hunc in modum. *An quoniam omnia amara, & fœdi odoris incoctilia sunt?* patuit autem superiùs, hanc purgatorio medicamento requiri necessariò conditionem; non tamen sola huic actioni sufficiat, nisi & motricem virtutem habeat coniunctam, quam adiicit mox Aristoteles. Porrò concoqui minimè possunt amara, & fœdi odoris, quod iterauit idem Aristoteles sectione duodecima problemate vndecimo, quoniam natura, singulæque corporis partes aluntur re dulci, & suaui; à contrariis autem abhorrent: amara autem quatenus talia, eidem inimica sunt, nec nutrire possunt; quia sunt sicca non aliter ac cinis, & puluis; animal autem omne plùs minùs humidum est, sicuti scribit Galenus quarto de simplicium medicamentorum facultatibus capite vigesimo: quòd si non libeat verba illa disiunctim accipere: sed notam vniuersalitatis subsequenti voci adiungere hoc modo: *Omnia amara, & fœdi odoris incoctilia esse*, sententia quidem vera sit, sed altera ex propositis quæstionibus dissolutione carebit: *Διὸ καὶ φάρμακα πικρὰ καὶ δυσώδη. Qua de causa medicamenta quoque amara sunt.* Proponit medicamenta purgantia esse amara, & fœdi odoris, quanquam non omnia, nec necessariò; & hac qualitate cum huiusmodi rerum genere interdum conuenire; vnde consentaneum videatur hæc etiam cum illis conueni-

re quod purgent; licèt non ſemper, nec neceſſariò; caue tamen putes Ariſtotelem ita argumentari, amara, & fœtida ſunt incoctilia, medicamenta ſunt incoctilia, igitur medicamenta ſunt amara; eſſet enim ſyllogiſmus ex puris affirmatiuis in ſecunda figura; ſed potiùs hoc modo. Omnia medicamenta ſunt incoctilia, quædam incoctilia ſunt amara, igitur quædam medicamenta ſunt amara: quæ etiam conuerti poteſt hoc modo, quædam amara ſunt medicamenta, quod proponebatur: ſi nimirum motricem virtutem habeant adiunctam; nam vt ſubdit, ideo pharmaca ſunt, tum quæ ita dicuntur, tum amara, & fœtida, quæ pharmaca ſunt, quia incoctilia ſunt & motricem virtutem habent, cum qua coniuncta eſt amaritudo; igitur quia pharmaca incoctilia ſunt, & motricem virtutem ſemper habent; ſemper & ex formæ natura purgant, videlicet in ſubiecto apto: amara autem quia vt plurimùm, vt plurimùm etiã purgant. ἢ ἐὰν δοθῇ πλέω. *Et ſi iuſto plus data ſint.* Alia quædam circa purgantium doctrinam tradit; diſtinguens ea tum à corruptiuis, tum ab iis, quæ propriè purgantia non ſunt, de quibus mox. ἀλλ' ὅσα μὴ τοῦ ποιοῦ. *Ne illa quidem medicamenta vocamus, quæ non ſui generis qualitate.* Quod ſuperiùs tradidit in adducto problemate quadrageſimo ſecundo denuò repetit, purgantia talia eſſe facultate, & qualitate propria, minimè autem aſſumptorum quantitate, cuiuſmodi ſunt lac, oleum, & muſtum: hæc enim quia non ob virtutem, & qualitatem, ſed ob copiam ſolam concoqui non poſſunt, & ſic vnam tantùm conditionem obtinent, eámque per accidens, pharmaca propriè non ſunt; atque ideo non omnes purgant ſine diſcrimine, ſed illos ſolùm, quibus coctilia non ſunt: alia enim aliis coctilia, & incoctilia ſunt, pro naturæ diuerſitate. ὅλως γὲ τὸ φάρμακον δεῖ ἀ μόνον μὴ πέπτεσθαι. *Denique medicamentum non ſolùm concoctionis immune.* Quæ ſuperiùs enumerata ſunt, lac, oleum & muſtum, ideo non ſunt propriè pharmaca, quanquam purgent aliquando, quoniam deeſt eis quæ requiritur omnino conditio, nimirum quòd corpus moueant: illa enim ideo educunt ſuperfluitates, quoniam cùm maxima copia aſſumuntur, natura onere grauata excernit illa, cum quibus vnà ſuperfluitates educuntur, minimè verò quòd vim in ſe ipſis obtineant mouendi corpus, at quod propriè pharmacum eſt, corpus mouet, & exagitat quemadmodum exercitationes faciunt, ſiue illæ extrinſecus, ſiue intrinſecus proueniant: extrinſecus quemadmodum cùm motus principium ab eo eſt, quod extra nos poſitum eſt, vt nauigatio, equitatio, & vectio in lectica, aut curru: intrinſecus vt cùm principium motus in ipſo animali eſt, vt curſus, & ſaltatio; in his enim omnibus exercitiis corpus mouetur, & per motum euacuatio aliqua contingit. Non eſt tamen intelligendum hanc eſſe eandem euacuationem, qua medicamenta purgant, licèt hæc illam adiuuet, vnde præcipiebat Hippocrates quarto aphoriſmorum decimo quinto, *cùm voles elleborum magis ducere, moue corpus.* Dixerat enim proximo aphoriſmo. *Cùm biberit quis elleborum ad motiones quidem corporum ducere magis, ad ſomnos verò, atque quietem minùs. Indicat autem nauigatio turbari motione corpus*; ſed ſimilitudinem affert: motus enim, & per ſudores, & per inſenſibilem tranſpirationem educit, quin & in lectica, aut curru nonnullis vomitum ciet. καὶ τύφις οἷς μὴ ὕπτια καθαίρει καὶ τέτυς. *Nec omnes ſed aliquos.* Latina hæc non exprimunt Græca Ariſtotelis, nec ſenſum perficiunt aut complent. Theodorum putârim aliam lectionem fuiſſe ſequutum: ita autem noſtra Latinè ſonant. *Et iis ſanè, quibus minimè coctilia ſunt, hos purgant.*

XLIX.

Διὰ τί τὰ μὲν ὀδώδη διυρητικὰ καὶ σπέρματα καὶ φυτά; ἢ ὅτι θερμὰ, καὶ ὕπτια· τὰ δὲ γιαῦρα, ἐρπτικά· ταχὺ γὲ λεπτύνει ἡ ἐνοῦσα θερμότης, καὶ ἡ ὁσμὴ ἀ σωματώδης· ἐπεὶ καὶ τὰ ὁσμώδη, ὅιον σκόροδα, διὰ τὴν θερμότητα ἐρπτικά, μᾶλλον μέντοι σωτπικά· θερμὰ δὲ τὰ ὀδώδη σπέρματα.

Cur odorata genera tam ſeminum, quàm plantarum, mouere vrinam poſſint? An quia calida, concoctúque facilia ſunt, quo in genere ea collocamus, quæ citant vrinam: horum enim vis inſita calefaciendi, breui extenuatur. Odor quoque nullam corpulentiam gerit: nam & ea, quæ odorem pleniſſimè reddunt, velut allia caliditate ſua mouent vrinam, ſed potiùs vim obtinent tabefaciendi. Semina verò odorata calida eſſe certum eſt.

De odoratis tum ſeminibus, tum plantis, qualia aniſum, feniculus, petroſelinum, & ſimilia inquirit hoc loco; ac docet quare diuretica ſint; hoc eſt vrinas mouendi vires obtineant. Ait autem talia eſſe, quoniam ſunt calida, & concoctu facilia; facilia autem

concoctu quâ medicamenta, & comparatione eorum, de quibus superioribus problematis actum est; quæ ventrem mouebant, quæque incoctilia dicta sunt: alioquin enim hæc ratione siccitatis dura sunt; & cibis comparata difficilè coquuntur: huiusmodi igitur, sunt calida, & concoctu facilia; quæ autem talia sunt illa facultatem obtinent vrinas ducendi, siue, quæ enim facultatem obtinent vrinas mouendi, illa talia sunt; nam caliditas in ipsis existens citò extenuat materiam, quæ ipsi subiicitur; & odor similiter qualitas quædam est minimè corpulenta, sed tenuis; quod dixit Theophrastus libello de odoribus his verbis. Εὖσμα μὲν οὖν ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν τὰ πεπεμμένα καὶ λεπτὰ καὶ ἥκιστα γεώδη. *bene olentia igitur vt simpliciter dicam cocta sunt, tenuia, & minimè terrena.* Hinc fit vt facilè possint semina, & plantæ illæ ad vesicam permeare, atque in hunc modum caliditas, & odor ea sunt, quibus mediis hæc diuretica facultas consistit. Patet id magis aliorum exemplo, nam quoniam illa & odorata sunt, & calida, ideo vrinas mouent, vel potiùs colliquant cùm igitur calida etiam sint semina odorata, ideo diuretica sunt. Similem de odoratis sententiam habet Cornelius Celsus libro secundo capite trigesimo primo his verbis. *Vrinam mouent quæcunq; nascentia in hortu boni odoris sunt, vt apium, ruta, anethum, ocymum, menta.* Sciendum autem est; quòd hîc de illis diureticis agitur, quæ propriè talia sunt; nimirum quæ facultate propria ad vesicam deferuntur; de his autem ita Galenus quinto de simplicium medicamentorum facultatibus capite decimo tertio. *Cùm plurimùm mouere vrinam annitimur, non admodum dictis vtendum pharmacis. Sed quæ acriora sunt, & magis excalfaciunt: dictum siquidem supra est, acre omne esse calidum. Eius generis sunt semen apij, petroselini, feniculi, dauci, agrioselini, smirnij: & sanè ipsum quoque seseli, & amni, & phu, & meon, & asaron, & acoron, à quibus sanguis non extenuatur dumtaxat: sed & funditur, ac secernitur, non secus atque lac, quod coagulatur, seroso videlicet, & tenui seorsum segregato, crasso verò in se se coeunte. Si quidem quò facillimè ad se attrahant renes, quod in sanguine aqueum, tenuéque, ac seorsum est, vtraque hæc conferunt, nempe totius sanguinis primùm fusio, deinde segregatio, quorum neutrum absque valido calore peragi queat.* De eadem etiam re, & quòd tenuia, ac incidentia, quæ vrinas mouent, esse oporteat; scribitur ab eodem Galeno quarto eorundem librorum capite decimo nono, & sexto, capite de thimo, & ab aliis medicinæ auctoribus diffusè vbi de diureticis agunt. Sunt autem alia, quæ vrinas mouent, minimè verò facultate propria id præstant; & hæc sunt quæ naturam humidam obtinent, & aquositate plena sunt, cuiusmodi vina aquosa Galeno duodecimo methodi capite quarto, & de his egit superiùs Aristoteles problemate quadragesimo primo. ταχὺ γὰρ λεπτύνει ἡ ἐνοῦσα θερμότης. *Horum enim vis insita calefaciendi breui extenuatur.* Cur Theodorus passiuè reddiderit, λεπτύνει, non possum videre; cùm & verbum actiuè efferatur ab Aristotele, & ea significatione mihi quidem aptius appareat sicuti exposui; nimirum calorem quem habent eiusmodi diuretica attenuare materias, quæ eam ob rem ad vesicam promptè feruntur οἷον σκόροδα, *velut allia,* allium calidum est, & siccum: vrinas autem ducere tum Auctoris libri quarti de ratione victus in acutis particula nonagesima sententia est, tum Galeni ad commentarium illius loci. *Hoc problema scribitur iterum sect. 12. problem. item 12. ac denuò sectione 20. probl. 16. alijs tamen nonnullis ad finem adiectis quæ sensum minimè variant.*

L.

Διὰ τί δεῖ τοὺς μὴ καθαρὰ καὶ φαῦλα τῶν ἑλκῶν, ξηροῖς καὶ δριμέσι καὶ στυφνοῖς χρῆσθαι φαρμάκοις· τοὺς δὲ τὰ καθαρὰ καὶ ὑγιαζόμενα, ὑγροῖς καὶ μόνοις; ἢ διότι ἀπὸ τῶν μὴ καθαρῶν δεῖ ἀφαιρεῖν τι; τοῦτο δέ ἐστιν ὑγρότης ἀλλοτρία, ὧν ἀφαιρεῖν δεῖ· τὰ δηκτικὰ δὲ καὶ δριμέα, καὶ στυφνὰ, ποιοῦσι, καὶ τὸ ξηρὸν μᾶλλον ἢ ὑγρόν. τὰ δὲ καθαρὰ, συνεπιλώσεως δεῖται μόνον.

Cur impuris, tetrísque vlceribus, siccis, acribus, acerbísque medicamentis vtendum sit, puris verò, & sanescentibus humida tantùm imponantur? An quòd impuris detrahẽdum aliquid est, quod non nisi humor est alienus, qui adimi debet. Genus autem medicamenti, quod mordax, acre, acerbúmque est, id efficere potest, & siccum magis, quàm humidum. At quæ pura sunt cicatricem tantùm desiderant.

Vlcera pura, & sanescentia, diuersa requirunt medicamenta ab iis, quæ impura, & maligna sunt; hæc enim requirunt medicamẽta sicca, acria, & austera, illa verò humida solùm. Diuersitatis autem ratio est, quoniam ab impuris, & malignis auferre aliquid necesse est,

nempe humiditatem alienam, quæ impuritatem,& malignitatem creat; id autem præstant medicamenta mordacia,acria, & austera; hæc enim humiditatem illam absumunt,& inter hæc id magis præstant quæ sunt actu sicca, quàm quæ humida, sic enim interpretari possumus illa, ἢ τὸ ξηρὸν μᾶλλον ἢ ὑγρὸν, vel etiam, *& quod est siccum,magis tale est quàm humidum*; & ideo sicca magis accommodata sunt huiusce modi vlceribus quàm humida: Quæ verò pura vlcera sunt, & sanescunt, illa solummodo egent vt cicatrice obducantur, id autem per humida perficitur,nimirum non adeò sicca, ac illa; humida enim dicuntur iis comparata quibus in non puris vlceribus vtimur, quæ magis sicca, & acria sunt. Alioquin autem cicatricem etiam induci vsu exsiccantium vel tonsoribus ipsis notum: illa enim carnem densant, & cuti similem reddunt, quod est cicatricem efficere, sicuti scribit Galenus tertio methodi capite quinto. ὑγροῖς δὲ μόνοις. *Puris verò,& sanescentibus humida tantùm.* Sic habent omnes impressi, & ita legit Theodorus, sed antiquus interpres qui reddit, ***acutis***, videtur legisse δριμέσι, quemadmodum etiam habet Iustinianus. Vtraque autem lectio recipi potest. Si enim legamus ὑγροῖς ἢ δριμέσι, siccitas etiam compræhendetur, non tamen priori æqualis, & fortè intelligitur humiditas actu, & siccitas potentiâ, in impuris autem siccitas tum actu, tum potentiâ,in illis nimirum vtimur ὑγροῖς ἢ δριμέσι, *humidis,& acribus*, in his autem ξηροῖς δὲ δριμέσι *siccis & acribus.*

L I.

Διὰ τί συμφέρει τοῖς τὰ ἀπὸ φλέγματος νοσήματα λαγνεία; ἢ ὅτι τὸ σπέρμα τῆς ἐπιθήσεως ἀπόκρισις, καὶ φύσει ὅμοιον φλέγματι; ὥστε ἀφαιρῆσα πολὺ φλεγματῶδες, ὠφελεῖ ἡ συνουσία.

Cur morbis qui contrahuntur à pituita libido immodica prosit. An quòd semen genitale excrementi cuiusdam detractio est, ideo naturam præ se fert pituitæ. Quod igitur multum pituitæ concubitus detrahit, iuuare idcirco potest.

Quæ hoc loco de Venere proponuntur, atque iterantur sectione quarta problemate decimo septimo, fuit etiam Hippocratis sententia libro sexto Epidemiorum sect. 5. his verbis: λαγνείη τοῖς ἀπὸ φλέγματος νόσων ὠφέλιμον. *Venus morbis, qui à pituita fiunt confert.* Nec tamen Hippocrates rationem aliquam eius rei attulit, qui obseruationes scriberet, non commentaria. Interpretes ad eum locum multa eruditè afferunt, atque ex aliis etiam medicorum libris, quas vtilitates, quibúsque morbis conferat coitus pluribus persequuntur. Eandem quæstionem pertractauit etiam fusissimè Marsilius Cagnatus vir multæ lectionis,& insignis doctrinæ variarum obseruationum libro primo. Nobis eorum nulla sunt ad hunc locum afferenda, quibus satis est Aristotelis sensa, & verba explicare. In primis igitur illud animaduertendum,Theodorum malè fecisse qui λαγνεία verterit *libidinem immoderatam*, sicuti obseruauit doctissimus, & clarissimus Hieronymus Mercurialis variarum lectionum libro secundo capite decimo quinto. Etsi enim ex Suidæ, & Hesychij testimonio obscœnitas quædam,& turpitudo illi voci maior inesse appareat, quàm in concubitus voce simpliciter agnoscatur, id non semper ita est; ac ex eisdem Aristotelis verbis, quæ ad finem problematis ita leguntur, ὠφελεῖ ἡ συνουσία, liquidò constat, nihil aliud, τὸ λαγνεία, significare hoc loco, quàm τὸ συνουσία, hoc est *coitum.* Sed & sensui repugnat illa interpretatio; immoderata enim libido, nedum prosit morbis à pituita, quicunque illi sint, sed nocumento est; debilitat enim calorem natiuum, refrigerat, & quod caput est,humectat; cùm vtilitas coitus sit ab exsiccatione vt apparebit, humectat autem per accidens: quippe impedita coctione, multiplicat cruditates, & excrementitios humores in singulis corporis partibus adauget. Aristotelis igitur sententia de moderato Veneris vsu, & in quibus illam vires ferre valeant accipienda est; sicuti etiam ad Hippocratis locum adductum interpretes,& Galenus in primis admonuerunt. Hanc igitur, atque in hunc modum prodesse ideo tradit Aristoteles, quoniam semen est excrementi secessio, hoc est,pars quædam, & excrementum vtilis alimenti, & potiùs pituitæ, quàm alij excremento natura simile, quæ verba ipsius seminis naturam continent, de qua cùm exquisitè pertractauerit libro primo de generatione animalium capite decimo septimo, nullius meliùs quàm eiusdem Aristotelis verbis, quæ ibi leguntur, hic locus explicetur. Ille igitur cùm ibi probasset semen neque esse partem secundùm naturam,neque alimentum,neque colliquamentum,excrementum esse concludit, his verbis. *Excrementum igitur esse necesse est. At omne excrementum aut ali-*

menti

menti inutilis eſt, aut vtilis: inutile dico à quo nihil præterea naturæ ſuppeditatur, ſed quo plus inſumitur, eo magis malè afficitur natura; vtile quod contrario modo ſe habet: tale autem excrementum illud non eſſe ex eo conſtat, quòd ijs, qui vel ætate, vel morbo peßimè ſe habent, genus hoc excrementi plurimùm ineſt, ſemen minimè: aut enim nullum omnino, aut non prolificum propter inutilis ac morbidi excrementi permiſtionem; ergo vtilis excrementi pars aliqua ſemen eſt. Vtiliſſimum autem quod vltimum eſt, & ex quo iam vnumquódque gignitur membrum: eſt enim tum prius tum poſterius. Primi igitur alimenti excrementum pituita eſt, & ſi quid aliud eiuſmodi eſt; pituita enim alimenti vtilis excrementum eſt. cuius rei indicium quod permiſtum cum cibo puro alere poteſt, & labore abſumitur. Vltimum autem paruum admodum ex plurimo relinquitur alimento. Hæc ibi Ariſtoteles, quæ etiam ad ſeminis naturam pertinentia iterauit alibi, ſicuti capite ſequenti, vbi addidit eſſe excrementum alimenti ſanguinei, quod vltimum in membra digeritur. Ex his autem patere liquidò poteſt, tum quomodo ſemen Ariſtoteli ſit excrementum, aut excrementi ſeceſſio, vt hîc dicitur, & ſectione quarta problemate vigeſimo ſecundo, aut pars excrementi vtilis, ſeu ſanguinei, aut vltimi; quæ omnia idem ſunt: nomine enim excrementi, bona, & vſui apta intelliguntur; tum etiam quomodo pituitæ dicatur natura ſimile; cùm altera primi, altera extremi alimenti ſit excrementum. Quum igitur pituita in corpore redundat, aut præ multitudine morbum facit, ſi multum illius materiæ vſu veneris detrahatur, cur non plurimùm iuuentur ægrotantes? detrahi autem non ſolùm putârim ex effuſione tantillæ illius materiæ, quæ in coitu emittitur; quota enim pars? ſed multò magis, merito exſiccationis, reſolutionis, & abſumptionis eiuſdem materiæ pituitoſæ, quæ contingit ob motum, & calorem excitatum beneficio concubitus. Hæc autem problematis verba libentiùs reddiderim ſicuti purè ſonant, quàm quomodo conuertit Theodorus, exprimere enim mihi rem aptiùs videntur hunc in modum. *Semen genitale eſt excrementi ſeceßio, & natura ſimile pituitæ, quare quod pituitoſa multa auferat concubitus, ideo iuuat.* Non celarim lectorem in margine Iuſtinianæi codicis ad initium problematis in illis ἢ ὅτι τὸ σπέρμα φλεγμάτως ἀπόκρισις, ſequi pro his duobus poſtremis hæc, φλέγμα φλεγμάτος, ſi inde fortè quiſpiam meliorem aliquem ſenſum eliciat.

L I I.

Πότερον δὲ τροφὴν προσφέρειν ἐρχομένῳ βέλτιον ἢ ὕστερον; ἢ ἐρχομένῳ, ὅπως μὴ προσεξηθενηκότι ἡ φλεγμασία ὑπολάβῃ; ἢ ἓν ἀπαντᾶν δεῖ; ἢ ἔτω προσοιστέον· ἀναλαμβάνειν, χρὴ πρῶτον τῆς ῥοφήμασι· ταῦτα γὰρ ἧττον λειότερα, καὶ διακριτέα καὶ εὐπέπτως τῷ τροφῷ ἐκ τούτου ῥᾴδιόν ἐστιν ἀσθενεῖ σώματι· ἐν δὲ τῇ κοιλίᾳ δεῖ παθεῖν τὰ σῖτα πρῶτον, διαχυθῆναί τε καὶ θερμανθῆναι μὴ πόνῳ τῷ σώματι ταῦτα πέπονθε.

Vtrum ergo inter initia mali cibum afferre meliùs ſit, an poſt? An inter initia, ne iam penitus debilitato febris occurſet. Igitur vel extenuandum protinus eſt, vel ita alendum. Sorbitionibus primùm recreandum: hæ nanque mitiores, leniores, colliquabilioréſque ſunt, & alimentum hinc capere infirmum corpus expeditius poteſt. Nihil enim cibum in ventriculo reſolui, perferueréque ante oportet: quod non niſi labore cubantis fieri poteſt.

De quantitate alimenti, quam pro temporum ratione ægrotis exhibere par eſt, agitur in præſenti problemate; nam cùm medici nõnulli eſſent, qui in omnium morborum initio victum nimiùm tenuem, aut inediam imperarent, è quorum genere erant Galeni temporibus diatritarij appellati, à Theſſalo ante nonnulla tempora originem ducentes: aduersùs quos idem Galenus pluribus in locis inuehitur; alij verò qui & carnium, & vini copia eos aſſiduè replerent, quorum mentionem facit Galenus commentario primo in primum librum Hippocratis de ratione victus in acutis; ideo Ariſtoteles proponit ſententiam ſuam, affirmatque meliùs eſſe initio morbi cibum offerre, quàm inedia vti; idque ob eam rationem, ne morbo procedente huius vigor, ſeu excandeſcentia, aut æſtuatio (calidus enim ponitur morbus, & de febribus potiſſimùm ſermo eſt) ægro occurrat inedia confecto, eúmque de medio tollat. *ἢ ἓν ἀπαντᾶν δεῖ. Igitur vel extenuandum protinus eſt.* Protinus, hoc eſt in morbi initio extenuandus victus eſt; non enim ea copia exhibendus, qua ante morbum, & ſanitatis tempore exhibebatur; non tamen omnino tollendus eſt, ſed offerendus eo qui ſequitur modo: ſic enim partem hanc, quæ diſiunctiuas illas particulas continet ex-

pono, tanquam nimirum verba illa, ἢ ὅτω πεφυσίσθω, veluti coarctatio quædam sint eorum quæ dicta sunt. Dixerat enim ob allatam rationem, statim ab initio esse cibum offerendum: quare subdit: Igitur vel summatim, & vniuersè scias esse tibi victum extenuandum ab eo more, quo æger antea vti consueuerat, non tamen vtendum inedia omnino, vel magis distinctè & per partes, eo modo cibum offeres, quo deinceps exponam. ἀναλαμβάνειν χρὴ πρῶτον τοῖς ῥοφήμασι. *Sorbitionibus primùm recreandum.* Quo genere cibi vtendum sit initio morbi docet, nimirum liquidis, & lenibus, quales sorbitiones sunt; illinc enim faciliùs, & minori cum labore nutrimentum ægris suppeditatur; huiusmodi autem necesse est primos cibos esse, qui nimirum primùm seu initio morbi ægrotis offeruntur: πεφθὰ enim, non πεφθὸν lego; sic enim habet Iustinianus, & legisse videtur antiquus interpres: huiusmodi igitur necesse est cibos esse, qui eo tempore ægris offeruntur, vt in stomacho non patiantur, nec diffundi à calore præ crassitie, aut soliditate opus habeant: nec etiam in ventriculo ferueant, hoc est vno verbo, qui minima coctionis opera egeant: cum labore enim hæc omnia circa corpus contingunt, at ægrotantis corpus minimo indiget labore. Hæc autem postrema aliter exposuimus, quàm reddiderit Theodorus, cuius verba Latina cum Græcis nihil omnino consonare videntur. Ita verò quæ in excusis modò habemus, Latinè sonant. *Non enim in ventriculo pati primos cibos oportet, diffundi, & excalfieri, cum labore enim hæc corpus patitur.* In impressis codicibus tum Aldinis, tum Basilienſibus coniunctum est hoc problema superiori, tanquam pars illius sit: sed & sententia diuersa apparet, & tum antiquus Interpres, tum etiam Theodorus nouum cõstituunt problema à superiori distinctum; quorum virorum iudicium nos sequuti sumus, atque initio statim problematis excudendum curauimus non πότερον δὲ, vt impressi illi habebant, sed πότερον δὲ, vt etiam reponit Iustinianus. Porrò de problematis huius materia, & cibi quantitate pro vario morbi tempore variè exhibenda pluribus pertractauit Hippocrates libro primo aphorismorum à quarto aphorismo per nonnullos subsequentes, & ibi ad satietatem Interpretes.

LIII.

Διὰ τί δεῖ σκοπεῖν τὰ περὶ τὸ οὖρον σημεῖα, ἀπολαμβάνοντα τὸν ἔρπιν, εἰ ἤδη πέπεπται, ἢ μὴ μᾶλλον ἢ συνεχῶς ἐρεῖται; ἢ διότι σημεῖον μὲν τὸ πεπέφθαι, ἐὰν ἡ πυῤῥόν; τοῦτο δὲ γίνεται μᾶλλον ἀφαλαμβάνουσιν· ἢ διό τι ἔνοπτον γίνεται ἅπαν μᾶλλον ὑγρὸν, χρόας ὀλίγον ἢ πολύ ὄν; ἐν μὲν γὰρ τῷ πολλῷ ὑγρῷ, τὰ χρώματα ἐνορᾶται· ἐν δὲ τῷ ὀλίγῳ, τὰ χρώματα· ὅιον καὶ ἐπὶ τοῦ ῥόδου, καὶ τῶν ῥανίδων, καὶ ἐπὶ τῶν δακρύων, τῶν ἐπὶ τοῖς βλεφαρίσι. συνεχῶς μὲν ἂν ἀφιέμενον, γίνεται πλεῖον ἀφιστάμενον δὲ, δῆλον μᾶλλον. ὥστε κἂν ἡ αὐτὸ τοιοῦτον ἤδη ᾖ διὰ τὸν πόνον, καὶ φαίνεται μᾶλλον τοῦ ἀναπλάσεως γινομένης, καὶ ἐνόπτου ἔνοπτον διὰ τὸν διαίρεσιν.

Cur intuendum vrinam, an concocta sit nec ne, profluuio intercepto mingendi potiùs quàm perpetuo? An quòd signum concoctionis vrina exhibet rufa, quod quidem meliùs intercepto profluuio deprehenditur. Genus enim quódque humoris, suum colorem pleniùs ostendit cùm exiguum est, quàm cùm multum, nam in multo figuræ, in exiguo colores conspectiores sensui obuiant: quod etiam in rore, sanguine, lacrimáque palpebris adhærente patescet. Vrina igitur si continuè dimittatur, copiosior redundabit: sin intercipiatur, index sui coloris certior erit. Quòd si iam ex concoctione colorem traxit eiusmodi, talis profectò apparere etiam ampliùs potest, cùm lumen se refringat, & tanquã speculum fiat, propter intermissionem profluuij.

Obseruationem proponit hoc loco Aristoteles, adhibendam in vrinarum inspectione, vt quæ ex illis petuntur coctionis signa, meliùs, & certiùs habeantur. Est autem illa, vrinam inspiciendam esse intercepta potiùs mictione, quàm continenter mingentem, seu intercepto potiùs mingendi profluuio, quàm perpetuo, vt vertit Theodorus; hoc est potiùs in modica, quàm in multa quantitate: ita enim hæc his verbis admodum obscura sententia, ex aliis, quæ in problemate ponuntur, exponenda videtur. Ratio autem est, quoniam cùm inter alia ex vrinæ colore coctionis signa deprehendantur; hic autem rufus color sit, πυῤῥὸς, vt hoc loco ab Aristotele ponitur (à Galeno enim libro primo de crisibus capite duodecimo in viro perfectæ ætatis ponitur subrufus, aut subflauus ὑποπυῤῥὸς, & ὑποξανθὸς) hæc autem res magis vsueniat, meliúsque nobis succedat exigua quantitate vrinam in-

ſpicientibus, quàm multam, modica potiùs, quàm multa erit illa inſpicienda: huius autem rei, ex rufo nimirum colore in vrina, meliùs haberi coctionis ſigna, ſi exigua, quàm ſi multa quantitate aſpiciatur, rationem nullam reddit, ſi problematis ſcripturam ſequimur, quæ habetur in vulgatis Græcis codicibus: ſtatim enim aliam ſubdit rationem ad id oſtendendum, quod in problemate propoſitum primo eſt, appoſita conſueta particula, ἢ, an: at ſi ſequimur Theodori tralationem, qui particulam hanc non agnoſcit, ratio redditur non quidem particularis de colore rufo, ſed generaliter de omni colore, magis videlicet eum apparere in humore exiguo, quàm in multo; verùm id fortaſſe haud multùm interſit, & in idem res cadit: ſi enim noua ratio eſt, non differt à priori, ſed eadem eſt pluribus explicata, & prior omnino ex hoc confirmatur. Illud potiùs conſideratione dignum, cur quam vult exigua quantitate accipi, & intelligi vrinam; illam dicat intercipiendam eſſe, nec perpetuò aut continenter, ſemel, inquam, totam mingendam, ſed pluribus vaſculis repetitis vicibus excipiendam, ne multa ſit: quid enim ſi qui mingit, non multa mingit, an & eo tempore intercipienda mictio? An intelligit diuidendam mictionem ſi multa ſit? verùm quando ei libuit paucitatem, & copiam vrinæ illis verbis exponere, quæ diuiſionem, ſeparationem, & diſtractionem ſignificant; ſunt enim ὑπολαμβάνοντα, ὑπολαμβάνειν, ὑπαπόρμου, ὑπόφρεσιν, rationem explicemus quæ ſequitur, ſiue illa ſit noua ratio, ſiue prioris confirmatio. Eſt, autem eadem propoſita tertio libro Meteorologicorum ad initium his verbis. *Quod igitur viſus reflectitur ſicut & ab aqua, ſic & ab aëre, & omnibus habentibus ſuperficiem planam, ex iis, quæ circa viſum oſtenſa ſunt, oportet accipere fidem, & propter quid ſpeculorum in quibuſdam quidem non ſolùm colores; ſed etiam figuræ apparent, in quibuſdam autem colores ſolùm. Talia autem ſunt ſpeculorum quæcunq; parua ſunt, & nullam ſenſibilem habent diuiſionem. In his enim impoßibile eſt figuram apparere, quandoquidem videbitur eſſe diuiſibilis, omnis enim figura ſimul videtur figura eſſe, & diuiſionem habere omniquâque; quoniam autem aliquid appareat neceſſe eſt, figura autem non poteſt, relinquitur colorem ſolum apparere.* Hæc tertio Meteorologicorum Ariſtoteles, quibus probatur ratione, quod hîc inductione, aut exemplis, in humore multo figuras, in exiguo colores ſolùm conſpici: humores enim, ſeu ſpecula, quæ ita parua ſunt vt ſenſilem diuiſionem nullam recipiant, nec ſenſu diuidua ſint; dicimus autem ſenſu quoniam re vera diuidua ſunt, ſola enim Democriti atomus indiuidua, at ſenſus non quatenus talia illa percipit: in talibus, inquam, non apparent figuræ, omnis enim figura, quatenus figura appræhenditur, eſt ſenſu diuiſibilis, quia termino, aut terminis circumſcripta; at humor ille, aut ſpeculum ad ſenſum non eſt diuiſibile, non igitur in illo percipi poſſit figura. De colore autem non ita res eſt; ille enim, etſi in magnitudine ſit, & quantitatem habeat, vt indiuiduus tamen, quomodo ſpeculum in quo apparet conſpici poteſt, quod figuræ non conuenit, quæ vt re vera magnitudine eſt prædita, ita figuram eſſe niſi quantam non cernimus; quæ ſententia eſt Franciſci Vicomercati in commentariis ad locum Ariſtotelis adductum pluribus explicata. Hoc autem loco Ariſtoteles probat eam inductione, aut exemplis exiguorum humorum generibus nonnullis in medium adductis, nam & ros, ſeu roris guttæ, ſtillæ aquæ, & lachrymæ ex palpebris decidentes huiuſmodi ſunt, in illis enim colores, minimè autem figuras, præ exiguitate, inſpicimus. Si igitur color apparet in pauca vrina, & nos pro coctione dignoſcenda colorem inſpicimus, pauca ſanè erit nobis inſpicienda, in multa enim, vt appareant figuræ, color non ita perfectè apparebit, quòd illius multitudo, & profunditas verum colorem impedire poſſit, vt coniicere etiam licet ex iis, quæ habet idem Ariſtoteles libro quinto de generatione animalium capite primo, vbi cauſſam reddebat oculorum coloris varietatis, his verbis. *Itaque qui multum humoris continent nigri ſunt, quoniam humoris copia tranſpici ſatis non poteſt cæſij, qui parum habent humoris, vt in mari etiam cernitur: etenim quantum eius ſatis tranſpicitur cæſium apparet: quantum minus, aquinum, quantum præ gurgite alto non præfinitur, id opacat: Et nigrum, aut cæruleum ſentitur.* Poſſit igitur in vrina ſimiliter verum colorem copia obſcurare. σωεχῶς μὲν ἂν ἀφιέμενον, *Vrina igitur ſi continuè dimittatur.* Colligit quæ dicta ſunt; ſi itaque vrina continenter, & abſque interruptione vlla dimittatur, plurima fit, in eáque ex conſequenti bene figuræ; ſi autem diſtrahatur, & diuellatur, recipit magis, hoc eſt magis apta, & accõmodata redditur ad patiendum, & recipiendum, nimirum ea quæ à natura in ipſa imprimuntur, quæ in præſentia ſunt colores coctionem oſtendentes. Vrina igitur quanquam cocta iam ſit; fuerítque per coctionem talis iam reddita, qualem neceſſe eſt eſſe, apparebit tamen magis talis beneficio reflexionis: quæ eſt ratio, quam adduxit Philoſophus libro tertio Meteorologicorum, fiétque certius, & verius ſpeculum, ſi exigua quantitate accipiatur, ſeu ob diuiſionem, vel interceptionem ipſius vrinæ vt loquitur Ariſtoteles: legendum

enim τὴν διαίρεσιν, vt habet Iustinianus, & legisse videtur Theodorus cùm impressi habeant αἵρεσιν. Peccasse autem Theodorum in problematis propositione exprimenda mihi suspicio est, cùm illam ita conuertit. *Cur intuendum vrinam an concocta*, & reliqua, quæ in ipsius versione leguntur; quibus proponi intelligit Theodorus intuendum vrinam an sit cocta nec ne; at ex illis quæ sunt ad finem problematis, cùm dicta colligit; apparet posuisse Aristotelem vrinam coctam iam esse, cùm scribit. *Quare etiam si ipsa, vrina, talis iam per concoctionem sit: apparebit etiam magis*, & reliqua. Igitur hæc ita potiùs conuertenda sunt. *Cur considerare ea quæ ad vrinam pertinent signa oportet, diuidendo, seu intercipiendo, aut cohibendo mictionem, si iam cocta est* (nimirum cùm iam cocta, aut si iam cocta est vrina, aut cùm iam facta coctio; vtróque enim modo interpreteris licet τὸ πέπαν, in idémque redit sensus) *minimè verò, aut magis quàm continenter mingentem?* Quod igitur quærit Aristoteles illud est, quare ex vrinis signa petenda sint; aspiciendo ipsas penes quantitatem distractas, minimè verò continenter emissas, id est in exigua, non in multa quantitate, quando hæc est interpretatio; cum quo tamen hoc coniungi necesse est, vt quæ modica dicitur aspicienda vrina, illa tamen sit cocta, hoc est rufa, tantúmque temporis interfuerit, quantum ad coctionem perficiendam est necessarium; aliter enim ex ea frustra signa peterentur; quòd si id adsit, tunc etiam in illius inspectione obseruanda quantitas est, vt signum hoc ex colore certius, & fidelius nobis appareat; non proponitur igitur ab Aristotele problematis finis inspiciendam esse vrinam, an cocta sit nec ne intercepto potiùs mingendi profluuio; & reliqua vt vertit Theodorus; sed petenda signa ex vrinis, inspiciendo ipsas, diuidentem potiùs quàm continenter mingentem; cùm tamen illæ coctæ iam sunt; non vult enim aliter inspici, & hanc omnino in eis requirit conditionẽ, qua posita, vt certius appareat signum quantitatem scribit obseruandam. Porrò autem quoniam non solùm hæc, quæ ad initium sunt, sed alia præterea nimia libertate transtulit Theodorus, necessarium putaui cum fide totum problema ita conuertere. *Cur considerare ea, quæ ad vrinam pertinent signa oportet, intercipiendo mictionem si iam coctio facta est, potiùs quàm continenter mingendo? An quoniam signum est concoctam esse si rufa sit: id autem magis contingit si diuidatur. An quoniam conspicuum sit magis colore humidum omne, paucum, quàm multum existens: in multo enim humido figuræ videntur, in paruo autem colores, quèmadmodum, & in rore, & stillis, & in lachrymis palpebrarum, continuè igitur emissa vrina, fit plus: distracta autem suscipit magis. Quare etiam si ipsa talis iam fuerit ob coctionem, apparebit etiam magis facta reflexione, & speculo conspicua ob diuisionem.* In his tamen postremis verbis Iustinianus expungit vocem ἐνόπτρου, vt τὸ ἐνόπτρῳ ab eodem præcedente participio, γινομένης, sit aptum; nimirum ita Latinè: *facta reflexione, & speculo ob diuisionem.*

LIV.

Διὰ τί ὁ δεῖ πυκνὸν τὸν σαρκα πρὸς ὑγιείαν, ἀλλ' ἀραιὸν; ὥσαυτως γὰρ πόλις ὑγιεινὴ ἡ τόπος ὕπνος (διὸ καὶ ἡ θάλασσα ὑγιεινή) ἕτω καὶ σῶμα τὸ ὕπνον, μᾶλλον ὑγιεινόν. δεῖ γὰρ ἢ μὴ ὑπαρχὴν μηδὲν περίττωμα, ἢ τότε ὡς τάχιστα ἀπαλλάττεσθαι· καὶ ἀεὶ ἕτοιμον ἔχειν τὸ σῶμα, ὥστε λαμβάνον, εὐθὺς ποιεῖν τὴν περίττωσιν, ἐν ᾗ ἐν κινήσει, καὶ μὴ ἠρεμεῖν. τὸ μὲν γὰρ μόνον, σήπει, ὥσαυτως ὕδωρ τὸ μὴ κινούμενον· σηπόμενον δὲ, νοσοποιεῖ· τὸ δὲ ἐκκενούμενον, πρὸς ὃ δυσφθαρτῶν χωρίζεται. τοῦτο δὲν πυκνούμενος μὲν ὁ σαρκὸς, ὁ γίνεται· (ὥσαυτως οἱ γὰρ ἐμφράττοντες οἱ πόροι) ἀραιούμενος δὲ, συμβαίνει. διὸ ἐν ὁ δεῖ ἐν τῷ ἡλίῳ γυμνὸν βαδίζειν (σωίσταται γὰρ ἡ σὰρξ, καὶ κομιδῇ ἀποσαρκῶται, καὶ ὑγρότερον τὸ σῶμα γίνεται)· τὸ μὲν γὰρ ἐντὸς, δυσφθείρει· τὸ δ' ὑπόπολὺς, ἀπαλλάττεται· ὥσαυτως καὶ τὰ κρέα τὰ ὀπτὰ, τῶν ἐφθῶν μᾶλλον) ὑπὸ δὲ τὰ σήθη γυμνὰ ἔχοντα βαδίζειν· ἀπὸ γὰρ τῶν ἄκρων ὠθουμενῶν τὸ σώματος ὁ ἥλιος ἀφαιρεῖ ἃ ἥκιστα δεῖται ἀφαιρέσεως, ἀλλὰ μᾶλλον τὰ ἐντὸς. ἐκεῖθεν μὲν ὂν ἀφ' ὃ τὸ πόρρω ἔῃ, ἐὰν μὴ μετὰ πόνου, οὐκ ἔστιν ἰδρῶτα ἀγαγεῖν. ἀπὸ τότε δ', ἀφ' ὃ τὸ θᾶττον, ῥᾴδιον.

Quam ob caussam corpus, cui secundam conciliamus valetudinem, non densum, sed rarum reddendum sit? An vt vrbs, locúsque quicúnque salubris est, qui placidè aspiratur: quapropter, & mare quoque salubre est: ita etiam corpus, quod spiratius est, sanitati opportunius constat. Aut enim nullum recrementum existet; aut, quod extiterit quamprimùm excernatur danda opera est; corpúsque est semper ita regendum, vt simul atquè excrementum admisit, habeat qua parte illud excernat; sitq; motui deditum non quieti. Quod enim manet; putrescit modo aquæ immotæ, putrescens verò

morbum committit: at quod excernitur, ante quàm vitietur decedit. Hoc igitur vt corpore denſo nunquam contingit (fit enim prope vt inuiſibilia foramina claudantur) ſic raro, ſolutoq; accidat neceſſe eſt. Quam ob rem in Sole, nudo corpore minimè ambulandum eſt: ſpiſſatur etenim caro, & coaleſcit, corpúſque parte interiore humidius redditur: quantum enim humoris reſidet aboletur: quantum inteſtinum eſt manet intactum. Qua ratione quoque carnes aſſæ elixis humidiores ſunt. Nec pectore quidem nudo ambulandum eſt: ita enim vis Solis corporis optimè parti conditæ adimet, quæ nulla egeat demptione, ſed inferna potiùs eam deſiderant. Inde igitur, vt è remoto non niſi cum labore ſudor educitur, hinc facilè ob loci opportunitatem digeri poteſt.

De raro, & denſo corporis habitu, quod ad vitam in ſanitate degendam pertinet, tractat hoc in loco Ariſtoteles eos comparans inter ſe; præfert autem rarum denſo, idque adeò ratione locorum, & vrbium; quemadmodum enim ratione ſanitatis loca, & vrbes præferendæ ſunt, quas εὔπνους dicit, Theodorus autem vertit, *quæ placidè aſpirant*, nimirum quæ perflabiles ſunt, ventíſque ſalubribus expoſitæ, cuiuſmodi ſunt in apertis locis ſitæ, non in conuallibus, nec montibus occluſæ; ita ſalubrius etiam corpus exiſtimari debet, quod magis perflatur, & perſpirationi magis patet, cuius nimirum foramina, & corporis meatus, ac viæ laxa ſunt, vt mox oſtendit. Tale autem corpus ſimiliter vt loca dicitur ab Ariſtotele εὔπνοον, licèt Theodorus variato termino, hîc dicat, ſpiratius eſt, ſuperiùs autem, placidè aſpiratur. Addit autem hac ſalubrium locorum, qui memorati ſunt occaſione Ariſtoteles; hinc fieri vt mare maximè ſalubre ſit, quippe maximè apertum, ventíſque peruium. Verùm de ſalubri locorum ſitu fuſiùs Hippocrates in libro de aëre, aquis & locis. δεῖ γὰρ ἢ μὴ. *Aut enim nullum recrementum.* Probat quod propoſuerat, præferendum habitum rarum denſo, ratione ducta ab eodem fundamento, quo locorum ſalubritatem inſinuauerat, in hunc modum: quod magis eſt perflabile hoc ſalubrius eſt, rarum eſt magis perflabile, rarum igitur ſalubrius eſt. Minorem propoſitionem confirmat; illa enim ſalubriora ſunt corpora in quibus, vel non exiſtunt excrementa, vel quàm primùm excernuntur, quæque mouentur, non autem quieſcunt; quæ enim quieſcunt illa putrefiunt, vt patet aquæ immotæ exemplo; putreſcentia autem morbum faciunt; in illis autem, quæ bene perflantur, excrementa vel non exiſtunt; vel excernuntur antequam morbum faciant; Itidem in iis, quæ mouentur, motus enim excrementis, eorúmve putrefactioni locum non concedit; fit igitur, vt quæ bene perflantur, ſalubriora ſint: tum minorem ſubdit, rarus habitus perflatur, non perflatur denſus, nam in denſo obturati meatus ſunt, per quos perflatio fit, in raro autem aperti, & laxi, rara igitur ſalubriora. Hippocrates, cuius doctrinam ſicuti in aliis Galenus ſecutus eſt, de corporis habitu ſeu textura, aut ſalubri, aut inſalubri, aut rara, aut denſa, non ſimpliciter, & ſine diſtinctione loquutus eſt; ſed iuxta lædentium cauſſarum varietatem, prout illæ aut internæ, aut externæ ſunt, tum rarum denſo, tum denſum raro anteponendum duxit; ſimpliciter autem moderatum corpus cæteris præferendum; tale autem neque rarum, neque denſum dici debere, ſunt autem verba in libello de optima noſtri corporis conſtitutione hæc. *Quæ moderato duriora ſunt, ab omnibus quidem exterioribus cauſsis; molliora verò ab interioribus: pari modo, & quæ denſiora ab extrinſecis, quæ rariora ab intrinſecis, difficiliùs lædentur. Quæ enim ab Hippocrate in libro de alimento ſcripta ſunt, raritatem ſcilicet corporis, quibus plura perſpirationis cauſſa per cutim feruntur ſaluberiorem: quibus pauciora, morboſiorem: dicta ab eo ſunt de alimenti ipſius excrementis, quæ ad ſanitatem, aut morbum pertinent. Non enim ſalubria ſimpliciter, aut morboſa corpora in eo libro ſibi inueſtiganda propoſuit: ſed de commodis omnibus, atque incommodis ſcripturus quæ ab alimento proueniunt; non abs re de ſalubribus, atque morboſis corporibus, quatenus ad ipſorum alimentorum excrementa attinet, meminit. Etenim ſi ad excrementa reſpicias, rariora corpora ſalubriora ſunt, denſiora verò morboſiora: rurſus q; rariora à cunctis externis cauſsis faciliùs affici, denſiora difficiliùs, poſſunt. Quam ob rem præter alia bona moderatum corpus neque rarum, aut denſum dici debet, ſed ſicuti inter alios, ſic quoque inter hos exceſſus medium conſtituendum eſt. Excedentium verò vtrumque; aliqua in re plus poſſe videtur; denſius namque à cauſsis externis, rarius verò ab internis minùs lædetur: quod autem ab vtraque cauſſa tutum omnino, illæſumq; ſit, deprehendi non poteſt; quod verò medium inter exſuperantias omnes poſsidet, mediocriter reſiſtit: idémque inter vniuerſa corpora*

ſaluberrimum cenſemus. Hæc Galenus, locus autem Hippocratis, quem citat Galenus ſcriptus eſt in libro de alimento commentario quarto iuxta Galeni diuiſionem his verbis Raſario interprete. *Raritas corporis ad tranſpirationem, quibus plus fertur ſalubrius, quibus minùs morboſius. Denſitas corporis ad tranſpirationem, quibus minus aufertur morboſum. Qui probè perſpirant, imbecilliores, & ſaniores, & facile conualeſcunt, qui malè perſpirant priùs quàm ægrotent robuſtiores ſunt. Cùm verò in morbum inciderunt, difficilius ſaneſcunt. Hæc autem & toti, & parti.* Hæc Hippocrates, ad quæ præter ea quæ adducta ſunt ex libro de optima noſtri corporis conſtitutione, licet etiam ea videre quæ in commentariis, aut commentariorum fragmentis quæ ſuperfuerunt ſcripſit idem Galenus. διὸ καὶ ὐ δεῖ. *Quam ob rem in Sole.* Corollarium infert. Quãdo rarus corporis habitus ſalubrior eſt, quàm denſus, nudo corpore in Sole minimè ambulandum eſt; caro enim ex ea re vehementer ſpiſſatur, & coaleſcit, durúſque, & denſus inde habitus euadit, corpus autem humidius fit; nimirum partes interiores; exteriores autem è contrario: nam cute denſata, & exſiccata vi caloris, atque ideo occluſa, humidum quod eſt in partibus quæ magis receſſerunt, manet & ſeruatur: quod autem in partibus reſidet in ſuperficie poſitis, illud aboletur, ſicuti contingit in carnibus, quæ igni aſſantur; illæ enim partibus internis humidiores, externis autem ſicciores ſunt; quam rem pluribus tradit libro quarto meteorologicorum; ſiccitas autem hæc in partibus exterioribus ſicuti vitioſa eſt ob rationem dictam, ſic praua etiam, & noxia humiditas illa in interioribus; quippe quæ extranea ſit, cùm non fiat ibidem ventilatio; nec perſpiret corpus, cuius ſaluti neceſſaria res eſt, adeóque vitietur humiditas illa interna, vnde morbi occurrunt. *Quantum enim humoris reſidet.* Supplendum, in ſuperficie aut ſimili voce, Græcè enim τὸ δ' ἐπιπολῆς: quòd ſi putauerit fortè Theodorus, verbo reſidet, ſuperficiem, vel exteriorem partem intelligi, exempla quærerem ex Latinis auctoribus. ἐ ὴ τὰ σήθη γυμνὰ ἔχοντα. *Nec pectore quidem nudo ambulandum.* Quod de toto corpore in corollario modò dixit, particulatim in præſentia de pectore tradit; nudo pectore haud eſſe in Sole ambulandum; Ratio autem quanquam eodem fundamento conſiſtit, diſtinctiùs tamen proponitur, nam ſi partes illæ corporis, quæ bene fabricatæ, ac temperatæ ſunt, cuiuſmodi nunc cutaneas, & externas pectoris ponimus, Soli exponantur; ſanè ab ijs partibus ablationem molietur quibus auferri non conuenit, nimirum ab exterioribus; tollendum autem potiùs ab interioribus eſt, quæ pluribus ſcatent humiditatibus; ex his enim, quæ in ſuperficie ſunt, facile eſt, quia ſunt ad manum ſudorem elicere, adeóque cùm ſæpe eliciatur non indigent euacuatione, ex interioribus autem receſſibus fieri id non poteſt niſi difficiliùs, & cum labore; adeóque rariùs cùm contingat, euacuatione rariùs fruuntur; atque ideo ipſa magis, illas quàm has indigere exiſtimandum; Sol autem eiúſque calor contrario modo operatur: ipſi igitur tegenda pectora ſunt. Διὰ τὸ εὐχειρον. *Ob loci opportunitatem digeri poteſt*, meliùs, educi.

L V.

Διὰ τί ποτε τοῖς χιμέτλοις καὶ τὸ ψυχρὸν ὕδωρ συμφέρει, καὶ τὸ θερμόν; ἢ ὅτι τὰ χίμετλα δι' ὑδρῳβολίαν γίγνεται ὑγρᾶς; τὸ μὲν οὖν ψυχρὸν, συνίστησι καὶ τραχύνει τὸ ὑγρόν· τὸ δὲ θερμὸν, ἐκπνεύματοῖ, καὶ ἔξοδον ποιεῖ τῷ πνεύματι λεπτύνων τὴν σάρκα.

Quam ob cauſſam pernionibus, & ambuſtis frigore, tam aqua frigida, quàm calida proſit? An quoniam genus id vitij ex nimio humore conſiſtit: frigida igitur humorem reſtringit, atque exaſperat, calida in ſpiritum vertit, carnémque elaxans, libertatem efflandi præbet ſpiritui.

Perniones, qua voce Græcorum χίμετλα reddunt, vlcera ſunt, aut inflammationes vlceroſæ, teſte Polluce, quæ in hyeme ob frigoris vim contingunt in manibus, & pedibus, præſertim puerorum: quod habemus etiam à Paulo Ægineta libro tertio capite ſeptuageſimo nono, qui caput inſcribit de pernionibus euenientibus in plantis pedum, & calcaneis, & poſtmodum ait illos eſſe vlceroſas diſpoſitiones, quæ fiunt circa digitos manuum, & pedum tempore hyemis. Hæc igitur affectio quare tum à calida, tum à frigida aqua iuuetur oſtendit Ariſtoteles; rationem autem reddit depromptam ex cauſſis, vnde affectio, aut vlcera illa fiant. Sunt autem cauſſæ excedens humiditas; vnde & in illis corporibus ſæpius fiunt, quæ humiditate multa redundant, ſicuti ratione ætatis in pueris, vt dictũ eſt; præ hyberno enim frigore admodum retuſo natiuo calore in partibus illis à corde remotis, occlusáque cute, humor à debili calore minimè conſeruatus, aut rectus defluit, atque

tumorem illum excitat. Iuuare igitur aquam frigidam dicit Aristoteles, quoniam adstringit, condensat,& exasperat humorem illum,id est sistit, & asperitate,ac inæqualitate inducta efficit, vt præ lenitate non adeò promptè diffluere possit, ex quo morbus minor fit. Caliditas autem prodest, quoniam conuertit humiditates in spiritus, & carnes rarefaciens, viam præbet spiritui,vt possit foras erumpere, & sic tollitur caussa morbi in flatum conuersa. Paulus Ægineta loco quem adduximus, ex frigidis remediis proponit succum hyosciami, seu alterium continenter illitum, quem ab inflammatione, & doloribus vindicare dicit, vt appareat magis conuenire initio morbi, calida autem multa proponit toto capite. *Et ambustis frigore.* Hæc Theodorus de suo addidit ad eum finem puto vt quid pernionibus significaretur notum meliùs faceret. Aristoteles enim vna tantummodum voce vtitur, τοῖς χιμέτλοις.

LVI.

Διὰ τί τὸ ψυχρὸν ἢ ποιεῖ ἢ παύει τὰ χίμετλα, ἢ τὸ θερμὸν τὰ πυρίκαυστα; ἢ ἀφ' ἑνὸς τοῦ αὐτοῦ; ποιᾷ μὲν, σωτήκοντα· παύει δὲ, μᾶλλον ξηραίνοντα.

Cur frigus perniones,calor ambusta,& facit,& tollit? An quòd eadem vis colliquefaciendo facit, exsiccando tollit.

A frigiditate tolli perniones superiori problemate ostendit Aristoteles, ab eadem creari diximus nos ex Polluce, & Ægineta: tolli itidem à caliditate ibidem simul proposuit, inquisitione vt puto dignum existimans,quomodo à contrariis caussis eadem particularis affectio tolleretur. Non dissimili ratione inquirit; modò quomodo tum iidem perniones à frigore, & tollantur,quod superiori problemate ostendit,& ab eo frigore generentur,quod modò proponit; tum simul quomodo calor & faciat, & tollat ambusta; quomodo nimirum eadem omnino caussa tum faciat, tum etiam tollat eundem particularem, sed & singularem morbum. De pernionibus igitur superiùs explicata res est; de calore notus est effectus vel fabrorum ferrariorum exemplo,qui quoties aut candenti ferro, aut accenso carbone aliquam corporis partem comburunt, eam statim flammæ, aut spiranti igni,quod ad manum habent remedium propè admouent, & curantur. Caussam vtriúsque quæsiti Aristoteles reddit. Ait igitur in vtraque re esse eandem rationem; hoc est, qua ratione frigidum & facit,& tollit perniones, eadem calidum & facere, & tollere igne ambusta. Ratio autem tum in hoc, tum in illo ex colliquatione, aut fluxione, & exsiccatione tota pendet. Ait igitur quòd frigidum colliquando facit pustulas illas, seu vlceroſas dispositiones: nam cùm in corpore nostro vi frigoris exprimantur humiditates, liquescunt & fluunt huc, & illuc; & tandem ad debiliores partes quales maximè, & manus,& pedes sunt decumbunt; atque ita perniones à frigore gignuntur. Idem porrò frigus quoniam adstringit, & densat humorem exsiccat,sicuti in præcedenti problemate dictum est,atque ita perniones tollit,& hæc de frigido. De calido eodem modo dicendum est.Calidum enim colliquando,hoc est humorem trahendo fluxionem citat, & adustionem gignit: idem verò exsiccando humorem,qui fluxit ad partem adustam, seu partem ipsam, in qua eadem facta est, adustionem tollit. Porrò ab eadem caussa contrarios gigni effectus ratione diuersitatis rei subiectæ, modi, & temporis minimè absurdum, aut ignotum est; qua de re etiam alibi Aristoteles, tum in hoc libro, tum in aliis commentariis. Prima solutionis verba in Græcis exemplaribus cum interrogatione proponuntur hoc modo. *Cur frigus perniones, calor ambusta & facit, & tollit? An ob idem ipsum? siquidem colliquando faciunt, exsiccando autem tollunt.*

LVII.

Διὰ τί ἐν τοῖς πυρετοῖς διδόναι δεῖ τὸ ποτὸν πολλάκις καὶ κατ' ὀλίγον. τὸ μὲν γὰρ πολὺ, ῥᾳδίως· τὸ δὲ ὀλίγον μὲν, πολλάκις δὲ, διαφθείρει, καὶ εἰς τὰς σάρκας χωρεῖ. διὰ γὰρ τὰ ἐν τῇ γῇ, ἐὰν μὲν πολὺ ἔλθῃ τὸ ὕδωρ, ῥᾳδίως· ἐὰν δὲ κατ' ὀλίγον βρέχει μόνον. τὸ αὐτὸ δὲ καὶ ἐν τοῖς πυρετοῖς. τὰ γὰρ ῥέοντα ὑδατα, ἐὰν τις κατ' ὀλίγον ἄγῃ, ὁ ὀχετὸς σκπίνει· ἐὰν δὲ τὸ ἴσον ἀθρόον ἄγῃ, ὅπερ ἐὰν ἄγῃ, χωρεῖ ἐπὶ πλέον καὶ κατεισθω ἀκίνητ@ ὡς μάλιστα. ἀκίνητ@ μὲν, ὅτι καὶ τὸ πῦρ φανερῶς ἐὰν τι μὴ κινῇ, καταμαραίνεται. ὥσθ' ὁ πνεῦμα δὲ μὴ καταπίνῃ, διότι ὁ ἀὴρ τὸ πῦρ ἐξεγείρει· καὶ ῥιπιζομένου τὸ πῦρ, ἐξ ὀλίγου πολὺ γίνεται. ὥστε ἐλλεδς δὲ τότε ἕνεκεν, ὅτι πυρὶ ἐὰν ἀναπνοὴν μὴ διδῷς, σβέννυται· καὶ τὰ ἡμμένα μὴ ἀπογομνέσθω, ἕως ἂν νοτὶς ἐγγένηται. τὸ φανερὸν γὰρ πῦρ, τὸ ὑγρὸν σβέννυσι· καὶ ταὐτὰ δὲ καὶ ἐν τῇ φύσι. ὅτι δὲ τῶν ἀμελουμένων πυρετῶν, ἀφορῶσι δάκνειν δεῖ καὶ ἐλκώδεα, καὶ πυρίαμα ὥστε τοὺς πόδας

ὥσπερ

πῶς διαπήγνυται· καὶ πῶς ἐκλειχόμενον ἀναπάνεται, ὅπως ὅτι θερμότερον ἢ πρὸς τὸν λῆψιν ᾖ· καὶ γὰρ ὅταν πολὺ πῦρ, λύχνου δ' ἅπτεται καίεται· τὸ γὰρ πῦρ τὸ πολὺ, τὸ ὀλίγον πρὸς ἑαυτὸ ἄγει· τοῦτο ἕνεκεν πολὺ πῦρ ἐν τῷ σώματι διασπᾶσθαι δεῖ, ὅτι ὀλίγον ὁ πυρετὸς πῦρ ἔχει· ὥστε τὸ πολὺ πῦρ τὸ ὀλίγον εἰς ἑαυτὸ ἄγει.

Cur potio febrientibus ſæpe, & paullatim ſubminiſtranda ſit? An quòd potio multa præceps defertur, exigua lentè incedens irrorat, madefacit, ſeſéque inſinuat corpori. Sicut enim in humo ſi aqua largè acceſſerit perfluet, ſi paullatim verò madefaciet tantùm: ita etiam in febribus agit. Nam & aquas fluentes ſi quis paullatim deducit, alueus humorem totum ebibit, ſed ſi tantundem aquæ vniuerſum dimiſerit, ſcaturigo velox vſque eo profluet, quo deducere libitum eſt. Tum æger quieſcere, immotúſque quoad maximè fieri poteſt, iacere debet: immotus inquam, quòd ignem quoque emarceſcere certum eſt, vbi à nullo mouetur. Nec aduerſus flatui cubet, quoniam flatus excitat ignem, ſolicitatúſque per auram ignis ex paruo magnus aſſurgit. Obuelandus æger, operiendúſque propterea eſt, quia ſi nullum igni concedatur ſpiraculum extinguetur: nec veſte quidem exui debet, donec inſudare occœperit. Vt enim ſubiectum hunc ignem viſui, ſic & deliteſcentem illum naturæ humor extinguit. Adde in genere febrium intermittentium, balneum, & fomenta pedibus admouenda, & veſtem pleniorem ſuperponendam, & quietem agendam, quibus præparetur, vt corpus perquàm calidum ſit ante acceſſionem. Vbi enim multum ſupereſt ignis, lucerna nequit ardere: exiguum quippe ignem multus ille ad ſe trahit. Ita fit vt multum ignis in corpore præparandum ſit, febris enim exiguum cõtinet ignem, multúſque proinde ad ſe ducet exiguum.

Quæ hoc loco afferuntur ab Ariſtotele, illa in codicibus Græcis abſque conſueta interrogationis nota proponuntur, vt Latinè ita ſonent. *Febrientibus potio ſæpe, & paullatim exhibenda eſt: multa enim præceps defertur*, & reliqua; eam tamen notam habet Theodori tralatio; ac ex opinione reponit Iuſtinianus. At quando non omnia, quæ traduntur, videntur referri ſingula ad id quod primò proponitur, ſed diſtinctas eſſe præceptiones, non malè poſſit abſque ea legi locus. Nobis tamen qui Theodori tralationem propoſuimus, eam apponere viſum eſt conſentaneum. Ariſtoteles igitur in præſentia circa febricitantium regimen præcepta nonnulla tradit; tam eorum, quorum continua febris eſt, quàm quibus per circuitum accedit. Sunt autem quæ ad primos pertinent præcepta quattuor. Primum iis exhibendum potum ſæpe, & paullatim; ſic enim corporis noſtri partes meliùs eo irrigantur, exemplo aquæ labentis, ſiue cadat è cœlo, ſiue è riuo deducatur: quæ enim in magna irruit copia, diffluit, & præterlabitur, quæ verò lentè, & paullatim decidit, aut deducitur, tota à terra abſorbetur. Hoc præceptum tamen conuellit Hieremias Thriuerus Brachelius vir ſanè doctus in commentario ad librum de victu idiotarum, ſiue ille Polybi ſit; ſiue Philiſtionis, aut Phæſtæ, aut Pherecidis, ad quos illum alicubi refert Galenus. Illius Auctoris verba ſunt hæc. *Vere iam ineunte plus, ſed dilutius, & paullatim bibendum eſt.* Thriuerus autem in commentario ita ſcribit. *Obſcuriùs eſt quòd, paullatim, dicitur. Fortè vult, quòd paullatim debemus hîc augere quantitatem potus, donec ad æſtatem venerimus. Hîc enim plurimum bibimus. Fortè voluit quòd in vere ſæpius, ſed minùs; è contrario in æſtate plus, ſed rarius ſit bibendum. Nam & in febricitantibus ſi quis parum pitiſſat, magis inflammatur: quocirca multo humido ſimul ægros prolui oportet. In ſanis è contrario paullatim, ſed ſæpius bibendum vt fiat melior cibi fermentatio, & digeſtio. Id videtur ignoraſſe in problematis Ariſtoteles. Verùm nec id nos ignoramus, ſi quem ſitis ex ſiccitate vrgeat, præſertim faucium, hîc per ſyphonem bibere conducere. Ita enim fauces paullatim magis diluimus, atque humectamus.* Verumtamen febricitantem, qui parum pitiſſat, eum magis inflammari, non probat Thriuerus: quod ab eo obſtinatus quiſpiam, præſertim aduersùs Ariſtotelem proponente, non iniuria quæreret. Sed confirmetur ignis exemplo, quem exiguis ſtillis irrorans ferrarius faber viuidiorem efficit, & diutius conſeruat. At corpus hominis ignis non eſt, ſed humore participat: nec ita rem accipit Ariſto-

teles,

teles, quod vel exẽplo pateat de terra adducto, quod proximius quàm ignis est: hanc enim si quis exiguo aquæ rore tempore calido madefaciat, non humiditatem inducat, sed æstuationem maiorem, quod agricolis notum: Aristoteles autem ex irrigationis modo quem proponit, vult terram humescere; ex potionis igitur modo humescere hominum corpora, quando hanc similitudinem adducit. Iam ergo non sit absimile quod proponit Aristoteles, ab eo quod per syphonem idem Thriuerus adducit; nec prohibent verba. Alterum Aristotelis præceptum est: immunem à motu febricitantem iacere debere; Quemadmodum enim videmus ignem, si cum nemo moueat, aut exsuscitet marcescere, & extingui: eodem modo accidit in febri, qui nil aliud quàm ignis seu calor est, vt immota extinguatur. Tertium est, vt decumbat æger minimè vento expositus; nam ventus ignem suscitat, flabellatúsque ignis ex pauco multus euadit; quod idem in febri accidere, quando & illa ignis, existimare licet. Quartum est vt concluſus maneat; si enim igni spiraculum non dederis, sed iaceat oppressus, & suffocatus extinguitur. Ob eandémque rationem vestimenta, seu stragula exuenda, aut tollenda febricitanti non sunt; sed iis coopertum agere ægrotum necesse est; idque tamen donec sudor aliquis superueniat; tunc enim sudori exitus est relinquendus, neque pannis suffocandus æger; Sudoris enim excretio optima est; nam illius beneficio à natura extinguitur febris, vt ab aqua, quem oculis videmus extinguitur ignis. Porrò quæ hîc dicta sunt omnia de motu, vento, tegumentóque ignis, quæ ipsum adaugent accipienda sunt de mediocri earundem rerum adhibitione: mediocris enim motus, ac ventus, & mediocre cooperimentum illud præstant; vehementiora autem contrarium efficiunt, sicuti habemus à Galeno libro de morborum caussis capite tertio his verbis. *Neque verò in obscuro est, quòd si eas, flammas* flabellans *hoc est mouens, si quidem modicè hoc feceris, augebis: si verò immodicè, dissolues ac dißipabis: sic & ventos magnitudini flammæ respondere oportet, si quid eius augmento conferre debuerint: qui verò maiores sunt, quàm illa queat sustinere, dispergent non flabellabunt: ex quo manifestum fit, quòd flamma quidem ad sui incrementum motu eget aduentitio, non tamen immodico. Si enim nullo modo flabellabunt elanguet, vehementiore autem motu extrinsecus vrgente dissoluitur, ac dißipatur.* De suffocatione autem seu stipatione eiusdem flammæ ita paullò ante. *Si etiam qui flammæ circumfunditur aërem stipaueris, aut nimiùm rarefeceris, sic quoque flammam decrescere, ac periclitari, ne penitus extinguatur, inspicies. Stipatur autem si cucurbitam, qua medici vtuntur, vel furnulum, aut tale aliquod aliud circumponas. Quod etiam continget si fornacum foramina clauseris.* Hæc Galenus. ὅπι ἢ τ̃ ὄ ἀλεπόντων πυρετῶν. *Adde in genere febrium intermittentium.* De febricitantibus non continuè, deinceps agit Aristoteles, exponens quæ illis ante accessionem conueniant; Ait igitur conuenire illis balnea, & fomenta ad pedes apposita, pannisque obtectos ægrotos quiescere debere, vt cùm accessio ipsos apprænderit calidiores sint; vbi enim multus ignis est, haud potest locum habere exiguus; hunc enim trahit ille ad se, atque absumit, & ad hunc modum, calor, quem nos molimur maior calore febrili eum tollet, & extinguet: hæc autem ratio cùm breuiùs, & minùs explicatè haberetur in codicibus Græcis impressis tum Aldinis, tum Basilienſibus, pluribus autem verbis in tralatione Theodori, & antiqui Interpretis, nos illam ex Iustiniani codice iuxta tralationes propositas suppleuimus, multis additis verbis vt conferenti patere potest, quæ etiam habentur in sequenti problemate. Quod autem inquit Aristoteles de maiori igne trahente ad se minorem, est etiam Galeni sententia loco adducto his verbis. *Quòd si in multo Sole, & calido, & aprico loco, aut ad alteram maiorem flammam admoueris, tunc quoque minorem flammam marcescere videbis: quoniam exterior flamma, vt quæ præpotentior sit elaxat, atque dispergit minorem.* Aristoteles adduxit eandem in tertio libro de cœlo, & mundo textu quinquagesimo secundo, ac etiam in libro de longitudine, & breuitate vitæ.

LVIII.

Τεταρταίοις πυρετοῖς δεῖ μὴ λεπτύνειν, ἀλλὰ πῦρ ἐν τοῖς σώμασιν ἐμποιεῖν εὐσάρκους· δεῖ δὲ καὶ τοὺς γυμνασίοις χρῆσθαι· ἢ δὲ ἡμέρα ἡ λήψις, λεκάνιον, ὕπνον μὴ ζητεῖν. Διὰ δὲ τοῦτο καὶ συμφέρει θερμαίνεσθαι δίκαια, ὅτι ἀσθενὴς ὁ τεταρταίου πυρετός· εἰ γὰρ μὴ ἰσχὺν ἀσθενὴς, οὐκ ἂν τεταρταῖος ἐγένετο· ὁρᾷς ὅπου πολὺ, λύχνου ἐν δυσὶ καίεσθαι; τὸ γὰρ πολὺ, τὸ ὀλίγον πρὸς ἑαυτὸ ἁρπάζει· τούτου δ' ἕνεκεν, πολὺ πῦρ ἐν τῷ σώματι ἐμποιεῖν, ὅτι ὀλίγον ὁ πυρετὸς πῦρ ἔχει· ἔστι δὲ τὸ καθ' ἡμέραν δίαιτημα, τὸ μὲν, πῦρ, τὸ δὲ, ποτὰ εἰς τὸ σῶμα εὐσάρκους.

Quartanis febribus ratio victus extenuanda non est, sed ignem corpori

interſerendum, nec non exercitatione vtendum: & qua die acceſſio inſtat, lauandum, ſomnúmque minimè quærendum. Hîc victus calefaciens prodeſt, quia febris quartana imbecilla eſt: nam niſi imbecilla eſſet, quartana non fieret. Vidéſne lucernam, vbi multus ignis perflagrat, ſuam aſſeruare flammulam minimè poſſe? Multus enim ille exiguum ad ſe rapit: ergo multum ignis accendendum in corpore eſt, vt quod exiguum febris continet, reſtinguatur, ſit igitur victus quotidiani ratio, quæ partim ignem, partim rorem indat in corpus.

In ſuperiori problemate de omnibus generatim febribus pertractauit, in hoc autem de quartanis ſpeciatim: docet autem & quæ remediorum genera ipſi minimè adhibenda ſint, & quæ adhibenda. Tenuis igitur victus ratio, remedium illud non eſt, quod in hac febre potiſſimùm ſit quærendum, quemadmodum in acutis, magníſque inflammationibus coniunctis; ſed calefactio potiùs multa procuranda eſt, illáque in corpus introducenda; hoc enim magis accommodatum remedium eſt, quàm tenuis victus ratio, cuius cauſſa paullò poſt affertur. Exercitationes etiam proficuæ ſunt, illæ enim & calorem natiuum excitant, & febrem facientes humores, qui craſſi, & contumaces ſunt extenuant, emolliunt, & coctioni reddunt magis aptos, die etiam acceſſionis, ſed paullò antè quàm illa ingruat, balneo vtendum eſt, nam ex calidi balnei vſu humores ſimiliter attenuantur, meatibúſque corporis patefactis, via facilis naturæ paratur, qua morbifica cauſſa expelli poſſit; eſtque nimirum eadem Auicennæ ſententia, quo loco de curatione quartanæ agit. Somnus autē eâdem die fugiendus, nam reuocat ille humores ad partes internas, atque ita & acceſſio producitur, & morbus ingraueſcit. Διὰ δὲ τοῦτο καὶ συμφέρει. *Hic victus calefaciens prodeſt.* Reddit rationem ſententiæ paullò ante propoſitæ, ideo dicens vtendum eſſe calefacientibus, & calida victus ratione, quoniam febris quartana, exigua ſeu tenuis febris eſt; quod probat: nam non eſſet quartana, nec per duos continuos dies intermitteret, ſi non eſſet exigua: ſi enim valida, & potens eſſet, exardeſceret illa aſſiduè, nec requietem vllam præberet ægrotanti: cùm verò ſolummodo quarto quoque die ingruat, calore maximo deſtituitur, & ita poſſumus audacter calidis vti. Id verò in continuis minimè liceret, non enim eadem valeret ratio, cùm in illis, febris ſeu calor maximus ſit: probat autem eandem rem etiam exemplo rerum externarum, nimirum lucernæ, quam ſi maiori flammæ propiùs admoueas, haud poteſt exardeſcere, ſed ab illa corrumpitur, & deſtruitur, quæ ſimilitudo etiam in ſuperiori problemate adducta eſt; confirmatúmque à nobis ſimile, tum eiuſdem Ariſtotelis teſtimonio aliis in locis, tum etiam Galeni. Ἔστι δὲ τὸ καθ' ἡμέραν δίαιτημα. *Sit igitur victus quotidiani ratio.* Quoniam dixerat victus ratione calefaciente vtendum nobis eſſe in quartanis, ne quiſpiam exiſtimaret, hoc ſolùm opus à nobis in victu quærendum, docet non ita quærendam calefactionem, vt humectatio deferatur: ſed partim illam, partim hanc procurandam; & ideo ait *ſingulis diebus, ſeu quotidie:* vt de omnibus morbi diebus, tum quibus fit acceſſio, tum quibus non fit, appareat eum agere hoc loco, cùm ſuperiùs vbi de ſola calefactione loquebatur, videatur eos præcipuè dies intelligere quibus ingruit acceſſio.

LIX.

Εἰσὶ δὲ νόσοι, αἱ μὲν, ἀπὸ πυρός· αἱ δὲ, ἀπὸ νοτίδος· ἰατρεύονται δὲ, αἱ μὲν ἀπὸ πυρὸς, νόσοι, νοτίδι· αἱ δὲ ἀπὸ νοτίδος, πυρί. νοτίδα γὰρ ξηραίνει.

Morborum alij ab igne, alij à rore creantur. Curat morbos ignis, ros; roris, ignis. Hic enim exſiccat rorem.

Quod pluribus demonſtrauerat Hippocrates in primo libro de natura humana, & fuſiſſimè Galenus multis in locis, morbos conſiſtere, cùm aliqua ex quattuor primis qualitatibus modum excederet; & contrariarū contrarias eſſe remedia, idem docet hîc Ariſtoteles, dum ex morbis alios ab igne, nimirum à caliditate, & ſiccitate, alios ab humiditate oriri affirmat; quamuis enim alias non enumeret qualitates, nec alias earundem combinationes, omnes tamen intelligi vult. Dicit autem morbos ignis, ſeu calidos curari ab humiditate, & morbos, qui ex humiditate à caliditate; licèt propriè hæc contraria non ſint, quia reſpicit potiùs effectum, quàm formam ipſam, aut cauſſam; quomodo etiam Hippo-

crates

crates primo aphorismorum dixit. *Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit:* quia humiditas effectui caliditatis resistit, quæ est siccitas, vt adnotauit Aponensis. Contrarium sanè, in ea medicorum illustri propositione contraria contrariis curantur, sumendum esse non propriè, sed communiùs, docet Galenus libro vndecimo methodi capite duodecimo, nimirum vt non sola sit in qualitate contrarietas, sed etiam in quantitate, quam tamen Aristoteles non contrarietatem, sed oppositionem vocat; non enim magnum paruo vult esse contrarium, nec multum pauco, sed nec rarum denso, neque relaxatum contracto: At Hippocrati, & Platoni hæc omnia contraria sunt; sicuti ibidem Galenus scribit: quin & quæ non proximè, sed per accidens curant, non proximè, sed per accidens sunt contraria, vt scammonium euacuando bilem in morbo calido, contrarium dicetur morbo calido, & aqua frigida largè affusa cùm æstate sanat conuulsionem, eidem etiam dicetur contraria; & alia simili modo; omnia enim ad contrarietatem, seu oppositionem reducuntur. Porrò cur Theodorus verteret, ros, quod Græcè est, νοπὶς, non video caussam; νοπὶς enim humiditas est: vt apparet ex Athenæo libro nono, vbi in illis, quos ex Alexide citat versibus, quomodo assa nimirum, aut tosta possint artificio fieri aliquantisper succosa, quod paullò ante dixerat; ἕλξει δ' ἀυτῆς νοτίδα, mox dicit, τὴν ὑγρασίαν ἐκδέξῃ. quanquam, & de iisdem carnibus statim subiiciat, ἔσται δροσώδη τὴν ὄψιν, erunt habitu roscidæ. Non enim negandum, νοπίδα, seu humiditatem posse dici de eo quod Græcè δρόσον, aut ros, sicuti rorem, aut δρόσον de re leuiter humida, vt in postremis ex Athenæo verbis, at hoc Aristotelis loco æquiuocationem ex rore de cœlo cadente, quam non habent Aristotelis verba, inducere, id verò non erat necessarium.



ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Β.

ὅσα περὶ ἱδρῶτα:

ARISTOTELIS PROBLEMATVM SECTIO II.

De Sudoribus, THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII COMMENTARIVS.

I.

ΔΙΑ τί ἐάν τε συστέλλωσιν ἐάν τε κατέχωσι τὸ πνεῦμα γίνεται ἱδρὼς, ἀλλὰ μᾶλλον ἀνίεσιν; ἢ ὅτι τὸ πνεῦμα κατεχόμενον πληροῖ τὰς φλέβας· ὥστε κωλύει ἐξιέναι; ὥσπερ τὸ ὕδωρ τὸ ἐν τῇ κλεψύδρᾳ, ὅταν πλήρεις ὦσιν ὀπαλάβῃ τις· ὅταν δὲ ἐξέλθῃ, πολὺς γίνεται, διὰ τὸ ἐν αὐτῇ ὀπληφίαν ἀθρόαν γίνεσθαι καὶ μικράν.

Cur neque intento, neque contento ſpiritu, ſed potiùs relaxato ſudor proueniat? An quoniam retentus ſpiritus venas implet, itaque humorem exire non patitur, vt in aqua fit vaſis, quod in mare demiſſum dulcem intra ſe colligit humorem, clepſydráque ob id nominatum eſt: neque enim effluere, cùm quis pleno iam vaſe partem alteram obturauit: ſed vbi per ſpiritus libertatem ſudorem promere licuit, multus certè erumpit, quoniam ex ipſo retentu copia humoris paullatim collecta eſt.

Theophraſti liber extat eiuſdem argumenti, ac tituli, quo hæc ſectio inſignita eſt, in quo bonam partem eorum habemus, quæ hîc ab Ariſtotele tradita ſunt, eiſdem non ſolùm ſententiis, verùm etiam verbis; vt vel Theophraſtum ſumma libertate de præceptore illa deſcripſiſſe, vel ex Theophraſto ſub Ariſtotelis nomine hæc aliquem poſtea conſarcinaſſe appareat. Vt vt ſit, nos hæc exponemus, Theophraſtea locis ſuis afferentes, vt quidem poterimus: eſt enim liber ille in editione Baſilienſi non ſolùm lacer, ſed adeò erroribus contaminatus, vt pleríſque in locis ſenſum percipere non ſit pote. Excerpta quædam ſanè edidit H. Stephanus aliquantiſper emendatiora: ſed illa pauca ſunt: nos tamen eis cum fructu vſi ſumus, & adducimus cùm habemus. Quod autem primùm de ſudoribus Ariſtoteles quærit, illud eſt, cur neque adducentibus, neque continentibus ſpiritum ſudor proueniat, ſed eo potiùs remiſſo. Horum primam partem Theodorus per illa expreſſit *neque intento, neque contento ſpiritu:* infeliciter vt puto; illud enim patiendi participium *contento*, cùm poſſit eſſe tum à contineo, tum à contendo, primùm ambiguitatem hoc loco parit: tum cùm à cõtineo verè ſit, vt ex ſenſu, & ex Græca voce colligitur, obſcura phraſis eſt; quippe minùs Latina, vt exiſtimo, præſertim apud illum interpretem, qui elegantiam profiteretur, & affectaret, atque ſenſum minùs commodè, & perfectè exprimit. *intento*, autem idem eſt ac, adducto, ſeu contracto, nec illud reprehendo. Porrò autem hæc eadem duo verba συστέλλωσιν & κατέχωσιν, niſi poſita ſint tamquam ſynonima; dixerim à priore actionis illius, qua ſpiritus cohibetur, principium, aut veluti formam quandam propius exprimi: à poſteriore

ſteriore autem rem ſimpliciùs ſolam ſignificari: Exiſtimauerim tamen legendum potiùs σωστενδσιν, &, κατεχδσι datiuo multitudinis, vt apparet legiſſe antiquum interpretem, qui vertit: *neque contendentibus neque continentibus:* eſſet enim ita planior orationis ſtructura: Explicat autem quod quæſitum eſt Ariſtoteles hac ratione, quia dum ſpiritus adducitur, ſeu contrahitur, atque continetur, implentur & occluduntur venæ, vt non poſſit inde exire ſudor, quam rem ſimilitudine apertiùs ſequitur ad oſtendendum. ὥσπερ τὸ ὕδωρ τὸ ἐν τῷ κλεψύδρῳ. *Vt in aqua fit vaſis, quod in mare demiſſum dulcem intra ſe colligit humorem, clepſydraq; ob id nominatum eſt.* Duplici ratione errauit hoc in loco Theodorus, tum quòd præter boni interpretis fidem, multa extrinſecus pro clepſydræ deſcriptione accerſiuit, quæ non erant apud auctorem: tum quòd eandem clepſydram, vt obſeruauit ante me Petrus Victorius variarum lectionum libro trigeſimo ſecundo, capite primo, nõ bene accepit, aut deſcripſit. Quid enim in mare demitti, dulcémque intra ſe colligere humorem ad clepſydram pertinet? quiſve illius rei hîc vſus? cereum certè vas, quo ex mari dulcis aqua colligebatur, cuius meminit Ariſtoteles libro ſecundo Meteorologicorum, nihil ad rem; nec verò tale à Theodoro intelligi putem, cùm nec ceræ mentio vlla fiat, nec vas illud clepſydram appellatum alicunde conſtet. Immittebantur ſanè in aquam clepſydræ ad eam hauriendam, vt conſtat ex Ariſtotelis problemate VIII. ſect. XVI. atque ex pulcherrimis Empedoclis verſibus, quæ leguntur in libro de Reſpiratione; non tamen in mare ad eum finem, quem ſignificare videtur Theodorus: niſi ſi ille aliquo cæteris ignoto loco, id videre potuit. Quid autem aliud doctus ille interpres intellexerit, diuinare non poſſum; Hæc autem ſicuti vera puto, ita illud non liquet quod dicit Victorius, per clepſydram hoc loco non intelligi vas horarium, ſed illud quo horti irrigantur. Cur enim magis hoc quàm illud? aut cur non potiùs vtrúmque? non enim probat aliqua ratione, aut teſtimonio Victorius, horariam clepſydram talem fuiſſe, in qua hic effectus de quo Ariſtoteles in problemate, apparere non poſſet. Quin & fortè in aliis inſtrumentis etiam idem ille conſpiciebatur. Alexander enim problemate nonageſimo quarto libri primi, cùm de harpagiis hunc propoſuiſſet effectum; quare digito admoto ſuperiori foramini, eóque obturato, aqua per foramen fundi minimè exiret; cauſamque reddidiſſet, quæ hîc ab Ariſtotele tangitur, diſtinctè autem & pluribus verbis redditur problemate octauo ſectionis XVI. ad finem problematis addit; hinc, eadémque ratione conſtrui omnem fere fabricam machinalem per aërem, atque humorem, ſicuti horologia, clepſydras, & ſonos ſimulacrorum, cæteráque generis eiuſdem, de quibus inſtrumentis Vitruuius libro nono & decimo, & Athenæus libro quarto; vbi dicit hydraulia clepſydram eſſe, aut ad clepſydram referri. Igitur hæc horaria clepſydra eidem vſui inſeruiebat antiquitùs, cui nunc horologia confecta ex duobus illis vitreis vaſculis turbinatis, ſimul ita iunctis, & puluiſculo repletis, vt per exiguum foramen puluiſculus paullatim è ſuperiori fluens, ab inferiori excipiatur; vt ſcilicet puluiſculi caſu temporis ſpatia notarentur. Erat autem illius vſus in exercitu, ſed præcipuè in foro; ad eam enim dicebant oratores: hisque vaſculis modò pluribus, modò paucioribus propoſitis, vt ex Plinio iuniore patet, pro temporis longitudine aut breuitate, quod cõcedebatur dicenti; cùm effluxerat aqua, quæ guttatim ſtillabat, tacendi locus erat, alteriſque ſeu accuſatori, ſeu reo loquendi: erat enim vas, quod aquæ replebant perforatum inferiori parte, ſeu ad fundum foramine admodum anguſto, vt habemus ex Ariſtophanis interprete, *graciliter fiſtulatum in vicem colli, ac per hoc guttatim defluum*, vt ex Apulei libro tertio de Aſino aureo ad initium, & os habebat aut foramen aliud in ſuperiori parte, ad infundendam aquam neceſſariũ. Hoc igitur ſuperiori foramine, autore obſtructo, aquam per inferius minimè emitti, Ariſtotelis, & Alexandri ratio docet: cur non igitur Ariſtotelis verbis compræhendi dicamus? cùm præſertim clepſydra hæc notior, & vſitatior eſſet, quippe in foro quotidie poſita, cuiuſque plurima maximè apud Græcos authores teſtimonia habeamus; cùm irrigatoriæ illius contra & hortenſis clepſydræ, nulla nominatim, quod ego quidem ſciam, extet mentio? licèt quæ habetur deſcriptio in libro de Reſpiratione pulcherrimis, & elegantiſſimis Empedoclis verſibus hanc referat, & hortorum irrigationi eam adſcribat Auguſtinus Niphus Sueſſanus in commentariis ad eum locum, nullo tamen teſtimonio. Quod ſi eſt verum, illa etiam hortenſis meritò cenſenda, quam memorat Plutarchus libro quarto de placitis Philoſophorum, cùm Aſclepiadis opinionem de reſpiratione recenſet, cuius clepſydræ χώνῳ hoc eſt infundibulum proponit, quod Apuleium puto ſignificaſſe per illa, *inuicem colli graciliter fiſtulatum*, vt vtrique clepſydræ id commune foret. Similitudinem igitur ex vaſis, aut inſtrumentis illis, cuicúmque vſui inſeruirent proponit Ariſtoteles generalem, atque ait. Sicut in clepſydris ſpiritus intus contentus, obturato foramine prohibet exire

aquam, ita si nobis occludamus os, aut spiritum retineamus, prohibetur sudoris effluxus: adeò enim ob spiritus retentionem replentur, ac tument venæ, seu vasa in quibus residet humor, spiritu & aëre, vt præ tumore adstringantur & occludantur eorundem parua oscula, seu exigui meatus ad carnis extrema desinentes, ex quibus sudor emanat, vt iam effluere non possit, quæ ratio in sequentibus ploblematis etiam non semel tangitur. A Theophrasto habemus etiam hanc rem propositam in libello superiùs adducto de Sudoribus; qui tamen eam iunxit cum iis quæ Aristoteles proposuit problemate XX. & XXIII. *cur sudor non inter laborandum, sed post laborem incipiat*; videtur enim eadem ratio, sunt autem hæc Theophrasti verba. ὅτι δὲ πονοῦντες, ἀλλ' ὅταν παύωνται, μᾶλλον ἱδρῶσιν. ἐπὶ δὲ συντείνοντες, ἐπὶ δὲ κατέχοντες τὸ πνεῦμα, ἀλλ' ὅταν ἀνῶσι. διότι πονοῦντων μὲν ὑπὸ τοῦ πνεύματος αἱ φλέβες ἐμφυσώμεναι συμμύειν ποιοῦσι τὰς πόρους. παυσαμένων δ', συμπίζουσιν. ὥστε διὰ βραδυτέρων καθάπερ ἀνεῳγμένων μᾶλλον ἐξέρχεται τὸ ὑγρόν. καὶ ἡ κάθεξις δ' ἐστὶ τοῦ πνεύματος πλεῖον τὰς φλέβας, ὥστε κωλύειν διιέναι. καθάπερ τὸ ὕδωρ τὸ ἐν τῇ κλεψύδρᾳ, ὅταν γε πλήρεις ὦσαι τὰς ὀπὰς ᾖ. Id est, *Nec dum laborant: sed postquam à laboribus requiescunt, magis sudant, nec dum contrahunt, aut continent spiritum, sed quando remiserint: nam dum laborant, inflatæ venæ spiritu efficiunt vt conniueant meatus: at cùm cessauerit labor, eædem considunt; vnde latioribus factis, nimirum quæ apertæ sint, magis effluit sudor: spiritus autem retentio venas replet, vnde exire prohibetur sudor; sicuti aqua ex clepsydris, cùm plenas illas aliquis obturauerit.* ὅταν πλήρεις ὦσαι. *Nequit enim effluere, cùm quis pleno iam vase, partem alteram obturauit.* Nimia est hæc Theodori in vertendo licentia. Fortasse autem & lapsus est in exprimendo sensu: hæc enim ὅταν πλήρεις ὦσαι ὀπὰς ᾖ τις, potiùs de venis quàm de musculis intelligenda sunt, nimirum de re potiùs cui similis alia adducitur, quàm de re quæ proposita similis. Totum igitur problema aliter cõuersum proponendum videtur in hunc modum. *Cur neque contrahentibus, neque continentibus spiritum sudor fit, sed magis eo relaxato? An quoniam spiritus retentus venas implet, vnde prohibet exire sudorem, sicuti aqua prohibetur, quæ est in clepsydris, quando eas plenas existentes obturauerit quispiam: vbi autem egrediatur, multus fit, quia in illa occlusione paullatim aggregatus est.*

II.

Διὰ τί οὐκ ἱδρῶσι τὰ ἐν τῷ θερμῷ ὕδατι μέρη, ἐπὶ ἂν θερμὰ ᾖ; ἢ διότι τὸ ὕδωρ κωλύει πήγνυσθαι; ὁ δὲ ἱδρὼς, τὸ κακῶς πεπεφθομένων ὄζιν ἐν τῇ σαρκί· ὁ κωλύει πήγνυσθαι ὅταν ἐκκρίνηται ἀφ' θερμότητος.

Cur membra aquæ immersa calidæ non sudent, etiamsi ex se ipsa recalescant? An quòd aqua liquescere non sinit, sudor autem res vitiosè adiuncta corpori est, vt qui per calorem excerni debeat.

Cum sudor fiat merito caloris, & humoris, iure illud quæri videtur, quare membra aquæ calidæ immersa licèt etiam ex se calida sint, non frigida; quòd vel in aqua calida per aliquod temporis spatium illis concedatur, non tamen sudent. Id autem Theophrastum non de calida, sed absolutè de aqua proposuisse videmus, simul vt existimare licet, frigidam intelligens; rationem autem eandem, quam Aristoteles affert his verbis. τὰ δὲ ὑπὸ τοῦ ὕδατος κάτω φερόμενα μέρη τοῦ σώματος οὐ ἱδρῶσιν, ὅτι κωλύει τὸ ὕδωρ πέψιν· ὁ δὲ ἱδρὼς πῆξίς ἐστι τῶν κακῶς πεπεφθομένων ταῖς σαρξίν, ὅταν ἐκκρίνηται ἀφ' θερμότητος. hoc est. *Et quæ corporis partes deorsum in aqua sunt, illæ non sudant, aqua enim eliquationem prohibet, si quidem sudor eliquatio quædam est eorum, quæ vitiosè carnibus adhæserunt, quando à calore excernitur.* Quam rem iterauit etiam paullò post de pedibus & cruribus specialiter loquens, per hæc verba. καὶ, ὅταν τὰς πόδας καὶ τὰς κνήμας ἐν τῷ ὕδατι ἔχωσιν, ἢ ὅταν τὸ ἄλλο σῶμα: ἀφ' τε τὰ περίττωμα· κωλύει γὰρ τὸ ὕδωρ πέψαι. hoc est, *& cùm pedes & crura in aqua habent, minùs quàm cùm reliquum corpus, ob ea sanè quæ priùs dicta sunt, impedit enim aqua sudorem.* ἢ διότι τὸ ὕδωρ κωλύει πήγνυσθαι. *An quòd aqua liquescere non sinit?* Aqua prohibet eliquationem; sudor autem eliquatio est, prohibet autem crassitie, & mole corporis sui, qua occurrit, & impingitur meatibus; quomodo etiam dicit in 12. problemate, sudorem non abstersum superuenienti sudori impedimento esse, quia poros occludat. Hæc autem ratio magis completa & absoluta habetur in Theophrasti verbis propositis, ex quibus illa fortè supplenda, πῆξίς ἐστι; & legendum, τῶν κακῶς πεπεφθομένων, non, τὸ πεπεφθομένον: Hæc autem addit Aristoteles, vt ostendat ab aqua prohiberi sudorem, quia prohibetur eliquatio, sudor autem eliquatio est, nimirum eorum, quæ vitiosè corpori adiun-

cta sunt;

cta ſunt; eſt enim ſudor excrementum tertiæ coctionis, quod antea vehiculum alimenti fuit, nec aſſimilari potuit: atque hoc in ſpeciem halitus ab inſito calore ſolutum, extra erumpit per meatus, ſicuti habemus à Galeno libro primo de tuenda valetudine capite 12. Apparet autem ſudor res vitiosè adiuncta, quando natura medio calore eam extra pellit. Illa verò ὁ κωλύει πήκειν, non habet Theophraſtus; & aberant à codice à quo lectionum varietates deſcribebat Iuſtinianus, at ipſe adnotat, atque inutiliter repeti videntur, niſi aliter verba exponamus; nimirum hoc modo: ſudor autem res eſt vitiosè adiuncta corpori, qui ab aqua prohibetur exire è corpore, quo tempore natura medio calore tentat excretionem illam: Obſeruo etiam hîc verbum ὑγροδομήσθαι vſurpari de humore, & excremento, quod ſectione prima problemate 54. vſurpauit de parte ipſa corporis, cùm dixit ἀπὸ γὰρ τῶν ἄκρων ὑγροδομηθέντων, hoc eſt parti corporis optimè conditæ. Athenæus libro primo dipnoſophiſtarum, cùm de curandæ laſſitudinis ratione ageret, & ex Homero teſtimonia adduceret ad carmen illud Odyſſeæ κ. quod irrigationem continet, atque ita ſonat Latinè

— In caput, atque humeros fundit gratum ipſa liquorem.

balneum, aut ſolium hoc quidem nomine vituperans, huius Ariſtotelis problematis mentionem facit, ita ſcribens Latinè. *Solium enim eo quod aqua vndique corporis meatibus circumfundatur, obſæpit ſudorum excretionem, quemadmodum ſi cribrum aliquod in aquam iniiciatur, nihil enim ex eo effluet, niſi quiſpiam ipſum attollens, meatibus reſpirationem, & exitum ad exteriora præbeat, quemadmodum Ariſtoteles dixit in naturalibus problematis, quærens, cur qui ſudant, ſi ingrediantur aut calidam, aut frigidam aquam, non amplius ſudent, donec rurſus à balneo reuertantur.* Quanquam autem hæc non ſint omnino eadem huiuſce problematis verba, idem tamen ſenſus eſt, & eadem ratio. Miror equidem Dalechampium, cùm in adnotationibus ad hunc Athenæi locum, hoc Ariſtotelis problema afferret, ita eum expoſuiſſe, vt diceret, prohiberi ab aqua ſudoris eliquationem, quia calorem auctorem liquationis educeret aquæ tepor. Nam diſertis verbis ſcribit Athenæus id fieri, quia aqua obſæpiat corporis meatus, idque ex Ariſtotelis ſententia. Quæ etiam à Dalechampio affertur ratio, vt valeat de calida, quomodo valere poterit de frigida, de qua etiam proponi problema dicit Athenæus, ſicut nos etiam expoſuimus & videtur colligi è Theophraſto, qui aquam abſolutè proponit, caliditatis nulla facta mentione?

III.

Διὰ τί ὁ ἱδρὼς ἁλμυρός; ἢ διότι γίνεται ὑπὸ κινήσεως καὶ θερμότητος, ἀποκρινόσης ὅσον ἀλλότριον ἔνεστιν ἐν τῇ τροφῇ πρὸς αἷμα καὶ τὰς σάρκας; τέτταρα γὰρ τάχιστα ἀφίσταται. Διὰ τὸ μὴ οἰκεῖον εἶναι, καὶ ἔξω ἐξικμάζειν· ἁλμυρὸς δέ ἐστι, διὰ τὸ γλυκύτατον καὶ κουφότατον εἰς τὸ σῶμα ἀναλῶσθαι, τὸ δὲ ἀλλοτριώτατον, καὶ ἀπεπτότατον, ἀπολύεσθαι· τὸ τοίνυν μὲν ἐν μυῒ τῇ κάτω ὑποστάσῃ, ὑδρὼν καλεῖται· ἐν δὲ σαρκὶ, ἱδρώς· ἄμφω δὲ ἁλμυρὰ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν.

Cur ſudor ſalſus ſit? An quia motu efficitur & calore ſecernente quantum alienum per adhærentiam, intimationémque ineſt in alimento ad ſanguinem, carnéſque; id enim ocyſſimè ſegregatur, quoniam nec aptum nutritioni eſt, & foras demum euaneſcit. Salſus verò propter id eſt, quòd pars quidem dulciſſima leuiſſimáque, tota ad corpus nutriendum aſſumpta eſt. Pars autem alieniſſima crudiſſimáque tantùm abſoluitur, quæ partim deorſum collapſa, & ſubſidens, vrina vocatur, partim in corporis ſumma emergens, ſudor eſt: ambo tamen ſalſa ob eandem cauſam prodeunt.

Sudorem ſalſum eſſe, atque etiam frequenter amarum guſtus ipſius teſtimonio probari ſcribit Gal. 10. de ſimplicium medicamentorum facultatibus per hæc verba Latinè. *Ergo quòd & ſudor ſalſa, & ſalſuginoſa vocatæ qualitatis eſt particeps, quibus teſtimonio probatur: nam ſæpenumero nolentibus in os defluens, dictam qualitatem indicat: ſæpe verò etiam non obſcuram præfert amaritudinem.* ἢ διότι γίνεται ὑπὸ κινήσεως. *An quia motu efficitur & calore.* Materiam oſtendit, & efficientem ſudoris cauſſam, ac etiam medium; vnde pateat ſalſedinis ratio. Materia eſt alienum illud, quod in adhæſione alimenti, ſeu dum alimentum agglutinatur ſanguini, & carni; quod fit in tertia coctione, ſecernitur; dicit autem ſanguini, illum intelligens, qui iam admodum coctus agglutinari incipit, quod propriè alimentum eſt; atque hic inter ſecundarios humores dictos ab aliis reponitur, quorum eſt, quem carnifor-

mem

mem appellant, rorem, & cambium. Theophraſtus tamen vocem illam, *ſanguini*, non habet: talis igitur materia quia aliena eſt, nec apta nutritioni; non agglutinatur, ſed foras exhalat. Efficiens cauſſa eſt calor, & motus, quorum auxilio excernitur incoctilis illa materia: Theophraſtus autem in verbis, quæ afferentur ad finem expoſitionis problematis, quatuor proponit, motum, laborem, caloris, & ſpiritus facultatem. Modus autem, ex quo euidentiùs pateat ſalſedinis cauſſa eſt, quia in hac ſeparatione humoris qui aptus eſt ad nutriendum, ab eo qui ineptus, dulciſſimum, & leuiſſimum aſſumptum eſt ad nutriendum corpus, alieniſſimum autem, & maximè crudum abſoluitur, hoc eſt refugit, & cadit ab eo opere: atque tale quidem in ſecunda coctione infra ſubſidens, dicitur vrina, in tertia autem dum agglutinatur ad carnem, fit ſudor; ex eadem enim materia, licèt in diuerſis coctionibus, ſudoris, & vrinæ generatio eſt: nimirum ex materia aquoſa, & ſeroſa, quæ magnam partem ex bibito humore conſtat, vt habemus à Galeno libro de atra bile cap. ſecundo, & de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite de ſudore, vnde fit vt qui multum bibunt, illi multum, & ſudent, & mingant. ἄμφω δὲ ἁλυκά. *ambo tamen ſalſa ob eandem cauſſam prodeunt*, quia nimirum ſunt incocta; quod ſimiliter de vtráque re dixit idem Ariſtoteles libro ſecundo Meteorologicorum per hæc verba Latinè. *In corporibus quod minimè coctum eſt, ſalſum eſt, & amarum, vt anteà diximus: humidi namque alimenti excrementum incoctum eſt eiúſque generis omne ſedimentum eſt, idq; maximè quod in veſicam colligitur, quod inde dignoſci poteſt, quia tenuiſſimum ſit, cùm ea omnia, quæ coquuntur, naturæ ſua craſſeſcant: poſt illud ſudor eſt, in quibus idem corpus, quod hunc reddit ſaporem, vnà excernitur.* Porrò excrementa quidem appellantur aliquando cocta, cùm euicta à natura ſunt, nimirum tamquam ſigna oſtendentia veram coctionem, ſicuti tum Galenus ſcribit non vno in loco, tum idem Ariſtoteles libro quarto Meteorologicorum, ſicuti pus & lacrimæ. Verùm quoniam Theodorus haud aptè reddidiſſe problema mihi videtur, nonnulla obſcurans, alia addens, denuò illud pingui quidem minerua, vt mei moris eſt, ſed cum fide ita conuertendum putaui. *Cur ſudor ſalſus ſit? An quoniam à motu efficitur, & calore ſecernente quantum alieni eſt in agglutinatione, quæ fit ad ſanguinem & carnes? hoc enim celerrimè abſcedit, quia amicum non eſt, & extra exhalat: ſalſus autem eſt, quia dulciſſima, & leuiſſima pars in corpus aſſumpta eſt, alieniſſima autem, & maximè incoctilis abſoluitur: quod autem tale eſt, in ea ſubſidentia quæ fit ad inferiorem partem, vrina dicitur, in carne autem ſudor; ambo autem ſalſa ſunt ob eandem cauſſam.* In Theodori autem tralatione, vt alia omittam, illa, *partim deorſum collapſa, partim in ſumma emergens*, videntur ſignificare vrinam, & ſudorem eſſe eiuſdem coctionis excrementa, quod haud verum: materia ſanè eadem; vnde & Ariſtoteles dixit, quod tale eſt; ſed varia loca, & varia tempora pro coctionis varietate. Theophraſti porrò verba ad eandem ſententiam pertinentia, omittenda non ſunt, quæ ita habent in excerptis ex libello de ſudoribus ab H. Stephano editis. ὅτι ἁλμυρὸς γίνεται ὁ ἱδρώς, διότι τὸ ἀλλότριον ἐκκρίνεται τῇ περιφύσει ἐν σαρκὸς ἐξαναπληρώσει τὸ γλυκυτάτου, καὶ κεφαλαίου. τὸ γὰρ τοιοῦτον περίττωμα ἐν μὲν τῇ κατὰ τὴν κύστιν χωρήσει ἔστιν, ἐν δὲ τῇ σαρκὶ ἱδρὼς καλεῖται. ἐκκρίνεται δὲ ὁ ἱδρὼς διὰ κίνησιν, ἢ πόνον, ἢ διὰ τὸ τὸ θερμὸν καὶ τὸ πνεῦμα διϊέναι. hoc eſt, *Salſus quidem eſt ſudor, quia in agglutinatione, quæ ad carnem fit, inſumpto dulciſſimo, & leuiſſimo, excernitur alienum: tale enim excrementum in ſubſidentia ſanè, quæ ad veſicam fit vrina appellatur, in carne autem ſudor: excernitur autem ſudor ob motum, aut laborem, aut ob caloris, & ſpiritus facultatem.* Hæc poſtrema autem in Baſilienſi codice; quamquam aliàs admodum corrupto, pluribus verbis proponuntur, réſque ipſa liquidiùs explicatur his verbis, πλεῖω ὅτι συμβαίνει τὸ μὲν αὐτομάτως, καὶ οἷον αὐτῆς τῆς φύσεως ἐργαζομένης ὑφίστασθαι. τὸν ἱδρῶτα δὲ ἐκκρίνεσθαι διὰ τὴν κίνησιν, ἢ πόνον, ἢ ἁπλῶς τὴν διὰ θερμοῦ καὶ πνεύματος διωσμόν. hoc eſt, *niſi quòd eam ſponte, & veluti natura ipſa operante ſubſidere contingit, ſudorem autem excerni ob motum, aut laborem, aut ſimpliciter ob caloris, & ſpiritus facultatem.* Quibus etiam & hæc ſubduntur ad eandem rem pertinentia. διὸ καὶ τὸ μὲν ἀεί, τὸ δὲ οὐκ ἀεὶ συνεχές. hoc eſt, *quare & illa quidem ſemper, hic autem non ſemper eſt continuus.* Iterans autem ſalſedinis rationem, hæc etiam idem Theophraſtus ſubdit. ἁλμυρὸς δὲ ὅτι ἄπεπτον. τὸ δὲ πεπεμμένον γλυκύ. hoc eſt, *ſalſus autem quia incoctus: coctum autem dulce.*

I V.

Διὰ τί τὰ ἄνω ἱδρῶσι μᾶλλον τῶν κάτω πότερον τὸ θερμὸν ἄνω καὶ ἀνέρχεται, καὶ ἔστιν ἄνω· τοῦτο δὲ ἄνω φέρει τὸ ὑγρόν; ἢ ὅτι πνεῦμα ποιᾷ τὸ ἱδρῶτα· τοῦτο δὲ ἐν τοῖς ἄνω; ἢ διότι ἄπεπτον ὑγρὸν ὁ ἱδρώς ἐστι· τοιοῦτο δὲ ἐν τοῖς ἄνω; ἢ γὰρ κρᾶσις ἄνω.

Cur magis parte ſuperiore corporis, quàm inferiore ſudemus? Vtrum quo-

niam

niam calor ſurſum tendit, ſupérque manet, propterea humorem ſecum trahere poteſt. An quoniam ſudorem ſpiritus moueat, qui ſedem habet ſuperiorem: an quia ſudor non niſi humor eſt incoctus: quo certè humore pars humet ſuperior, habitus etenim corporis ſupra potiùs innoteſcit.

Quod hîc proponitur fuit etiam Auicennæ ſententia, ſecunda quarti dicentis, *ſudor maximè multiplicatur in ſuperioribus, magis quàm accidat in inferioribus, & propriè in capite*: & Ariſtoteles problemate decimo idem ſpecialiter de facie proponit. Intelligenda autem res eſt ſicut adnotat Aponenſis de ſudore, qui in ſanis fit: in ægrotis enim, *vbi ſudor, ibi morbus*, vt dicebat Hippocrates, & Auicenna ſecunda quarti, *membra quæ plus ſudant, ſunt illa in quibus eſt materia faciens ægritudinem.* Vel fortè melius, accipiendum eſt problema eiſdem poſitis conditionibus: ita enim ſemper ſuperiora magis ſudabunt, ſuperiora autem intelliguntur partes, quæ ſupra diphragma poſitæ ſunt. Tres autem affert Ariſtoteles ſolutiones, duas priores ſumptas ex cauſſa efficienti, calore, & ſpiritu, vltimam à materia, ſcilicet humore: *τὸ θερμὸν ἄνω καὶ αἴρεται. calor ſurſum tendit, ſupérque manet.* Manifeſta hæc caloris natura præ leuitate, & ſubtilitate ſurſum ſemper tendentis Ariſtoteles libro de ſomno, & vigilia, *calidum cuiúſque animalium ad ſuperiora natum eſt ferri*, hic autem calor ſecum ducit humorem, qui exinde materia eſt ſudoris. *ἢ ὅτι πνεῦμα ποιεῖ τὸ ἱδρῶτα. An quoniam ſudorem ſpiritus mouet.* A ſpiritu excerni ſudorem, è Theophraſti verbis patuit paullò ante adductis: quo loco ſpiritus tamquam efficiens cauſſa à nobis accipiebatur, quemadmodum in præſentia; dicit enim Ariſtoteles, ſpiritus ſudorem efficit; ſumitúrque eo modo, quo calor à quo parum differat. Atque idem Theophraſtus, initio ſtatim libelli de ſudoribus aliter ſpiritum accepit, nimirum tamquam cauſſam materialem, qualis humor eſt, cùm dicit. *ὁ ἱδρὼς πότερον μεθ' ὑγρότητος δύθυς ἐκκενουμένης γίνεται, ἢ πνεύματος, ὡς τότε διϊέντος μὲν τὸ σαρκὸς εἴτ' ἔξω πήγνυται καὶ συνίστατο καταψυχόμενον, ἕτερος ἔστω ἐν ἄλλοις λόγος.* Id eſt. *De ſudore erit nobis alio in loco alia tractatio, vtrum ſtatim cum excreto humore fiat, an cum ſpiritu; qui nimirum cùm carnem pertranſiit, extra refrigeratus concreſcit, & conſiſtit?* hîc enim ſpiritus pro habitu, ſeu vapore ſumitur, tangitur autem ea de ſudore opinio, quæ pluribus habetur in libro Hippocratis, ſeu Polybi de flatibus per hæc verba, *ſpiritus cùm ad meatus corporis irruerit, ſudores fiunt: ſiquidem ſpiritus compactus in aquam tranſmutatur, & per meatus penetrans, extra prorumpit eodem planè modo, quo à feruentibus aquis vapor eleuatus, ſi obſtaculum habeat, ad quod impingere oportet, pingueſcit, ac condenſatur, guttæq; diſtillant ab his corporibus, quibus vapor ipſe fuit impactus.* A quibus non videntur diſſidere, quæ leguntur in primo libro de morbis in hunc modum. *Sudor verò fit hac de cauſa. Quicúmque morbi in iudicatoriis diebus iudicantur, & febrilis ignis dimittit, in his de pituita, de bile, quod tenuiſſimum eſt eliquatur, & ſecernitur, & ſecedit partim extra corpus, partim intus, & iſt hic in corpore relinquitur, partim præ caliditate attenuatur, & vapor fit, & cum ſpiritu permixtum foras procedit.* Hæc auctor ille. *τὸν δὲ ἐν τοῖς ἄνω. quo certè humore pars humet ſuperior.* Ad verbum. Hic autem eſt in partibus ſuperioribus. Quippe ſpiritus ille, vtróuis modo accipiatur, calidus eſt, & aëreus; talia autem in ſuperioribus reſident, *ἡ γὰρ πρόσις ἄνω, habitus etenim corporis ſupra potiùs innoteſcit.* Quid ſibi voluerit Theodorus per hæc verba; non bene aſſequor, & quod aſſequor falſum exiſtimo: Græca ita ſonant. *temperamentum enim ſurſum eſt*, per temperamentum autem ſeu craſim, puto intelligi, temperationem miſcellam, aut mixtionem quæ eſt ex calido & humido, illa autem maximè ſurſum eſt, huc enim aſcendunt calida, atque ibidem cerebrum eſt, quod humiditatum fons exiſtit.

V.

Διὰ τί τὰς χεῖρας γυμναζομένους μᾶλλον ἱδρὼς γίνεται, ἐὰν τὰ ἄλλα ὁμοιοσχημονῶμεν; ἢ διότι ἰσχύομεν μάλιστα τούτῳ τῷ τόπῳ; τούτῳ γὰρ τὸ πνεῦμα κατέχομεν τὰ ἔγγιστα δ' ἰσχύοντος. πονοῦντες γὰρ μᾶλλον ἰσχύομεν. ὅταν δ' ἔχοντες, τὸ πνεῦμα μᾶλλον κατέχομεν. εἶτα καὶ τῇ τρεφομένῃ συμπονοῦμεν μᾶλλον, ἢ ὅταν ἄλλο μέρος τρέφωμεν· τῇ γὰρ καθέξει δ' πνεύματος, καὶ τρεφόμενοι γυμναζόμεθα, καὶ τρέφοντες.

Quam ob cauſam, cùm manus exercitamus, ſudor maximè oriatur, modò cæteræ corporis partes poſitum ſuum ſeruent? An quoniam robur huic præcipuè loco inditus eſt: hoc enim ſpiritum continemus, qui parti robu-

ſtiſſimæ proximus eſt: dum verò laboramus, vires augemus, his auctis magis ſpiritum cõtinemus. Tum etiam cùm hac perfricamur parte magis quàm cùm alia laboramus. Spiritu namque retento ſimul & perfricamus, & perfricamur dum ita exercemur.

Duobus modis poteſt accipi quæſtio hæc. Vel ita: Quæ manuum motibus perficiuntur exercitationes, illæ ſi modò aliæ corporis partes eundem, quem antea habitum ſeruent, & non dimoueantur à loco ſuo, nec laborent; maximè ſudorem eliciunt: atque hoc modo exponit Theodorus, qui manibus motis quietem reliquis corporis partibus videtur neceſſariò adſcribere: nec ſit abſona ratio, motis enim manibus, reliquis partibus otioſis, illuc ſpiritus omnes confugiunt; & maximè, ac promptiſſimè effluit ſudor. Alio modo ſic: quæ manuum motibus perficiuntur exercitationes, illæ, quamquam aliæ partes quieſcant, maximè ſudores eliciunt: motis nimirum manibus, haud neceſſariò hîc aliis partibus otium adſcribitur vt ſuperiùs; conceditur tamen: pendétque expoſitionis varietas ex varia particulæ, ἐὰν, acceptione; Vtro modo accipiatur haud multùm interſit; vtroque enim vera eſt. Sunt & qui legant μᾶλλον ἱδρῶς γίνεται: ſunt qui μάλιστα. Et hoc ſanè vt ad particularem quæſtionis ſenſum aliquid faciat, ad totius problematis vim nihil equidem: ſi enim motis manibus, reliquis partibus, aut motis, aut immotis, maximè & promptiſſimè ſudor fluit è corpore, iam profectò magis etiam fluet, quàm nimirum alijs corporis partibus motis, immotis manibus, qui videtur eſſe quæſtionis ſenſus comparando acceptæ: ſi enim fluit maximè, & fluit magis. Primùm autem ſciendum, nomine manus intelligi totum brachium, nimirum partem, quæ eſt ab humero vſque ad extremos digitos, ita enim & Homerum, & Hippocratem antiquiſſimos, ea voce vſos teſtantur ipſi grãmatici, quæ enim manus à Latinis propriè dicitur, eam appellauit Hippocrates χεῖρα ἀκρην, hoc eſt *extremam manum*, Galenus autem nomine cõpoſito ἀκροχειρον: Eo verò modo in præſentia accipi diximus, quia maximè problematis rationi quadrat. Ratione igitur illã eſſe tradit Ariſtoteles, quia loco illo, id eſt, brachijs maximè valemus: ſunt enim illa thoraci affixa, quo ſpiritum cõtinemus, & cohibemus, & in quo ſitum eſt cor pars validiſſima, vt vtraque ratione elici promptè, & copioſè debeat ſudor: à ſpiritus enim cohibitione copioſiorem mox effluere ſudorem, dictum eſt ad finem primi problematis: & cor fons eſt ſpiritus & caloris, à quo calore itidem ſudorem fieri dictum eſt. Cùm igitur excercemur & laboramus brachijs, reliquis præſertim corporis partibus quieſcentibus, magis vtique eiſdem valemus, augentúrque illis vires, totum enim illuc corporis robur colligitur, ex quo fit, vt ſpiritus etiam magis cohibeatur: illud enim vſuuenire apparet, vt cùm vehementiùs laboramus, & exercemur, maioreſque vires adhibemus, ſpiritus magis cohibeatur, atque hinc rurſus iam copioſiùs & promptiùs effluat ſudor. Atque ita nos tum verba, tum ſenſa Ariſtotelis expoſuimus, ſecuti lectionem Theodori & antiqui interpretis, quam etiam Græcè excudendam curauimus, cùm in impreſſis antea multa deſiderarentur, vt conferenti apparebit. Græca autem habuimus ex codice Iuſtiniani. ἅτε καὶ τῇ τριβομένῃ συμπονεῖται μᾶλλον. *Tum etiam cùm hac perfricamur parte, magis quàm cùm alia, laboramus.* Propoſitam rationem corroborat; in hac enim brachiorum exercitatione quam dicit, corpus totum ſimul magis laborat, eique conſentit, quàm cùm aliæ partes exercentur; quod ea re oſtendit, quia hoc tempore magis ſpiritum continemus: id autem hoc loco tanquam ſignum poni videtur: cauſſa autem eſt, quia in hac exercitatione, & fricant, & fricantur ſeu manus, ſeu brachia: duplex igitur contingit motus, vt iure totum corpus vnà magis laborare par ſit. Exiſtimare autem licet, aliquod athleticæ exercitationis genus his verbis ab Ariſtotele ſignificari, in quo mutua hæc frictio contingeret; plura autem eſſe poterãt eiuſmodi, nam & ἀκροχειρισμῷ erat, de quo Galenus libro ſecundo de tuenda valetudine capite octauo, & Hippocrates libro ſecundo de dieta, qui tamen ſummis tantùm digitis, & citrà robur ac violentiam exercebatur, vt dicit Galenus: & alia etiam quibus per brachia exercebantur, partim ab vno ſolo, partim à duobus concertantibus obita, quæ memorat Galenus eodem ſecundo de tuenda valetudine capite nono his verbis: *Quin etiam ſi quis funè arrepto, aut etiam pertica ſublimis ex ea pendeat, ac diu teneat, robuſtum is validumq; laborem exercet, citra tamen celeritatem. Iam verò & ſi quis manibus in pugnum reductis, ijſdem prolatis, vel in altum ſublatis, diutiſſimè eodem habitu conſiſtat: quòd ſi adhibitum quempiam deducere ſibi manus iubeat, nec tamen ipſe remittat, adhuc ſanè impenſiùs hic tum muſculos omnes, tum neruos ad robur comparat, vt quorum maximè propria ſunt omnia id genus exercitia. Idq; multo certè magis fiet, ſi quis ſummis manibus vtraque ſeorſum apprehenſo, pon-*

dere

dere (cuiuſmodi ſunt, qui in palæstra alteres dicuntur) porrectis his, aut in ſublime erectis eodem habitu perſiſtat. Iam ſi etiam cuipiam iuſſeris, vt te violenter detrahat, inflectátque, dum ipſe non manibus modò, verùm etiam cruribus ſpináque conſtans, inflexúſque reſiſtas, non leuem ad membrorum robur exercitationem obieris. Sanè hoc genere Milonem ipſum exercitaſſe ſe ferunt, dum aliàs conuellere ſe, moueréque de loco volenti permitteret. Verùm hæc crurum maximè exercitatio fuerit: aliàs vtique, ſi manus exercitandas curabat, pugnum aperire iuberet. Idem, vt aiunt, malum punicum, aut tale quippiam manibus complexus auferendum cuiuis præbebat. Erat etiam quæ dicebatur πιτυλίζειν, quod ſolus non cum alio concertando obibat homo, nimirum vt definit Galenus, cùm quis ſummis pedum digitis inſiſtens protendit manus celeri motu, vnam retro, alteram ante ſe agitans. Erat etiam χειρονομία, quam licèt nonnulli voluerint fuiſſe ſaltationis genus, potuerítque illi aliquando ſaltatio eſſe coniuncta, cuiuſmodi hodie ſunt, quas Italicè dicimus *le moreſche*, aut *mattacini*, abſque ſaltatione etiam acceptam fuiſſe conſtat ex ſympoſio Xenophontis, in quo Charmides non ſaltat, nunquam enim illud didicit, ſed χειρονομεῖ, manibus geſticulatur, quam rem adnotauerat etiam vir apprimè eruditus Henricus Stephanus. Huiuſmodi igitur ſunt exercitationis genera quæ intelligere potuit Ariſtoteles: ſed & ſimpliciter frictiones ipſas brachiis inuicem adhibitas, quando ratio ſimiliter valet. Porrò in textu ante τριβομένη puto apponendum χειρὶ, quam vocem expreſſit Theodorus, & habet Theophraſtus, cuius in hanc ſententiam verba, Ariſtotelis penè eadem, huc afferenda putaui· ὅτι ἢ τὰς χεῖρας τρίβοντες μᾶλλον ἱδρῶσιν, ἂν τ' ἄλλα ὁμοιοχημονῶσιν, κ' συμβεβηκὸς ὦσι τὴν αἰτίαν λυπέον· ἰσχύσι γὰρ μάλιστα τούτῳ τῷ τόπῳ· τὸ γὰρ πνεῦμα τούτῳ κατέχουσι τῷ εὐρυτάτῳ ἰσχύοντες· πονοῦντες δὲ μᾶλλον ἱδρῶσιν. τούτῳ γὰρ μάλιστα τὸ πνεῦμα κατέχουσιν· εἶτα & χειρὶ τριβομένῃ συμπονοῦμεν μᾶλλον ἢ ὅταν ἄλλο τι μέρος τριβόμεθα· τῇ γὰρ καθέξει τοῦ πνεύματος καὶ γυμναζόμεθα, & τριβόντες μᾶλλον ἱδρῶμεν. hoc eſt verbum è verbo. *Quòd autem maximè ſudent, qui manus fricant, cùm aliæ partes in ſitu ſuo maneant, per accidens cauſſa accipienda eſt, valent enim maximè hoc loco quoniam ſpiritum eo continent, qui locus potenti admodum proximus eſt; laborantes autem ſudant magis, eo etiam maximè ſpiritum continent. Deinde etiam manu fricata, vnà collaboramus magis, quàm ſi perfricemur qualibet alia parte; ſpiritus enim cohibitione tum exercemur, tum fricantes magis ſudamus.*

VI.

Διὰ τί ὁ ἱδρὼς ἐκ τῆς κεφαλῆς, ἢ ὅσα ὄζει, ἢ ἥττον τῶν ἐκ τοῦ σώματος; ἢ ὅτι εὔπνους ὁ τῆς κεφαλῆς τόπος; δηλοῖ δὲ μανὸς ὤν, τῇ τῶν τριχῶν ἐκφύσει· δυσώδεις δὲ οἱ τόποι, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς γινόμενα, ὅσα μὴ εὔπνοα.

Cur ſudor capitis aut nullum reddat malum odorem, aut minùs quàm reliqui corporis? An quia locus capitis opportunus ſpirationibus eſt; & quidem laxum ſe ipſe demonſtrat, argumento exoriendi capilli: loca autem, & quæ in locis tenentur, grauiter olent, ſi ſpirandi careant libertate.

Quod quæritur admodum planum eſt: nec difficilis ſolutionis ratio; ideo enim minùs fœtet ſudor è capite manans; quia pars illa corporis perſpirationi maximè patet, fœtere autem illa ſolent quæcumque perſpirationi haud ſunt aperta: in illis enim putredo fit, ex qua fœtor, vt habetur ab eodem Ariſtotele ſectione XIII. problemate IIX. atque ideo fœtent alæ. Galenus etiam, putredinis minimè verò coctionis indicium eſſe fœtorem dixit commento primo in Hippocratis prognoſtica textu XXXXII. Theophraſtus, qui hunc locum pluribus tractauit libro de ſudore, cauſſam fœtoris aut graueolentiæ in ſudore generaliùs reduxit ad cruditatem: putredo autem & ipſa, quæ coctioni contraria cruditas quædam eſt, videndus omnino hîc Theophraſti locus, quo ad hanc ſudoris graueolentiam pertinentia problemata nonnulla percurrit: de hoc autem de quo in præſentia illius ſunt hæc verba. ἅμα δὲ καὶ ἄπνευστον, καὶ ἀποβλίτωτον ἔχουσι τὸ σῶμα, & ὀδὲν ἐκκρίνεται τοιοῦτον ἀφ' ἑαυτοῦ γίγνοιτ' ἂν τὸ κακῶδες· διὰ καὶ ἀφ' ὧν & ἐκ τῆς κεφαλῆς ἥδιστον, ἢ ἧττον γε τοῦτ' ἐκ τοῦ σώματος, ὅτι εὔπνους ἡ κεφαλή· δηλοῖ δ' ἀφ' ἧς τρίχων ἐκφύσις τὸν μανότητα· δυσώδεις δ' οἱ τόποι & τὰ ἐν αὐτοῖς ὅσα μὴ εὔπνοα· σήπεται γὰρ ἡ δὲ κακωδία σῆψις τίς. διὸ ὁ ἐκ τῶν μασχάλων ἱδρὼς, & ὅλως ὁ ἐκ τῶν κοίλων, κακωδέστατος. & τοῖ μάνοιγε οἱ τόποι, ἀλλ' ἡ κάθαψις, & ἡ κοιλία ποιεῖ τὴν κακωδίαν. hoc eſt, *ſimul autem, & perſpirabile, & excrementis vacans corpus habent, nihilq; huiuſmodi excernitur, à quo graueolentia fiat. Nam & ob hanc cauſſam etiam qui à capite eſt ſudor non malè olet, aut minùs quàm qui è corpore; caput enim bene tranſpirat, raritatem autem indicat pilorum generatio, malè olentes au-*

tem ſunt loci, & quæ in ipſis ſunt, quæ non bene tranſpirant, putreſcunt enim; graueolentia autem putredo quædam eſt. Vnde ſi lor alarum, & omnino qui ex locis concauitatem habentibus ille peſſimè olet. Quamquam enim rariores hi loci ſint, quia tamen ſuffocati, & caui, efficiuntur graueolentes. Idem Theophraſtus in libro de odoribus ad initium hæc habet: ἡ δὲ καθόλου ὥσπερ ὅλη πᾶσι τοῖς διαφθειρομένοις, σαπρότης ἅπαν γὰρ τὸ σηπόμενον κακῶδες. hoc eſt vt vertit Turnebus. *Tum verò prope perpetuus eſt in omnibus, quæ vitiantur putor, quidquid enim putreſcit, malè olet.* Igitur quæ difflantur & excrementis, ac materia cruda vacant, illa nec fœtent, nec quæ in eis ſunt, tale autem caput eſt: hoc enim meatibus maximè abundat, per quos expirat, & recrementa pellit; quod illinc patet, quia pilis maximè abundat, non enim illi oriri, niſi foraminum beneficio poſſunt, per quæ fuliginibus, quæ capillorum materia ſunt, exitus ad exteriora patet. Idem Ariſtoteles libro ſecundo de partibus animalium, capite XIIII. eandem capitis piloſitatem partim ad abundantiam humoris, tamquam materiam, partim ad foramina, aut futuras tamquam locum accommodatum, reduxit nec non etiam ſectione decima problematum, XLVII. quo in loco dicebat, quibus os capitis denſum illos breuioris vitæ eſſe, quia minùs perſpirarent, putredóque celeriter accerſeretur; futurarum autem ratione, caput maximè eſſe piloſum.

VII.

Διὰ τί οἱ γυμναζόμενοι ἐὰν διαναπαυσάμενοι παλαίωσιν, μᾶλλον ἱδρῶσιν; ἢ ἐὰν συνεχῶς; ἢ διὰ τὸ ἀθροίζεσθαι διαναπαυομένων· ἔπειτα τὸν μὲν ἱδρῶτα ὕστερον ἡ πάλη· ἡ δὲ συνεχὴς, ἀναξηραίνει ὥσπερ ὁ ἥλιος.

Quam ob cauſam, qui ſe lucta exercent, ſi interpoſita aliquantiſper quiete luctentur, magis ſudabunt, quàm ſi continuè? An quoniam humor data requie ſe ſe colligit, quem deinde luctandi exercitatio educit, continua verò illa, modo Solis corpora aſſiccare poteſt.

Qui lucta ſe ſe exercent, illi ſi hanc conſuetudinem teneant, vt non aſſiduè, & abſque vlla laborum vacatione exercitationi illi ſubiiciantur: ſed interpoſita quiete alternatíſque vicibus eundem modò aſſumant, modò deponant laborem, ſubinde ceſſatione, & opere interueniente, magis ſudabunt, quàm ſi aſſiduè, & continenter lucta conecrtent: intermiſſio autem, & ceſſatio, non adeò longa; & diuturna ſit, vt claudantur cutis meatus: iam enim in ſequenti problemate dicitur, qui ex longo tempore non ſudârunt, iis clauſa eſſe cutis foramina, qui ex pauco ſudârunt aperta. Rationem autem problematis etiam ſatis facilem, & perſpicuam tradit Ariſtoteles, quoniam eo tempore, quo quieſcunt, & à labore ceſſant, colligitur, & multiplicatur in corpore humiditas, quam deinde noua lucta foras abigit. Apparet autem ex his verbis intelligi ab Ariſtotele hunc ſudorem excerni tempore exercitationis ipſius, non autem poſtea, quod fortè exiſtimare quiſpiam poſſit, nec ſit abſona ſententia; non tamen quæ hoc loco ab Ariſtotele proponatur, ſi igitur interuenit ceſſatio aliqua, colligitur & multiplicatur humiditas, quæ deinde ſudor eſt: ſi verò continuus labor ſit, ille multò magis calefacit, quàm oporteat, atque ita ſanè; vt iam exſiccet, atque abſumat humiditatem, non ſecus ac Solis vis, quemadmodum in nono problemate dicitur. Theophraſtus eandem ſententiam per hæc verba protulit: οἱ δὲ γυμναζόμενοι διαλάποντες τὸ πρόσθεν, ἢ παλαίσῃ, μᾶλλον ἱδρῶσιν ἢ ἐὰν συνεχῶς: ὅτι συναθροίζεται διαπαυομένων ἡ ὑγρότης· εἶτα ταύτην ὕστερον ἡ πάλη, καὶ ὁ δρόμος. hoc eſt. *Qui autem exercentur, illi ſi intermittant curſum, aut luctam, magis ſudant, quàm ſi continuè exerceantur. Quoniam congeritur in laborum intermiſſione humiditas; eam autem poſtea è corpore educit lucta aut curſus.*

VIII.

Διὰ τί μᾶλλον ἱδρῶσιν ὅταν μὴ διὰ πολλοῦ χρόνου χρῶνται τῇ ἀφιδρώσει; ἢ διότι οἱ ἱδρῶτες γίνονται οὐ μόνον διὰ ὑγρότητα, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ τὰς πόρους ἀνεῳχθαι μᾶλλον, καὶ θερμὰ τὰ σώματα εἶναι; τοῖς μὲν οὖν μὴ χρωμένοις συμμεμύκασι οἱ πόροι, τοῖς χρωμένοις δ' ἀναστομοῦνται.

Cur magis ſudamus, cùm non longo interpoſito tempore ſudor euocatur? An quia non humor tantùm cauſa eſt, vt ſudemus, ſed foraminum quoque abditorum apertio, & corporis raritas atque ſolutio. His igitur qui diu

ſudãdi intermiſerint vſum foraminum iter clauditur: at iis qui crebrò vtuntur patefactum ſemper habetur.

Magis ſudare, qui ſudationibus aſſueti ſunt, atque iam ex pauco tempore illa euacuatione vſi, quàm qui iam diu non ſudârunt, ob eam admodum perſpicuam rationem dicit Ariſtoteles; quia ad proliciendum ſudorem duo deſiderantur, materia,& locus: materiam autem, quamquam videretur ampliorem eſſe debere in illo qui iam diu non ſudauit, quòd eo tempore congeſta,& multiplicata fuerit, loci tamen opportunitas magis vtique exiſtimanda eſt: nam ſine foraminum apertione, licèt admodum copioſa ſit materia, nunquam effluet ſudor: vbi verò commoditas viarum eſt, facilè in ſubiecto, quod natura ſua eſt humidum, attenuatur, & educitur humor: hæc autem viarum opportunitas magis eſt in aſſuetis,quàm in non aſſuetis, quia ob frequentes ſudationes illis meatus aperti aſſiduè permanent, his non permanent.

I X.

Διὰ τί τῷ ἡλίῳ μᾶλλον θερμαίνονται τὰς γυμνὰς ἢ τὰς ἀμπεχομένας, ἱδρῶσιν μᾶλλον οἱ ἀμπεχόμενοι; πότερον ὅτι τὰς πόρους συμμύει ποιεῖ ἐκκαίων ὁ ἥλιος; ἢ διότι τὰς ἀτμίδας ξηραίνει· ἀμπεχομένοις δέ, ταῦτα οὐκ ἔστιν συμβαίνει.

Quare cùm Sol nuda magis, quàm induta, calefaciat corpora, induta magis ſudare ſoleant? Vtrum quia Sol, corporis deurendo foramina comprimat: an quia vapores exſiccet, quæ minùs poſſunt accidere indutis.

Quæ hic proponuntur, habemus eadem fere problemate XXXVI. huius eiuſdem ſectionis: pro quibus diſſoluendis, cùm nulla eo loco particulatim afferat, ea ſufficere tradit, quæ præcedenti problemate XXXV. propoſita erant: hæc verò ab illis non ſunt diuerſa: quæ in præſentia pro ſolutione afferuntur. Inquirit igitur, quare magis ſudent corpora veſtibus intecta, quàm nuda: cuius rei duas affert rationes ſicuti & duæ ſudoris cauſſæ paullò ante propoſitæ ſunt,humor, & meatuum apertio, ſeu corporis raritas,quarum vna vnam & altera alteram rationem conſtituit. Prima igitur à meatibus dependet: Sol enim nudis occurrens corporibus, ea ſic inflammat, vt exſiccet, & induret, vnde meatus occludantur, denſantur corpora, nec ſudori patere exitus poteſt: altera ab humore: idem enim Sol nimiùm deurendo exſiccat humiditates, quæ ſudoris materia ſunt: hæc autem in corporibus veſte intectis non ita contingunt, quia Sol ob veſtium impedimentum, ea æquè indurare, & exſiccare non poteſt. Eandem ſententiam habemus ab Hippocrate in libro de aëre, aquis, & locis per hæc verba, vt vertit Cornarius. *Et ex ipſis hominibus tenuiſſimum ac leuiſſimum humorem Sol educit:eius rei maximum ſignum inde ſumere licet vbi homo veſtibus indutus ſub Sole iter fecerit, aut ſederit. Quaſcúmque enim corporis partes Sol aſpicit, hæc non exudant. Sol enim quicquid comparet ſudoris, ſurſum rapit:quæ verò ſub veſte contectæ ſunt, aut ſub aliqua alia re, hæ exudant: educitur enim, ac domatur à Sole ſudor, ſeruatur autem ex tegmentis, vt ne diſperdatur à Sole: quum verò in vmbram deuenerit totum corpus ſimiliter ſudore perfluit. Non enim amplius Sol affulget.*

X.

Διὰ τί ἱδρῶσι μάλιστα τὰ πρόσωπα; ἢ ὅσα θερμά; ἢ ὑγρὰ μάλιστα· διὸ δὲ τέτων ὁ ἱδρὼς ἐκπορεύεται, δοκεῖ δὲ πηγὴ εἶναι ἡ κεφαλὴ τῷ ὑγρῷ· διὸ καὶ τρίχες διὰ τὸ πολὺ ὑγρὸν· ὁ δὲ τόπος θερμὸς ἡ ἰγνός· διείσιν ἄρα καὶ φύσιν.

Cur facies maximè ſudet? An quia quæ laxa,humida, ſolutáque maximè ſunt, hæc ſudori ſe peruia exhibent. Caput autem fons eſſe humoris videtur: & quidem pilorum laſciuia ſedem hanc propter humoris copiam poſſidet,locúſque idem rarus gracilentúſque eſt.Igitur ſecundùm naturam tranſitus agitur ſudoris.

Quæ hìc proponuntur ad diſſoluendum eadem iterantur problemate XVII. huius ſectionis, & ſecundo ſectionis XXXVI. ſicuti & illa, quæ pro ſolutione affert, nonnullis

etiam præterea additis: quare omnem expoſitionem ad priorem illum locum reiicimus.

XI.

Διὰ τί ἐτ' ἀθρόα ὄντ@ τ῀ πυρὸς, μᾶλλον ἱδρῶσιν, ἐτ' ἐλάττον@ ἀεὶ, ἀλλὰ πλέον@ ὀπτιθερμῶσι; οἱ γὰρ ἐν τοῖς πυριατηρίοις ἱδρῶσι μᾶλλον, ἢ εἰ ἅθρους εἴη τοσοῦτον· ἢ ὅτι τὸ σύμμετρον ἕκαστον ἐργάζεται; τοῦτο δ' εἰ τοσοῦτον ποιεῖ, τὸ πλεῖον ἀ ποιήσῃ πλεῖον, ἢ μᾶλλον τοιοῦτον, ὅτι τῷ σύμμετρον ἦ, ἐργάζεται τὸ ἔργον· ἀφ' ὧν μὲν οὖν τοῦτο, ἀφ' ὅσου πλεῖον μᾶλλον ἱδρῶσι, ἀφ' ἧς τὸ πρὸς ἕκαστον, ἄλλως ἦ συμμετρίαν, καὶ τὸ πεποιηκὸς μηκέτι ποιεῖν, προσιτεμνόμενος μᾶλλον· ἃ γὰρ ταὐτὸ προσποιεῖται εἰς ἕκαστον, καὶ ὑπιτιθέως ἔχειν παρασκευάζει, καὶ ἤδη τοῦτο ἐργάζεται, ἀλλ' ἕτερον. τὸ μὲν οὖν ὀλίγον μᾶλλον ἢ πολὺ, προσποίησε ἢ παρασκεύασε τὸ σῶμα πρὸς τὸ ἱδρῶν· ἄλλης δ' ἢ δεῖ συμμετρίας, ἢ πλέον@ πρὸς τὸ ποιῆσαι. τοῦτο δ' οὐκέτι ποιεῖ ὅ πεποίηκεν, ἀλλὰ μετ' αὐτὸ ὕστερον, ἄλλο τ῀ συμμετρίας γινόμενον.

Cur igne neque vniuerſo, neque per diminutionem oblato, ſed per incrementa continua magis ſudamus? Qui enim in caldariis ita ſe calefaciunt, magis ſudant, quàm ſi protinus tantundem ignis admiſerint. An eò, quòd ſe modicè habeat, agat vnumquódque: ergo ſi tantum agit, plus ſi fuerit, non aget. An potiùs è diuerſo, quoniam ſcilicet eo rem quodque efficiat, quod ſe modicè habeat. Hac igitur de cauſa nihilo plus ſudamus vbi plus additum ſit. Sed quoniam modi ſinguli ſingulis reſpondent, quódque iam egerit, non ampliùs agit: hinc fit, vt modo aucto magis ſudemus. Neque enim quod præcedit ad ſingula, & præparat, vt res ſubdita apta ſit, idem poteſt etiam opus efficere, ſed aliud hoc fungatur officio neceſſe eſt. Parum itáque potius, quàm multum caloris præceſſit, præparauítque corpus ad ſudandum, ſed ad efficiendum, alio certè ampliorique modo opus eſt: hoc enim effici ab eo non poteſt, quod priùs agebat, ſed aliud poſt deſideratur, quod modum obtineat conuenientem.

Tribus modis ignis offerri poteſt ſudaturis, vel affatim, ſimúlque vniuerſus, vel ſemper eodem imminuto, vel pluri ſubinde illato. Puto autem intelligere Ariſtotelem eandem ignis portionem, quæ tanta ſit, vt mouendo ſudori ſufficiat, variè diſtribui, & offerri poſſe: non enim de diuerſa, ingentique, aut parua copia videntur, aut verba proferri, aut ſententia ſit adeò artificioſa, ſi igitur aut primo, aut altero modo offeratur ignis, minùs ſudor elicitur, ſi poſtremo plus. Cauſſa autem, quæ huius rei affertur vniuerſalis eſt, & remotior, magis autem particularis & proxima adducitur problemate XXX I. quo idem tractatur argumentum. Rei autem veritatem primùm experimento confirmat Ariſtoteles, eam enim ita contingere, apparere dicit in ipſis caldariis, aut laconicis in quibus vapores ſicci in ſudores eliciebantur, de quibus laconicis, Vitruuius libro quinto, & Philander in commentariis ad eum locum. Cauſſa autem eſt, quoniam vnumquódque agens non agit qualibet & indeterminata quantitate exiſtens: ſed certa quadam, & accommodata menſura, qua conuenit patienti rei. Id probari ex primo libro phyſicæ auſcultationis, & primo de ortu, & interitu dicit Aponenſis, at iis locis certè quamquam verba conſonent; ſententia tamen eſt de qualitate, ſeu forma, ac priuatione; nimirum de contrariis; quorum alterum ex altero, non quodlibet fit ex quolibet; hîc autem ſermo eſt de proportione; aut ſymmetro. Theodorus autem, qui *σύμμετρον* reddit, *modicè*, fortaſſe nō bene omnino reddit; non enim modica, ſed proportione conueniens menſura denotatur. Igitur non quod modicè ſe habeat, ſed quod proportionaliter, ita agit, *ὑκὲν εἰ τοσοῦτον ποιεῖ. ergo ſi tantum agit.* concludit ex ea ratione, plus ignis non plus agere, nec plus ſudoris elicere, quando actio pendeat ex ſymmetro, aut fiat inter ea, quæ proportione conueniunt. Porrò autem quoniam Theodorus hanc partem aliter legit, & interpungit, quàm excuſa exemplaria habeant, nos autem hæc ſecuti, alicubi tamen Theodoro adhæſimus faciendum nobis omnino putauimus vt partem hanc iuxta lectionem, quam Græcè propoſuimus, denuò verteremus hunc in modum. *An quoniam vnumquódque certa menſura operatur? igitur ſi tantum efficit, plus ſi fuerit, non efficiet, vel efficiet contrarium; quoniam vnumquódque eò quòd proportione conuenit, operatur, ob hanc igitur rationem pluri igne oblato non magis ſudamus: ſed quoniam ad vnumquém-*

que

que alia eſt proportio, & quod iam effectum eſt, non amplius illud efficit, ſubinde appoſito magis ſudamus. Non enim eadem res ad aliquid viam munit, reddítque eum ad accipiendum accomodatum, & illico eandem rem efficit, ſed alia res id præſtat. Potiùs igitur exiguus quàm multus ignis viam ſtruit, & apparat corpus ad ſudandum, alia autem proportione, & maiori copia ad illud efficiendum neceſſe eſt. Id autem non amplius effici ab ea re poteſt, quæ antea fecerat ſed alia poſt ipſam aduenire neceſſe eſt, quæ aliam obtineat proportionem. Theodorus igitur alterum πλεῖον non agnouit, & diſtinctionis notam, quæ ante ὃ ποιήσει collocatur, poſt ποιεῖ illico ſubiungit: quæ duo nos etiam ſecuti ſumus. Senſus autem eſt: cùm ad quidlibet agendum, certa menſura, & conueniens proportio requiratur, ſi ignis in tanta quantitate exiſtens efficit, hoc eſt ſudores mouet, plus ſi erit, & in maiori copia, non efficiet, hoc eſt, ſudores non mouebit: Vel (ſi retinendum nobis eſt poſtremum πλεῖον, quod vt dicebam à Theodoro non agnoſcitur) non ideo efficiet plus, quàm ſi in proportionata materiæ copia eſſet: meliùs tamen omittitur, cùm minimè inuicem commenſuratis rebus negetur actio, ἢ μᾶλλον τἐναντίον. *vel efficiet contrarium.* Theodorus interpungit ante hæc verba, & putauit nouam eſſe rationem, quæ tamen eadem videtur, ſed pluribus expoſita, hoc modo: Si ignis in tanta quantitate exiſtens efficit, id eſt operatur, & actionem illam edit; plus ſi erit, non efficiet plus, vel potiùs efficiet contrarium, id eſt, ſed potiùs efficiet contrarium, vt ſit ἢ pro ἀλλὰ, quo modo ſumi clarorum auctorum exempla docent; nimirum ſudores non ſolùm non euocabit plures, ſed pauciores, vel nullo pacto euocabit, quod probat, repetita ad actionem neceſſaria conditione ſymmetri: vnde colligit per illa, *ob hanc igitur cauſſam*, rationem primæ partis problematis, quare ad maiorem ignem confertim, & vniuersè illatum non ſudemus. Διὰ τὸ πρὸς ἕκαστον, *ſed quoniam ad vnumquémque.* Ad explicandã cauſam tertij membri problematis vtitur ratione ſuperiùs adducta, ſed proximiùs accommodata, hoc modo: Quia verò ad vnumquémque ignem, qui ſuccenditur, alia eſt corporis proportio, & inter ipſa varia ſubinde ſymmetria, nec rem iam factam ampliùs nouus ſuccenſus ignis facit, ſed aliam, ideo alio appoſito igne magis ſudamus; quia nimirum primus, ita proportione operante, apparat corpus ad effectum, alter verò effectum ipſum præſtat. ὃ γὰρ ταὐτὸ παρασκευάζει εἰς ἕκαστον. *Non enim eadem res ad aliquid viam munit.* Explicat eandem rationẽ quam magis diſtinctam attulit ad alia etiam latiùs extendens. Eadem res non viam munit ad aliquid efficiendum, illúdque apparat, & promptum reddit ad aliquid accipiendum, ac illud idem ad quod apparat, eadem res protinus efficit, ſed aliud aduenire oportet, quod rem apparatam efficiat, ſeu perficiat; hoc enim eſt, quod dicit ἀλλ' ἕτερον, hoc eſt, *ſed aliud denuò ſuperueniens.* τὸ μὲν ὀλίγον. *potiùs igitur exiguus, quàm multus*, concludit; Igitur ex dicta ratione intelligimus, paucum ignem magis quàm multum viam munire, & apparare corpus ad ſudorem: ad efficiendum autem, & euocandum eundem, aliam & maiorem portionem requiri: hæc autem ab eo eſſe non poteſt, qui antea fecit, hoc eſt apparauit: ſed poſt ipſum, aliud poſterius requiritur, quod alia proportione media effectum illum producat. Theophraſtus eandem quæſtionem videtur ſimpliciùs propoſuiſſe, ac tamquam corollarij loco poſt quàm rationem reddiderat, cur in vmbra magis, quàm ad Solem poſt labores, & curſus homines ſudarent: cuius eam eſſe cauſſam dixerat, quòd Sol exſiccaret, & denſaret cutis foramina, quibus ſubiungit hæc. ὅλως γὰρ ἔστε πολὺ τὸ θερμὸν ἄγαν, ἔστε ὀλίγον ἁπλᾶ τὸ ἐκτὸς ἔξω: τὸ μὲν γὰρ ἐ κινεῖ, τὸ δ' ὠφελεῖ μάλ· διὸ κὴ εἴ τις ἄγαν ἐγγὺς ἵσταται ἔστ' ἰδρώς, ἧττον αὖ ἱδρώσει, κὴ ἐν τοῖς ἀλειπτηρίοις ἐὰν μὲ δι' ὀλίγου ποιήσῃ τὶς πολὺ πῦρ ἧττον ἱδρώσει· ἐὰν δ' ὕστερον ἐπισπένεγκῃ, μᾶλλον. παρασκευάζει μὲν γὰρ κὴ παρορμᾷ τ' σώματ', συνεργεῖ κὴ τὸ ἀπιὸν λεπτόν. ἐκεῖνο δ' ὃ δύναται τὸ πλεῖον δι' ἀσθένειαν. hoc eſt. *Omnino enim calorem externum, neque valde multum, neque exiguum eſſe oportet: ille enim non mouet, hic autem exſiccat. Quare ſi quiſpiam admodum proximus igni aſsideat minùs ſanè ſudabit, & in clyſterijs, aut ſudatorijs ſi quiſpiam ſtatim multum ignem accendat, minùs ſudabit, ſi autem ſubinde inferat, magis: præparato enim, & diſpoſito corpore; qui ſubingreditur* [calor] *ſimul adiuuat* [ſudoris excretionem] *ille autem* [prior] *qui plus eſt, non poteſt ob imbecillitatem* [id præſtare.] His tamen in verbis non videtur Theophraſtus meminiſſe ſymmetriæ, quam præcipuè ad hanc rem Ariſtoteles requirit, niſi dicamus ad finem eorum, quæ à me modò recitata ſunt, non παρορμῶντ τοῦ σώματ, ſed pro σώματ legendum συμμέτρου. In Baſilienſi enim codice corruptiſſimè legitur σήμματ. Daniel autem Furlanus vir apprimè eruditus, in commentariis ad hunc locum σώματ repoſuit: quæ commentaria cùm ad manus meas peruenissent, iam de horum commentariorum editione in priores haſce decem problematum ſectiones cogitante me, plures tamen Theophraſteos locos ex ipſius coniectura reſtitutos, qui antea corrupti legebantur fateor me his commentariis inſeruiſſe: συμμέτρου igitur hoc loco libenter reponerem hoc ſenſu. Præparato

enim corpore, & igne ſymmetro, id eſt commenſurato, & proportionato excitato, ille idem corpus ingrediens ſimul adiuuat excretionem.

XII.

Διὰ τί ὑποσλεγίσταμψοις μᾶλλον ῥᾳ̃ ὁ ἱδρὼς, ἢ ἐῶσιν ὑπιμένειν; πότερον ὅτι τὸ καταψύχεσθαι ὑπὸ τοῦ ἔξω; ἢ ὅτι ὥσπερ πῶμα γίνεται ὁ ἔξω ἱδρὼς ὑπὶ τοῖς πόροις; ὥστε κωλύει τὸ ἔσωθεν τὴν ὁρμήν.

Cur detergenti magis profluit ſudor, quàm reſidere ſinenti? Vtrum quoniam refrigerari extrinſecus contingat? an quòd ſudor exterior, velut operculum foraminibus adhæreat corporis, ita ne interior ſe promere poſſit.

Quod quæritur admodum planum eſt: ſolutionis autem rationes affert duas. Prima eſt, quoniam ſudor ille reſidens, refrigeratur in aëre & ab aëre exteriori, refrigeratio autem exitum prohibet nouo ſudori; ſudorem enim à calore effici ſuperiùs dictum eſt. Altera ratio, quoniam ſudor, qui in externis corporis partibus reſidet, impactus meatibus fit quoddam veluti operculum foraminibus, ex quibus ille egreditur, & prohibetur exitus.

XIII.

Διὰ τί τὸ πήγανον δυσώδεις τὰς ἱδρῶτας ποιεῖ, καὶ ἔνια τῶν μύρων; ἢ ὅτι ὧν ἔν τῇ ὀσμῇ βαρύτης ἔνι, ταῦτα κεραννύμενα ταῖς περιττωματικαῖς ὑγρότησι, κακοδιέξοδον ποιεῖ τὴν ὀσμήν.

Qua de cauſa ruta, & nonnulla pigmenta ſudores fœtidos moueant? An quia quorum odor grauitatem præ ſe fert, hæc humoribus ſordidis admixta fœdum mouere odorem poſſunt.

Non facilè dixerim, vtrum quod Ariſtoteles proponit de ruta, & nonnullis vnguentis graueolentem ſudorem mouentibus, intelligendum ſit de ipſis interiùs ſumptis, an potiùs exteriùs illitis: nam quod ſectione XIII. problemate XI. ſimiliter ab eodem proponitur, cur vnguentorum magna pars, ſi ſudori permiſceatur, malè oleat, aliqua reddatur ſuauior, aut nihil deterior; licèt de illitu magis videatur prolatum; poſſit etiam de eorundem eſu intelligi, at quod in libello Theophraſti de ſudoribus, de eâdem ruta, & vnguentis nonnullis ſimiliter, atque hîc proponitur; manifeſtè de aſſumptione per os accipiendum videtur: dicit enim Theophraſtus ὅταν ἀναδίδωσι, his verbis: τῶν δὲ διὰ τὸ πήγανον κακωδίαν, καὶ ὑπὸ μύρων ἐνίων ὅταν ἀναδίδωσι: καὶ γὰρ τοῦτο συμβαίνει λεκτέον ὕστερον ὤν. hoc eſt. *nam qui à ruta fit malus odor, & à nonnullis vnguentis quando diſtributa ſunt, de eo ratio reddenda eſt.* Licet igitur propoſitum problema vtróque modo accipere; vtróque enim veritatem continet. Quod autem Theodorus vertit, *pigmenta*, malim vnguenta, hoc enim propriè μύρον; pigmenta autem illa ſunt, quæ colori inducendo tum à pictoribus tabulis, tum à laſciuis corporibus adhibentur; cuiuſmodi ceruſſa, minium, cinnabaris, & ſimiles fuci, quæ vox ex Græco φῦκος; hæc verò neque Græcè μύρα, neque pigmenta pro vnguentis Latinè dicta putem; nec verò etiam pigmenta vnquam ore hauſta: plurimam enim partem venenata ſunt; niſi ſi pigmentum pro vnguento vidit vſurpatum aliquando Theodorus, quod non memini legere me; Atqui vel ita, ſit etiam meliùs vocis ambiguitatem vitare. Nec verò hoc loco vnguenta etiam accipienda ſunt, quæ à medicorum vulgo hodie ita appellantur, in quorum compoſitionem butirum, adipes, œſipi, & ſimilia recipiuntur; ſordidæ res, quæque ſtomachum faciant; ſed quæ antiquitùs dicebantur vnguenta, plurimámque partem delicata, & odorata erant; licèt hîc de iis agat Ariſtoteles, quæ grauiorem quendam emittunt odorem; erant autem plurima antiquis illis temporibus illiuſmodi vnguenta, variè appellata, Ægyptia, amaracina, irina, ſtactæ, melina, nardina, ſampſucina, cinnamomina, ſerpillina, ſiſymbrina, & alia: quorum confectionem magna ex parte docet Dioſcorides primo libro. Hæc autem potu aſſumpta fuiſſe, vino immixta, patet ex Plinio, Athenæo, Plutarcho, & aliis; ad excitandum nimirum acrimonia, & caliditate guſtum, vt habemus à Theophraſto libro de odoribus, per hæc verba. μύγνυσι δὲ τὰ μὲν αὐτῆς τῆς ὀσμῆς ἕνεκα, καὶ πρὸς ταύτην τὴν αἴσθησιν, τὰ δ' ὥσπερ ἡδύνει βελόμενα τὴν γεῦσιν: οἷον ὡς οἱ τὰ μύρα τοῖς οἴνοις ὑπιχέοντες, ἢ τὰ ἀρώματα ἐμβάλλοντες, hoc eſt. *nonnulla miſcent urodoris ipſius gratia, & vt odoratus moueatur; nonnulla tamquam dulcia guſtui futura, vt qui vino vnguentum infundunt, aut aromata iniiciunt.* Et mox

συνεργεῖν ᾗ δοκοῦσι πρὸς τὰς γεύσεις, ἐχ αἱ ὀσμαὶ μόνον, ἀλλὰ ⁊ αἱ δριμύτητες. id est, *excitare autem gustum videntur non solùm odores, verùm etiam acrimonia, & calor quorundam.* Habemus idem etiam apud Aristotelem libro de sensu, & sensili capite v. vbi hoc Stratidis carmen Euripidem taxantis affert, ὅταν φακὴν ἕψῃ μὴ ὄπιχεῖν μύρον. hoc est. *Ne admisceas vnguentum, vbi lentem coquis.* Quibus subdit hæc, sicuti conuertit Vatablus. *Atqui nunc tales facultates potionibus demiscent, ij consuetudine voluptatem ipsam tantisper vrgent, quo ad è duobus sensibus oblectatio quasi vna, & ab vno prouenies exultet.* Ad eandem rem libet etiam Æliani verba adducere libro x i i. de varia historia capite x x x i. quæ ita habent, μύρῳ γὰρ οἴνῳ μύγνυντες οἱ ἕλληνες, ἔτως ἔπινον, ἢ ὑφηναγκάζοντο τῇ χιαύτην κρᾶσιν, ἢ ἐκαλεῖτο ὁ οἶνος μυρρίνιτης, hoc est sicut conuertit Vvetteranus: *Vinum enim vnguento mixtum bibebant & supra quam satis esset, aut necessitas postularet, hac mixtione vtebantur: vocabatur autem vinum myrrhinites.* De eâdem re Iuuenalis Satyrâ v i.

--Quum perfusa mero spumant vnguenta falerno.

ac Martialis. *---& foliata sitis.* vnguenta significans, quæ admodum delicata & pretiosa foliata dicebantur. Quod verò de ruta hîc dicit Aristoteles, putè etiam potissimùm intelligi de ea cum vino assumpta, nimirum de vino ex ea confecto: nec solùm de iis, verùm de aliis etiam tenuibus, & acrioribus herbis, ex quibus confici vinum solebat: tenuia enim hæc, atque acria, tum vrinas, tum sudores graueolentes efficere, dicit etiam Galenus libro de attenuanti victus ratione capite primo: è ruta autem sicuti ex aliis etiam acrioribus vina confici solita, testis est Plinius libro x i v. capite x v i. his verbis, *ex his quæ in hortis gignuntur fit vinum è radice, asparago, cunila, origano, apij semine, abrotano, mentastro, ruta, nepeta, serpillo, marrubio.* modum etiam tradit quomodo conficeretur, sicuti quomodo etiam conficeretur ex aromatibus. Musti rutati facit etiam mentionem idem Plinius libro x i x. capite octauo, ἢ ὅτι ὧν ἐν ὀσμῇ βαρύτης. *An quia quorum odor grauitatem præ se fert.* Caussa est, quia cùm ruta, & vnguenta, de quibus loquitur, sint prædita odore acuto, vehementi, & graui; & ob partium tenuitatem, & acutiem vndequâque permeent, admiscentur excrementis corporis, nimirum serosis illis humoribus, quæ sudorum materia sunt, inficiúntque eos qualitate sua, quam etiam præ grauitate, quæ in odore est, sudores ipsi retinent, dum excernuntur.

X I V.

Διὰ τί ἱδρῶμεν τὰ νῶτα μᾶλλον ἢ τὰ πρόσθεν; ἢ ὅτι ἐν μὲν τῷ πρόσθεν ὄντι πρὸς ἐντὸς, εἰς ὃν ἀποχετεύει τὸ ὑγρὸν; ἐν ᾧ τῷ ὄπισθεν οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἔξω τῷ ἐκκρισιν ἀναγκαῖον γίνεσθαι· τὸ δ' αὐτό ἐστιν αἴτιον καὶ ὅτι τῷ κοιλίαν ἧττον ἱδρῶμεν ἢ τὸ ῥηθῆναι· ἔτι δ' ὅτι μᾶλλον φυλακτικόν ἐστι τὸ ἱδρῶτα τὰ νῶτα, ἢ τὰ ὄπισθεν, ἢ τὰ πρόσθεν, λέγω τὸ μᾶλλον τὰ ἐμπροσθεν τῶν ὄπισθεν ἀποψύχεσθαι· ὅσῳ ἔστιν αἴτιον ⁊ ἐν τοῖς μάχαλας ἱδρουῦν τάχιστα, ἢ μάλιστα. ἥκιστα γὰρ ψύχονται. ἔτι δὲ σαρκωδέστερα ἐστὶ τὰ πρὸς τὸ νῶτον τῶν ἐμπροσθεν. ὥστε ὑγρότερα. πλείων δὲ ὑγρότης ἐστὶν ἐν τοῖς ὄπισθεν. ὁ γὰρ μυελὸς κατὰ τὸν ῥάχιν ὤν, ὑγρασίαν πολλὴν παρέχει.

Cur tergo magis, quàm priore parte sudamus? An quòd in parte priore locus sanè intus habetur, in quem humor deducitur, quod in posteriore nõ est, sed foras ibi excernatur necesse est. Hoc idem etiam facit, vt ventre minùs, quàm pectore sudemus. Addo quòd sudorem terga magis seruare possunt, & posterior pars magis, quàm prior, quoniam prior magis, quàm posterior refrigeratur. Quod etiam caussæ est, vt alæ citissimè atque maximè valeát resudare, videlicet, quia minimè refrigerantur. Ad hæc posterior carnulentior pars est, quàm prior, & proinde humidior. Caussam verò, cur humidior sit, medulla habet, quæ per spinam tendens, multum humiditatis afferre possit.

Quod hîc Aristoteles proponit generaliter, terga magis, quàm anteriores partes sudare; illud Theophrastus de luctatoribus particulatim proponit, caussásque ideo diuersas ab ipsis luctatoribus desumptas attulit ille Philosophus, cuius verba ad finem adducemus. Aristoteles autem tres hîc proponit rationes. Prima est, quia in parte corporis anteriore, locus est, seu capacitas proxima, ad quam humor deriuare potest, pectoris nimirum cauitas, in quam etiam sæpenumero fluere ex eo apparet, quòd inde per tussim frequenter excernatur: in posteriori autem non adest huiusmodi locus: sed quæcumque humiditas ad partem illam

vergit, & nullum alium habet exitum, quàm exteriùs per ſudores; vnde illi neceſſariò copioſiores ea parte fiunt. τὸ δ' αὐτό ὅτιν αἴτιον. *Hoc idem etiam facit.* Corollarium deducit ad propoſitam rem faciens: ventres minùs ſudare, quàm pectus, ibi enim plures, & maiores ſunt cauitates, quàm in pectore, quæ cùm recipere,& continere poſſint confluentem,ac eò deriuantem humorem, iam non per ſudores ille excernatur; ἔτι δ' ὅτι μᾶλλον διαφυλακτικόν, *Addo quòd ſudorem terga magis conſeruare poſſunt.* Altera ratio: Magis ſeruare, & cuſtodire ſudorem poſſunt terga, & partes poſteriores, quàm anteriores, quia hæ magis refrigerantur, quàm poſteriores: refrigeratio autem, ſicuti antea etiam dictum eſt, ſudori exitum prohibet:refrigerantur autem magis anteriores partes, quoniam ſunt minùs carnoſæ poſterioribus: quod mox ſubiicit Ariſtoteles, cùm tertiam rationem affert: atque etiam habemus tertio de partibus animalium capite IV. vbi eam ob cauſſam in anterioribus cor fuiſſe locatum dicit, vt eius viſceris beneficio, caliditas parti magis apertæ, magiſque carnium inopi tribueretur: cùm poſteriora vmbraculum, ac tutamen ex eiſdem carnibus aduersùs frigidum aërem reciperent: Alexander tamen problematum libro primo XXV.cùm quæreret,cur terga magis, quàm cæteræ corporis partes prurirent, ideo fieri dixit, quoniam plus pituitæ continent, quia ſunt frigidiora; tantum nimirum exiſtimans caloris è corde proficiſcentis efficaciam, vt carnium copiæ in poſterioribus exiſtenti prævaleat: quod etiam videtur ſenſiſſe Theophraſtus in verbis, quæ ad finem adducentur: ad quem ſenſum ſi reduci poſſet Ariſtotelis dictum,iam non eſſent aduerſariæ horum Philoſophorum ſententię.Et verò quæ leguntur in tertio de partibus, non abnuunt; poſteriora nempe eſſe calidiora anterioribus, quia ſunt magis carnoſa: éxque natura ſua id habere:anteriora autem licèt carnis magis expertia, ob cordis tamen viciniam maiorem acquirere caliditatem, atque ideo calidiora fieri,quod dicit Alexander: quomodo verò his congruere poſſint, quæ dicuntur in præſentia, quibus ſudorem minùs fieri in anterioribus ob frigiditatem proponit, ego quidem non diſpicio: Quod tamen ad rationem pertinet ab Alexandro allatam, poterat ita bene pituitæ in tergo abundantis cauſſa referri,ab illo in humiditatem eius partis, cuius ſtatim idem Ariſtoteles meminit, ac in eiuſdem frigiditatem, ὅσῳ ἔστι αἴτιον, *quod etiam cauſſæ eſt.* Aliud corollarium ex ſecunda ratione. Hinc ſequitur celerrimè, & maximè ſudare alas, quia minimè refrigerantur, cùm ſint intus quaſi vallis reconditæ, ab aliiſque partibus bene coopertæ: ἔτι δὲ σαρκωδέστερά ὅστι. *Ad hæc poſterior carnulentior pars eſt.* Tertia ratio. Partes poſteriores ſunt magis carnoſæ,& ideo magis ſanguineæ,caro enim fit ex ſanguine:ſanguis autem humidus eſt,atque ideo partes illæ magis humidæ ſunt: humiditas autem materialis cauſſa eſt, vnde ſudores proueniunt: Verùm non hinc,neque ex ſanguine humiditatis partium poſteriorum cauſſam deſumit Ariſtoteles: ſed ex medulla ſpinali: ait enim poſteriora magis humeſcere, quoniam per totum ſpinæ ſpatium medulla extenſa eſt, quæ cùm ſua natura humida ſit, humiditatem multam toti illi loco tribuit: carnis igitur copia duplici nomine ſudorem tergo conciliat; tum quia aduersùs frigus defendit, & calorem creat,vt in priori ratione,tum quia humiditatem exhibet loco,quam ipſam habet à medulla,vt in poſteriori. Theophraſtus tamen in verbis, quæ ad initium problematis ſignificaui, calidiores, & humidiores videtur pectoris partes conſtituere.Sunt autem hæc verba: διὰ τί μᾶλλον ἱδρῶσι τὰ ὄπισθεν τῶν ἐμπροσθεν· καὶ τοῖς θερμοῖς καὶ ὑγροῖς πλείων ἐν τοῖς ἐμπροσθεν ὅτι διά τε τὴν πάλην καὶ τῷ θλίψιν ἧττον κωλύει) καὶ διαίρεσις ἐκ τῶν ἄνω μᾶλλον· ὅτι δὲ πόνου ἐνταῦθα καὶ ἱδρώς. ἅμα δὲ καὶ ἡ διαίρεσις διὰ πνεύματος ἰσχυροτέρα μᾶλλον. ὥστ' ὅταν ἀνεθῇ πλεῖον καὶ ἀθρωτέρως ἐκεῖθεν. hoc eſt. *Propterea tergo ſudant magis,quàm pectore, quamquam plus caloris, & humiditatis in pectore ſit, quoniam ob luctam, & attritionem minùs prohibetur: & diſtenſio ſpiritus magis ex partibus ſuperioribus eſt: quoniam autem labor hic non eſt, ibidem adeſt ſudor. Præterea & ſpiritus intenſio excellit magis, vt quando remiſſa ſit, tum plus, tum magis confertim excernatur.*

XV.

Διὰ τί ἐφ' ἃ κατακείμεθα, οὐχ ἱδρῦμεν; ἢ ὅτι θερμὸς ὢν ὁ τόπος ᾧ ἁπτόμεθα, κωλύει διϊέναι τὸ ἱδρῶτα. ἀναξηραίνει γὰρ αὐτὸ· ἔτι δὲ θλίβει). θλιβόμενον δὲ διαχεῖται τὸ αἷμα· ὃ συμβαίνοντος, καταψύχει) μᾶλλον σημεῖον δὲ ἡ ναρκη. καταψύξις τε γάρ ὅστι τὸ πάθος, καὶ γίνεται ἐκ θλίψεως ἢ πληγῆς.

Cur ea parte, qua iacemus, ſudare non poſſumus? An quoniam pars, qua tangimus, cùm plus, quàm modicum ſit, incaleſcens prohibet, ne permeet ſudor: reſiccat enim, atque abſumit. Item comprimi eam partem ſic euenit: hæc verò ſanguinem compreſſa diffundit, quo diffuſo ſatis refrigeratur. Ar-

gumento sanè tepor est, quippe qui non nisi frigoris iniuria fiat, atque effici vel afflictu, vel ictu soleat.

Quærit, quam ob rem, cùm accubantes sudamus, locis illis, & iis corporis partibus, quibus innitimur, & super quas iacemus, non sudemus, totumque illud corporis spatium haud madescat. Duas autem affert rationes. Prima est, quia locus ille, seu pars, supra quam iacemus, ob reliquum corporis pondus, quod ei incumbit, & etiam ob contactum rei calidæ super quam iacet, magnopere incalescit: nimius autem calor sudorem exsiccat; resoluit enim materiam insensibiliter, neque permittit, vt ad exteriores partes per sudores exeat: ex nimio igitur calore desumitur prima hæc ratio, altera autem ex contrario fundamento; nimirum ex frigore; ait enim quòd pars corporis, supra quam iacemus, & qui in ea est sanguis, ob situm & positionem illam atteritur, & comprimitur; compressus autem sanguis diffunditur, hoc est ad alias partes refugit, quo facto refrigeratur, qui ex sanguine incalescebat locus, quemadmodum contingit in stupore, qui refrigeratio quædam est: nam tum stupore affectæ partes, tum quæ comprimuntur, refrigerantur, ab illisque sanguis aufugit, vnde & albicant; vt si quispiam aut manu validè comprimat, aut vinculo arctè deliget partem aliquam corporis, statim videbit sanguinem retrocedere, partémque illam albicare. Fit autem huiusmodi passio, aut ex ictu, quo compressa parte sanguis diffugit, aut attritione, qua similiter diffugit, vt in eo, qui decumbens sudat; atteritur enim pars quæ subiacet: quod etiam contingit in diuturna sessione; præsertim duro sedili, aliisque modis, quibus pars atteritur, & ideo refrigeratur: ex refrigeratione autem impediri sudorem, pluries antea dictum est.

XVI.

Διὰ τί οἱ καθεύδοντες μᾶλλον ἱδρῶσιν, ἢ διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν; ἀθροισθὲν γὰρ τὸ θερμὸν ἐντὸς, ἐξελαύνει τὸ ὑγρόν.

Quare qui dormiunt, magis sudant? An circum obsistendi ratione euenit. Calor enim parte interna collectus, potest expellere humorem.

Hæc eadem quæstio proponitur iterum problemate XXVII. quamquam autem fundamentum vtrobique idem est, caloris nimirum copia intus existentis; eandem tamen copiam ex antiperistasi pendere indéque rationem deduci apparet, & exprimitur hoc loco, non ita exprimitur problemate XXVII. Ait igitur Aristoteles in somno colligi, & vniri calorem in partibus internis, ob antiperistasim, quod Theodorus vertit *circum obsistendi ratione*, meliùs autem fortasse sit, Græcam vocem iam Philosophorum auribus tritam retinendo, id fieri dicere, per antiperistasim. Igitur eorum, qui vigilant calidiores sunt externæ partes, internæ frigidiores, dormientium contrà; quod scripserat Hippocrates VI. Epidem: & Galenus comm. IV. text. XIV. ad eum locum. Calor igitur, qui somni tempore exteriores partes deseruit, & ad intimas confugit, ei vnitur, qui intus exsistebat, viribus itaque auctus, impetúque mox facto, humorem, aut sudorem foras pellit, & id antiperistasis est. Sudores igitur in somno nõ initio fiunt, nec de somni initio accipiendum est problema, quo tempore calor ad interiora refugit, sed mox, cùm procedente somno calor collectus, & vnitus iam simul est, superatáque & attenuata materia, eam foras pellit. Porrò de caloris retractione, quæ in somno fit, qui plura cupit Aristotelẽ adeat libro de somno, & expertectione ei rei dicato, atque etiam Alexandrum Aphrodisiensem quæstionum naturalium libro primo capite vigesimo.

XVII.

Διὰ τί τὸ πρόσωπον μάλιστα ἱδρῶσιν, ἀσαρκότατον ὄν; ἢ ὅτι εὐίδρωτα μέν, ὅσα ὑγρὰ καὶ ἁπαλά; ἡ δὲ κεφαλὴ τοιαύτη· ὑγρότητα γὰρ οἰκείαν ἔχει πλείστην· δηλοῖ δὲ αἱ φλέβες τείνουσαι ἀνθυθεν, καὶ οἱ καταῤῥοι ἐξ αὐτῆς, καὶ ὁ ἐγκέφαλος ὑγρὸς, καὶ οἱ πόροι πολλοί. σημεῖον δὲ αἱ τρίχες, ὅτι πολλοὶ οἱ πόροι εἰσὶ, προαίνουσαι ἔξω· ὅσαι δὲ ἐν τῷ ὑδρῷ, ἀλλ' ἐπὶ τῆς κεφαλῆς γίνεται. διὸ καὶ ἱδρῶσι καὶ πρῶτον καὶ μάλιστα τὸ μέτωπον· ὑπόκειται γὰρ πρῶτον. τὸ δὲ ὑγρὸν, κάτω ῥεῖ, ἀλλ' οὐκ ἄνω.

Cur facie maximè sudemus, cùm in ea minimum carnis sit? An quòd expeditiùs illa sudare possunt, quæ humida, laxáque sunt. Caput autem tale

eſt: continet enim ſuam plurimam humiditatem. Quod vtique venarum ratione pateſcit, quæ hinc pertendunt. Diſtillationes quoque ex capite oriuntur, & cerebrum humidum eſt, & foramina permulta in capite habentur, quæ tam multa eſſe, ac foras vſque pertendere, capillorum indicio conſtat: igitur ſudor non à partibus imis, ſed de capite oritur. Vnde etiam fit, vt primùm, & maximè fronte ſudemus: primò enim frons ſubdita eſt.

Iterat, quæ fuêre propoſita problemate decimo; & quamobrem facies maximè ſudet, eaſdem duas, quas ibidem adduxit rationes, deſumptas, tum ex viarum ſeu loci habilitate, per quem fluit ſudor; tum ex materiæ copia, ex qua ille gignitur, ſimiliter hoc loco reddit; quædam tamen in harum explicatione aliter ſumit, & quædam præterea ponit, quæ omnia in hunc locum reiecta nobis in præſentia explicanda ſunt. Ait igitur, faciem licèt minimè carnoſa ſit, quippe quæ cute & oſſibus magna ex parte, muſculis autem exiguis conſtet, ideo maximè ſudare, quia duas nacta eſt occaſiones, ob quas facilè, & promptè ſudor fit, atque manat: altera eſt viarum multitudo, ſeu meatuum copia, atque amplitudo: altera humiditatum abundantia: in quibus autem vtráque hæc inſunt, in illis itidem ſudoris magna ſuppetit copia. In facie probat vtrúmque adeſſe: faciei autem nomine hoc loco comprehendit, vel præcipuè ipſum caput, vt ex rationibus apparet, quando oſſis raritas, & cutis piloſitas capitis potiſſimùm ſint, vt ex multis eiuſdem Ariſtotelis locis habemus, & præcipuè primo de hiſtoria capite VII. & VIII. quo tamen loco has partes exactiſſimè perſecutus caput à facie diſiunxit, ſuiſque terminis ſingula circunſcripſit. Igitur in capite magnam humiditatum copiam exiſtere oſtenditur. Dixit enim ſuperiùs problemate decimo, caput eſſe fontem humiditatum, at in fonte maximè humor abundat: Hippocrates etiam libro de carnibus cerebrum eſſe ait metropolim frigidi, & glutinoſi humoris, oſtenditur etiam, quia venæ multæ illinc extenduntur ad alias partes, & ex aliis partibus illuc: venæ autem humiditatibus plenæ ſunt: de his autem venis, quas idem Ariſtoteles dicit eſſe non paucas amplas; ſed frequentes, & tenues ortas à maiori & ab aorta, agit ipſe Philoſophus libro ſecundo de partibus capite VII. Ex eodem capite catharri, aut deſtillationes ſunt, cuius cauſſam loco modò adducto ſecundi de partibus idem Ariſtoteles attulit. Abundat igitur multa tum aduentitia, tum propria humiditate caput, quæ ſudoris materia eſt. Patet etiam multis foraminibus, quæ erat habilitas ad ſudorem excernendum; id verò apparet ex capillorum abundantia: non enim poſſent illi tanta frequentia exire, niſi foraminum numerum pene infinitum haberet caput, quæ foramina à partibus intimis vſque ad extremam cutim pertenderent. Capillorum igitur exortus hoc loco tamquam oſſis, & cutis raritatis argumentum proponi videtur: at problemate decimo tamquam humoris copiæ; ſicuti etiam problemate v. ſectionis XXXI. non immeritò; vtrumque enim indicare ſcribitur ab eodem Ariſtotele ſecundo de partibus capite XIV. his verbis: *Homo animalium maximè omnium piloſo capite eſt, cuius rei cauſſa tum ad neceſſitatem, tum ad præſidij rationem referenda eſt: neceſſarium enim propter cerebri humiditatem, & commiſſuras caluæ: nam vbi plurimum humoris, caloriſque eſt, ibidem ortum pilorum eſſe copioſum neceſſe eſt.* Hippocrates etiam libro de Natura pueri, cutis raritatem pilorum abundantiæ eſſe cauſſam, ſcriptum reliquit per hæc verba: *Pilorum natura hoc modo ſe habet. Oriuntur quidem maximi, ac plurimi, qua corporis parte cuticula rariſſima eſt, & vbi pilus moderatum humorem in alimentum habet: & vbi cuticula poſteriùs rara fit, ibi etiam pili poſteriùs naſcuntur, velut in mento & pube & ſicubi aliàs pili naſcuntur.* Quæ iterum ac tertio repetit paullò poſt eodem libro. *οὐκ ἄν εἰη τὸ κάτω ὁ ἱδρὼς. Igitur ſudor non à partibus imis.* Colligit ex dictis, & concludit orationem hoc ſenſu vt puto: cùm caput fons humiditatum ſit, totúque habeamus illius humiditatis argumenta, illinc & ex partibus ſuperioribus, non autem ex inferioribus, ſudoris originem meritò repetemus: in ſuperioribus autem facies eſt: eius autem rei hoc etiam habemus argumentum, quòd faciei illa primùm, & maximè pars ſudat, quæ capiti primùm ſubiicitur, hæc autem frons eſt: facies igitur quamquam haud carnoſa, ob rationes dictas plurimùm ſudare ſolet. Eandem quæſtionem iiſdem penè verbis, tradidit Theophraſtus; atque ita habent: τὸ δὴ πρόσωπον μάλιστα ἱδρῶσιν, ἀσαρκότερον ὂν ἧκιστα πονεῖ· ὅτι ἡ κεφαλὴ ὑγρὰ καὶ μανή. ὑγρότητος δὲ καὶ μανότητι· ἀλλά τε πολλὰ σημεῖα, καὶ ὁ ἐγκέφαλος, καὶ ἡ τρίχων ἔκφυσις. ὁ μὲν, τὸ ὑγρόν. αἱ δὲ τρίχες μανὸν ἀποδηλοῦσαι, διὸ καὶ πρόσω, καὶ μάλιστ' ἱδρῶσι τὸ μέτωπον· τῆς γὰρ ὑποκειμένης τὸ ἐγκέφαλον. hoc eſt. *facies autem maximè ſudat, licet haud quaquam carnoſa, & minimùm laboret, quoniam caput humidum, & rarum eſt: humiditatis autem, & raritatis*

cùm

cùm alia ſigna ſunt, tum cerebrum ipſum, & pilorum exortus; illud quidem humiditatis, hi verò raritatis: quare & primùm, & maximè ſudamus frontem; hæc enim ſub cerebro eſt: quibus etiam aliam rationem breuiter adiungit ita ſcribens: ἔτι δ' ἡ τῶ πνεύματος κάθεξις διατείνει πῶς εἰς τὴν κεφαλήν. hoc eſt. *Præterea autem ſpiritus contentio iam diſtenditur in caput.*

XVIII.

Διὰ τί οἱ ἱδρουῶντες, ἐὰν ψυχθῶσιν εἰ ὕδατι, ἢ πνεύματι, ναυτιῶσι; πότερον τὸ ὑγρὸν ψυχθὲν ἔστη ἀθρόον, ἔμπροσθεν οὐκ ἠρεμοῦν διὰ τὸ ῥεῖν; ἢ ὅτι τὸ πνεῦμα δίιὸν ἔξω, γινόμενον ἱδρὼς, διὰ τὴν ψύξιν, τὸν ἔσωθεν ψυχθὲν πρὶν ἐξελθεῖν, ὑγρὸν ἐγένετο & πρόσπτωσιν ποιεῖ τὴν ναυτίαν.

Qua de cauſſa, qui ſudant, ſi vel aqua, vel flatu refrigeſcant, nauſeant. Vtrum quoniam humor, qui ex fluxu continuo minimè quieſcere poſſit, hic refrigeſcens, in parte priore vniuerſus conſtiterit? An quòd ſpiritus, qui foras versùs proueniens, in ſudorem ob frigoris occurſum conuertitur, hic intus ante frigeſcens, quàm exeat, tranſeat in humorem, atque in eam partem incumbens nauſeam moueat?

Cur illi, qui ſudant, ſi vento, aut aqua refrigerentur nauſeare ſoleant? Duas afferre videtur Ariſtoteles rationes: fundamentum tamen idem eſt, & cauſſa, ex qua ratio ducitur eadem, ſcilicet cauſſa materialis; quæ variè accepta, vel tamquam ſpiritus, vel tamquam humor, aut tamquam proximior, aut tamquam remotior duas parit rationes, minimùm diuerſas. Eſt autem prima hæc: Humiditas quæ ſudoris eſt materia, refrigerata ab aqua, vel flatu, haud ampliùs exire poteſt ab alterutro impedita, quoniam verò erat in motu, quippe quæ extra ſudoris ſpecie flueret, non quieſcit adhuc, ſed aliter fluens, per interiora colligitur, & conſidet vniuerſa in parte interiori, ſcilicet in ventriculo, eúmque relaxans, & emolliens, nauſeam concitat. ἢ ὅτι & τὸ πνεῦμα. *An quòd ſpiritus*, ὅτι, addidimus ex codice Iuſtiniani, quam particulam agnoſcit Theodorus. Eſt autem ſecunda ratio: ſpiritus qui ex parte interiori exiens, fit exteriùs ſudor; ita ſentit nunc Ariſtoteles, quam opinionem ſuperiùs puto me tetigiſſe; eiúſque meminit tum Auctor libri de flatibus, tum Theophraſtus ipſo libelli de ſudoribus initio per hæc verba: ὁ ἱδρὼς πότερον μετ' ὑγρότητος διὰ τῶν σαρκῶν γίνεται, ἢ πνεύματος ὡς τοῦτο δίιεναι διὰ τῆς σαρκὸς, εἶτ' ἔξω πήγνυται & σωίσεται καθ' ψυχόμενον, ἕτερον ἔστω ἐν ἄλλοις λόγοις. hoc eſt. *Sudor vtrum cum humiditate ſtatim excreta fiat, aut ſpiritu, tamquam eo nimirum per carnes exeunte, deinde extra ob refrigerationem concreto, & conſiſtente, alibi dicetur à nobis.* Spiritus igitur hoc loco non tamquam efficiens: ſed tamquam materialis cauſſa ſumitur: vnde alia, & diuerſa ratione, ſeu alio & diuerſo nomine neceſſe ſit accipere eandem vocem πνεῦμα, in altera hac ratione, quàm fuerit in priore: atque ideo antiquus interpres ibi ventum, hîc ſpiritum reddit: in priori igitur ratione, πνεῦμα tamquam nauſeæ efficientem cauſſam propoſuit Ariſtoteles, hîc autem tamquam ſudoris materiam. Igitur hic ſpiritus, qui vt nunc dicitur refrigeratus exteriùs euadit in ſudorem, ille idem ab aqua, aut vento corpus ingredientibus, intus refrigeratus antequam exeat, humor fit: frigiditas enim vapores, ſiue halitus in aquam conuertit: non dicitur autem ſudor ante quàm extra prodeat: delabens verò ad ventriculum, ſicuti de ſuperiori humiditate dictum eſt nauſeam concitat. Theophraſtus eandem quæſtionem propoſuit ad finem libri, cuius verba, aliquibus locis reſtituta ita habent. ἐνίοις δ' ἱδρῶσιν ἂν ψυχθῶσιν ἢ πνεύματι, ἢ ὕδατι, συμβαίνει ναυτιᾶν. οὐκ ἀλόγως, & ὅτι τὸ ὑγρὸν ψυχθὲν ἀθρόον ἔστη, πρότερον οὐκ ἠρεμοῦν, & ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ δίιὸν & ἔσω γινόμενον προσπεσὸν τῷ ἀναπνευστικῷ τόπῳ ποιεῖ τὴν ναυτίαν. hoc eſt. *Sudantibus autem nonnullis, ſi refrigerentur, aut vento, aut aqua, accidit vt nauſeent, non abſque ratione: nam & humidum frigefactum, quod priùs non quieſcebat, collectum conſtitit, & ſpiritus tranſiens, ac intus exiſtens incidit in locum reſpirationis, & nauſeam citat.* Animaduertendum autem Theophraſtum his verbis, loci quo reſpiramus mentionem facere, de quo nihil Ariſtoteles: nec verò facilè ſit, nauſeam, qui ventriculi effectus eſt, pectori accommodare, niſi ex partium conſenſu mutuo hanc rem aliquo fieri poſſe dicamus.

XIX.

Διὰ τί πότε ἐκ τῶν ποδῶν & τῆς κεφαλῆς, μάλιστα ἱδρῶτες γίνονται θερμαινομένων; ἢ ὅτι τὸ θερμαινόμενον ἐφέλκει ἐφ' ἑαυτὸ τὸ ὑγρὸν; τὸ δὲ ὑγρὸν οὐκ ἔχει ὅπῃ καταναλίσκηται, διὰ τὸ εἶναι τὰς τόπους τούτους ὀστώδεις· ἐκπίπτει δὲν ἔξω.

Cur in capite, pedibúsque incalescentibus sudores maximè excitentur? An quoniam humorem ad se membra incalescentia trahunt, humor autem partem, qua absumatur, nullam habet, cùm ea loca ossibus scateant: itáque vt excidat foras necesse est.

Quo argumento superiùs vsus fuerat, quum ostendit problemate XIV. quare tergo magis quàm anteriore parte sudaremus, eodem vtitur in præsenti problemate ad eandem rem de pedibus, & capite ostendendam. Ideo enim caput, ac pedes cùm calefacti sunt, maximum sudorẽ effundere scribit, quia cùm sint partes ossea, nimirum siccæ, & adstrictæ, nullásque habeant concauitates, in quas humor vi caloris attractus, quod contingebat in pectore, possit colligi, & residere, necesse est, vt qui trahitur omnis, ille per sudorem exeat: à calore autem attractionem fieri tum Philosophis, & medicis omnibus confessum est, tum verò in primis ipsius Alexandri testimonio patet. Capitis autem cauitatem omnem replet cerebrum ipsum; quæ autem in eo sunt spatia vacua, illa verò à natura summa diligentia custodiuntur inania; actum enim de homine si repleantur. Porrò autem problemate XVII. hac eâdem similiter sudoris abundantia in facie proposita, capitéque vt apparuit simul comprehenso, alias ab Aristotele fuisse huius rei allatas causas eo loco vidimus; quæ etiam hîc de facie, capite, & pedibus maximè sudorosis afferuntur, illa intelligenda sunt eisdem positis in omni re, quæ subiicitur conditionibus: alioqui enim fieri possit, vt vel ratione morbi, vel temperamenti partis, fortasse alia pars magis sudaret, quàm illæ, quæ dictæ sunt.

XX.

Διὰ τί οἱ πονοῦντες, ὅτε παύσονται, ἱδρῶσιν; ἕλκει γὰρ, ὥσπερ ὁ πόνος αἴτιος, ὅταν πονῶσι· πότερον ὅτι πορίζονται μᾶλλον αἱ φλέβες ἐμφυσώμεναι, τὰς πόρους συμμεμυκυίας ποιοῦσι. παυσαμένων δὲ, συνίζουσιν; ὥστε δι' εὐρυτέρων γινομένων τῶν πόρων ῥᾷον διέρχεται τὸ ὑγρόν. ἢ ὅτι πονούντων μὲν, ἀποκρίνει ἡ κίνησις ἐκ τοῦ συμπεφυκότος ὑγροῦ πνεῦμα, καὶ μᾶλλον θερμότητα τῷ ἀπὸ τῆς κινήσεως γίνεσθαι τὸ ὑγρὸν πνεῦμα θᾶττον ἢ πολλῆς; ὅταν δὲ παύσηται πονῶν, ἅμα δὲ καὶ ἡ θερμότης, λήγει δὲ ἐκ τοῦ πνεύματος πυκνουμένου, ὑγρότης γίνεται ὁ καλούμενος ἱδρώς.

Quare qui laborant, vbi à labore destiterint, sudare incipiunt? Nam si labor caussa est, cùm laborant, sudare debent. Vtrum quòd inter laborandum venæ spiritu inflatæ comprimi foramina cogant, data verò quiete laxæ consideant, itaque per ampliora iam facta foramina, expeditiùs humor peruadat? An quoniam cùm laboratur, spiritum ex cohærente humore motus secernit, & calore, qui à motu excitatur, humor in spiritum per summa corporis extenuatur? Cùm verò à labore cessatum est, simul & calor desinit, & ex spiritu spissescente humor, qui sudor appellatur, consistit.

Problemate, quod sequitur vigesimo tertio, atque etiam vigesimo quarto eadem materia tractatur, rationibus partim iisdem, partim diuersis; Nos eadem semel tantùm explicabimus, locis, qui expositi fuerint indicatis. Quærit autem, cur non inter laborandum, sed postquam à labore destiterint, sudare homines soleant: cuius contrarium effici debere videretur; nam si labor est sudoris caussa, à quo nimirum calor qui gignitur qui sudorem efficit, atque adest etiam humor materia eiusdem, cur non eo tempore fluat sudor præsentibus caussis necessariis? Respondet hoc fieri duabus rationibus, quarum prima est huiusmodi: Inter laborandum multa spiritus copia attrahitur, quæ venas replet, tendit, & inflat, illis autem repletis, meatus, & foramina eorundem vasorum, per quæ humor, aut sudor exit, occluduntur: inter quiescendum verò è contrario laxa vasa considunt, ex quo iidem meatus aperiuntur, & efficiuntur laxiores; si enim tendente spiritu replentur, & obturantur; vtique abeunte laxantur, & recluduntur. Hoc igitur tempore via patefacta fluit sudor, non antea cùm erat obstructa. Hæc autem ratio quamquam pendet ab eodem fundamento, quo vsus est primo huius sectionis problemate nimirum occlusione, aut obstructione; est tamen proximior, proximioríque adeò termino vtitur Aristoteles, aït enim *αἱ φλέβες ἐμφυσώμεναι, inflatæ venæ*. quod participium ea solùm significat, & ad ea solùm vsurpari potest, quæ dilatari, & constringi queunt, cuiusmodi venæ sunt, & in externis folles

fabriles:

fabriles: minimè autem clepsydra, quam in exemplum, aut similitudinem problemate primo adduxit; & ideo ibi vsus est verbo πληροῖ, non ἐμφύσωμαι, vt hîc Theophrastus, tamen vtráque problemata, & vtrásque rationes coniunxit his verbis. ἐπὶ δὲ οἱ πονοῦντες, ἀλλ' ὅταν παύσωνται, μᾶλλον ἱδρῶσιν, ἐπὶ δὲ σωτείνοντες, ἐπὶ δὲ κατέχοντες τὸ πνεῦμα· ἀλλ' ὅταν, ἀνῶσι· διότι πονοῦντων μὲν ὑπὸ τοῦ πνεύματος αἱ φλέβες ἐμφυσώμεναι συμμύειν ποιοῦσι τὰς πόρους: παυσαμένων δὲ σωίζουσιν. ὥστε διὰ βάρυτέρων μᾶλλον ἐξέρχεται τὸ ὑγρόν. ἢ καθάπερ ἐὰν τὸ πνεῦμα πληροῖ τὰς φλέβας ὥστε κωλύειν διιέναι, καθάπερ ἐὰν ὕδωρ τὸ ἐν τῇ κλεψύδρᾳ, ὅταν γε πλήρεις ὦσας τὰς ὀπὰς βῇ. hoc est. *Neque dum laborant, sed postquam cessauerint à labore magis sudant; neque intendentes, aut continentes spiritum: sed quando remiserint; quoniam in iis, qui laborant, venæ spiritu inflatæ efficiunt, vt meatus conniueant, cùm verò cessârunt, considunt in se: vnde latioribus eisdé factis, nimirum apertis magis prodit humiditas. Et spiritus sanè contentio venas implet, vnde prohibet humorem exire, sicuti aqua ex clepsydra prohibetur, cùm ea existẽte plena, quispiam eandem obturauerit.* Illud obseruo in his verbis proponi à Theophrasto non sudorem fluere cessante labore, quod facit Aristoteles, sed magis fluere; quomodo etiam Aristotelis sententiam puto accipiendam; non enim durante labore nullus omnino sudor fluit, sed minùs quàm eodem desinente. ἢ ὅτι πονοῦντων μᾶλλον. *An quoniam cùm laboratur.* Altera ratio: motus, qui laborando fit, ex connata, aut naturali corporis nostri humiditate, (Theodorus vertit, *ex cohærente humore*) merito caloris spiritum creat, quemadmodum ex vaporibus à Sole elatis ventus in aëre producitur, & ob eandem caliditatem à motu subinde genitum, spiritus ille qui ex humiditate procreatur, ad corporis superficiem tendit: hoc contingit inter laborandum; cùm verò cessat labor, cessat etiam caliditas, eo igitur tempore non iam ampliùs ex humiditate connata fit spiritus ad superficiem tendens, sed ex spiritu hoc paullò ante genito ex ea humiditate coacto, & crassescente ratione diminuti caloris, aut frigiditatis, fit alia humiditas, quæ sudor dicitur: Inter laborandum igitur ob vehementiam caloris extenuato humido fit spiritus, cessante labore, & vehementia caloris, ex spiritu densato sudor. Hæc autem solutio respicit illam de sudore opinionem, quam non semel tetigimus, cuiúsque Theophrastus meminit initio libri de sudore, fieri eum cum spiritu, seu halitu, qui cùm carnem pertransiit, extra concrescit, & consistit: & quam repetit, cùm hanc eandem quæstionem proponit per hæc verba: ἔπειτα ἡ ἀπόκρισις ἡ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ γινομένη διὰ τῶν πόρων ἐκ τοῦ ὑγροῦ πνεύματος, ἡ δ' ἄγει πρὸς τὸ ἐπιπολῆς. ὅταν μὲν παύσηται πόνων, ἡ τε θερμότης ἅπασα δύει, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ἀποψυχομένῳ γένηται ὑγρότης ὁ καλεῖμεν ἱδρῶτα, ὥστε καὶ πλεῖον καὶ ῥᾷον ἐκπίπτειν. hoc est. *Præterea à calore per meatus fit secretio humidi spiritus, qui ad superficiem vsque pertingit: cùm verò cessat labor, pertransit tota hæc caliditas, & ex spiritu frigefacto gignitur humiditas, quæ vocatur sudor, vnde, & copiosiùs, & faciliùs excidit.*

XXI.

Πότερον δεῖ μᾶλλον ἐν θέρει προσδύάζειν τὸν ἱδρῶτα, ἢ ἐν χειμῶνι; ἢ ὅτε μᾶλλον ὑγροὶ, καὶ χαλεπώτεροι ἄνευ ἐπιμελείας γένοιτ' ἄν, ὥστε τῶν χειμῶνι ἂν δέη μᾶλλον, ἢ μεγάλη ἡ μεταβολὴ, καὶ τὰ περιττώματα ἐν σωεκπέσῃ); πάλιν, ψυχθέντι ἐπὶ πρὸς φύσιν ἐν χειμῶνι· δῆλον ἄρα ὅτι τῷ θέρει μᾶλλον, καὶ γὰρ τὰ ὑγρὰ σήπεται μᾶλλον ἅπαντα ἐν θέρει· διὸ ποτὲ δεῖ ἀπαντλεῖν. διὰ τοῦτο ἢ καὶ οἱ ἀρχαῖοι πάντες ἔτως ἔλεγον.

Vtrum per æstatem potiùs, an per hyemem sudor mouendus sit? An tunc opportunè sudatur, cùm humidiora corpora sunt, neglectáque difficiliora redduntur? Igitur per hyemem potiùs conuenit. An magna per id tempus mutatio sit, nec excrementa concoqui possint, cùm cœlum contra naturam frigeat? Igitur per æstatem potiùs mouendum, quippe cùm humores per æstatem potiùs omnes putrescere soleant: quapropter exhauriendum tunc est, vt etiam veteres omnes authores hac eâdem de causa censent.

Theodorus aliter scriptum videtur habuisse hoc problema, quàm in vulgatis Græcis excusis, & præsertim in Basilienſi editione sit, quantum quidem ex ipsius tralatione appareret. Nos autem ipsius tralationem primò sequemur, deinde nonnulla, quæ ei videntur repugnare adiiciemus. ἢ ὅτε μᾶλλον. *An tunc opportunè sudatur.* Theodorus putauit Aristotelem in vtramque partem argumentari, ac primùm hoc in loco hyeme esse mouendum sudorem hoc modo: An tunc magis mouendi sudores sunt, cùm corpora existunt humi-

diora

diora, & nisi adhibeatur diligentia, difficiliora circa sanitatem fiunt, per hyemem autem illud contingit, tunc enim merito temporis, quo abundat humiditas, corpora humidiora redduntur, indéque difficiliora, nisi prouideatur; per hyemem igitur magis necesse est per sudores corpus euacuare. ἢ μεγάλη ἡ μεταβολή. *An magna per id tempus mutatio sit.* Interpungit ante hæc Theodorus, & nouam vult hîc incipere sententiam; adeóque Aristotelem in alteram, & contrariam partem argumentari, hyeme non esse mouendos sudores: in Basilienſi tamen editione, nè distinctionis quidem, nedum interpunctionis nota est. Videtur autem Theodorus existimare ita disputare Aristotelem. An potiùs magna eo tempore sit mutatio ad frigus, & ob hanc causſam excrementa non concoquuntur, præter naturale hyemis temperamentum, quod frigidum est, eo adhuc præter naturam refrigerato: videtur enim Aristoteles prout quidem se habet hæc interpretatio, hyemem ponere impensè frigidam; non concoctis autem excrementis sudor mouendus non est; id enim ad absoluendam ratiocinationem adiungendum videtur, si quidem Theodorum sequi velimus, qui tamen in tralatione fideliter non videtur expressisse illa, πάλιν, ψυχθέντος ἐπὶ παρὰ φύσιν τὸ χειμῶνος. ita reddens: *cùm cœlum contra naturam frigeat.* Quæ nimirum, vt nos exposuimus, ita sonant. *rursùs hyeme adhuc præter naturam refrigerato.* δῆλον ἄρα ὅτι. *Igitur per æstatem potiùs mouendum.* Concludit ex Theodori tralatione, atque sententia Aristoteles, cùm ob rationem proximè allatam hyeme mouendus sudor non sit, id per æstatem potiùs esse faciendum; nam cùm eo tempore humida omnia magis putrescant, tunc nimirum sudor mouendus erit, & corpus ab humiditate euacuandum, ne scilicet genita putredine morbi ingruant. Ita sanè interpretatur Theodorus: at nonnulla sunt, quæ in huiusmodi interpretatione negotium exhibeant. Primum enim illud molestum, quòd, dum quæsiti rationem reddit, hyemem assumit impensè frigidam, quæ tamen talis proposita non est, sed hyems simpliciter dicta. Deinde hyeme frigida non concoqui excrementa simpliciter, & absolutè non sanè concedendum videatur; nota enim Hippocratis sententiâ, ventres hyeme, & vere natura calidissimos esse. Præterea, quod necessariò est assumendum, cùm concocta excrementa non sunt, sudores non esse mouendos, id verò non solùm falsum est, auctore tum Theophrasto, qui tum eos, qui concoctum habent alimentum, tum qui inconcoctum paratos ad sudorem esse dicit, hos ob multitudinem humiditatum, illos ob secretionem excrementorum, quæ ex coctione fit ab aliis succis qui nutriunt; sed etiam omnino contrarium eidem Aristoteli, qui hac eâdem sectione problemate XXXII. disertè affirmat, cùm minùs excrementa concoquuntur, tunc magis sudores esse mouendos, atque idcirco eodem problemate, vbi eademmet quæstio, quæ hîc proponitur, absque alia disputatione ob illam inconcoctionis rationem, concluditur sudores magis mouendos esse æstate, quàm hyeme: considerandum igitur num alia magis quadret interpretatio. Et primùm sciendum est, in codice Iustiniani in illis verbis, ὥστε τὸ χειμῶνος ἂν δέῃ, negationem interponi hoc modo: ὥστε τὸ χειμῶνος οὐκ ἂν δέῃ, id est. *igitur per hyemem non conuenit.* vt hyeme sudorem mouendum esse, dum ex assumptis infert, non dicat Aristoteles, sed contrarium potiùs; ad quem scopum, ita legentibus omnia erunt dirigenda problematis verba; & erunt consentanea iis quæ dicuntur problemate XXXII. & XL. nimirum æstate, non autem hyeme mouendos esse sudores. Et sanè, quæ præcedunt, vt ego existimo, accommodari possunt. Ait enim tunc sudores esse mouendos, cùm corpora humida sunt, & nisi adhibeatur diligentia, difficiliora circa valetudinem euadunt, id autem æstate contingit: licèt enim concedatur, non esse eo tempore ratione aëris, qui siccior est corpora æquè humida, ac hyeme sunt, tamen magis parata ad putredinem, ob calorem qui tunc viget; nec verò tanta humiditatis portio deest, vt in ea, quæ adest gigni putredo non possit, cùm & amplè humida esse ratione eorum, quæ assumuntur, dixerit problemate XXXVIIII. Hyeme autem licèt humiditatis copia in aëre sit maior, non sunt tamen corpora, quamquam negligantur, adeò obnoxia putredini, cùm caliditas extranea desit. Illa igitur duo, quæ ad putredinem requiruntur, si iungantur magis locum habent in æstate, quàm in hyeme & hoc innuit idem Aristoteles ad finem problematis cùm ait, humida enim omnia magis putrescunt æstate. ἢ μεγάλη ἡ μεταβολή. *An magna per id tempus mutatio sit.* Hęc sunt, quæ me magnopere torquent, nõ enim video aut vnde sint apta, aut quo referantur, & quam sententiam sequar; mutationem magnã ad frigiditatem significari, apparet ex iis, quæ sequũtur, ψυχθέντος ἐπὶ παρὰ φύσιν τὸ χειμῶνος, sed quo sensu nõ dispicio. Iustinianus etiam, quod non omiserim legit: τὸ τὸ χειμῶνος, & ita etiam legisse apparet Antiquũ interpretẽ; præterea sunt, qui habeãt ἡ μεγάλη: sunt qui ἢ variato spiritu, & accentu. Quæ sequuntur autem καὶ τὰ περιττώματα οὐ συνεκπέπτει: *nec excrementa concoqui possint.* omnino arbitror

de æsta

de æstate esse intelligenda, non de hyeme, quod existimauit Theodorus, vt consentanea sint problemati XXXII. Cogitabam etiam, illa καὶ χαλεπώτεροι ἀνὸυ ἀπιμελείας. quæ Theodorus videtur accipere de difficultate valetudinis, accipi etiam posse de difficultate sudorum, sicuti facit Aponensis, verùm nec sententiam, quæ mihi satisfaciat, possum reperire, & locum omnino arbitror esse corruptum.

XXII.

Διὰ τί ἀεὶ τῶ σώματος ῥέοντος, καὶ τ ἀπορρῆς γινομένης ὐκ τ περιττωμάτων, ὰ κουφίζει τ σῶμα, ἐαν μὴ ἀφιδρώσι; ἢ ὅτι ἐλάττων ἔκκεισις; ὅταν γὰρ ἐξ ὑγροῦ μεταβάλλη εἰς ἄερα, πλεῖον γίνε ἐξ ἐλάττονος· τ γὰρ ὑγρὸν διακεινόμενον, πλεῖον· ὥστε πλείονι χρόνω ἡ ἔκκεισις. Διὰ ἢ τῦτο, ὲ ὅτι δὶ ἐλαττόνων πόρων ἡ ἔκκεισίς ἐστιν· ἐπ τ γλίχρον καὶ τ κολλῶδες, μετὰ μ τῦ ὑγροῦ ἐκκείνε), διὰ τὼ κατάμιξιν· μετὰ ἢ τῦ πνεύματος, ἀδιωατεῖ· μάλιστα ἢ τάτ' ὀζὶ τ λυποῦν· διὸ καὶ οἱ ἔμετοι τ ἱδρώτων κουφίζουσι μᾶλλον, ὅτι σωεξάγουσι τῦτ, ἅτε παχύτεροι καὶ σωματωδέστεροι ὄντες· καὶ ὅτι τῇ μ σαρκὶ πόρρω ὁ τόπος ἔστ, ἐν ᾧ τὸ γλίχρον, ὲ τ κολλῶδες· ὥστε ἔργον μεταθῆσαι· τῇ ἢ κοιλίᾳ, ἐγγύς· ἡ γὰρ ἐν ἀυτῇ ἐγίνεται, ἢ πλησίον· διὸ ὲ δυσεξάγωγον ἄλλως.

Quare cùm corpus assiduè fluat, effluxúsque ipse de excrementis proueniat, corpus leuari non possit, nisi sudauerit? An quia minùs excernitur, quàm satis sit? Cùm enim ex humore mutatur in aërem plus de minori existat, necesse est. Humor enim quicúmque, copiosiùs cùm se discernit, redundat, diutiúsque ob eam rem profectò excernitur. Lenta item glutinosáque excrementa, vt cum humore propter mistionem excerni possunt, ita cum spiritu nequeunt: quæ quidem res maximè officere potest. Hinc etiam vomitus magis, quàm sudores corpora leuant, quoniam ea ipsa excrementa educunt, vt qui crassiores, corpulentioréque sint, vtque cùm carni quidem procul is locus sit, qui lentam illam, glutinosámque materiam continet; itaque non sine magno negotio, dimouendi datur facultas. Ventri autem è vicino est: aut enim in eo consistit, aut propè. Quo fit, vt difficilè queant aliter educi.

Inter alias euacuationum species, quas pro nostri corporis salute natura instituit, transpiratio per meatus, aut occulta foramina cutis assidua, & perpetua in corpore est: per illam autem fluunt ea excrementa, quæ in tertia coctione, quæ in singulis nostri corporis partibus celebratur, secernit natura; cuius coctionis excrementum itidem est sudor, vt habemus à Galeno primo de tuenda valetudine cap. XII. Quærit igitur Aristoteles cùm perpetuò totque adeò fenestris corpus nostrum assiduè fluat, insensibili hac in aëra transpiratione, qua excrementa assiduè euacuantur, quæ corpus grauare solent, quare tamen non alleuetur ex ea corpus sed grauitatem percipiat, nisi exsudet? Duas autem affert rationes, alteram à quantitate, alteram à qualitate materiæ desumptam, quarum illa respectu temporis, hæc autem respectu loci, quo euacuatio fit, non patitur alleuationem contingere. Ad primam igitur dicit; quod excernitur per insensibilem transpirationem minus esse, quàm redundanti humori, aut excremento satis esse possit: nam cùm illa euacuatio fiat per spiritus; quùm humor aliquis in spiritum, aut aëra resoluitur, ex minori mole maior fit, humor enim qui se discernit, & diuidit, plus est, & magis quàm antea redundat: proportionem præcisè scripsit secundo de generatione, & corruptione; ex vno pugillo aquæ decem fieri pugillos aëris. Illa igitur insensilis effluxio, licèt numquam cesset, quia tamen fit per spiritus, qui multi, & copiosi de exiguo humore sunt, idcirco longiori tempore fit, quàm pro corporis alleuatione sit necesse: breuius enim, aggrauans materia colligitur, & fastidium, ac laborem parit, quàm per spiritus, aut halitus occultè transpiret, & fluat. Dixit autem Aristoteles in proponenda quæstione hoc loco, ἀφιδρώσι, quod sectione XXXVII. ἰδίῃ, nimirum exsudet, hoc est per sudorem expellat materiam, quæ laborem affert. Διὰ ἢ τῦτο καὶ ὅτι δὶ ἐλαττόνων πόρων ἡ ἔκκεισίς ἐστιν. Hæc verba Theodorus non agnoscit, nulla enim sunt in tralatione, quæ illis respondeant: sectione autem XXXVII. problemate primo, quo eadem res proponitur ad disquirendum, sunt hæc verba initium alterius problematis à primo dependentis, addita particula, & nota interrogationis πῶ, hoc

modo. Διὰ τί ἢ τᾶχ, vt quod hîc vnum problema eſt, ibi ſint duo, quorum alterum ex altero aptum eſt: ibidem autem quæſito reſpondetur per ea, quæ itidem hoc loco habentur, διότι ἐκατέρων πόρων ἔξοδός ἐστι. quæ mox confirmantur per illa, quæ in præſenti problemate tamquam altera & princeps cauſſa initio proponuntur, quia materia lenta, & glutinoſa non educitur. Igitur hoc loco ea malè fuiſſe collocata exiſtimo, cùm videantur ſignificare alteram quandam rationem ipſis contineri, cui deinde ſubiungatur tertia per illa, ἔτι τὸ γλίσχρον; ſed hæc illi eadem eſt, adeóque vna ſola vtrobique continetur, vt apparet ſectione trigeſima ſeptima, iuxta quem locum hæc erunt reſtituenda: nihil autem interſit, vnum, an duo, quæ nexa ſint conſtituere problemata, & per me licet, vel hîc diuidas, vel ibi coniungas modò rationes bene proponantur. Igitur ratione qualitatis materiæ, & loci per quem excretio fit, oſtenditur non poſſe ex euacuatione illa ſpirituum, aut halituum per cutis meatus, alleuari corpus oppreſſum, ſicuti per ſudores fit, quoniam in corpore adſunt excrementa viſcida, & glutinoſa, quæ illud adgrauant, hæc autem mixta cum humore, aut ſudore foras excernuntur, cum ſpiritu autem fieri non poteſt vt excernantur: ſpiritus enim egreditur per foramina exigua, per quæ illi, qui tenuis eſt patet via, craſſo autem, & viſcido nequaquam, ſed ante itineris finem ſiſtitur, ſaltem ad cutim, vt habemus etiam à Galeno, loco quem adduximus primo de tuenda valetudine. Huc igitur pertinent, quæ paullò ante poſita fuerant verba: δι' ἐλαττόνων πόρων ἡ ἔκκρισίς ἐστιν. *per anguſta foramina excretio fit:* quomodo collocantur problemate ſecundo ſectionis XXXVII. & quomodo hîc collocari debent: tenuia autem tantùm per hanc viam excerni, ſcripſit etiam Galenus libro de atra bile capite quarto: & quamuis primo de tuenda valetudine, loco quem ſæpius citauimus ſcribat inſenſili hoc perflatu, qui Græcè dicitur ἄδηλος αἰσθητῇ διαπνοὴ: craſſioris etiam excrementi nonnihil expelli, non tamen aut tot expelluntur, quot corporis redundantiæ forent neceſſaria, aut non ita craſſa. διὸ καὶ οἱ ἔμετοι τῶν ἱδρώτων κρείττους μᾶλλον. *Hinc etiam vomitus magis, quàm ſudores corpora leuant:* ex dictis corollarium infert, quo etiam ſimilitudine quadam ea quæ dicta ſunt, confirmantur. Quoniam glutinoſum excrementum in corporibus maximè relinquitur, tenui per inſenſibilem tranſpirationem euacuato; ab eoque corpora maximè grauari, & labore affici ſolent, hinc etiam iure merito contingit, vt vomitus magis, quàm ſudores corpora leuet, quia huiuſmodi excrementum craſſum, magis per vomitum, quàm per ſudores excernitur: quam rem confirmat etiam alia ratione, proximiùs ſumpta à loco, cùm alia ſumpta eſſet à materia: ideo enim vomitus magis leuat corpora humore craſſo, quàm ſudor, quoniam locus ſudoris, qui in carne fit, longiùs abeſt à loco, vbi craſſum illud, & glutinoſum excrementum continetur, vt difficile ſit mutare ipſum à loco eo ad locum ſudoris; ventriculo autem illud excrementum proximum eſt, quare facilè per vomitum expelli poteſt; per vias enim proximas omnia faciliùs expelluntur, quàm per diſtantes, vnde dicebat Hippocrates primo aphoriſmorum XXI. *Quo natura vergit per loca conferentia eo ducere conuenit.* τῇ ἢ κοιλίᾳ; *ventri autem.* Nomine ventris generatim intelligi poſſunt omnes cauitates; hîc autem cùm de vomitu agatur, ventriculum accipimus. Probat autem illud excrementum eſſe proximum ventriculo, quia vel in ipſo fit, vel in locis vicinis, nimirum in ſuperiori inteſtino, aut venis meſeraicis, aut locis aliis proximis.

XXIII.

Διὰ τί ἧττον ἱδρῶσιν ἐν αὐτῷ τῷ πονεῖν, ἢ ἀνέντες; ἢ ὅτι πονοῦντες μὲν, ποιοῦσι· πεποιηκότες δὲ πεπονήκασιν; εἰκότως ἂν ἐκκεῖνε πλέον· ὁ τὲ μὲν γὰρ γίνεται, ὁ τὲ δ' ἐστὶν· ἢ ὅτι πονοῦντων μὲν, συγκλείονται τὰ σαρκὸς οἱ πόροι, διὰ τὴν κάτοχον τοῦ πνεύματος· ὅταν δὲ ἀνῶσι ἀνοίγονται; διὸ καὶ τὸ πνεῦμα κατέχοντες, ἧττον ἱδρῶσι.

Cur minùs inter laborandum ſudamus, quàm cùm relaxati labore quieſcimus? An quoniam cùm facimus, laboramus, cùm fecimus, laborauimus? Igitur plus tunc ratione excernitur. Alterum enim fieri eſt, alterum eſſe. An quia cùm laboramus, carnis foramina retento ſpiritu obſerantur? Cùm autem relaxauimus, aperiuntur? Quo fit etiam, vt ſpiritu retento minùs ſudare poſſimus.

Idem proponitur, quod paullò ante problemate vigeſimo: ſed ratione, quam ibi primo loco attulit, hîc autem ſecundo, aliam addit, quam & proponit ſtatim ſubiungens. ἢ ὅτι

πονοῦντες μᾶλλον ποιοῦσι, πεποιηκότες ἢ πεπονήκασιν. *An quoniam cùm facimus, laboramus, cùm fecimus laborauimus.* ſenſus eſt, vt puto. Sudor fit, dum laboramus, quod verò fit, non perfectè eſt, ſed partim eſt, partim non eſt; cùm verò laborauimus, factus eſt ſudor: tunc igitur omnino, & perfectè eſt; quare iure merito tunc maior eſt, cùm ad perfectionem peruenit, quàm dum fieret, & materia diſponeretur. ἢ ὅτι πονοῦντων μᾶλλον. *An quia cùm laboramus.* Altera ratio, quæ ſcripta ſimiliter eſt ſuperiùs problemate vigeſimo, & antea etiam primo huius ſectionis, vt iam non ampliùs egeat expoſitione.

XXIV.

Διὰ τί ὅταν τρέχωμεν, ὁ ἱδρὼς ἐπὶ πλείων, ἢ ὅταν ἐν κινήσει ἢ τὸ σῶμα, ἀλλ' ὅταν παύσωνται; ἢ ὅτι ποτὲ μὲν ὥσπερ ὑπὸ τῶν χειρῶν, ἢ ἄλλου τινός ἐστιν ὕδωρ ῥέον ἀποφράξαν πανταχόθεν συναθροιζόμενον· ὅταν δὲ ἀφεθῇ, πλέον ἢ ὅσον ἐξ ἀρχῆς· ὡς δὲ ὑπὸ τῶν χειρῶν, οὕτω καὶ ὑπὸ τοῦ πνεύματός ἐστιν ἀπολαμβάνεσθαι, ὥσπερ ἐν τῇ κλεψύδρᾳ, καὶ πάλιν περὶ τὴν κύστιν· ἀπολαμβάνει γὰρ ἐντὸς ὁμοίως ἂν πολλῆς κινήσεως οὔσης. τὸ πνεῦμα ἀναπολαμβάνεται· διὸ καὶ αἱ φλέβες ἐκτείνονται ἔχοντος ὑγρὸν τὸ σῶμα πνεύματος ἐξιέναι· ἀπολαμβανόμενον δὲ ἀθρόον τὸ ὑγρὸν, ὅταν ἀνεθῇ τὸ πνεῦμα, ἀθρόον ἐξέρχεται.

Quam ob rem non in currendo, agitandóque corpus ſed poſtea, quam ceſſatum eſt, plus ſudoris euadat? An riuus quemad modum manu, vel aliquo fluens, vndique aqua obſtructa ſe colligit, relaxatáque, demum copioſior profluit, quàm ante: ſic etiam inhiberi eadem à ſpiritu poteſt, vt in vaſe, cui nomen clepſydra, atque etiam in veſica. Coërcetur enim, detinetúrque intus humor à ſpiritu. Pari igitur ratione, cùm corpora motu vehementiori citantur, ſpiritus intus circumuenitur, coërcetúrque: itaque venæ etiam diſtenduntur, ac intumeſcunt, cùm humor ſe educere nequeat. Quòd cùm vniuerſus coërceatur, ſpiritu poſtea relaxato, vniuerſus erumpat, neceſſe eſt.

Quod vniuersè de labore propoſuit paullò ante, idem nunc de curſu, & corporis motione particulatim quærit, quare dum currimus, aut corpus eſt in motu, non æquè fiat ſudor, ac dum quieſcimus? eandem autem quam ſuperiùs adducit rationem, rem tamen aſſiduè magis illuſtrat. Vtitur autem nunc ſimilitudine: Quemadmodum aquam fluentem, ſi ex pluribus locis ſimul alicubi congregetur, & corriuet, poſſumus aut manu, aut alia re, obſtruere, & impedire ne exeat, illa verò deinde aditu patefacto, & permiſſo exitu, maiori fluit copia, quàm ab initio, quippe diutius collecta, & congregata; ita contingit in ſudore. Poteſt enim quemadmodū à manu, ita à ſpiritu aliquid intercipi, & impediri, vt in clepſydra patet, aut in veſica, aut in alia cauitate. In clepſydra enim ſpiritus, qui intus cohibetur continet aquam, ne deorſum fluat (id quomodo fiat, latè perſequitur problemate octauo ſectionis XVI.) aperto autem clepſydræ foramine, & excurrente ſpiritu, aqua ſtatim deorſum labitur: ſimilitudinem deinde accommodat ad propoſitum ea referens de retentione ſpiritus, & venarum diſtentione, quæ non ſemel allata ſuperiùs, ad hunc locum non ſunt denuò inculcanda. Porrò illa in textu Latino, *vel aliquo fluens*, non reſpondent Græcis vulgatis, quæ ſonant ſicuti nos expoſuimus: *quemadmodum manu, vel aliqua alia re obſtruere licet aquam fluentem.* Tota autem hæc pars, quo meliùs etiam Ariſtotelis ſententia exprimatur, ita ad verbum reddi poteſt. *An quoniam tunc quidem, quemadmodum à manu, aut quapiam alia re, fluentem aquam, vndique collectam licet obſtruere, quæ poſtea aquam laxata fuerit, copioſior eſt, quàm antea? quemadmodum autem à manu, ita etiam à ſpiritu* [illa] *obſtrui poteſt, ſicut in clepſydra.*

XXV.

Διὰ τί ὅταν πίωσιν, ἧττον ἱδρῶσιν ἐπιφάγοντες; ἢ διότι τὰ σιτία ἀπισπᾶται τὴν ὑγρότητα, καθάπερ σπόγγος· ἐμπεσόν; ἔστι δὲ κωλύσαι τὴν ὁρμὴν καὶ μικρὸν μέρος, ὥσπερ ἐν τοῖς ῥύμασι τὸ ἐπιλάβειν τὰς πόρους προσενεγκάμενον τὴν τροφήν.

Cur ſi quis cùm biberit, cibum ſumat, minùs ſudet? An quoniam cibus ingeſtus, humorem attrahit, quaſi ſpongia. Eſt enim non parum, rei impetum retorſiſſe, quod vel fluentorum conſtat argumento: ita enim cibo quo-

que ingesto, meatus apprehendisse plurimùm valet.

Quam ob rem, qui potauerunt plus sudent, si post potum non ingerant cibum, quàm cibo super ingesto, caussa est, quoniam cibus sua natura siccus, (calidus etiam, quippe ad sedandam famem assumptus, quæ calidi, & sicci appetitus est, vt habetur libro secundo de anima) trahit ad se humiditatem, non aliter ac spongia, quæ ipsi incideret, humiditas autem attracta, & cibo imbibita, atque ab eo itinere auersa, per sudores non ampliùs emanat. Probat autẽ rationem esse consentaneam, nam in fluxionibus, & in omni alio decursu, prohibere impetum rei fluentis, non parua totius negotij pars est: id autem fit in proposita re, nam cùm humiditas attrahitur à cibo assumpto, prohibetur illius impetus ad cutim, qua per sudorem exit. Aut dicamus esse argumentationem à minori ad maius hoc modo: si prohibere impetum non parua totius negotij pars est, multò maius est, tollere caussam; quemadmodum in præsentia contingit, tollitur enim humiditas, quæ materia sudoris est, ὥσπερ ἐν τοῖς ῥεύμασι. *quod vel fluentorum constat argumento.* Propositam rationem confirmat similitudine. In destillationibus, & catharris, id enim valet hoc loco rheuma, quæ maximè propria vocis significatio est apud medicos, quũ nimirum à capite ad subiectas partes fluit humor, siue per nares, siue per palatũ, siue per asperam arteriã sibi viam moliatur, videmus sisti fluxionis impetũ, si oblato cibo obstruamus poros, aut meatus per quos humor labitur, ita enim experti videmus cõtingere, vt post cibum per aliquod temporis spatium, nisi aliud erratũ acciderit, fluxiones minùs vrgeant, à crassis cibi vaporibus obstructis meatibus, quibus humor labitur, aut crassefacto eodem humore, quæ ratio similiter etiam sudori accommodari potest. Porrò Theodorus, quia sensum hunc non percepit, multa inuertit, nam & ῥεύμασι, reddit *fluenta*, quod non valet hoc loco, & hæc eadẽ verba ὥσπερ ἐν τοῖς ῥεύμασι, quæ vnam tantùm sententiam continent, qua proposita ratio confirmatur similitudine cibi ingesti in destillationibus, ipse disiunxit, tamquam duas haberent partes, vnde & coactus est addere particulas illas, *ita enim*, quæ absunt à Græcis editis exemplaribus. Præterea ὑπιλαβεῖν, reddit apprehendere, quod propriè hoc loco valet, obstruere, sicuti etiam primo huius sectionis problemate, vt illic adnotauimus: quod ipsum tamen apprehendere, pro obstruere videtur hoc loco accepisse Theodorus, aut saltem accipiendum est. Antiquus interpres, ἐν τοῖς ῥεύμασι reddidit, *inhiantibus*, ridiculè, vt quidem existimo, cui enim vnquam obseruata talis huius verbi notio? & ὑπιλαβεῖν similiter ac Theodorus, apprehendere; ex qua interpretatione, Aponensis expositionem commentus est de aperturis, aut cauitatibus terræ respectu currentis aquæ; & corporum conualescentium, aut famelicorum respectu nutrimenti, quorum vtrúmque retinetur propter vacuitates pororum, vt ipse dicit: in conualescentibus enim, & famelicis, quia meatus sunt inanes, ventres, & vrinas magis retineri dicit, humiditatibus nimirum, & excrementis in cauitatibus illis detentis: has scilicet absurditates duorum verborum vis malè accepta, & reddita inuexit: nimirum ῥεύματα *hiantes*, & ὑπιλαβεῖν *apprehendere*, hoc est retinere, ita enim, si diis placet, interpretatur. Verùm vt expositionis nostræ ratio liquidiùs constet, & possit lector etiam Græcarum litterarum ignarus, eorum quæ à nobis dicta sunt veritatem perspicere, illa problematis verba, in quibus eos viros lapsos dixi, cum fide, facilè vti sonant mihi reddenda putaui in hunc modum: *est autem impetum prohibuisse non exigua rei pars, quemadmodum in defluxionibus obstruere meatus oblato cibo.*

XXVI.

Διὰ τί οἱ ἀγωνιῶντες ἱδρῶσι τὰς πώδας, τὸ ἢ πρόσωπον μᾶλλον; ἢ ὅλον, ὅταν ἱδρώσῃ τὸ σῶμα, τότε μᾶλλον τὰς πόδας; ψυχρότατον δὲ ὁ τόπος· διὸ καὶ ἵκτηρα ἱδρῶσι· καὶ οἱ ἰατροὶ ἐν τῇ ἀῤῥωστίαις μάλιστα προειρήκασι τὰς πώδας προσαγγέλλειν, ὅτι ψυχροί εἰσιν· ὥσπερ ἐν χιόνι ῥᾳδίως ῥίγος ποιοῦσι καὶ τῷ ἄλλῳ σώματι· ἢ ὅτι καὶ ἡ ἀγωνία ὅτι θερμότης· ἡ μετάστασις (ὥσπερ ἐν τῷ φόβῳ ἐκ τῶν ἄνω τόπων εἰς τὰς κάτω· διὸ καὶ αἱ κοιλίαι λύονται τῷ φοβερῷ) ἀλλ' αὔξησις θερμῆ, ὥσπερ ἐν τῷ θυμῷ; καὶ γὰρ ὁ θυμὸς ξέσις τις θερμὴ ὅτι τις περὶ τὴν καρδίαν· καὶ ὁ ἀγωνιῶν, ἡ μᾶλλον φόβον καὶ μᾶλλον ψύξιν πάσχει, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ μέλλον.

Cur trepidantes pedibus sudamus, non facie? Rationabiliùs enim tunc pedibus quoque sudetur, cùm corpore toto sudamus; locus hic enim frigidissimus est, quam ob rem pedes minimè solent sudare. Et quidem medici in aduersis valetudinibus pedes potissimùm operiendos præcipiunt, quoniam frigus hi quàm facillimè sentiunt, itaque rigoris initium reliquo etiam corpori

expeditè committunt. An quòd trepidatio non caloris de ſummis locis ad ima tranſitio eſt, vt accidit in metu, ex quo alui etiam metuentium ſæpe funduntur, ſed eius incrementum potiùs caloris accedit, vt in ira: quippe cùm ira feruor cordi ſuffuſi ſanguinis ſit, & trepidans ipſe non metu, refrigeratione ne ſit ita affectus, ſed membri ipſius affectione.

Theodorus ἀγωνιῶντες reddit, trepidantes, & ita etiam exponit vetus gloſſarium: non tamen exiſtimem hoc loco Latinam eam vocem Græcæ vim, & efficaciam aſſequi, ἀγωνιῶντες enim Græca voce illi intelliguntur, qui poſiti in aliquo periculo, aut qui aliquid magnum aggredientes, in quo de illorum ſumma agatur, maximè anguntur, & ſolliciti ſunt: Heſychius, ἀγωνιῶ interpretatur, κινδυνεύω, id eſt periculum patior: trepidare autem apud Latinos eiuſmodi animi commotionem, & affectionem non puto exprimere. Huius affectus naturam liquidò explicauit Galenus libro ſecundo de ſympt. cauſſis capite v. per hæc verba ex Linacri interpretatione. *Timor enim intro, & ad principium tum ſpiritum, tum ſanguinem vnà cum refrigeratione eorum, quæ in ſummo corpore ſunt, abducit, ac contrahit: ira verò & foras agit, & fundit, & calefacit; quæ verò compoſita ex ambobus eſt, quam Græci agoniam dicunt, inæquales habet motus. Itáque etiam pulſus tum arteriarum, cùm cordis, ijs qui timent, minimi, ac maximè imbecilli ſunt: iratis contra maximi, & vehementiſſimi: his autem qui compoſita ex ijs paſſione laborant inæquales.* Accipi etiam aliquando idem verbum ἀγωνιᾷν, de eo qui alioqui metu vacuus ſit, docet Henr. Stephanus ex Ariſtotele primo rhetoricorum illis verbis. καὶ περὶ ὧν ἀγωνιῶσι μὴ φοβέμενοι καλά ἐστι. id eſt, *Honeſta etiam illa ſunt de quibus agonia percelluntur metu carentes.* & ſanè hoc loco parum timoris participem, aut fortè nihil facit eundem affectum Ariſtoteles: contra problemate x x x. in quo de eodem affectu eadem proponitur quæſtio. De his igitur, qui hoc agoniæ affectu percelluntur, quærit in præſentia, quam ob rem ſudent pedibus, minimè verò facie. Oſtendit autem quæſitum explicatione egere, cùm potiùs contrarium fieri oportere videretur, tunc enim pedes ſudare eſſet magis rationi conſonum, cùm ſudat totum corpus; eo enim tempore non videretur mirum; at non ſudante facie, quæ maximè ad ſudandum propenſa eſt, vt ſuperiùs apparuit, ſudare pedes, non ita aptos, ſeu potiùs ineptos, vt ſequitur ad oſtendendum, id verò abſurdum videtur: ſunt autem inepti, quia locus ipſorum frigidiſſimus eſt, quippe à corde caloris fonte maximè remotus, ipſíque valde exangues, vnde & minimùm eos ſudare dicit: ad ſudorem enim mouendum neceſſarius calor eſt, vt vidimus ſuperiùs. Cùm tamen iidem pedes incaleſcunt, maximè ſudant, vt dixit problemate x i x. ob rationem quæ ibi affertur: verùm non ſolent incaleſcere, niſi toto corpore calido, quia maximè frigidi; & inde quæſtionis oritur occaſio. Confirmat etiam eandem pedum frigiditatem alio medio: nam & medici in ægritudinibus magnam diligentiam adhibendam præcipiunt ad eos cooperiendos, & cuſtodiendos à frigore, & ab iiſdem pedibus, tamquam corporis membro frigidiori, rigoris principium eſt in corpore· ἡ ὅτι καὶ ἡ ἀγωνία. *An quòd trepidatio,* ſolutionem affert, ſed valde obſcurè, ſi quidem Theodori, aut antiqui interpretis tralationem ſequimur. Sollicitudo, ſeu agonia eſt non migratio caliditatis ex vna parte ad aliam, vt contingit in timore, in quo tranſitus caloris fit ex partibus ſuperioribus ad inferiores, ſeu de exterioribus ad interiores; dicuntur enim partes in ſuperficie poſitæ, quodammodo ſuperiores reſpectu illarum quæ interiùs, & ſub eis poſitæ ſunt. In timore igitur ex vna parte ad aliam fit caliditatis tranſitus; non ſic in hac ſollicitudine, aut trepidatione ex quo corollarium infert Ariſtoteles, quia enim in timore caliditas confugit ad internas, & infernas partes, ibíque conturbat quæcúmque reperit, fit, vt ventres illi inferiores à timore ſoluantur. Aut ſit hoc non corollarium, ſed argumentum à ſigno. In timore, ſignum eſt fieri migrationem caliditatis ab vna parte ad aliam, quia in eo ventres ſoluuntur. Agonia igitur non eſt migratio caloris ex vna parte ad aliam: ſed incrementum potiùs eiuſdem caloris vt contingit in ira, quæ eſt ebullitio quædam ſanguinis circa cor: nec qui hac affectione percellitur, patitur aut ob timorem, aut ob refrigerationem: non enim agonia in præſentia quidem Ariſtoteli eſt timor, nec idem quod in timore in illa contingit. Ex Galeno autem ſuperiùs habuimus, ex ira, & timore mixtam eſſe affectionem. Multò tamen magis caliditati, quàm frigiditati proximam; vel calidam etiam abſolutè, eam videtur hoc loco Ariſtoteles proponere, contrarium autem problemate x x x. vt diximus qua de re nos ibidem nonnulla. Porrò autem nondum per hæc verba videtur explicata quæſtio: non enim ſi ſimilem motum dicit eſſe tum in ira, tum in agonia, ideo ſolutionem affert, non

enim idem de ira quæsiuit, aut idem de ipsa ab Aristotele in problemate affirmatur, vt vnius dissolutio possit esse dissolutio alterius: illis autem verbis, quæ sequuntur, ἀλλὰ διὰ τὸ μέλλον, *sed membri ipsius affectione.* (ita enim vertit Theodorus) tota videtur niti quæsiti explicatio: sed quomodo, ego quidem non facilè comprehendo. Primum illud ambigo, quid per vocem μέλλον intelligatur. Antiquus interpres, & Theodorus intelligunt, membrũ: & sanè Hesychius vocis μέλλω, notionem vnam ponit, μέρος τῦ σώματος, id est: *partem corporis*, sed & μέλος dicit vnico λ, & ex μέλω fieri non potest μέλλον, in quarto casu. At legerint illi μέλω simplici λ: non μέλλον, aut etiam legerint κῶλον, non tamen explicationem quæsiti video: quomodo enim ex eo, quòd illi, qui agonia premuntur, non patiantur, aut sint affecti per metum, aut refrigerationem, sed per membrum, aut ratione membri, aut affectione membri, vt reddit Theodorus, fit inquam, vt ij sudent pedibus, non autem facie? aut quomodo hæc concluduntur ex superioribus, in quibus dicebatur agoniam non esse calidi migrationem, sed incrementum. An per membrum intelliguntur pedes? quid autem? an patientibus pedibus sudor ex illis effluit? an non alia, quàm sudorifica esse potest affectio? cùm præsertim de tali affectione nihil antea, quod rem explicet, dictum sit: sed nomine membri intelligamus etiam affectionem calidam; quomodo verò dissoluitur quæstio, pedibus incalescentibus sudorem ex illis cieri, cùm etiam aliæ partes, & facies ipsa, de qua hoc negatur, incalescat, nec tamen ea sudet? Hæc sunt, quæ mihi hac in re negotium facessunt, & persuadent, vt existimem locum esse maximè corruptum, quem restituere, vt mihi quidem maximè difficile videtur, ita non videtur abs re ea proponere, quæ in mentem venerunt, vt ab iis, qui & ingenio, & doctrina valent, examinentur. Solutionem igitur quæsiti, non iis verbis contineri puto, sed illis, quæ sequuntur proximè sequenti problemate XXVII. quæ non diiungenda esse arbitror, ab iis, quæ modò interpretati sumus, neque aliud, & diuersi problematis esse verba, nouúmque adeò problema ab illis constitui, sed cum illis iungenda, partémque huius eiusdem problematis esse, vt quæ duo numerantur problemata XXVI. & XXVII. vnum tantùm sint: illa igitur, ΔΙΑ ΤΙ ΤΟ ΠΡΟΣΩΠΟΝ, non esse initiũ noui problematis existimo, sed continuanda superioribus esse, neque cum interrogatione legenda, tollendamque similiter particulam ἡ, post ἱδρῶσι δὲ, & vocem, μέλλον, mutandam in μᾶλλον, vt orationis series hæc sit. καὶ ὁ ἀγωνιῶν διὰ φόβον, καὶ διὰ ψύξιν πάσχει, ἀλλὰ διὰ τὸ μᾶλλον· διὰ τί τὸ πρόσωπον ἐξερυθρὸν γίνονται, οὐχ ἱδρῶσι ἢ διὰ τὸ μᾶλλον θερμαίνεσθαι. hoc est. *& qui agonia prehenditur, non per timorem, aut refrigerationem patitur, sed quia magis* [incalescit: quod ex superioribus est repetendum] *qua ex re illi quidem facie rubescunt, non tamen sudant, quia nimirum excalfiunt.* Tota igitur Aristotelis ratiocinatio vtróque problemate comprehensa ita habet: Sollicitudo, seu agonia est, non migratio caliditatis, vt in timore, & reliqua, sed incrementum eiusdem, quemadmodum contingit in ira: est enim ira ebullitio caloris circa cor, simili modo, qui agonia premitur, non per metum, aut refrigerationem patitur, sed per maiorem calorem, & quia magis incalescit, ex quo fit, vt circa faciem illi non sudent; sed rubescant, quia nimirum magis calefiunt, quàm ad sudorem excitandum oporteat, illinc enim efficitur, vt humor, qui continetur in facie exsiccetur à caliditate, quæ nimiùm in illa superficie abundat: qui verò continetur in pedibus, eliquatur, quia caliditas minor est, quàm vt exsiccare possit, cùm pedes sint frigidiores, est tamen maior innato, & eo, qui antea illis inerat; aliter enim sudorem non moueret. Aristoteles igitur hoc loco agoniam admodum remouere videtur à timore, & refrigeratione, iræ autem & caliditati magis proximam facere; cùm tamen problemate XXX. non ita omnino sentire appareat; quo in loco alias etiam ad hanc rem affert rationes, de quibus ibidem agemus. Porrò præsentem locum, vt ita corrigerem fecit tum caussa, quæ dicta est; quòd alio modo non videbam quæstionis propositæ solutionem, tum quoniam, si illa, διὰ τί, noui problematis essent initium, non appareret, ad quos problema illud pertineret: ac si à superiori pendere diceremus, quemadmodũ videtur sentire Theodorus, nõ ille Aristoteli mos sit, vt id absque alicuius particulæ, quæ iungat, seu nexum ostendat, mẽtione facere soleat, vt prima sectione problemate secundo, & decimo quinto, & secundo sectionis XXXVII. & aliis etiam in locis, quibus ad nexum indicandum poni videmus particulam, δὲ: vt omnino dicendum sit, ex his duobus problematis vnum tantùm esse constituendum: quibus accedit Theophrastus, qui mihi emendationis illius caussam, præbuit, eámque penitus animo insinuauit: ille enim libello de sudoribus, ea, quæ pertinent, ad faciei ruborem, & pedum sudorem in agonia, vno & eodem sermone coniungit, his verbis in editione H. Stephani. ὅτι οἱ ἀγωνιῶντες τὰς πόδας ἱδρῶσι, τὸ δὲ πρόσωπον οὔ, διότι ἡ ἀγωνία οὐ μετάστασις θερμότητός ἐστιν, ἀλλ'

αὔξησις, καθάπαξ ὁ θυμός· διὸ τὸ μὲν πρόσωπον ἐξερυθροὶ γίνονται, καὶ οὐκ ἱδρῶσι, διὰ τὸ μᾶλλον ἐνθερμαίνεσθαι· ξηρᾶ γὰρ ἡ θερμότης ἐπιπολάζουσα· τὸ δὲ ἐν τοῖς ποσὶ σωτήκει διὰ τὸ ἔλαττον εἶναι, ὥστε ξηρᾶναι, πλείων δ' ἂν ἐμφύτου, καὶ προϋπαρχούσης. hoc est, *trepidantes seu qui in agonia positi sunt, pedibus sudant, non autem facie, quoniam agonia non est migratio caloris; sed incrementum, sicuti ira, quam ob rem facie rubescunt, & non sudant, quia nimium excalfiunt: exsiccat enim caliditas, quæ in superficie viget, at humor, qui in pedibus est, eum eliquat, quia caliditas minor est, quàm vt exsiccare possit, maior tamen innata; & ea, quæ priùs inerat.* Quæ autem leguntur in editione Basilienſi pluribus etiam rem explanant, quare non piguit ea adscribere alicubi etiam restituta. ἄπορον δ' ὅτι οἱ ἀγωνιῶντες τὰς ποδὰς ἱδρῶσι; τὸ δὲ πρόσωπον οὔ· καὶ τοι μᾶλλον ὔλογον, τὸ μᾶλλον ἱδρωτικὸν, ἢ τὸ ἧκιστα· τὸ δ' ἄπορον, ὅτι ἡ ἀγωνία ὄζιν ἐστὶ μεταστάσεως θερμότητος, ὥσπερ ἐν τοῖς φόβοις, ἀλλὰ μᾶλλον αὔξησις, καθάπαξ ἐν τῷ θυμῷ, καὶ γὰρ ὁ θυμὸς, ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν θερμοῦ· καὶ ἀγωνιῶντες δ' ἐκ διὰ φόβον τῶν πάθεσιν, ἀλλὰ διὰ τὸ μᾶλλον ἐνθερμαίνεσθαι. ξηραίνει γὰρ ἡ θερμότης ἐπιπολάζουσα· τὸ δ' ἐν τοῖς ποσὶ σωτήκει διὰ τὸ ἐλάττω μὲν εἶναι ὥστε ξηρᾶναι· πλείω δ' συμφύτου, καὶ προϋπαρχούσης. hoc est. *Absurdum autem videtur, quòd qui anguntur, seu in agonia positi sunt, pedibus sudant, non autem facie, cùm magis rationi consentaneum videatur, illud sudare, quod maximè sudorosum, quàm quod minimum. Causſa autem est, quoniam agonia non migratio est caliditatis, sicuti in timore contingit, sed potiùs incrementum, veluti in ira. Ira enim ebullitio est caloris circa cor: & qui anguntur, non timore hoc patiuntur, sed quia magis incalescunt; exsiccat enim caliditas, quæ in faciei superficie viget, humidum quod ibi est: quod autem est in pedibus illud colliquat, quia minor est, quàm vt exsiccare posit, maior tamen est connato, & eo, qui priùs inerat:* hæc postrema Theodorus apud Aristotelem vertit; *maior insito præconditóque calore naturali est.*

XXVII.

Διὰ τί καθεύδοντες ἱδρῶσι μᾶλλον, ἢ ἐγρηγορότες; ἢ ὅτι ἔσωθεν ἡ ἀρχὴ τοῦ ἱδρῶτος. θερμότερα δὲ τὰ ἐντός· ὥστε καὶ ἐκκρίνει ὀχλοῦσα ἡ ἐντὸς θερμότης, τὸ ἐντὸς ὑγρόν· ὥστε ἀεὶ ἔοικεν ἀποῤῥεῖν τι διὰ στόματος· ἀλλὰ διὰ τὸ μηθὲν εἶναι, πρὸς ὃ προσπῖπτον ἀλισθήσεται, λανθάνει· σημεῖον δὲ τὰ γὰρ κοῖλα τοῦ στόματος ἀεὶ ἱδροῖ.

Cur dormientes, quàm vigilantes, sudare magis solemus? An quòd sudoris origo intrinsecus est, interna autem calidiora habemus: ergo calor intimus, humorem diffundens intimum, educit. An humoris aliquid semper à corpore effluit, sed latet, quia nihil solidum est, cui humor occurrens se colligat; Argumentum, cur ita sit, quòd partes cauiores assiduè sudant.

Iterat, quod propositum est problemate XVI. cur dormientes magis, quàm vigilantes sudent. Ratio autem eadem, sed adhuc explicatior primùm redditur, tum alia quædam adduntur. Principium sudoris ab internis partibus est, nam & calor, quæ est causſa efficiens, & humiditas, quæ est materia, ab illis locis proficiscitur; illa autem loca in somno sunt calidiora. Melius igitur calor, dissoluens humiditates, quæ intus sunt, exeernit ipsas per sudores. Theophrastus hanc rationem ad libri finem ita proponit: ἐν δὲ τοῖς ὕπνοις οἱ ἱδρῶντες μᾶλλον ἢ ἐγρηγορόσιν. ὅτι καὶ ὑγρότατα καὶ θερμότατα πάντα διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν. ἐξ ἀμφοῖν δὲ τούτοιν ὁ ἱδρὼς, ὥσπερ εἴρηται πολλάκις. hoc est. *in somnis autem sudores magis fiunt, quàm vigilantibus: quoniam calidissima & humidissima omnia ibi redduntur, ob antiperistasim. Ex his autem duobus sudor fit, vt sæpius diximus. An humoris aliquid semper.* Theodorus aliter legisse videtur, nimirum, ἢ ὅτι, ita enim reddit, tamquam altera; & noua sit quæstionis solutio, nisi tamen mendum sit in illius Latino textu, quod in codices omnes irrepserit, & pro, *An*, legendum, *nam*, ablata ante eandem particulam interpunctionis nota. Iustinianus pro, ὥστε, habet, ὥσπ; Verùm seu noua ratio sit, eidem fundamento nixa, seu prioris confirmatio; hunc puto esse sensum. Materiam semper in corpore existere, quæ actione caloris foras effluat, hanc tamen latere aliquando, quoniam non habet, ad quod incidens congregetur; vnde subinde resoluitur occultè, nec apparet: in somno autem illa magis colligitur, quia ipsius origo interiùs est: somni autem tempore spiritus, & humores vergunt interiùs, suntque meatus, siue partes extimæ magis adstrictæ, & compressæ: ad hos autem meatus incidens spiritus antea collectus, procedente somno sudor fit. Puto autem eandem de sudore tangi opinionem, quam sæpius antea; eodem autem termino προσπίπτοντος, seu *incidente*, vsus est auctor libro de flatibus, cùm eandem sententiam his verbis proponeret: τὸ δὲ πνεῦμα προσπίπτοντος πρὸς τὰς πόρους τοῦ στόματος οἱ ἱδρῶτες γίνονται· τὸ δὲ πνεῦμα συνισταμένω εἰς ὕδωρ

ἔρχεῖ), hoc est. *Spiritu autem incidente ad meatus corporis, sudores fiunt. Spiritus enim compactus in aquam abit.* Quam sententiam confirmat exemplo vaporum, qui à feruentibus aquis eleuantur. Theophrastus hanc opinionem tetigit statim initio libri, vt antea diximus: sed & ad libri finem ait, spiritum permeantem incidere in locum respirationis: & Aristoteles similiter superiùs problemate XVIII. tradit, spiritum hunc intus, cùm in sudorem euasit, incidere in ventriculum, & nauseam concitare; quæ attulimus, vt de incidente spiritu, aut humore rem declararemus. Id autem cùm meliùs, & promptiùs ob rationem dictam fiat tempore somni, quàm vigiliarum, iure plùs sudamus dormientes, quàm vigilantes, quod intelligendum est, eo modo, quo diximus ad problema XV I. nimirum initio somni calorem interiùs vergere, & materiam attenuare, extimósque interim meatus comprimi: tum procedente somno victa materia, & impetu facto ad meatus, qui antea erant adstrictiores, iis laxatis sudores erumpunt. Probat autem Aristoteles effluere semper materiam, quam dixit, sed latere, quia non habeat, ad quod incidens colligatur: nam partes cauæ, sicuti alæ, & inguina, quarum alia alij incumbit, & alia aliam tangit, & in quibus adest collectionis humoris occasio, illæ semper sudant. Similis autem ratio tempore somni in toto corpore existimanda est, vnde sudores per totum copiosiùs fluunt. Vox autem, *solidum*, quæ est in Theodori tralatione, non exprimitur in Græcis verbis, quæ ita sonant: *quia nihil est, ad quod incidens colligatur.* Adnotaui, quòd putem, eam sensui adeò non prodesse, vt obscuritatem inducat.

XXVIII.

Διὰ τί ἐν τοῖς πυελατηρίοις μᾶλλον ἱδρῶσιν, ὅταν ἡ ψύχος; ἢ ὅτι τὸ θερμὸν ἐκ ταυτίζει ἔξω, διὰ τὸν τῆς ψύχους φθίσασιν· (κωλύει γὰρ τοῦτο τὸ τόπον) ἀλλ' ἐντὸς κατειλέμμενον καὶ μένον, θερμύνει τὰ ἐν ἡμῖν ὑγρὰ, καὶ ἱδρῶτα ποιεῖ ἐξ αὐτῶν.

Cur in caldariis tum magis sudamus, cùm tempus frigidum est? An quoniam calor propter frigoris obsistentiam foras euadere non potest, arcetur enim: verùm intus se peruoluens, ac insidens, humorem soluit interiorem, sudorémque ex eo producit.

Theodorus legit ὅταν ἡ ψύχος, non ἢ ὅταν: & ita legendum, facili sensu; quam ob rem in caldariis, & laconicis magis sudamus, cùm frigidum tempus est, vt per hyemem, subaudi, quàm cùm est calidum; est autem ratio, quoniam ob frigiditatem aëris, quæ eo tempore viget, caliditas corporis nostri, non progreditur extra, frigiditas enim circum obsistens, meatúsque adstringens prohibet, versans igitur se se interiùs ibique assiduè manẽs, validior fit, ex quo in caldariis meliùs humiditates dissoluit, & ex eis sudores conficit: ratio nimirum ex antiperistasi desumpta est, de qua diximus, tum problemate XVI. tum etiam superiori nonnulla: & de ea Galenus ad Aphorismum X V. primi libri, & Aristoteles sectione XXIV. problemate XIII. Eâdem autem de causa, vt puto Theophrastus dixit in nonnullis faciliùs prouenire sudores hyeme, quàm æstate, nisi tamen hyems sit impense frigida, cuius tamen ratio verbis admodum corruptis percipi non potest. Alioquin absolutè sudores magis esse mouendos æstate, quàm hyeme, habuimus superiùs problemate XX I. & iterum apparebit problemate XXXII. & XXXIX.

XXIX.

Διὰ τί ὠφελιμώτερος ὁ ἱδρὼς κἂν ἐλάττων ἐπέλθῃ ὁ γυμνὲ τρεχάζοντι γιγνόμενον, ἢ ὁ ἐν ἱματίῳ; ἢ τὸ μὲ πονεῖν, δὲ μὴ πονεῖν βέλτιόν ὄξι καθόλε· καὶ ὁ ἱδρῶς ἢ ὁ μὲ πόνε, δὲ ἀνὲυ πόνε βελτίων ἔστι· καὶ ὁ μᾶλλον ἢ μὲ πόνε, δὲ ἧττον, βελτίων; μᾶλλον δ' ὄξι μὲ πόνε ὁ γυμνὲ τρεχάζοντι γινόμενον· ἐὰν γὰρ μὴ πολλὴ συντονία τρεχάσῃ, ἐ δύνατ' ἱδρῶσαι; γυμνὸς ὤν· ἐν ἱματίῳ γὰρ κἂν πάνυ μετρίως τρεχάσῃ, ταχὺ ἱδροῖ, διὰ τὸ κατὰ δὲ ἱματίε ἀλέαν· καὶ δυσχερέστεροι ἢ γίνονται οἱ γυμνοὶ τρέχοντες δὲ ἧττον τῶν ἐν ἱματίοις, ὅτι ὥσπερ ἅπαντες οἱ ἐν τοῖς δυσπνεστέροις τόποις οἰκοῦντες, δυσχερέστεροί εἰσι τῶν ἐν τοῖς καταπεπνιγμένοις οἰκέντων· ἕτω καὶ αὐτὸς αὐτὸ ὁ ἄνθρωπος, ὅταν ὥσπερ ἐν δυπνοίᾳ ἢ, τότε δυσχερέστερός ὄξιν, ἢ ὅταν καταπεπνιγμένος ἢ καὶ θερμόμενος ὑπὸ πνος ἀλέας πολλῆς; ὁ συμβαίνῃ μᾶλλον τῷ ἐν ἱματίῳ τρέχοντι· διὰ ταῦτα ἢ καὶ οἱ πολλὸ χρόνον καθεύδοντες, ἀχρέστεροί εἰσι τῶν μέτριον χρόνον καθευδόντων· καταπέπνικε γὰρ καθεύδων.

Cur sudor vtilior est, qui corpore nudo currenti prodierit, etiamsi minor

sit, quàm

ſit, quàm qui ſub ueſte ſe prompſerit? An quòd laboraſſe, quàm non laboraſſe, meliùs eſſe perpetuum eſt: & ſudor verò, quem labor præſtiterit, eo melior eſt, qui ſine labore proueniſſet, & qui maiori cum labore melior, quàm qui cum minori, maiori autem cum labore is eſt, qui nudo corpore currenti prodierit. Nam niſi admodum curſum intenderit, ſudare non poterit, qui nudus eſt. Veſtitus contra celeriter ſudat, etiamſi parum ſe concitârit, propter veſtis teporem. Et verò coloratiores redduntur, qui nudi curſum æſtiuo tempore agitant, quàm qui cum veſte: quia vt omnes, qui loca libera, aſpiratioráque incolunt meliùs colorantur, quàm qui impedita, & ſilentia tenent: ſic etiam ſe ipſo quiſque coloratior eſt, cùm veluti ſpiritui afflanti placidè patet, quàm cùm perſtrictus, obductúſque à calore nimio angitur. Quod certè iis accidit magis, qui veſtiti percurrunt. Hinc etiam fit, vt qui nimis dormiunt, minùs colore hilarentur, quàm qui ſe modicè ſomno recreant. Nam dormiens quoque ipſe adſtringitur, & propemodum ſtrangulatur.

XXX

Quæ de ſudore proponuntur hoc loco, vtiliorem eum eſſe, qui nudo corpore currenti, & ſe exercitanti, prodierit, quàm eodem veſtibus induto, illamet de curſu ab Ariſtotele traduntur ſectione XXXVIII. problemate tertio: coniunctim autem de ſudore, & curſu à Theophraſto ad finem libri de ſudoribus, ex huiuſmodi ſudoris, & curſus vſu homines reddi coloratiores affirmãte: ſed ante hos grauiſſimos viros Hippocrates libro ſecundo de dieta de hac re ita ſcripſit: *οἱ δὲ ἐν ἱματίῳ δρόμοι τῷ μὲ διυάμιν τῷ αὐτῷ ἔχοσι, μᾶλλον δὲ διαθερμάινουσιν, καὶ ὑγροτερα τὰ σώματα ποιεῦσιν, ἀχροιώτερα δὲ διότι οὐκ ἀποκαθαίρει τοῦτο τὸ πνεῦμα τὸ εἰλικρινὲς, ἀλλ' ἐν τῷ αὐτῷ γυμνάζει πνεύματι.* hoc eſt: *curſus, qui in veſte fiunt eandem habent facultatem, magis autem calefaciunt, & humidiora reddunt corpora; ſed decoloratiora, quoniam ſincerus ſpiritus incidens, illa non depurgat, ſed in eodem ſpiritu exercentur.* Eſt tamen de corpore nudo res ita accipiẽda, vt aëris frigiditas effluxioni non ſit impedimento. Docet itaque Ariſtoteles ſudorem illum eſſe vtiliorem, qui è corpore nudo prodit, hac vtens ratiocinatione: Sudor ille vtilior eſt, qui eſt cum labore, quàm qui ſine illo, ſed qui nudo accidit, eſt cum labore, induto non ita, qui igitur nudo accidit, vtilior eſt. Probat maiorem propoſitionem; nam laborare, quàm non laborare meliùs eſt: id non confirmat Ariſtoteles, peruulgata enim apud Medicos ſententia, exercitationem in vniuerſum eſſe meliorem otio: dicit autem in vniuerſum, quia in nonnullis, vt in debilioribus otium fortè labore meliùs ſit. Nec illud ſiluit Hippocrates, cùm ſanitatis conſeruationem docuit: dixit enim VI. Epidemiorum ſectione IV. ſtudium ſanitatis eſſe, *non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores* Et ſecundo de dieta, *per otium & ſegnitiem corpus debile reddi: ex labore autem effici robuſtum*: qui labor tamen ſit moderatus, nec exercitationis metas excedat; eodem enim VI. Epidemiorum ſcribit: *labor, cibus, potus, ſomnus, venus, ſingula mediocria.* Laborâſſe igitur, quàm non laborâſſe in vniuerſum meliùs eſt: ex hoc autem conſequi vult Ariſtoteles, ſudorem factum cum labore meliorem eſſe, quàm alium: non ſolùm autem fit cum eo, ſed ex eo: ſi igitur prodit ex re, quæ homini vtilis eſt, illáque neceſſariò adeſt, cùm ſudor producitur, manifeſtum fit, illum vtiliorem eſſe; quam ſententiam præterea extendit, & validiùs confirmat, vt non ſolùm vtilior ſit, qui cum labore eſt, ſed adhuc vtilior, qui cum maiori labore: qui tamen labores omnes accipiendi ſunt intra limites ſtudii ſanitatis, & ob quos corpora non liqueſcant, nec flacceſcant. Porrò hoc loco ex Iuſtiniani codice illa ſuppleuimus, quæ in Baſilienſi codice deſiderabantur, reddita tamen erant tum à Theodoro, tum ab antiquo interprete. *τῷ ἂ δὲ πόνῳ βελτίων ὅδι. καὶ ὁ μᾶλλον ἢ μὴ πόνῳ.* Quod etiam Theodorus reddit, *laboraſſe, quàm non laboraſſe melius eſſe perpetuum eſt*, quod Græcè eſt, *βέλτιόν ὅδι καθόλε*, melius, vt exiſtimo, conuertatur, *laboraſſe, quàm non laboraſſe in vniuerſum melius eſt*: ſicuti expoſuimus; illo enim modo fortaſſe dubia ſit ſententiæ veritas. *μᾶλλον δὲ ὅδι μὴ πόνῳ. maiori autem cum labore is eſt.* Probat minorem propoſitionem: ſudorem qui nudo accidit, eſſe cum maiori labore: nam qui nudus eſt, non poteſt ſudare, niſi magnopere cõtendat, & laboret, qui verò indutus, ob calorem, qui ab indumentis proficiſcitur, etiamſi mediocriter currat, aut laboret facilè ſudat. *καὶ ἐυχερέστερον ἢ μόνον. Et verò coloratiores redduntur.* Probat alio argumento, propoſitum ſudorem eſſe magis pro-

ficuum, quia in eo non contingat illa ſuffocatio, quæ contingit veſtibus operto: ſed hoc argumentum ducit ex effectu quodam, cuius deinde rationem reddit, quam diximus. Eſt autem effectus, bonus color, qui apparet in iis, qui currunt, & exercentur corporibus nudis in æſtate, qua enim ratione bonus hic color illis effloreſcit, eâdem ſudoris propoſiti vtilitas fit conſpicua: boni autem coloris rationem affert ſimili alio adducto: quemadmodum enim quicúmque habitant in locis bene perflatis & perſpirabilibus, meliùs colorati ſunt, quàm ij, qui habitant in locis ſilentibus, & ſuffocatis, eodem pacto idem homo, ſe ipſo meliùs coloratus eſt vno tempore, quàm alio, cùm bene perſpirat, quàm cùm ſuffocatus eſt, & nimio calore euentationem præcludente oppreſſus: id autem iis contingit magis, qui pannis onerati currunt, & ſe ſe, exercent; illi enim plus ſuffocantur, quàm qui nudi. Atque ex eodem fit, vt ſudor qui per hunc modum emanat, minùs proficuus ſit. Διὰ ταῦτα ἢ καὶ οἱ πολὺν χρόνον. *hinc enim fit, vt qui nimis dormiunt*, corollarium ex eâdem ſuffocatione fit, vt qui multum temporis dormiunt, minùs bene colorati ſint, quàm qui dormiunt moderatè, qui enim dormit, ſuffocationem patitur; calor enim innatus opprimitur à materia frigida, ſenſuum meatus obſtruente: legendum autem non, ἐυχρόστεροι, vt habet Baſilienſis editio, ſed ἀλγέστεροι, vt legiſſe videntur antiquus interpres, & Theodorus, & habet etiam Iuſtiniani codex.

XXX.

Διὰ τί οἱ ἀγωνιῶντες ἱδρῶσι τὰς πόδας, τὸ δὲ πρόσωπον ὀ, ἐν τῷ ἄλλῳ βίῳ ἱδρώντων ἡμῶν μάλιστα μὲν τὸ πρόσωπον, ἥκιστα δὲ τὰς πόδας; ἢ ὅτι ἡ ἀγωνία, φόβος τίς ἐστι περὶ ἀρχομένη ἔργου· ὁ δὲ φόβος, κατάψυξις τῶν ἄνω, διὸ καὶ ὠχριῶσι τὰ πρόσωπα οἱ ἀγωνιῶντες, κινοῦνται δὲ καὶ σκαίρουσι τοῖς ποσί· ποιοῦσι γὰρ τοῦτο οἱ ἀγωνιῶντες, ἢ καθάπερ γυμνάζονται· διὸ εἰκότως ἱδρῶσι ταῦτα οἷς πονοῦσι· καὶ τρίβουσι δὲ τὰς χεῖρας, καὶ συγκαθάπτουσι, καὶ ἐκτείνουσι, καὶ ἀνίστανται· ὁρμητικοὶ γὰρ εἰσὶ πρὸς τὸ ἔργον, διὰ τὸ τὸ θερμὸν αὐτῶν ἠθροῖσθαι εἰς τὸ μεταξὺ τόπον, ὅταν εὐσωματωδέστερον. ὅθεν πανταχόθεν ἀθροίζεται τὸ αἷμα, συμβαίνει ποικίλλεσθαι καὶ πυκνοῦσθαι κίνησιν· μάλιστα δὲ ἱδρῶσι τὰς πόδας, ὅτι ἔτι μὲν συνεχῶς πονοῦσι· τὰ δὲ ἄλλα μέρη τοῦ σώματος ἀναπαύσεως τυγχάνει τῶν σχημάτων καὶ κινήσεων μεταβολαῖς;

Cur pedes in trepidatione ſudant, & non facies, cùm in muneribus vitæ omnibus, vt in facie maximè, ſic pedibus minimè ſudemus? An quia trepidatio metus quidam ſuper re inchoanda eſt, metus autem refrigeratio partis ſuperioris eſt. Quam ob rem facie quoque pallent, qui trepidant: pedibus autem ſolicitantur, & palpitant: ſic enim trepidantes homines faciunt, ſe ſeque quodammodo exercent: quapropter ea ratione, parte ſudare ſolent, qua laborant; manus enim aſſolent perfricare, & ſe modò inflectunt, modò extendunt, etiam ſæpe exiliunt: neque etiam vmquam quieſcunt, ſunt enim exciti, propénſique ad negotium, quoniam calor eorum ſe collegerit in pectoris loco, qui corpulentior eſt. Quamobrem vndíque cùm eo ipſo calore tum ſanguine turgeſcente efficitur, vt motu vario crebróque agitentur. Sed pedibus maximè inſudant, quoniam pedes perpetuo tenentur labore, cùm cæteræ corporis partes quietem aliquam conſequi per ſitus mutationem, motioníſque poſſint.

Eadem iterat, quæ propoſita ſunt problemate XXVI. at non eadem ſolutionis ratio eſt: ſed alia, vel & partim contraria: ibi enim in agonia non quemadmodum in timore erat migratio caloris ex vna parte ad aliam; hîc & timor eſt, & ea migratio: ibi facies rubeſcebat, hîc palleſcit; ibi ratione nimij caloris exſiccantis non ſudabat facies, ratione alius caloris humorem colliquantis ſudabant pedes; hîc facies non ſudat ob refrigerationem, pedes ſudant ob laborem. Non ſit autem nobis religio Ariſtotelem in hoc ſcriptionis genere, diuerſis in locis alia, atque etiam contraria ſuper eâdem re ſcripſiſſe, dicere. Cur enim non liceat in problematis, in quibus ad opinionem ſemper, ex probabilibus argumentatur, aliorum etiam frequenter opiniones ſequens? probabilia autem contraria ſunt aliquando. Illud verò potiſſimum in præſentia locum habeat, cùm de affectu ex contrariis mixto ſermo ſit. Diximus enim ſuperiùs ex Galeno agoniam eſſe affectionem mixtam ex

ira, & timore, ex caliditate, & refrigeratione, atque idcirco motus in ea varios, & inæquales caloris fieri, partim ab exterioribus ad interiora, partim ex interioribus foras. Quando igitur possit varia ratione, atque adeò contraria, & variis temporibus considerari affectio, quid miri varia, atque etiam contraria de eadem afferri, etiam quod pertinet ad idemmet accidens, de quo problema est propositum? hoc enim ad vtrásque causas referri potest, vt quidem ex Aristotelis verbis apparet. Facies igitur cùm in reliqua vita, aliísque vitæ actionibus maximè sudare soleat, vt dictum est problemate X. & XVII. pedes autem minimè, quod tamen intelligendum est, vt diximus problemate XXVI. Cur porrò in agonia, ij sudent, illa non sudet, caussam dicit esse in præsentia Aristoteles, quoniam agonia est timor quidam, qui ad rei, inchoationem incessit, timor autem refrigeratio est partium superiorum: ex partibus autem refrigeratis recedit sanguis, vnde facies pallet. Iam igitur si refrigerata sit, & palleat facies, iure non sudat, quæ erat altera problematis pars: tum ostendit, quare sudent pedes per ea, quæ sequuntur: κινεῖ) ἢ καὶ σκάπτουσι τοῖς ποσί. *pedibus item sollicitantur, & palpitant.* Ostendit primùm sudare pedes, quia laborant, tum maximè sudare, quia maximè laborant, ad illa verba, καὶ τρίβουσι ἢ ταῖς χερσίν, id est, *manus etiam perfricant.* Pedes igitur laborare patet, quia mouentur, & saliunt; ita enim sonant, quæ Theodorus vertit, sollicitantur, & palpitant, nam τὸ σκάπτουσι, Hesychius interpretatur ἄλλει) σκιρτᾷ, πηδᾷ, τρέχει, ὀρχεῖ), hoc est. *salit, exultat, exilit, currit, saltat, aut tripudiat.* Tales igitur motus in agonia adesse, disertis verbis exprimit Aristoteles; & non secus moueri, qui eo affectu percelluntur, ac qui se exercent: de his autem motibus plura mox in altera ratione. Si ergo ratione cursus, & saltationis homo pedibus laborat, eâdem parte, qua laborat, etiam sudabit, sicuti concludit Aristoteles. καὶ τρίβουσι ἢ ταῖς χερσίν, ἢ συγκροῦσι. *Manus etiam assolent perfricare.* Ostendit, maximè laborare pedes, quoniam continenter, & absque vlla requiete laborant, cùm aliæ partes quiescant aliquando. Ostendit autem ante, laborare alias: nam & manus fricant, & modò se demittunt, modò extendunt, ac saliunt, & nunquam quiescunt: ratione enim affectus impetu rapiuntur ad opus perficiendum, quoniam calor à partibus externis vt dicebatur ad intimas pectoris recessit, ibique collectus maiores à loco vires acquirit, quippe cordi ipsi vicinus: hoc autem est, quod ait calorem colligi in pectoris loco, qui est, εὐσωματοδέστερος, quod Theodorus reddit, *qui corpulentior est*, quibus verbis quid sibi voluerit Theodorus non assequor. At cùm εὐσώματος sit, qui bene habito, seu robusto corpore est, exponi posse existimo, vt fecimus. Validiore igitur calore facto, eóque, atque sanguine simul ruente, ac prosiliente, contingit varium, & crebrum motum in corpore fieri; maximè autem, & præcipuè sudant pedes, quoniam hos motus, & hos labores assiduè illi perferunt, cùm nulla illis saltem à regendo corpore in exercitiis illis concedatur requies, aliis autem partibus aliqua concedatur: aliæ enim partes varios sortiuntur situs, & positiones, ac motus, & figurationes mutant; vnde non semper eædem partes iisdem musculis laborant: hæc autem requies est, cùm enim membrum aliquod figuram, & positionem immutat, quietem aliquam nanciscitur, qua de re particula v. problem. primo, & aliis etiam. Id significat Aristoteles in agonia contingere aliis partibus, non contingere pedibus, & ideo cùm plùs laborant, iure plùs sudare. Atque ita quidem Aristotelis verba, & sensa, vt potui, explicui: nec tamen animo meo satisfeci: non enim varios illos, quos Aristoteles memorat corporis motus, in animi affectione aliqua, ego quidem obseruo: nedum in timore qualis hîc videtur poni agonia: furiosum potiùs aliquem præ dolore, aut amentia, videtur describere Aristoteles, quàm aut timidum, aut etiam iratum, cui agonia perculsum similem facit problemate XXVI. Exercitationis corporeæ genus aliquod significari suspicetur aliquis per illos motus: at nec agoniæ nomine tale obseruatum, quod norim: & cùm eos Aristoteles dicat, ita moueri, ac saltare, vt se se exerceant, id est vt faciunt ij, qui se exercent, iam à vera exercitatione illos disiungit. Præterea ad initium quidem solutionis, agoniam dicit esse timorem, & refrigerationem partium superiorum, reuocari nimirum intus calorem, quod dicit postea: at quomodo iidem ὁρμητικοὶ, hoc est impetuosi? non enim fiat impetus calore intus existente sed prorumpente, & ad exteriora redeunte, alioquin enim membra motui destinata, quæ externa sunt, otiosa, & torpida maneant: hoc autem modo, non iam timor sit, & frigiditas; sed caliditatis potiùs incrementum, sicuti probatur problemate XXVI. Præterea si hic motus est in aliis etiam corporis partibus, vt in manibus, cur non & ibi sudor? ille verò in problemate ibidem non proponitur, sed tantùm in pedibus; ostenditur autem mox ratione continui laboris esse maiorem in pedibus, non solum. Demum verò quomodo ratione eiusdem positionis, & figuræ pedes assiduè laborant in agonia, non assiduè aliæ partes, si mo-

uentur, & ſaliunt pedibus, qui eo affectu percelluntur? An non in motu illo, & ſaltu mutantur identidem poſitiones? quòd ſi ſe demittunt, & extendunt, & exiliunt, & numquam quieſcunt, quomodo eâdem poſitione pedes ſemper haberi dicamus? Hæc nobis vt facilè fuit proponere, ita cùm diſſoluendi non pateat via, acutiori ingenio nodum relinquimus.

XXXI.

Διὰ τί ἐν τοῖς πυελατηρίοις ἅτ' ἀθρόᾳ τῷ πυρὸς ὄντος μᾶλλον ἱδρῶσιν, ἅτ' ἐλάττονος ἀεὶ γινομένης, ἀλλὰ πλείονος; ἐπιφερομένης γὰρ, τὰ πυελατήρια μᾶλλον ἱδρῶσιν, ἢ εἴωθε διὰ τὸς ἐξ ἀρχῆς τοσοῦτον ὑπὸ τοῦ πυρός. ἢ τὸ μὲν πολὺ ἐκ προσπτης ξηρᾶν λάμβανον τὴν ὑπιπολῆς σάρκα, καὶ δέρμα κρίει, καὶ ὀχετακοῖ; γινομένη δὲ γιαυτὴ, τέγγει τὰς ἱδρῶτας· τὸ δ' ὀλίγον, μᾶλλον τὴν σάρκα ἀνιεῖ, αὐτήν τε λαιοῖ, καὶ τὰ ἐντὸς καθάπαξ ὀργάζει πρὸς τὴν ἀφίκεσιν, καὶ ἐξαγωγήν· ὅτῳ δ' ἐχόσης αὐτῆς, ὑπισενεχθὲν πλέον πῦρ, καὶ εἰσδυόμενον εἰς βάθος τ σαρκὸς δι' λαιότητα, ἐξατμίζῃ τε τὰ προμαλαχθέντα ὑγρὰ, καὶ τὰ λεπτὰ αὐτῶν ἀποκείων, ἐξάγῃ μετὰ τοῦ πνεύματος.

Cur in caldariis, igne neque vniuerſo, neque decreſcente aſſiduo, ſed per incrementa continua oblato, magis ſudatur? Plus enim ita educitur ſudoris, quàm ſi principio ſtatim ignis tantundem affuerit. An quòd principio multum ignis adhibitum, carnem, cutémque ſummam ſicciorem occupans vrit, atque in modum teſtæ indurat: quæ cùm talis reddita ſit, ſudorem arcet, obtrudítque. Parum autem contra, carnem relaxans rarefacit, ſenſimq; inteſtinum humorem excitat vt ſecerni educíque poſſit. Carne autem rara plus ignis adhibitum, & corporis ima facilè ſubiens humores iam inde præmollitos in vaporem conuertit, partéſque eorum prætenues ſecernens educit cum ſpiritu.

Hoc problema antea etiam propoſitum eſt: diſſolutio autem ipſius, quæ ibi, licèt eodem fundamento, remotior, & magis generalis proponebatur; hîc rei ipſi de qua agitur proximior affertur. Ibi enim generatim proponebatur ad effectionem alicuius rei proportionem requiri; hîc verò proximè, quid ad ſudoris euocationem operetur ignis, non proportione adhibitus, & quid adhibitus cum proportione, oſtendit. Ait igitur carnem, quæ eſt in ſuperficie, nimirum cutim, ſeu corium, ſua natura ſiccam eſſe: hanc igitur facilè à multo igne ob nimium calorem exuri, & in modum teſtæ indurari, qua dura reddita, præcluduntur ſudores; non enim via ipſis patet, cùm adſtringantur meatus. Ignis igitur multus non proportionatus effectum impedit; exiguus autem, qui proportionatus eſt, contrario modo operatur; carnem enim diſſoluens, eam rarefacit, meatúſque aperit, & humores, qui intus continentur, veluti excitat, & præparat ad excretionem ſenſim attenuatos. Carne itáque per hũc modum ſe habente, ac rara reddita, præparatáq; tum hac, tum humoribus ipſis, maior ignis per latiores vias illatus, & ſubiens corporis profundũ merito raritatis, quæ antea effecta eſt, diſſoluit humida, quæ intus ſunt, quæ iam à minore igne erant antea emollita, & partes ipſorum tenuiores ſegregans pellit exteriùs per ſudores. μετὰ πνεύματος. *cum ſpiritu.* Spiritum duobus nominibus ad ſudorem conferre non ſemel me dixiſſe puto, atque tum ex Hippocrate, tum ex Theophraſto rem declarâſſe, nimirum vel tamquam efficientem, vel tamquam materiam: nihil igitur de ea re amplius.

XXXII.

Πότερον δεῖ μᾶλλον τῷ θέρει παρασκευάζειν τὸν ἱδρῶτα, ἢ τ χειμῶνος; ἢ τ μὲν χειμῶνος συστελλόμενον ἐντὸς τὸ θερμὸν ἐκπέττει καὶ πνεύματοι τὰ ἐν ἡμῖν ὑγρὰ; διὸ, πάντων αὐτῶν, ἢ τῶν πλείστων ἀναλισκομένων, ἀδὲν δεῖ συγχωρεῖς ἀποκείσεως· τ δ' θέρος δι' ἀραιᾶς τ σαρκὸς ἐκπίπτοντος τ θερμοῦ, ἧττον πέττει τὰ ἐν ἡμῖν ὑγρὰ· διὸ δεῖ ἀπαντλήσεως· ἐμμένουσα γὰρ τῷ ὥρᾳ, σήπει, κ νοσοποιεῖ· σήπει γὰρ πᾶν τὸ σηπόμενον, ὑπὸ δὲ τ οἰκείᾳ πέττει· ἐν μὲν οὖν τῷ θέρει τὸ ἀλλότριον ἰσχύει· διὸ σήπει πάντα μᾶλλον ἐν αὐτῷ· ἐν δὲ τῷ χειμῶνι, τὸ οἰκεῖον· διὸ δ σήπει ὁ χειμών.

Vtrum per æſtatem potiùs, an per hyemem ſudor mouendus ſit? An hyeme calor intus ſe contrahens concoquit, extenuátque in ſpiritum humores

interiores:

interiores: quòd cùm omnes, aut certè maxima pars, consumantur, nullam sui excretionem admonent faciendam: at in æstate cùm per raram, solutámque carnem calor euadat, humores minùs concoqui possunt, intestini. Qua de causa exhauriendum omnino est: quoniam si permanserint, temporis eius qualitate putrescent, morbósque contrahent. Putrescit enim quódque externo calore: nam vt suo quoque calore concoquitur, sic externo putrescit. Igitur per æstatem externus prævalet calor: ex quo fit, vt quæuis in æstate putredinem sentiant: per hyemem verò, quia calor suus ille, ac domesticus dominatur, hinc tempus hoc minimè creare putredinem potest.

Et hoc problema ex iis est, quæ repetuntur: propositum enim antea fuit vigesimum primum: ex hac autem repetitione, licèt alioquin molesta, illud interim commodi accipimus, quod deprauata quædam loca lectionibus collatis licet emendare interdum, sicuti fecimus problemate xx 1. vbi ex hoc loco reposita negatiua particula, quæ ibi in excusis desiderabatur, sed ex manuscripto exemplari reposita erat à Iustiniano, sensum loco meliorem reddidisse putamus, quàm fecerit Theodorus in interpretatione, qui eandem particulam similiter non agnouit; sicuti ex commentariis ad illum locum apparere potest. Hîc porrò ex eodem Iustiniano ad initium responsionis consuetam particulam, ἤ, reposuimus, quæ in Aldinis desiderabatur. Est autem quod proposuit Aristoteles, sicuti problemate xx 1. vtrum per æstatem magis, an per hyemem sudor mouendus sit? Respondet autem magis per æstatem: quoniam per hyemem calor innatus intus contractus ob frigoris vim, quod circumstat, concoquit, & in spiritum dissoluit humores superuacaneos: quoniam scilicet maior, & validior est, quàm æstate; cùm igitur illi aut omnes, aut plurimi exhauriantur; quia aut concoquuntur, aut in subtiles spiritus tenuantur, & deinde per alias vias excernuntur, non indigent alia cognata euacuatione, hoc est ea, quæ fit per sudores: appellat autem cognatam, quoniam est similis, & proxima ei, quę dicta est, fit enim per spiritus, vt sæpius dictum est, & per eandem viam. Æstate autem contrarium contingit, nam ob latitudinem meatuum, quæ fit à calido ambiente, calor innatus excidit extra; qui igitur remanet intus, quoniam diminutus est, & magis debilitatus, minùs potest concoquere humores superuacaneos, & ideo indigent alia euacuatione: si enim intus in corpore maneant, putrescent ob temporis conditionem, & morbos parient: probat autem, quæ proposuerat vtráque, nimirum & hyemem coquere, & æstatem putredinem arcessere: omne enim quod putrescit, à calore extraneo putrescit: habemus id tum ab eodem Aristotele IV. Meteororum; tum à Galeno; at hic extraneus calor viget æstate; quod verò coquitur à proprio, & naturali coquitur, hic autem plurimus hyeme, ex Hippocrate enim primo Aphorismorum XIV. *ventres hyeme, & vere natura calidissimi*: ex hoc autem concludit Aristoteles, omnia magis putrescere æstate, hyeme non ita; & ideo eo tempore, non hoc, mouendos esse sudores: qua de re pluribus etiam vltimo problemate huius eiusdem sectionis. Porrò vocem, πάντα, in illis, διὸ σήπεται πάντα, addidimus ex Iustiniano, quam etiam agnoscit Theodorus.

XXXIII.

Διὰ τί τῶν ἱδρώτων γινομένων ὑπὸ τοῦ ἐντὸς θερμασίας, ἢ ὑπὸ τοῦ ἐκτὸς περιπλήσεως, πρὸς ἐνίων ἱδρώτων φρίκη ὁμοῦ; ἢ διότι ὑπὸ μὲν τοῦ ἐντὸς θερμασίας ὅταν ἐκπίπτωσιν ἐκ πολλοῦ τόπου εἰς ὀλίγον, συστελλομένοις πρὸς τὸ περιεχὸν παντελῶς τὸ θερμοῦ περιόδους ἀποφαίνουσιν, εἶτα ἡ φρίκη ἐγγίνεται; ἐπὶ τῆς σαρκὸς παντελῶς διαβεβρεγμένης, ὑπὸ δὲ θερμοῦ ἐξιόντος· ἡ δὲ ἐκτὸς θερμασία περιπίπτουσα, ἀραιοῖ τὰ χρῶτα πρῶτον· εἶτα τὸ ἐντὸς τῆς φύσεως θερμὸν ἀποκεκαμένον, τὴν φρίκην ἐποίησεν.

Quam ob causam cùm sudor calore, vel interno, vel externo fieri soleat, euenit, vt horror nonnullis sudoribus possit excitari? An quoniam sudor, qui ex calore prodit interno, se scilicet de loco amplo in breuem (corporis dico ambitum) contrahente, primùm caloris meatus, & circuitus patefacit: deinde horror carne iam madefacta ex toto, caloréque exeunte citatur. Calor autem, qui extrinsecus mouet, primùm summa corporis aperit, rarefacítque: tum calor naturæ internus profluens excitare horrorem potest.

Cùm ſudor fiat à calore vel interno, nimirum ſponte naturæ abſque externi auxilio, vel ab eo, qui foris incidit, vt in caldariis, aut laconicis; vnde porrò effectus ille contingit, vt per nonnullos ſudores horreamus?id eſt inter fluendum ſudores aliquando ſuboriatur horror,aut frigus;cùm horror frigidi effectus ſit?Cauſſam autem reddit Ariſtoteles in vtróque ſudore, & primùm in eo, qui fit à calore interno. Obſcurus tamen ſermo eſt, quem etiam Theodorus dum in Latinũ conuerteret, ab ea quidem,quę nunc vulgata eſt interpretatione diſceſſit,& ab Ariſtotelis verbis admodũ,non parua vſus libertate;non tamen illum planiorem reddit:nec ſenſum,vt quidem exiſtimo, eſt aſſecutus: Neque tamen ego mihi ipſi quoque in iis, quæ afferam vel mediocriter ſatisfacio, neque non mallem aliorum potiùs audire ſententiam,quàm ipſe meam proferre:attamen ſemel hãc prouinciam aggreſſo conandum & hîc aliquid eſt.Primùm autem omnium fideliter iuxta vulgatos codices cõuertenda ſunt problematis verba. *Quam ob rem cùm ſudores fiant, vel ab ea,quæ intus eſt caliditate, vel ab ea,quæ extrinſecus incidit,per nonnullos ſudores horreſcimus? An quoniam,qui ab interna caliditate fiunt,cùm excidũt de loco amplo in breuem,coërciti,comprehenſione illa caloris meatus ex toto obturant,indéque horror fit,carne inſuper admodum madida reddita, exeunteq; calore.* Theodorus igitur ante illa ἔτι δ' σαφῶς,non agnoſcit interrogationis notã,vt apparet ex illius tralatione: ſed continenter legit,vt vnica ſit ſententia, & alia etiam aliter ſumit, quàm nos fecerimus: ſed de illius expoſitione mox. Dicamus ante, quem exiſtimemus eſſe ſenſum verborum Ariſtotelis, quæ fideliter vertimus. Ait igitur Ariſtoteles, fieri aliquando, vt inter ſudandum inhorreſcamus, quia contingit interdum,vt materia,quæ per ſudores manabat, ex loco aliquo ampliore colligatur in breuiorem: id verò multis de cauſſis fieri poteſt, vt parte, ſeu loco attrahente, aut aliis mittentibus,aut aliqua demum occaſione, quæcumque ſit, talem enim intelligere aliquam neceſſe eſt: ſicuti & in paroxiſmis, aut acceſſionibus febrium talem proponunt medici: eo verò loco,eáque parte collecta, ac comprehenſa materia, ea comprehenſione,qua humor ibi continetur, occluduntur præ multitudine meatus cutis, quo facto ſequitur horror, nimirum extremorum refrigeratio: non enim ſubtiliùs nunc horror à refrigeratione diſtinguitur: illud verò magis etiam eam ob cauſſam fit, quoniam cùm ex præcedenti ſudore caro in totum madida ſit reddita, calori ad exteriora patet aditus: laxæ enim ob madorem partes non retinent, quippe vis retentricis in ſiccitate; ſed facilis eſt effluxus: ex occluſione autem meatuum, aut contractione ſequi horrorem, aut frigus medicis omnibus notum eſt: Poſſit autem etiam vnica eſſe ratio, quomodo accipit illa verba Theodorus, qui vt dicebam, non interpungit ante ἔτι,& idem ἔτι interpretatur, *tam*, fortè tamen meliùs, *adhuc*: etiam non diuiſa ſententia, quemadmodum ille facit,hoc modo: contracta materia alicubi, occluſiſque meatibus, tota carne præ ſudore madida effluit calor, & ſequitur horror, aut refrigeratio: igitur non in omnibus ſudoribus hic effectus obſeruatur: ſed in nonnullis aliquando, in quibus hæc demum cauſſa eſt, quæ fuit propoſita, humor ſcilicet, qui in aliquem breuiorem locum ex ampliore coarctatur. Puto autem legendum potiùs συστελλόμενοι, quàm συστελλομένοις, vt referatur ad ſudores, qui dicti ſunt excidere; ſed & συστελλομένοις poſſit, nimirum accepta voce tamquam ablatiuo abſoluto, vt grammatici loquuntur, atque etiam non relata eâdem ad ſudores, ſed ad eos,è quibus ſudores manant, ſitque tertius caſus, hoc modo: contractis, comprehenſione illa obſtruuntur meatus,nimirum corporibus,aut hominibus, qui ob illam humoris coaceruationem contrahuntur. Porrò autem adhuc, illa verba πρὸς τ περιοχῷ expoſui, comprehenſione illa,qua voce intellexi eum effectum, aut affectum, quo humor ex loco ampliore in breuiorem collectus, comprehenſus, & veluti obſeſſus eſt: iuxta quam notionem legitur IV. Regum,Ἐ ἦλθεν ἡ πόλις ἐν περιοχῇ. Poſſimus etiam non immutata ſententia πρὸς τὴν περιοχὴν interpretari,ad ambitum, vel circa ambitum, nimirum corporis, quomodo accipit Theodorus vocem: ſed ſententia diuerſa:nos enim iuxta expoſitionem propoſitam ita accipimus locum. Materia ſudoris, quæ excidit de loco amplo in breuem collecta ad ambitũ corporis,hoc eſt, in corporis ambitu aliquo breui coërcita loco obturat meatus:ſiue etiã vbi συστελλομένοις legatur,& accipiatur de corporibus;Materia quæ de loco amplo in breuem excidit ad corporis ambitum, contractis hominibus meatus obturat: intelligit autem per corporis ambitum non totum,non enim neceſſe eſt, ſed ſingularem illum locum, vbi collecta eſt materia: id autem dico, quoniam ſi per ambitum, aut περιοχὴν totus ambitus intelligatur; quomodo ex partibus internis ad illa perueniens humor dicatur ex amplo colligi ad breuem,nõ ſit facilè intelligere: quam difficultatem primùm patitur Theodori tralatio, quæ habet,*ſe ſcilicet de loco amplo in breuem (corporis dico ambitum) contrahente*, quomodo verò ſit ille locus breuis, aut quomodo contrahantur ea quæ intrinſecus illuc vergunt

non

non autem potiùs expandantur? deinde corporis ambitum absolutè appellari περιοχὴν (vocem enim corporis, de suo addit Theodorus) nisi aliquo sententiæ adminiculo fulciatur, qui continendi, cõpræhendendi, aut cohibendi munus designet, fortasse durius sit; eo verò auxilio destituitur, quomodo exprimit Theodorus sententiam, non destituitur, quomodo nos exposuimus: περιοχὴ enim dicitur ambitus partis corporis nostri, quæ materiam propositam continet, & includit, quomodo περιοχὴ similiter à Theophrasto dictum est, quod in fructibus alio nomine dicitur περικάρπιον, nimirum inuolucrum, integumentúmque illud, quod fructum, seu semen suo ambitu compræhendit, & continet. Sunt autem Theophrasti verba primo de caussis plantarum capite XXI. Ἃ ὧν αἱ περιοχαὶ τοιαῦται Ἃ ἅμα πλείας. Est & illud molestum in Theodori tralatione; quòd τὸ ἀποφαίνεσι, vertit, *patefacit*, quod contrarium omnino significat, nempe obstruit, obturat, sæpit, qua notione, vt alios omittam locos vnicuique satis obuios, vidimus idem verbum vsurpatum sæpius ab Aristotele hac eâdem sectione problemate XXIV. ἔστιν ὕδωρ ῥέον ἀποφάξαι παυσάμενον, quo sensu etiam ibidem conuertit Theodorus. Atqui sanè si ἀποφαίνεσι, interpretemur hoc loco, *patefaciunt & aperiunt*, alia omnino solutionis huius problematis erit nobis excogitanda expositio. Prouenit igitur caloris, qui intus est exitus, vt nos locum accipimus, ex facilitate ob carnis madorem, non ex patefactione meatuum ab eodem calore facta, quos meatus obturari dicit. Hæc de prima problematis parte: sequitur altera, in qua caussam reddit eiusdem effectus, quoties sudor contingat à calore externo his verbis. ἡ ὑ ἐκτὸς θερμασία. *Calor autem, qui extrinsecus mouet.* Caliditas, quæ extrinsecus incidit, rarefacit primùm cutim, illa autem rarefacta, innatus calor abscedit, quoniam per illum locum foras profluit, ita per illius defectum refrigeratur pars: & horror contingit, ita quidem sensu facili locus accipitur. At quomodo non in omni sudore, siue ex externo, siue ex interno calore idem sequatur effectus, cùm in omni sudore cutis rarefiat, & calor internus profluat, nisi si ex calore extrinsecus incidente, hanc rarefactionem magis fieri cogitemus. Dicamus autem aliter, & participium ἀποκεινῦμενον, ita enim legit Iustinianus, seu etiam ἀποκεινάμενον, si lubet, interpretemur reiectum, & repulsum, quomodo vertit antiquus interpres, & quæ illi verbo est notio, quoties enim per externum calorem rarefit cutis, calor internus per patentes vias aditum sibi extra molitur; at externus ei occurrens, repellit ipsum retro ad partes intimas, ad quas etiam & ipse simul cum eo recedit: ex hac autem contractione interiùs facta, frigus in partibus extremis superuenit, quemadmodum etiam in alio sudore paullò ante dicebatur, eundem effectum contingere adnotat Aponensis, cui hanc expositionem, qualis qualis debeo, illi, qui aqua, aut frigida, aut calida perfunditur; illum enim ex improuiso perfusum, ob eandem rationem horrorem percipere affirmat.

XXXIV.

Διὰ τί τ ἱδρώτων οἱ θερμοὶ κείνονται βελτίους ἢ τ ψυχρῶν; ἢ ὅτι πᾶς μὲ ἱδρὼς, περιτώματός τινος ἔκκεισίς ὄξιν; εἰκὸς δὲ τὸ μὲ ὀλίγον περίτωμα ἐκθερμαίνεσθ, τὸ ὃ πλεῖον μὴ ὁμοίως· ὥστε ὁ ψυχρὸς ἱδρὼς πολλὸ περιτώματ@ ἂν εἴη σημεῖον· διὸ Ἃ μακροτέρας τὰς νόσους ποιεῖ.

Cur calidi sudores frigidis meliores habentur? An quòd omnis sudor excrementi cuiusdam secretio est: parum autem excrementi ampliùs incalescere consentaneum est: plus autem non æquè, sed minùs. Itaque sudor frigidus excrementi multi indicium esse potest: quocirca morbos quoque is facit longiores.

Sudores frigidos calidis esse deteriores, & simpliciter malos, scriptum fuit etiam ab Hippocrate libri IV. aphorismo XXXVII. & XL. qui eos cum acuta quidem febre mortem; cum mitiori verò longitudinem morbi significare dixit: cuius rei eandem similiter caussam, quam hîc Aristoteles, in commentariis illius loci attulit Galenus. Caussa autem est, quoniam quilibet sudor non est aliud, quàm alicuius excrementi secretio, hoc est res quædam excrementitia, quæ secernitur ab aliis, & per sudorem exit: quoties igitur excrementum exiguum est in corpore, calefit: cum calore enim, & spiritu, vt sæpius dictum est, sudores fiunt: si verò multum; non similiter calefieri potest, vnde sudor, qui ex eo prouenit frigidus est; atque in hunc modum multi excrementi signum est: multum autem excrementum morbi longitudinem facit, aut significat, quomodo legit Iustinianus non enim, ποιεῖ, sed δηλοῖ, habet ille codex.

XXXV.

Διὰ τί τῶν ἱδρώτων διὰ θερμασίαν γινομένων, πρὸς τὸ πολὺ τοῦ ἥλιου ἱδρῶμεν; ἢ διότι ἥτοι σφόδρα θερμαινομένῳ τῷ σώματι εἰς πνεύματα ὑγρὰ διαλύεται, ἢ ἐκπίπτοντι τῷ ὑγρῷ καὶ ταχὺ ξηραινομένῳ, τὴν αἴσθησιν ὁ λαμβάνομεν;

Cur minùs ad ignem multú ſudamus, cùm tamen præ calore ſudor omnis moueri ſoleat? An quoniam humor, aut corpore vehementer calente in ſpiritum diſſoluitur humidum, aut cùm prouenerit, adeò cito calore nimio exſiccatur, vt ſenſus ſudoris multi eripi poſſit.

Idem proponitur, quod antea problemate XI. & XXXI. quibus in locis vberrimè illæ quæſtiones fuerant agitatæ: hîc autem breuiter eædem cauſſæ duæ tanguntur. Prima eſt, quòd valde calefacto corpore, quod ad multum ignem contingit, humiditates maximæ attenuatæ reſoluantur in ſpiritus, etiam non per ſudores, ſed alio modo excernuntur. Legendum autem εἰς πνεύματα τὰ ὑγρὰ διαλύεται, vt nos excudendum curauimus ex Iuſtiniano, non εἰς πνεύματα ὑγρὰ: nec tamen multùm ad ſenſum interſit. Altera ratio eſt, quòd ſudor qui excidit, ad multum ignem, vi multi caloris ſtatim exſiccatur: ſenſum igitur fallit, neque nos eum aliquo modo percipere poſſumus.

XXXVI.

Διὰ τί ἔνιοι μᾶλλον θερμαίνονται, ἐὰν μηδὲν περίβλημα ἔχωμεν, ἱδρῶτες γίνονται τοῖς ἱματίοις περιστελλομένοις; καὶ πρὸ τούτου ταὐτὰ ἐροῦμεν τῷ πρὸ τούτου.

Cur ad Solem acriùs calfacientem corpora, quæ nullo indumento teguntur, nihil penè ſudant: quæ autem ſatis veſte intecta ſunt, copioſiſſimè ſudant? Eandem de hoc etiam, quam de ſuperiori cauſſam reddendam cenſemus.

Quod proponitur ſimile eſt ſuperiori: quare eandem dicit eſſe ſolutionem, nimirum Solem corporibus nudis occurrentem, acriùs feriendo, & calefaciendo vehementiùs, humiditates in ſpiritus reſoluere, qui alia via egrediuntur, aut adeò celeriter exſiccantur, vt ſenſum ſudor effugiat.

XXXVII.

Διὰ τί τῶν ὀξέων κινήσεων μᾶλλον θερμαίνειν δοκουσῶν, τῶν ἢ νωθρῶν ἥττον, αἱ πρὸς τὸ σιμὸν πορεῖαι νωθρότεραι οὖσαι, ἱδρῶτας τε μᾶλλον ἐκκείνουσι, καὶ τὸ πνεῦμα προϊστῶσιν, ὡς θερμαίνουσαι μᾶλλον τῶν καιόντων; ἢ ὅτι τοῖς βάρεσιν εἰς τὸ κάτω φέρεσθαι κατὰ φύσιν ἐστὶν, εἰς ἣ τὸ ἄνω παρὰ φύσιν; ἢ οὗ τὰ θερμὰ φύσις ἡ φέρουσα ἡμᾶς, πρὸς μὲν τὰ καίοντι οὐδὲν συμπονεῖ πρὸς ἢ τὰ σιμὰ φορτίζοντα διατελεῖ· ὥστε διὰ μὲν τὴν τοιαύτην κίνησιν ἐνθερμαίνει μᾶλλον, καὶ τοὺς ἱδρῶτας ἐκκείνει, καὶ τὸ πνεῦμα προΐσησιν. συμβάλλει ἢ τι καὶ τὸ πορείας, καὶ ἡ τοῦ σώματος σύγκαμψις, πρὸς τὸ μὴ δύνασθαι τὸ πνεῦμα προϊέναι.

Quam ob cauſſam, cùm motus acuti magis, hebetes minùs calefacere poſſe videantur, ingreſſus tamen per accliuia qui hebetiores ſunt, magis mouent ſudorem, proſiſtúntque ſpiritum, quaſi ampliùs calefaciant, quàm decliues? An quòd graui cuíque, vt ferri deorſum ſecundùm naturam eſt, ſic ferri ſurſum contra naturam eſt. Itáque caloris natura, quæ noſtra prouehit corpora, vt nihil per decliue laborat, ſic per accliue preſſa onere nititur, acriúſque ab eiuſmodi motu incaleſcit, & ſudorem mouet, & ſpiritum proſiſtit. Quin etiam corporis varius inflexus non nihil afferre cauſſæ poteſt, vt directè ſpirandi reciprocatio auferatur.

Cùm celeriores, & incitatiores motus magis calefaciant, quàm ſegniores, & hebetiores, cur ingreſſus per loca accliuia, & per quæ aſcendendo progredimur, qui ſegniores ſunt,

dum

dum enim aſcendimus, non æquè celeriter ambulare poſſumus, ac per decliuia, per quæ deſcendimus; per loca tamen accliuia progredientes cur magis ſudamus tamquam ex illis magis incaleſcamus? Appellat autem motus ὀξεῖς, hoc eſt, acutos, qui concitatè fiunt, & velociter; quomodo apud medicos dicuntur morbi acuti, qui celeriter, & cum velocitate properant ad finem, ſicuti habemus à Galeno tertio de diebus decretoriis capite XIII. quo ſenſu dicit etiam idem Galenus comm. II. in tertium Epidemiorum δραμεῖσιν ὀξέως, *currunt acutè*: hoc eſt, celeriter. Dicit etiam Ariſtoteles hoc loco, quòd iidem motus per accliuia cum eo, quòd ſudores mouent, τὸ πνεῦμα προΐσασι, aut, προΐσασιν, quod Theodorus vertit proſiſtúntque ſpiritum. Quid autem Theodoro ſit proſiſtere ſpiritum, non eſt faciſè videre. Duo exiſtimo poſſe illis verbis ſignificarì, vel ſpiritum proſiſtunt, hoc eſt præmittunt, vt conuertit antiquus interpres, nimirum antemittunt ſpiritum, qui ſudorem expellit, ſicut exponit Aponenſis: vel proſiſtunt ſpiritum, hoc eſt, retinent, & tardiorem, ac difficiliorem reddunt, efficiúntque, vt ægriùs trahatur, vt προϊστάναι, aut, προϊστάσθαι τὸ πνεῦμα, ſit ſpiritui obſiſtere ne liberè exeat; hac autem reſiſtendi notione habetur id verbum, apud Sophoclem in Aiace, quamquam illam non videtur admittere eo loco ſcholiaſtes, ſed aliter exponit, vt adnotauit Henr. Stephanus. Illud addo problemate XXXVIII. ſectionis V. cùm eandem huic tractaret Ariſtoteles ſententiam, déque accliuibus ambulationibus doceret, eas eſſe decliuioribus laborioſiores, ſudoréſque ideo ciere, adieciſſe eas τὸ πνεῦμα μετεωρίζειν, ſpiritum ſuſpendere, ſeu attollere: exiſtimare igitur me, fortè, quod ibi eſt μετεωρίζειν, hîc eſſe προϊστάναι. Qualis autem dicatur ſpiritus ſublimis, aut ſuſpenſus, quo termino vſus eſt Hippocrates, & qua ratione fiat, pluribus docet Galenus comment. ſecundo in librum tertium Epidemiorum textu quarto: atque etiam breuiùs in primum prorrheticorum comment. primo, textu XXIV. fieri ob anguſtiam inſtrumentorum reſpirationi delegatorum, appellaríque ſublimem, quoniam qui ita reſpirant, ſublimes thoracis partes mouere videntur. Iam quod ad verba attinet, illud non omiſerim, σιμὰ manifeſtè hoc loco ſignificare accliuia, ſicuti vertit Theodorus: opponuntur enim in problemate, σιμὰ, & κατάντη, patétque ex ſenſu, & ex problemate penultimo ſectionis quintæ: ſed & Heſychius interpretatur, σιμὰς τὰς μετεώρους ἀναβάσεις: *ſublimes aſcenſus*, & σιμὸν τὸ προστανάντες χωρίον, *accliuem locum*: quod ideo notaui, quoniam in vulgaribus lexicis, σιμὸς exponitur contraria ei, quam diximus, ſignificationi, decliuis: non tamen à Budæo, aut ab H. Stephano: vt concedam tamen pro decliui etiam poſſe ſumi, quando, ſimum, ſit curuum, deducta fortaſſe etymologia à littera, CIGMA, cuius litteræ, C, ſemicircularem figuram imitatur: in ea autem æquè accliuitas ac decliuitas conſideratur. Antiquúſque interpres iuxta verbum conuertit, curuum. ἢ ὅτι τοῖς βάρεσι, *An quòd graui cuique vt ferri deorſum ſecundùm naturam eſt.* Cauſſam deducit à grauitate corporis, nam cùm grauia omnia, naturâ ſua deorſum ferantur, vt habemus ab Ariſtotele libro quarto de cœlo; corpus autem noſtrum ſit graue, quippe maiori ex parte ex terra, & aqua conſtans, cuiuſmodi reliqua mixta, fertur etiam & ipſum naturali pondere deorſum; quod enim rectum ſtat, & rectum incedit, à calore habet, & ſpiritu: his autem vbi priuetur ſtatim in terram concidit, quod mortuo euenire videmus. Ferri igitur ſurſum corpori noſtro quatenus corpus eſt, contra naturam eſt, quia graue, quæ autem contra naturam ſunt, illa maiorem laborem afferunt. Calori igitur noſtro, qui corpora regit, & prouehit, magis laborandum eſt, cùm aſcendendo progredimur, quippe corpus renititur, à caloréque quodammodo trahitur, quàm deſcendendo, cùm facilè ob naturale pondus, motum illum corporis grauitas adiuuet: & quamquam caloris natura ſit ſurſum ferri, qui tamen in corporibus noſtris eſt incluſus, & membris ingenitus, ob affixum pondus magis laborat ſurſum aſcendendo, quòd maior ſit ex pondere labor, quàm ex naturali propenſione leuamen: contra in deſcendendo: ex maiori igitur labore maior calor, & copioſiores ſudores. Hanc rationem habemus etiam ſectione V. problemate X. & XXXVIII. & XXXIX. συμβάλλει ἤ τι ἐν τῇ πορείαις. *Quin etiam corporis varius inflexus.* Cur Theodorus reddiderit, *varios inflexus*, quod ſolum eſt, inflexus, aut curuatura, ignoro: Illud tamen haud ignoro, ea verba difficultatem ſenſui afferre poſſe: ſolam enim corporis curuaturam, non varios articulorum flexus, quos fortaſſe intellexit Theodorus, puto hoc loco ab Ariſtotele intelligi. Proponit enim Ariſtoteles aliam cauſſam, quæ priorem adiuuet: nos ſcilicet in propoſitis ambulationibus, quæ fiunt per accliuia, inflexos, aut curuos incedere, capite nimirum propenſo, inflexóque ad anteriora thorace, quod fit ob pondus capitis, & partium ſuperiorum, ratione cuius laborante ſpiritu, nec potente partes illas rectas ferre, & promouere, curuantur eædem: ita autem curuatis calor, & ſpiritus, qui rectà ſurſum meare ſolent, hic enim eſt eorum proprius,

& naturalis motus; inter aſcendendum offendunt ad partes inflexas, quippe via haud recta, nec libero, & expedito tranſitu: obice igitur veluti quodam interiecto, neceſſe eſt ſpiritum pati, anhelationem creſcere, & ſudores fieri copioſiores. Quòd verò hîc Ariſtoteles vtatur eâdem voce προϊσῶσι, ad quam refertur σύγκαμψις, quæ tamquam obſtaculum ſit impedimento rectæ lationi, videtur confirmari eiuſdem vocis expoſitio, quæ ſecundo loco paullò ante adducta eſt: nec tamen aliam etiam tertio loco piget propoſuiſſe.

XXXVIII.

Διὰ τί τῶν ἱδρώτων γινομένων, ὅσῳ ἂν ὑπιβάλληταί τις μᾶλλον, ἧττον οἱ πλεῖστα τῶν ἱματίων ὑπιβαλλόμενοι ἱδρῶσι; ἢ διὰ τοῦτο ταὐτὰ ἐρεῖμεν τῷ ἐπάνω.

Qua de cauſſa cùm ſudor moueri ſoleat, quo magis quis ſe operuerit, non ij ſudant, qui veſtem plurimam admiſerunt? eadem etiam de hoc ratio, quæ priùs reddenda eſt.

Quæ allata ſunt problemate XXXVI. videntur his quodammodo contraria, quæ in præſentia afferuntur: ibi enim nuda corpora Soli expoſita, haud ſudabant, veſte tecta ſudabant, hîc autem non ſudant, qui plurima veſte tecti ſunt. Ratio vtriuſque ducitur ex problemate XXXI. & XXXV. nimirum ad ſudores ciendos requiri ſanè calorem, ſed moderatè, & proportione adhibitum. Nec igitur nuda Soli expoſita, nec pluribus veſtibus operta; ſicuti nec expoſita vehementi igni ſudare poſſunt: plurimus enim calor aut diſſoluit humida in ſpiritus, aut celeriter exſiccat, adeò vt ſenſum fugiant: nulla igitur eſt contrarietas. Porrò quod Theodorus vertit, *quo magis, quis ſe operuerit*, libentiùs vertam: *quo plura quis iniiciat*, vt de aliis etiam poſſit accipi, quàm de veſte, ne ſit quodammodo nugax ratio dubitandi, hunc pene in modum. Quam ob rem cùm ſudores fiant, vbi quis pluribus veſtimentis operiatur, non illi ſudant, qui veſtem plurimam ſibi iniiciunt? velim nimirum generalius eſſe, & plura amplecti primum verbum, quàm alterum.

XXXIX.

Διὰ τί τὰ σωμάτων ξηροτέρων ὄντων ἔν θέρει ἢ ἐν χειμῶνι, ἱδρωτικώτερος διακείμεθα ἐν θέρει; ἢ ὅτι ἐν μὲν θέρει λεπτῶν τὰ σωμάτων ὄντων, τὸ τῆ φύσεως θερμὸν πολὺ κατέχεται; διαλυθὲν δὲ τὰ ὑγρὰ εἰς ὠδῦμα· ἐν δὲ χειμῶνι πεπυκνωμένων ἔνδοθεν τῶν σωμάτων, πολὺ κατειλημμένον τὸ τῆ φύσεως θερμὸν, εἰς ὠδῦμα δ' διαλύεται τὸ ὑγρόν· ἔπειτα ἐν μὲν θέρει πολὺ προσφερόμεθα τὸ ὑγρὸν, τὰ χειμῶνι δὲ γίγνεται ὀλίγον.

Quam ob cauſſam cùm corpora ſicciora magis per æſtatem, quàm hyberno tempore ſint, ſudori magis in æſtate pateamus? An quòd per æſtatem propter corporum laxitatem non multus naturæ calor continetur. Humoréſque proinde reſoluere in ſpiritum poteſt. Per hyemem autem parte exteriori denſata corporum, calor frequens naturæ coërcitus humorem minimè in ſpiritum reſolui patitur. Ad hæc, æſtate humoris multum haurimus, hyeme autem è contrario agitur.

Cùm ſudoris materia ſint humiditates in corpore exiſtentes, tunc vtique magis ſudare conueniens ſit, cùm illæ, in corpore magis abundant; abundant autem magis per hyemem, quoniam corpus humidius eſt, minùs per æſtatem, quoniam ſiccius; iure igitur magis per hyemem ſudandum ſit: at è contrario res habet: plus enim ſudoris emittitur per æſtatem; Rationem affert Ariſtoteles, quam deducit ex altera ſudoris cauſſa, nimirum efficiente, qui calor eſt, quem plus materiali cauſſa in ea actione poſſe appareat. Hic igitur calor æſtate minor eſt, quippe apertis meatibus magna illius pars effluit, exigua intus continetur: quare humiditates reſoluit in ſpiritus, qui extra prodeuntes concreſcunt in ſudores, ſicuti non ſemel dictum eſt: contra hyeme denſata cute, & adſtrictis meatibus calor plurimus intus cohibetur, cui foras non pateat aditus, quare minimè in ſpiritum reſoluit humores, nec eam ob cauſſam progignitur ſudor. Hæc ita quidem ſcribit Ariſtoteles: ſed contingit dubitare: ſuperiùs enim problemate XXXV. non exiguus calor ſed multus diſſoluebat humida in ſpiritus, & ſudorem auferebat: problemate etiam XXXII. hyems ſimiliter non æſtas humiditates in ſpiritus reſoluebat: vnde nec hyeme ſudandum ibidem dixit, quod

per ſpi

per ſpiritus illos euacuatio facta, ſufficeret corporis valetudini, non ſufficere æſtate, quòd ea non fieret, quantum nimirum oporteret. Dicimus ſpiritum duobus modis ſumi, ſeu intelligi poſſe; ſicuti duplex à calore fit. Quidam eſt tenuior, & magis à calore elaboratus, cùm nimirum calor eſt maior, & validior, quod hyeme contingit: talis verò ſpiritus non concreſcit in ſudorem; vnde hyeme illius parcitas: Alter eſt craſſior, & potiùs vapor, ſicuti loquutus eſt problemate xxx1. ad finem, cùm de igne dixit ἐξατμίζει τὰ θερμαλαχθέντα ὑγρά, id eſt, *in vaporem reſoluit præmollita humida*: hic autem extra concreſcens, ſudor fit, vt diximus: quoniam autem præ caloris imbecillitate, qui eundem vlteriùs non poteſt attenuare, hic plurimus fit æſtate, plurimus etiam illo tempore ſequitur ſudor: contra verò per hyemem contingit: tunc enim præ tenuitate inſenſibiliter tranſpirat. ἔτι δὲ καὶ τὸ μὴ θέρος. *Ad hæc æſtate humoris multum haurimus.* Alia ratio. Oſtendit autem ex alio etiam cauſſarum genere, nimirum materiali, par eſſe, vt æſtate multi ſudores fiant, quamquam ſuperiùs ex eodem genere cauſſæ contrarium adſtruxiſſe viſus eſt. Æſtate enim quamquam aëris caliditas, & ſiccitas corpora etiam noſtra calidiora, & ſicciora reddat, eſt tamen etiam, quod multum humiditatis eiſdem tribuat, quod in progignendo ſudore, non minùs illis, atque adeò plus valeat: multum enim humoris æſtate haurimus in potu, & cibo; nam & largiùs bibimus, & fructus arborum permultos aſſumimus, qui cùm humidi ſint, humiditatis copiam faciunt, & materiam largam ſudoribus præſtant. Theophraſtus hanc iam pluries ab Ariſtotele propoſitam ſententiam, æſtate magis patere corpora ſudori, ſeu etiam vtiliùs eo tempore ſudare nos, non videtur ita abſolutè admiſiſſe; dixit enim nonnullos eſſe, qui hyeme faciliùs ſudent, quàm æſtate, dummodo vtriúſque temporis exceſſum, nimirum frigoris, & æſtus excipiamus, & mediocritatem in vtróque ſumamus, eſt tamen locus adeò lacer, & verba, quæ rationem continent adeò corrupta, vt percipi non poſſint, quæque nec ideo adſcribere viſum eſt: adduci tamen videmus hæc eadem de larga humidorum aſſumptione tempore æſtatis quæ Ariſtoteles modò propoſuit, vt apparere poſſit eum pro vtráque parte diſſeruiſſe.

X L.

Διὰ τί οἱ ἀπὸ τῶν αὐτομάτων γινόμενοι τοῖς ὑγιαίνουσιν ἱδρῶτες φαυλότεροι δοκοῦσιν εἶναι τῶν ἀπὸ τῶν πόνων; ἢ ὅτι οἱ μὲν πόνοι ἀπαντλοῦντες ἀεὶ τὸ περιττεῦον ὑγρὸν, ξηροτέραν τὴν σάρκα παρασκευάζουσιν· ὥστε τὰς κοιλίας τῶν πόρων ὑγιεινὰς εἶναι, καὶ τῇ διὰ θερμῶν διαθήσει μηδεμίαν ἐμφαίνειν γίνεσθαι; οἱ δ' αὐτόματοι μὲν περισυρορυάμενοι ἱδρῶτες. γινόμενοι δ' ἐξ ἀνάγκης, ὅταν ἀπὸ πλείονος ὑγρασίας συγχεομένων τῶν φύσεως πόρων, τὰ θερμὰ μὴ παντελῶς καταλαμβάνῃ. ἀλλ' ἐπιμάχεσθαι, καὶ ἀκμάζειν αὐτὸ δοκεῖται, εὐλόγως νόσου σημεῖα φαίνεται. τότε γὰρ ἀπὸ πλείονος ὑγρασίας. ἡ δὲ συμμέτρως καὶ φύσιν ψύχεται, ἥ τε σὰρξ λιομένου γλυκαίνεται, καὶ κακίστην πρὸς ὑγείαν διάθεσιν λαμβάνει.

Cur ſudores, qui corpori bene valenti ſponte prouenerint, iis deteriores habentur, quos labores citârint? An quòd labores excreſcentem humorem exhaurientes, carnem efficiunt ſicciorem, vt cauernæ foraminum, ſanitati ſint opportunæ, & per caloris tranſmiſſionem fieri nulla poſſit obſeptio, ſiue oppilatio: ſudores autem ſpontanei appellati, qui ex neceſſitate oriuntur, cùm ſcilicet foraminibus naturæ ab immodico humore confuſis, calor non omnino occupatur, ac vincitur, ſed repugnare adhuc extruderéque humorem poteſt: hi rectè pro ſignis morbi habentur futuri; nam etiam calor ipſe à largiori humore, quàm qui modicus ſecundùm naturam ſit hebetatur: & caro plenè madeſcens peſſimum ad ſecundam valetudinem concipit habitum.

Sudores ſpontanei illi appellantur, qui ſponte, & naturæ operâ, abſque cauſſæ externæ, aut manifeſtæ auxilio fluunt, quomodo etiam vomitus, & alui fluores ſic ab Hippocrate dicuntur: hos autem cùm ſano corpori acciderint, illis eſſe deteriores affirmat Ariſtoteles, qui ob labores, aut exercitia fluunt. Quamquam autem dicit corpus ſanum, non tamen intelligitur ſanum omnino, & perfectè, non enim ei quod tale ſit, aduenient ſudores, quippe nulla intrinſecus exiſtente cauſſa morbifica, quæ naturam ad eos mouendos compellat; Sed eſt ſanum, quod adhuc non decumbat, & operationes ſenſu ipſo nondum læſas habeat. Quod tamen morbificam cauſſam intus gerit, ex qua mouentur ſudores, corpus potiùs neutrum dicendum erit: tales igitur ſudores illis deteriores ſunt, qui ex laboribus pro-

ueniunt, ſcilicet ob exercitia, nomine enim laborum exercitia ipſa intelligit Ariſtoteles; hi enim boni ſunt, quippe corpori proficui, & non leue auxilium afferentes, illi autem mali quòd argumento ſint multam adeſſe ſuperfluam in corpore humiditatem, ex qua facilè morbi fiant: ſpontanei igitur mali tamquam ſignum: non ſpontanei boni tamquam cauſſa. ἢ ὅτι οἱ μὲν πόνοι. *An quòd labores excreſcentem humorem exhaurientes.* Probat ſudores ob exercitia euenientes bonos, & vtiles eſſe: nam labores, aut exercitationes exhaurientes humiditates ſuperuacaneas, reddunt carnem, & corporis habitum ſicciorem, hoc eſt expurgant, & depurant: vnde meatuum cauitates ſanitati ſunt opportunæ, quia patent, & calor naturalis per eas tranſmittitur, & percolatur: nulla etiam fieri poteſt obſtructio, nam permeans, & pertranſiens calor non permittit. Spontanei autem, quamquam dicuntur ſpontanei, fiunt ex neceſſitate, quia natura plurimo humiditatis onere grauatur; multa enim humiditas reſidet, ac confuſa eſt in corporis meatibus, vnde calor natiuus non poteſt perfectè eos occupare, & per illos peruadere, pugnare tamen aduersùs humiditatem poteſt, & ipſam ſatis bellè extrudere, non enim eſt ita debilis, vt non poſſit; ex hoc autem fiunt ſudores, qui per hunc modum ægritudinis ſigna ſunt: quod dixit etiam Hippocrates libro de Iudicationibus per hæc verba Cornario interprete: *ſudor multus ſponte oboriens ſano, morbum ſignificat, æſtate minorem, hyeme maiorem.* & quarta aphoriſmorum ſectione XLII. *ſudor multus, frigidus, aut calidus, ſemper fluens: frigidus maiorem, calidus minorem morbum ſignificat.* καταλαμβάνῃ. *Non omnino occupatur, ac vincitur,* malè Theodorus hoc modo; cùm actiuæ ſignificationis potiùs verbum ſit: meliùs ita. *non omnino eos occupat, eiſq; dominatur;* & ita requirit ſenſus, & nos ita expoſuimus. τό τε γὰρ ὑπὸ πλείον. *Nam etiam calor ipſe à largiori.* Docet quomodo futuri morbi ſigna ſint ſpontanei ſudores, quia nimirum à plurima illa humiditate, quæ maior eſt, quàm pro naturæ lege conueniat, hebetatur calor natiuus, & caro madeſcens malam affectionem contrahit, vt facilè in ægritudines incidat: hanc autem humiditatis copiam indicant ſudores. Senſum autem meliùs exprimunt Græca, quæ ita ſonant: tunc enim à largiore humore; & reliqua. Legendum autem eſt ὑπὸ πλείονος ὑγρασίας, vt excudendum curauimus, non ἐργασίας vt perperam habebant vulgati codices, ita enim legit Theodorus, & Iuſtinianus habet.

XLI.

Διὰ τί ἐν χειμῶνι ἱδρῶτες ἧσσον γίνονται, καὶ ἡμᾶς οὐχ ὁμοίως οἰόμεθα ἱδρωτιᾶν βέλτιον, ὑγροτέρων ὄντων τῶν σωμάτων ἐν χειμῶνι; ἢ ἧσσον μὲν ἱδρύομεν, ὅτι τὰ ὑγρὰ ἐν χειμῶνι πέπηγε, καὶ συνέστηκε, σφόδρα; δυσδιαλυτώτερα ἓν· οὐχ ὑπολαμβάνομεν δὲ ἡμᾶς ἱδρωτοποιεῖσθαι ἐν χειμῶνι, διότι ἡ τοιαύτη διάθεσις ὑγιεινή· ὁ δὲ τὰς ἱδρῶτας ἐμποιῶν, πάντως καὶ συγχεῖ τὴν ἕξιν· ἔτι τε καὶ βεβαιοτέραν ἐν τοῖσδε ἐμποιῶν. τό τε ἐντὸς θερμὸν ἀποκρίνων. ἐλαττοῖ ποιεῖ· ὥστε μὴ ὁμοίως δύνασθαι τῷ περιέχοντι ψυχρῷ ἀντιτάττεσθαι· τό, τε ἐντὸς ὑγρὸν ῥᾳδίστερον παρεμπίπτειν τοῖς σώμασιν, βέλτιον τῶν πόρων διὰ τὰς ἱδρωτοποιίας ὄντων.

Cur tempore hyberno minùs oriuntur ſudores, nec nos per id tempus ſudandum æquè cenſemus, quamuis corpora humidiora tum conſtent? An minùs ſudamus, quoniam humores per hyemem concreti, coactíque ſunt vehementer: quare minùs diſſolui tum queunt. Sudandum autem minimè per hyemem cenſemus, quia corporis eiuſmodi diſpoſitio ſalubris eſt. Qui autem mouet ſudorem, labefactat, confundítque habitum corporis, atque etiam laxiorem, quàm conueniat, eundem habitum reddens, ſimul & intimum calorem educit, diminuítque, vt non æquè gelido cœlo poſſit reſiſtere: & humor externus expeditiùs ſe corporibus inſerit, cùm laxiora iam foramina propter ſudationem habeantur.

Hoc problema duo continet, quæ tribus aliis problematis ſuperiùs propoſita ſunt. Cur minùs contingant ſudores æſtate, quàm hyeme: id autem fuit propoſitum paullò ante problemate XXXIX. alterum cur eoſdem ſudores magis procuremus æſtate, quàm hyeme: id habuimus problemate XXI. & XXXII. Harum autem rerum quærendarum occaſionem eandem adducit, quam problemate XXXIX. aliis verbis, ſed eodem ſenſu; hyemis nimirum humiditatem, quæ ibi fuit æſtatis ſiccitas. Explicat autem vtramque partem, &

quamquam

quamquam eadem vtrobique poteſt eſſe ratio, propriè tamen quædam alteri, ac alteri videtur accomodare. Ad primam igitur ait: ideo minùs fieri ſudores per hyemem, quoniam ratione frigoris, eo tempore corporis humiditates coactæ, & concretæ vehementer ſunt, vt difficulter diſſolui poſſint, atque in ſudores abire. Tum ad alteram inquit; ideo per hyemem non procurare nos ſudores, quoniam ea diſpoſitio, qua corpus quieſcere ſinimus, nec ad ſudorem mouemus, ſalubris eſt: qui autem ſudores prouocat, ille colliquat, miſcet, & confundit totum corporis habitum, & eum plus quàm par ſit rarefaciens; indéque educens calorem innatum, qui intus continetur, minorem illum reddit, ex quo fit, vt frigori, quod eo tempore viget, non poſſit æquè atque antea reſiſtere. Sequitur etiam aliud malum, nam cùm ob eas ſudationes aperti exiſtant corporis meatus, humiditates extraneæ, quæ morborum cauſſæ ſunt, faciliùs per apertos meatus ingrediuntur, & morbos adducunt: vnde iure dictum eſt, aliam diſpoſitionem eſſe magis ſalubrem. Porrò autem quòd pro δυσλυτώτερα repoſui δυσδιαλυτώτερα, & poſt vltimum quod erat problematis verbum ἱδρωτοποιίας, addidimus ὄντων, auctore codice Iuſtiniani fecimus.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Γ.

ὅσα περὶ οἰνοποσίας καὶ μέθης.

ARISTOTELIS PROBLEMATVM SECTIO III.

De vini potu & ebrietate, THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII COMMENTARIVS.

I.

ΔΙΑ τί οἱ μεθύοντες, θερμὸν ὄντος τοῦ οἴνου δύσψυκτοί εἰσι, καὶ τάχιστα ἁλίσκονται τοῦ πλευρίτιδος, ὃ τῶν τοιούτων; ἢ διότι πολὺ ὑγρὸν ἐὰν ψυχθῇ, πολὺ ψυχρὸν γίνεται. ὥστε κρατεῖν τὴν φυσικὴν θερμότητος· γίνεται γὰρ ὅμοιον ὥσπερ ἂν εἰ ἐσθὴς βεβρεγμένη εἴη ὑγρῷ ψυχρῷ, ἕτως ἡ σὰρξ ἔνδοθεν.

Quam ob cauſam vinum, cùm calidum ſit, vinolenti non calent, ſed frigent, & dolore, cæteriſque huiuſmodi vitiis excipiuntur? An quòd multum humoris, cùm refrigeratum eſt, multum frigoris concipit, ita vt calorem ſuperet naturalem. Fit enim ſimile intrinſecus carni, vt ſi veſtis nimio madefacta humore rigorem proinde acris frigoris admittat.

Cùm vinum ſuapte natura calidum ſit, atque adeò membra noſtri corporis calefaciat, cur porrò illius vſu algores, & morbi frigidi proueniant, iure quærit hoc primo problemate Ariſtoteles. Vinum autem calidum eſſe non probat, ſed aſſumit: quippe de vino quod Græci œnodes, latini recentiores vinoſum appellant, illi ſermo eſt, non de aquoſo, quod aut refrigerat, aut non manifeſtè calefacit. Vinoſum autem non ſolum manifeſtè calefacit, ſed vehementer, & celeriter, quod pluribus locis dixit Galenus: octauo autem de ſimplic. medicamentorum facultatibus, ordinem ipſum aut gradum caliditatis definiens, dixit calidum eſſe ex ſecundo ordine: at quod admodum vetus eſt ex tertio: caliditati autem proportione reſpondere ſiccitatem; talem autem vinoſo qualitatem, ex Hippocratis etiam ſententia tribuere apparet Comment. III. de ratione victus in acutis, tex. primo, & ſecundo. Plato etiam libro II. de legibus, cùm pueris ad decimum octauum vſque ætatis annum vino interdixiſſet, quòd non oporteret ignem igni & in corpus, & in animum infundere, idem omnino ſcripſiſſe viſus eſt. Quæ igitur à Plutarcho tertio ſympoſiac. de vini frigiditate afferuntur, illa vt apparet diſſerendi gratia, & ad probabilitatem magis, quàm ad veritatem propoſita ſunt: nec verò refutare admodum difficile ſit. Vberrimè autem grauibúſque argumentis & authoritatibus perſecutus eſt hanc quæſtionem patrum noſtrorum memoria Hieronymus Iracaſtorius in libello, cui peculiarem hanc materiam dedicauit, hoc titulo: De vini temperamento ſententia: cùm orta diſſenſione inter duos medicos, ipſe cum aliis tribus medicis iudex, atque arbiter electus eſt, atque tum calidum, tum ſiccum eſſe pronunciauit. Igitur qui huiuſmodi vino ſe ingurgitauerunt, quam ob rem algores, & rigores facilè patiantur, & facilè pleuritides incurrant, oſtendit Ariſtoteles. Pleuritidem autem poni apparet ab Ariſtotele inter morbos à frigore gigni conſuetos; aliter enim lo-

cum non habeat dubitandi ratio: nec verò iniuria, quamquam inflammatio eſt, & cum febre ſemper: nam & Hippocrates libro quarto Aphoriſmor. XXIII. inter hyemales morbos eandem connumerat, quippe à fluxione ortam, quæ frigoris vi potiſſimùm effici ſolet, eâdemque ratione à vini potu immoderato. Rationem igitur ſequitur ad proponendũ Ariſtoteles, atque ait: Multum humidum, ſeu multa ſubſtantia humida, ſi refrigeretur, euadit multum frigidum, ſeu multa ſubſtantia frigida: id autem vſuuenit, cùm multa vini copia aſſumitur, aſſumitur enim multum humidum actu. Huiuſmodi igitur humidum, cùm ea copia iam eſt, vt concoqui non poſſit à calore natiuo, vincit ipſum, & ſuffocat, vnde refrigeratio multa à multo frigido in corpore contingit. Hanc rem dilucidè admodum, oleíque aptiſſimo exemplo explicuit Galenus libro III. de temperamentis capite II. per hæc verba Latinè Linacro interprete: *nec vinum ipſum ſemper animal calfacit, æquè vt nec oleum flammam accendit, tametſi aptiſſimum eſt ignis nutrimentum: immò ſi imbecillæ, & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, ſuffocabis eam, prorſuſq; extingues potiùs, quàm augebis. Sic igitur & vinum vbi plus bibitur, quàm vt vinci poſſit, tantum abeſt, vt animal calfaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat, quippe apoplexiæ, & paraplexiæ, & quæ Græcè caros, & comata vocamus, & neruorum reſolutio, & comitiales morbi, & conuulſiones & tetani immodicũ vini potum comitantur, quorum vnumquódque frigidum eſt vitium. Generatim enim quæcúnque aſſumpta in corpus, vt nutrimentum calfaciunt, hæc interim frigefacere deprehendes, æquè ſcilicet vt flammam ab eadem materia non augeri modò verùm etiam aliquando extingui.* Hæc Galenus. Suffocato igitur à vini copia naturali calore, naturales omnes operationes prauè obeuntur: quare & cruditates plurimæ fiunt, humidorúmque & frigidorum, atque etiam alius generis excrementorum vbique copia prouenit, quæ ſi ad membranam coſtas ſuccingentem decumbant, pleuritidem propoſitam inducunt, ſi ad neruorum principia, à Galeno commemoratos morbos, & ab Ariſtotele ſignificatos, alióſque interim non paucos. Quamquam enim facultate vinum exſiccat, vt dictum eſt, actu tamen humectat, & ratione etiam frigiditatis quæ propoſita fuit morbos gignit. Porrò quæ Theodorus habet verba, *vinolenti non calent, ſed frigent*, non bene exprimere puto quod Græcè eſt, *δυσριγοί εἰσιν*, hoc eſt, facilè patiuntur algores, promptè ac leui de cauſſa rigores incurrunt, algioſi ſunt, ſicuti habetur particula VIII. proplemate IV. & X. *γίνεται γὰρ ὅμοιον ὥσπερ ἂν εἰ ἔνδοθεν σαρκὸς. Fit enim ſimile intrinſecus carni.* Similitudine adductam rationem comprobat. Quemadmodum enim veſtis ſi irrigetur humore frigido madeſcit, & laxa fit, ſed & tenditur, ac riget aliquando, priorémque proprium bonum habitũ ex humectatione & refrigeratione illa immutat, ita caro humectata, & refrigerata à vini aſſumptione, & affuſione interiùs, per eundem modum afficitur, & madeſcit, ac refrigeratur. Theodorus hoc loco potiùs ſententiam exponit, quàm verba reddat, multum de ſuo addens: ita autem verba ſonant: *Fit enim ſimiliter ac ſi veſtis irrigetur humore frigido, ita caro interiùs.*

II.

Διὰ τί οἱ σφόδρα μεθύοντες παροινοῦσιν, ἀλλ' οἱ ἀκροθιγεῖς μᾶλλον; ἢ ὅτι οὐδ' ὅτιοῦν ὀλίγον πεπώκασιν ὥστε ὁμοίως ἔχειν τοῖς νήφουσιν· οὐδ' αὖτε, ὥστε δυσλύτους, ὅσοι πάμπαν· οἱ πολὺ πεπωκότες; ἔτι οἱ μὲν νήφοντες, μᾶλλον ὀρθῶς κρίνουσιν· οἱ δὲ σφόδρα μεθύοντες, οὐδὲ ἐγχειροῦσι κρίνειν· οἱ δὲ ἀκροθιγεῖς, κρίνουσι μέν, διὰ τὸ μὴ σφόδρα μεθύειν· κακῶς δέ, διὰ τὸ μὴ νήφειν. καὶ ταχὺ τῶν μὲν καταφρονοῦσιν, ὑπὸ τῶν δὲ ὀλιγωρεῖσθαι δοκοῦσιν.

Qua de cauſa, non qui vehementer, ſed qui leuiter ſe ebriauerunt, delirant? An quòd neque tam parum biberunt, vt ſimiles ſobriis ſint: neque adeò multum, vt ſoluantur, & langueant, quomodo efficiuntur, qui multum hauſerint. Adde quòd ſobrij ratione iudicant penitus, temulenti ne tentant quidem aliquid iudicare: leuiter ebriati iudicant, quoniam quidem vino non penitus detinentur: ſed prauè id faciunt, quia ſobrij non ſunt. Quo fit vt mox & contemnant alios, & contemni ab aliis ſe ipſi exiſtiment.

Quam ob rem non qui maximè ex vino ebrij, ſed qui leuiter ebrij ſunt, petulãtiùs ſe & iniurioſiùs gerant aduersùs alios, proponit hoc loco Ariſtoteles. Quod enim ait *παροινοῦσιν*, iniuriam & contumeliam ſignificat, vt apparet ex fine problematis, cùm ait, *quoſit vt maximè contemnant alios*: & ex declaratione Heſychij, qui *παροινιάσαι*, exponit, *ὑβρίσαι, λοιδορῆσαι*, &

σαι, & παραινία ἡ ἐκ τοῦ οἴνου ὕβρεις. Nō igitur bene omnino Theodorus qui vertit, *delirant*, alio enim fortaſſe verbo, ad ſententiam perfectè exprimendam opus ſit, quod iniuriam, & contumeliam denotet, vt debacchentur, aut ſimili: ſemiebrios autem ſiue leuiter ebrios, verbum ἀκροθώρακας ſignificat, talémque illi voci ineſſe ſignificationem oſtendit Erotianus in Onomaſtico per hæc verba Latinè: *Atque vſque in hodiernum diem eos qui non admodum vino implentur* ἀκροθώρακας *appellamus*, ἀκροθόρηκας enim, non ἀκροθώρακας dicit Erotianus. Eſt autem deducta vox vt exiſtimo, à θώρηξις aut, θόρυξις, vtro enim modo dicas, nil intereſſe ſcribit Phauorinus. Eſt autem θώρηξις, vel ſimpliciter vini potio, vel meracioris vt ſcribit Galenus Comment. VII. aphoriſmo XLVIII. ἀκροθώρηξ igitur ex potione vini, aut meracioris vini ita affectum ſignificabit, vt iam adſit aut incipiat ebrietas. Non video igitur quare lexicographi, & cum illis Budæus ἀπὸ τοῦ θώρακος, ſeu à thorace deducant, qui exponant, leuiter appotos, hoc eſt, quaſi pectore-tenus vino imbuti, ſeu vt Henr. Stephanus, ſummo pectore-tenus: licèt enim θωρήσσειν, armare ſit, ſeu armare pectus, & θώρηξις loricatio; eſt etiam vinum potare. Cùm igitur ἀκροθώρηξ ad vini potum ſignificandum ſumitur, quid illuc pectoris, ſeu thoracis mentionem adducamus non video; niſi ſi ipſa θώρηξις vox cùm ad vini potionem denotandam aſſumpta eſt, ἀπὸ τοῦ θώρακος, hoc eſt à pectore, ſeu thorace, vel ἀπὸ τοῦ θωρήσσειν, quod eſt armare, fuerit deducta, quaſi vini potio armet, & loricet pectus caliditate. Verùm vnde vnde fluxerit vox ἀκροθώρακες manifeſtò hîc ſunt ſemiebrij, aut leuiter ebrij. Hi igitur quare ex vinolentia magis peccent, quàm omnino ebrij, oſtendit Ariſtoteles. Dicit autem qui leuiter ebrij ſunt, eos iudicio, & mente non ita valere, ac omnino ſobrios, quia paullò plus, ſcilicet quàm illi, & quàm modus ſit biberunt, non tamen rationis vim penitus diſſolutam obtinere, quoniam non ita ſe vino ingurgitauerunt, vt ad perfectam ebrietatem deuenerint, quæ rationis vſum omnino tollit. Sunt igitur in medio poſiti: quare delirant, & peccant cùm aliquid facere, aut dicere aggrediuntur: quibus verò præ vini copia, & ſumma ebrietate diſſoluta penitus ratio, & iudicium eſt, non peccant, quoniam ne aggredi quidem aliquid in quo peccent, valent: illis igitur deprauatè actio fit, his nullo modo fit: quare ne peccant quidem. ἔτι οἱ μὴ νήφοντες μᾶλλον. *Adde quòd ſobrij.* Hæc videtur proponi tanquam noua ratio, quantum quidem indicat particula ἔτι: ſed eadem mihi videtur paullò diſtinctiùs expoſita, & proximiùs applicata, vnde pro ἔτι legerim libentiùs ὥστε, tanquam ſit collectio, & explicatio eiuſdem rationis: quia enim leuiter ebrij non parcè biberunt vt ſobrij, nec largè vt vehementer temulenti, fit vt ſobrij rectè iudicent, quia illæſum rationis munus obtinent, vehementer temulenti nullo pacto, quia vino oppreſſi, munus illud amiſerunt; ſemiebrij verò quia nec illæſum habent, nec omnino amiſerunt, iudicent quidem, ſed à vino impediti, prauè. ἢ ταχὺ τοῦ μὴ καταφρονεῖν. *quo fit vt mox contemnant alios.* Ad id pertinet Satyri Clazomenij hiſtoria, quā refert prōblematè XXVIII. quo hic idem locus tractatur. Porrò Plutarchus tertio ſympoſiac. hanc eandem ex Ariſtotele quæſtionem proponit, Philoſophíque diſſolutionem ita explicat, tāquam dixerit Ariſtoteles, ſobrij rationem bene conſtantem de rebus bene iudicare, valde ebrij diſſolutum ſenſum cohiberi & opprimi, leuiter autem ebriorum adhuc quidem valere vim phantaſticam aut imaginatricem, iam tamen conturbatam eſſe rationem, ex quo fit vt ille quidem iudicet, ſed malè iudicet, quippe qui imagines illas aut viſa inſequatur. Nos phantaſiæ aut ſenſus in expoſitione non meminimus, quæ nec nominari ab Ariſtotele audiuimus. Ex Plutarcho illa hoc loco attuliſſe ſatis viſum eſt. Sed enim Plutarchus iis non contentus, quæ adduxit Ariſtoteles, propriam & ipſe quæſtionis ſolutionem affert, duáſque proponit rationes. Primam enim, illius accidentis cauſſam non ad animam, ſed ad corpus dicit eſſe referendam: nam ſemiebriorum rationem, ſeu ratiocinandi munus, tantùm eſſe conturbatum, corpus autem impetibus illius inſeruire poſſe, quippe quod à vino nondum irrigatum & madidum ſit. At vbi concuſſum, & oppreſſum fuerit corpus, deſerere animi impetus, & diſſolutum deficere, vnde nec ad opera ita affecti progrediantur. Semiebrios autem, quia corpus habent ſimul adiuuans ad peccandum, eam ob rem non quòd rationis munere magis deſtituantur, ſed quòd corpore minùs valeant, peccare. Alteram deinde affert rationem, quam à vini natura ducit: iuxta enim copiam qua aſſumitur, primùm alium, & mox alium producere effectum, quam rem ſimilibus aliis oſtendit eo loco Plutarchus. Ignis enim qui moderatus eſt lutum indurat, nimiùs colliquat, ac facit vt fluat. Contra æſtatis principium quæ opora dicitur, febres excitat, incenditque: eâdem creſcente illæ ſiſtuntur, & deſinunt: fieri igitur poſſe, vt vbi à vino naturaliter turbata, & irritata fuerit ratio, rurſum eodem augeſcente, remittatur, & ſedetur: nam & elleborus initium quidem purgandi ſumit à turbatione corporis: at ſi minùs iuſto exhibeatur, turbat quidem,

non

non tamen purgat: soporifera quoque nonnulli intra modum sumentes, turbulentiores efficiuntur: nonnulli ampliùs sumentes dormiunt. Probabile itaque sanè turbationem etiam illam, quæ semiebriis accidit, vbi ad summam vigorem peruenerit concidere, & ad hanc rem idem vinum esse adiumento. Hæc ex Plutarcho, quorum postrema roborare etiam licet ex Galeni sententia v. aphorism. v. vinum nempe qualitate propria sanare posse, quam fecit substantiæ copia dispositionem. Ad eandem rem confirmandam, addit præterea similia quædam alia Plutarchus, quæ apud ipsum videre licet.

III.

Διὰ τί μᾶλλον κραιπαλῶσιν οἱ ἀκρατέστερον πίνοντες, ἢ ὅλως ἄκρατον; πότερον διὰ τὴν λεπτότητα ὁ κεκραμένος μᾶλλον ἀσθενῆ εἰς πλείους τόπους καὶ σκοτεινὰς ὁ ἦ ἄκρατος, ἧττον; ὥστε δυσεξαγωγότερος ὁ κεκραμένος· ἢ διότι ἐλαφρῶ πίνεσιν ἄκρατον. διὰ τὸ μὴ δύνασθαι, ἐπεμεῖσι μᾶλλον; ἐπεὶ συμπέπεπται τὰ λοιπὰ θερμότερος ὢν καὶ αὐτὸς αὐτόν· ὁ ἦ ὕδατος, κωλυτίον.

Cur magis crapulam sentiunt, qui dilutiusculum bibunt, quàm qui merum ex toto. Vtrum suę tenuitatis causſa, vinum temperatum expeditiùs loca plura, anguſtioráque ſubeat, intemperatum autem minùs facere id poſſit: itaque difficiliùs educi poteſt, quod dilutum eſt. An quòd merum minus bibitur, vt pote quod multum bibi non poſſit, magiſque vomitu reiicitur. Ad hæc merum vt cætera concoquit, quia calidius eſt, ita etiam ſe ipſum conſumit, diluto autem illo è contrario agitur.

Quid ſit κραιπάλη, aut crapula, docet Galenus v. aphoriſmorum v. per hæc verba: *Quòd verò omnes Græci crapulas vocant, capitis noxas, ex vino prouenientes, manifeſtum eſt. Ita enim & nonnulli vocis etymologiam fecerunt, oriri dicentes ex κάρηνον πάλλεσθαι*, hoc eſt, *ex eo quòd caput vibretur.* Sequitur autem ad oſtendendum Galenus, noxam hanc aliquibus longiori tempore, aliis breuiore perdurare: non enim eſſe ſtatutum, neque circumſcriptum omnibus vna menſura: quidam enim poſtridie à crapula ſunt liberi, quidam verò ſequenti nocte, quidam verò tertio die prorſus: & fit hoc pro multitudine ac vi vini epoti, & eius qui potauit, natura. Ariſtoteles problemate XVII. definiuit quid ſit crapula per hæc verba: *Crapula eſt feruor quidam, & incendium quod deſinit, affligit autem plus quàm ebrietas, quoniam illa quidem dementat, crapula autem mente ſibi conſtante dolorem affert.* Apparet igitur in crapula adeſſe dolorem, qui ebrietati minimè eſt neceſſarius: quod etiam conſtare poteſt ex problemate XIV. in quo crapulæ nomine haud expreſſo, eadem tamen res quæritur quæ hoc loco, cur à vino diluto, meraciori tamen, caput poſtridie magis doleat, quàm mero. Crapulas igitur magis ſentire, quomodo Theodorus reddit κραιπαλῶσιν, nihil aliud eſt quàm noxam, & dolorem illum faciliùs incurrere, eo magis affligi, & diutius in eo perſeuerare. Id autem cur magis vſuueniat illis qui vinum aquæ admixtum bibunt, quàm qui ex toto merum, tribus rationibus oſtendit Ariſtoteles. Auicennas autem non crapulam, ſed ebrietatem à mixto magis prouenire dicens, quod ex hoc loco profectũ crediderim, eâdem ratione ſimiliter vſus eſt quà primo loco Ariſtoteles. Sunt autem hæc Auicennæ verba libro primo, fen III. doctrina II. *Scias præterea quòd mixtum velociùs inebriat propterea quòd aqueitas penetrat.* ἀκρατέστερον, *dilutiuſculum.* Theodorus bene ſenſum expreſſit, non tamen ſua voce, ſed contraria; ἄκρατον enim eſt, ἀμιγής, ἀσυγκέρασος, vt exponit Heſychius, hoc eſt non mixtum, non temperatum, non dilutum; merum denique, & purum, vt interpretatur vetus gloſſarium; quod vel ex ipſa quoque nominis compoſitione pateat. Non igitur dilutiuſculum, ſed meracius valet vox: ſenſus tamen idem redit: eſt enim ἀκρατέστερον comparatiuum pro ἀκρατότερον, vt σαφής σαφέστερος, ἄφθονος ἀφθονέστερος: & minorem obtinet ſignificationis vim quàm ipſum poſitiuum, quod vel aliis etiam exemplis apud Latinos quoque pateat: præſertim autem hoc loco, quo præterea adiungitur particula ὅλως: hic enim ſenſus eſt. *Cur magis crapulam ſentiunt qui meracius bibunt, quàm qui merum ex toto:* quomodo qui, meracius, dicit, mixtionem aquæ includit, qui autem merum non ita: idem igitur eſt comparatione aliorum, qui meracius bibunt, ac qui magis temperatum, & dilutum, quomodo expreſsè locutus eſt problemate XIV. vbi pro ἀκρατέστερον poſuit κεκραμένα, problemate autem XVII. ἔυκρατον, nimirum dilutum, vt hoc loco reddit Theodorus. πότερον διὰ τὴν λεπτότητα ὁ κεκραμένον. *Vtrum ſuæ tenuitatis cauſſa vinum*

temperatum. Prima ratio ex tribus. Vinum aquæ admixtum tenuius est quàm merum, quare per plura, & anguſtiora loca ingreditur; vnde difficiliùs deinde educi poteſt: quæ enim tenuiora ſunt, faciliùs ſubire, & ex anguſtis difficiliorem eſſe exitum, notum cuilibet eſt. Fit igitur vt ex diluto celeriùs & promptiùs generetur crapula, illi quippe promptior, & latior via; magis affligat, quia plures partes occupat, ſcilicet tum latiores, tum anguſtiores: diutius perſeueret, quia anguſtiora loca ingreſſis difficilior eſt exitus: Merum autem quia craſſius, & corpulentius, difficiliùs progreditur, ac aſcendit, atque ad latiores ſolummodo meatus, ad quos ſolos patet illi aditus: & faciliùs educi poteſt, tum quia non ſunt ita multi, tum quia non adeò remoti, & in profundo poſiti, quibus rationibus magis lentè fit crapula, minùs affligit, & faciliùs ſedatur. Hæc autem ratio quo planior ſit, mixtio vini quæ dicitur, ſicut adnotat Aponenſis, ita præſertim accipienda eſt, vt largiori admodum menſura vinum quàm aqua adhibeatur: aliter enim dilutum, vix aut ne vix quidem inebriat: tum vinum intelligatur generoſum, & validum, quale vetuſtum & coctum, cuiuſmodi illis temporibus erant in vſu (& coquuntur etiamnum in Græcia, & alibi vina) cocta autem locis fumoſis ad centum, & ducentos annos aſſeruabantur. Huiuſmodi autem vina craſſiori ſubſtantia conſtabant, nec per ſe abſque aquæ mixtione commodè aſſumi poterant, aut aſſumpta diſtribui, & corporis partes intimiores ſubire: attenuabantur igitur tum aqua, tum etiam percolatione, quæ fiebat per ſaccos lineos, qua de re habemus Plutarchi problema ſeptimum libri v i. ſympoſiacωn: dicebantur autem vina illa ſaccata, & caſtrata, quia robur non paruum, & veluti virilitas illis per colationem eam adimebatur, quemadmodum etiam obſeruauit clariſſimus Mercurialis libro ſecundo variarum lectionum. Talia igitur craſſiora vina, vt ab illis petatur caput, aquæ mixtione omnino indigent. Menſuram autem ſeu proportionem exactè definire non ſit facile: nam pro vini facultate & craſſitie, & robore illius qui aſſumit, moderanda & præſcribenda res eſt, vt ſanè patet: qua de re & proportione Plutarchus libro primo ſympoſiac. quæſt. i v. & tertio eorundem quæſt. i x. Hippocrates ſanè v i i. aphoriſm. l v i. æquale æquali potum ſoluere nonnullas affectiones ſcripſit. Cæterùm iis quæ modò dicta ſunt ab Ariſtotele & Auicenna de aqua vini diſtributionem promouente, id enim ſignificant Auicennæ verba antea propoſita, illa aduerſari videntur quæ ſcripſit Galenus libro primo de ſimplic. medicam. facultatibus cap. x x i x. vinum adminiculo eſſe aquæ, ac veluti alas illi ad omnes corporis partes permeandas addere, vnde fieri vt vinum cum aqua, aut aceto bibitum, efficacius ſitim extinguat. An dicendum, fieri vtrum quepoſſe, & aquam vino, & vinum aquæ mutuum præbere auxilium: aquam vino, modo ſubſtantiæ, hoc eſt attenuatione, & fluxibilitate: vinum aquæ, facultate, hoc eſt calore, & ſpiritu: ita vt & vinum per ſe, & aqua per ſe, minùs permeent, mixtim verò, magis. At Galenus videtur hanc reſponſionem tollere, qui ſcribit, non ſolum vinum miſceri aquæ, quia auxilio ſit ad omnes corporis partes permeandas; quod ad calorem, aut ſpiritus vini fortè referri poſſet: ſed manifeſtis verbis adiungit, id fieri ratione tenuitatis aquæ, ſcribens, ideo vinum aut acetum illi permiſceri, quia eandem promouet, cùm acetum, aut vinum, non ſint frigida, & humida, quibus duabus qualitatibus ſitis ſedatur: ita enim præſtare, ſola magis quàm cum aqua, eadem exhiberi: ſed quoniam illis admixta aqua, ob tenuitatem faciliùs diſtribuitur, & ab hypochondriis recedit: hic tamen locus ab interprete fuit aliqua parte corruptus: ex Galeni igitur verbis liquidò apparet, concedi non poſſe aquam præbere vino attenuationem: ſed contra potiùs vinum aquæ, ſicuti & acetum. An dicendum loqui Galenum eo loco, non de omnibus vini generibus: ſed de nonnullis, quæ tenuia ſicuti acetum ſunt, & quæ ad extinguendam ſitim, non ſecus ac acetum æſtatis tempore vino immiſcebantur? ἢ διότι ἐλάττω πίνεται. *An quod merum minus bibitur?* Altera ratio. Non re vera mixtum magis crapulam parit, quàm merum, ſi æquali menſura vtrumque hauriatur: ſed quoniam illius maiorem copiam aſſumimus; quippe poſſumus: non enim eandem vtriúſque poſſumus, fit vt ex frequentiori hauſtu immodicæ copiæ diluti, frequentior ſit crapula, quàm ex mero inſigni copia infrequentiùs aſſumpto. Cui rei illud præterea accedit, quòd ſi aſſumitur, vomitu reiicitur, quippe vehementia, acrimonia, & craſſitie ſua percellit, & ſubuertit ſtomachum: vnde vel non aſſumitur, vel aſſumptum euomitur. ἐπὴ συμπέπεψε τὰ λοιπὰ. *Ad hæc merum vt cætera concoquit.* Tertia & poſtrema ratio. Vinum quoniam facultate calidum eſt, tale enim illud, de quo accipi problema diximus, concoquit tum alia, tum etiam ſemetipſum; merito enim caliditatis concoctio fit: dilutum verò ſeu aquoſum, in quo nimirum maior eſt aquæ quàm vini portio, quia frigidum, id efficere non poteſt: ſed potiùs contrarium. Vbi verò coctio bene celebratur, ibi crapula locum habere non poteſt: iure

igitur

igitur in iis illà magis contingit qui mixtum,quàm qui merum bibunt.Pro συμπέπλει τὰ πολλὰ, quomodo habebat Basilienſis editio, ex Iuſtiniano repoſuimus συμπέπλει τὰ λοιπὰ.Hæc enim lectio viſa eſt magis congrua, & confirmatur tum ex verſione Theodori,tum ex problemate vigeſimo tertio.

IIII.

Διὰ τί τῶν οἰνοφλύγων τὸ σπέρμα, ἐ γόνιμον ὡς ὀπιπολύ; ἢ ὅτι ἡ κρᾶσις τῦ σώματος ὑγρὰ ἐστί; τὰ δ' ὑγρὰ σπέρματα ἐ γόνιμα, ἀλλὰ τὰ σωεστῶτα καὶ πάχος ἔχοντα.

Cur ſemen genitale ebrioſorum magna ex parte infœcundum? An quòd habitus corporis eorum præhumidus eſt, ſemen autem, non quod humidum, ſed quod conſtat, craſsúmque eſt, hoc vim obtinet procreandi.

Theodorus οἰνόφλυγες reddit ebrioſos, aptè equidem: qui vino nimirum dediti, eo ſæpius ſe ingurgitare, atque inebriari ſolent: οἰνόφλυξ enim apud Græcos eſt, qui propenſionem, & impetum ad vinum habet, φλύειν enim eſt, τὸ ὁρμὴν ἔχειν, vt quidem exponit Phauorinus: talis autem, ebrioſus apud Latinos, & vitium ebrioſitas: ebrij autem, qui & quo tempore vino repleti, mente lædantur: tales verò aliquando etiam, qui natura aut conſuetudine minimè ebrioſi ſunt. At de ebrioſis in præſentia loquitur Ariſtoteles: ebrios enim problemate XI. & XXIII. re venerea minimè vti poſſe; quod tamen cautè & moderatè accipiendum eſt,vt ibi dicemus. Ebrioſorum igitur ſemen eſſe infœcundum ſcribit etiam Plutarchus libro tertio ſympoſiac. quæſtione v. per hæc verba, quæ ad auctoris ſenſum meliùs & fideliùs exprimendum à Xilandri tralatione aliquantiſper diuersè reddere libuit. *Qui autem multum meri bibunt, languidi ſunt ad concubitus, & ratione gignendi nihil validum, aut bene temperatum proiiciunt: ſed ob prauitatem, & frigiditatem ſeminis euanidæ & imperfectæ ſunt eorum cum mulieribus conſuetudines.* Quod habemus enim apud Auicennam libro tertio fen XX I.capite octauo primi tractatus his verbis. *Et de genere quidem ſpermatis ex quo non fit generatio, eſt ſperma infantis, & patientis nauſeaticiam ſatietatem, & ebrij & ſenis.* Macrobium quid memorem quem ex Plut. adducto loco ea puto deſumpſiſſe? ſunt tamen hæc Illius verba 7. ſatur. *hauſto autem vino plurimo fiunt viri ad coitum pigriores quia vini nimietas & frigidi facit ſemẽ exile vel debile.* Dixit autem Ariſtoteles magna ex parte, ſeu vt plurimùm, quia inter ebrios, variis de cauſſis hac in re non exiguum poſſit eſſe diſcrimen. Primùm enim ipſi non æquè omnes ad vinum feruntur; præterea vario ſunt temperamento, tum aliæ ac aliæ temporum ac mulierum quibus miſcentur conditiones, multum ad hanc rem conferunt: vt fieri poſſit aliquando, adeò multas coire opportunitates,vt ſeminis malitiam vincant,eorúmque non irritum eſſe concubitum.Quemadmodum exempli gratiâ, vt dicit Aponenſis,ſi quiſpiam ſit naturâ admodum cholericus, ſeménque habeat maximè calidum & ſiccum, & ob hanc rationem ineptum ad procreandum: tale enim ſemen, per frigiditatem & humiditatem, quæ à vino introducuntur,quæque aliis qui diuerſo temperamento ſunt, generationem impediunt, vt mox apparebit, redactum per aliquod tempus ad mediocritatem ac temperiem, gignendæ proli fiet accommodatum. ἢ ὅτι ἡ κρᾶσις. *An quòd habitus corporis.* Cauſſam infœcunditatis dicit eſſe humiditatem temperaturæ corporis,quæ ob vini immodicum vſum contracta eſt,humidus enim habitus, humidáque vitia, ex vino licèt facultate ſicco, per accidens producuntur: cuius humiditatis ratione, ſemen & ipſum præhumidum fit; tale autem eſt, infœcundum: fœcundum autem eſt, quod eſt conſtans, & craſſitiem habet, non fluidum, & aquoſum, in quo ſpiritus exigui continentur, & qui facilè euaporant. Qua de re idem Ariſtoteles libro III. de hiſtor animalium cap.vltimo hæc habet; ἔστι γὰρ τὸ μὲν γόνιμον ἐν τῷ ὕδατι χωρεῖ κάτω· τὸ δ' ἄγονον διαχεῖται. *& fœcundum quidem in aqua deorſum ſecedit, infœcundum autem diffunditur*; Illud nimirum craſſius & corpulentius,hoc tenuius & magis aqueum. Eſt autem cauſſa corpulentiæ calor, vt habet eodem loco Ariſtoteles his verbis: ὑπὸ γὰρ τῦ θερμῦ πήγνυται, καὶ παχύνεται. *calore autem coit & craſſeſcit* humiditas autem tractu temporis, aſciſcit ſibi frigiditatem.Vnde & Plutarchum vidimus nõ in ſolam humiditatem,ſed in frigiditatem etiam infœcunditatis cauſſam reiecisſe: cuius frigiditatis licèt non meminerit expreſsè Ariſtoteles, appareat tamen eam intelligi; quando ex verbis modò adductis velit, calore ſemen craſſeſcere:quod igitur præhumidum ac tenue eſt,illud nequaquam calidum,ſed frigidum & crudum potiùs eſt, vt habemus iterum ab eodem Ariſtotele II. de generat. animalium

cap. 1 v. his verbis. Καὶ ἡ πεπτέρα τῆ ὑστέρας ἄρχον μᾶλλον τῆς πλείστοις, ἐλάττω δὲ ἔχει θερμότητα ψυχικὴν, διὰ τὴν ἀπεψίαν· τὸ δὲ πεπεμμένον πάχος ἔχει καὶ σεσωμάτωται μᾶλλον. *& prior quidem emissio plurimis minùs fœcunda quàm posterior, animalis enim caloris minùs continet ob cruditatem: quod autem est coctum, crassitiem habet, & magis est corpulentum.* Et quarto eorundem librorum cap. primo. Καὶ τὸ σπέρμα τὸ πεπεμμένον θερμώτερον· κιρτὸν μὲν τὸ σωματῶδες· γονιμώτερον δὲ τὸ σωματῶδες μᾶλλον. *& semen concoctum calidius est, tale autem quod spissum est, fœcundius autem quod spissius.*

V.

Διὰ τί οἱ οἰνόφλυγες τρέμουσι καὶ μᾶλλον, ὅσῳ ἂν ἀκρατοποτῶσιν; ἔστι μὲν οὖν, θερμαντικὸν· ὁ δὲ τρόμος γίνεται μάλιστα ἀπὸ ψυχροῦ· διὸ οἱ ῥιγῶντες μάλιστα τρέμουσι· πολλοῖς δ' ἤδη χρωμένοις μόνον ἀκράτῳ τροφῆς χάριν, τρόμοι ἰσχυροὶ συνέβησαν, ὥστε ἀπορρίπτειν τὰς φιλοβολίτας· καὶ τῷ θερμῷ ὕδατι λουόμενοι, ἀναισθήτως εἶχον· ἢ ὅτι γίνεται μὲν ὁ τρόμος διὰ κατάψυξιν; γίνεται δὲ καὶ ἡ περιεστηκυῖα ἐντὸς ὑπὸ θερμοῦ διὰ τὸ ἐντὸς ψύχος, οἷον ὑπὸ χειμῶνος· ἡ σβεννυμένη δὲ καὶ φύσιν θερμοῦ· σβεννυμένη μὲν, τῷ ἐναντίῳ, ἢ διὰ χρόνον, οἷον γήρως· ἢ τῇ τοῦ ἀλλοτρίᾳ θερμοῦ καταβολῇ, ὃ συμβαίνει τοῖς ἐν τῷ ἡλίῳ, ἢ πυρὶ καιομένῳ, συμβαίνει δὲ τοῦτο καὶ τοῖς τῷ ἀκράτῳ οἴνῳ χρωμένοις· ὧν δὲ θερμός τις, ὅταν καταπίνεται διαιρεῖται τῇ τοῦ σώματος οἰκείᾳ θερμότητι μιγνυμένου, ἀποσβεννυσιν αὐτὸ· σβεσθέντος δὲ καὶ τοῦ σώματος, συμβαίνει τοὺς τρόμους γίνεσθαι· ἔστι δὲ καὶ πάντα τὰ εἰρημένα, ἅλλον τρόπον καὶ ψύξεως. ἀπαιθείσης δὲ καὶ ὕλης, ἢ τὸ θερμὸν ἐκάστῳ τρέφει), συμβαίνει καὶ τὸ θερμὸν φθείρεσθαι· τοῦτο δὲ ὅτι μὲν τὸ ἀψυχον, δῆλον· ὅτι δὲ λύχνος δῆλον φανερόν· (τοῦτο δὲ ἐλαίου ἀναλωθέντος, συμβαίνει σβέννυσθαι τὸ φῶς) ὅτι δὲ τὸ ἔμψυχον, τό τε γήρας ταὐτὸ ποιεῖ τοῦτο, καὶ τὰ νόσων αἱ μακραὶ, καὶ συντηκτικαὶ· ἀναιρεμένης γὰρ ἢ λειπομένης τοῦ θερμοῦ τροφῆς, ἐπιλύειν αὐτὸ συμβαίνει· ὑγρὸν μὲν γὰρ τρέφει τὸ θερμὸν· τοῦτο δὲ τῷ τύχοντι, ἀλλὰ λείῳ καὶ πλείονι· διὸ τοῖς νοσεροῖς τὰς εἰρημένας νόσους, καὶ γηρεσβυτέροις, φθειρομένου τοῦ τοιούτου καὶ ἀλλοιουμένου, (ἀριμὸν γὰρ καὶ ἀνεπιτήδειον ἀντὶ λείου, καὶ λιπαροῦ γίνεται) συμβαίνει ἐπιλείπειν αὐτό. σημεῖον δὲ τοῦ εἰρημένων ἐστὶν αἱ γινομέναι βοηθείαι, τοῖς μαραινομένοις τὸν βίον ἐπιλείπουσιν· ὅτι γὰρ ἂν ὑπεισάξῃ τις αὐτοῖς τοῦ τροφωδῶν ὑγρῶν, γίνεται φέρεσθαι συμβαίνει· τὸ δὲ ὀπίσω αὐτῶν, ὡς τῇ τοῦ τοιούτου ἐπιλείψει γινομένης καὶ ἀναλύσεως· ἔοικε δὲ τοῖς ἀκρατοπότοις τοῦτο εἶναι αἴτιον· ὧν γὰρ θερμὸς ὁ οἶνος μὴ τὴν φύσιν ὑπαρχόσης θερμότητος, μᾶλλον ἀναλίσκει τὰ ἐν τῷ σώματι ὑπάρχοντα εὐφόδια τῷ οἰκείῳ θερμῷ· διὸ συμβαίνει τοὺς μὲν ὑδρωπικοὺς αὐτῶν γίνεσθαι· τοὺς δὲ, ῥευματικούς· τοὺς δὲ, εἰς τὰς χοιλίας· τά τε δὲ λοιπὰ ὑγρὰ αὐτοῖς, ἀριμέα ὄντα· καὶ τὰ εἰσόντα δι' ἀσθένειαν τοῦ οἰκείου θερμοῦ ἀπαλὰ ὄντα, καὶ παχύνεται· ἀσθενὲς δὲ ἔστι τὸ θερμὸν, τῷ τὴν ὕλην εἶναι τοιαύτην ἐν ᾗ ἔπι σώζεται), καθάπερ τὸ καλάμινον κῦρ. καὶ γὰρ τοῦτο διὰ τὴν τῆς ὕλης ἀσθένειαν, ἀσθενέστερον ὄντος τοῦ ξυλίνου.

Cur ebrioſi tremunt, & eo magis, quo liberaliùs merum hauſerint? Abſurdum enim id eſſe videri poteſt, quandoquidem vinum calefaciendi vim habeat, & tremor ex frigore præcipuè ſoleat prouenire: itaque qui rigent, maximè tremunt. Sed tamen multi cùm mero tantùm cibi gratiâ vterentur, tremores vehementes adeò exceperunt vt homines prementes reiicerent, & aqua perfuſi calida nihil ſentirent. An quòd tremor tum oritur, cùm corpus admodum friget: ſcilicet aut calore intus circumſiſtente ob externi frigoris violentiam, vt hyberno tempore fit: aut naturali calore extincto, quod fieri ſolet vel qualitate contraria, vel ætate, vel ſenectute, vel externi caloris exceſſu, quod iis ſanè accidit, qui vi Solis, aut ignis deuruntur. Igitur iis etiam idem obuenit, qui mero abutuntur. Vinũ enim calorifica ſua facultate amplificata plus quàm vires corporis patiantur, calorem propriũ corporis, ſe permiſcens extinguit: quo extincto, refrigeratóque corpore, accidit vt tremores oriantur. Quin etiam præter omnes refrigerandi modos, quos propoſuimus, ille quoque notatur, vt deleta materia, qua quiſque calor ſuſtentatur, & alitur, calor etiam ipſe deleatur. Quod lucerna inter res inanimatas demonſtrat, quippe quæ dempto oleo lumen amittere cogatur. Senectus verò in animatorum genere illud idem efficit, & morbus longus diutino conſumptu corpus in tabem redigens: alimento nanque deleto vel extenuato caloris, euenit vt calor etiam ipſe deficiat. Calor enim humore alitur, non tamen quolibet humore, ſed leni & copioſo. Quam ob rem tum

iis,qui à prædictis tenentur vitiis, tum ætate profectis, exoleſcente, alteraſcentéque tali humoris genere (fit enim pro leni & pingui, acre & ſiccum) euenit vt calor ipſe deficiat. Patent hæc argumento auxiliorum, quæ iis impendimus, qui ob marcorem è vita abeunt: fit enim vt eorum virtus vitietur, cùm aliquid nutrientis humoris inſtillatum eſt, vtpote cùm eiuſmodi humoris defectu reſolutio illa eueniat:Mero igitur hominibus deditis,cauſſæ id eſſe videtur. Vinum etenim calidum, corporis caliditati naturali coniunctum, efficacius porrò, quæ calor proprius ſibi ſubdita pro alimento obtinet, conſumit.Vnde fit vt alios ex his aqua intercus premat,alios fluxio,alios alia deiectio, & plæráque alia vitia eiuſdem alui exerceant. Nam & reliqui humores acerbi, ineptíque remanent: & qui liquidi extrinſecus aduenerunt, craſſari ob imbecillitatem caloris proprij nequeunt. Calor autem ipſe imbecillus propterea manet, quoniam materia,qua contineri adhuc poteſt, imbecilla eſt: quomodo ignis quem arundo reddiderit: hic enim propter materiæ imbecillitatem, infirmior eſt, quàm qui à ligno præſtatur.

Propoſita quæſtione,quod facere Ariſtotelem videmus aliquando, dubitationis rationem ponit eámque confirmat: Nam cùm illud quæſiuiſſet, cur ebrioſi tremerent, & eo magis, quo liberaliùs vinum hauſiſſent, (quo loco in Græco textu ex Iuſtiniani codice addidimus particulam ἢ, quam Theodorus agnoſcit,ſcribentes ἢ μᾶλλον) id ſanè non iniuria quæri oſtendit, cùm ebrioſi vino ſe ſe replere ſoleant, vinũ autem calefaciat; tremor contra à frigore potiſſimùm prouenire ſoleat: nam rigentes quos maximè refrigerari ſignificat maximè omnium tremunt. Porrò ſi quiſpiam tremere, & rigere idem eſſe dicat, ille meritò cum Platone coarguatur à Galeno, libro de tremore, palpitatione, conuulſione & rigore capite v 1. ſunt enim vt ibi dicit Galenus, qui tremunt,nullum frigiditatis ſenſum experientes,non tamen fieri poteſt, vt quis citra perfrictionis opinionem rigeat. Atqui illud non dicit Ariſtoteles: ſed quod dicit veriſſimum, rigentes tremere, eóque argumento aut ſigno, tremorem oriri à frigore confirmat: rigentes autem maximè refrigerari iam non oſtendit, notum quippe & receptum apud antiquiores; vt vel rigorem perfrictionem, vel prefrictionem validam, vel perfrictionem cum tremore definirent.Quorum ſententias quamquam refutat Galenus loco quem adduximus; perfrictionem tamen eſſe haud negat; & ſi à calida materia etiam ortum ducat aliquando, quod non inficiatur Ariſtoteles: qui à frigiditate præcipuè, non abſolutè & præcisè dixit: id verò Galeni ſententiæ omnino congruit: ſunt enim qui tremant vt modò ex illius verbis dicebamus, nullum frigiditatis ſenſum experientes. Tremor autem eodem libro capite 1 1 1. & libro 1 1. de ſymptomatum cauſſis capite ſecundo,propriè fit ex facultatis quæ corpus ſuſtinet, mouétque infirmitate. Corporis enim partes quia graues ſua natura ſunt, deorſum etiam ſua naturâ feruntur: at facultas quæ per neruos muſculis à principio tranſmittitur, illas ſuſtinet ac attollit: ac in valente quidem brachio,ne vel minimum quidem vincitur victus à pondere:ſed potentior membri deorſum nutu, ſuſtinet id, tantúmque in ſublime attollit, quantum illud deorſum trahit: in tremore verò inuita virtute, membrum ruit deorſum, quod cùm iterum eadem facultas attollere conetur; ſed languidè præ debilitate id agat,illud denuò præ pondere labitur. Inuicem igitur vincẽte, & victa potentia,mutuóque ſemper contrariis ſuccedentibus motibus,deorſum labente membro,ſurſum attollente virtute,tremor efficitur,ſeu tremulus ille motus ex duobus compoſitus. Hic igitur imbecillitatis effectus ſemper in omnibus trementibus eſt, quacúmque ex cauſſa ortum ducat. Ex frigore illum maximè eſſe ait hîc Ariſtoteles; & verò res ita habet: quin ad frigus omnino reducitur, licèt ſenſu non manifeſtè; caloris enim natiui inopia ea parte quæ tremit, contingit affectus: ita ſenes, ita timentes, ita quicúmque alij hoc affectu præhenduntur, quod etiam mox docet. Ariſtoteles ac liquidiùs problemate x x v 1. πολλοὶς δὲ ἤδη χρωμένοις μόνον ἀκράτῳ. *Sed tamen multi cum mero tantum.* Confirmat exemplis quod in proponenda quæſtione ſumpſerat, ex ebrietate oriri tremorem, magíſque ex illa quæ ex mero eſt. Multos enim extitiſſe narrat, qui mero ſolo alimenti gratiâ vſi, adeò validos tremores incurrerunt, vt homines prementes reiicerent, & aqua calida loti, nihil ſentirent. Quos autem dicit mero ſolo alimenti gratiâ vſos, fortaſſe intelligit canina appetentia detentos, quam ſolui à thorexi id eſt meri

potatione scripsit Hippocrates secundo aphorismorum xxi. sicuti sanè locum Galenus exponit: quod verò reddit Theodorus, vt homines prementes reiicerent, fortasse scriptum habuit θλίβοντας, sicuti reponit Iustinianus, vt existimo ex problemate xxvi. vbi eadem iteratur quæstio: Atqui φιλοβολίτας hoc loco exponunt nonnulli, potiùs ex sensu, & ex quodam etymo, seu ex compositione à βάλλω, & φίλος, vt existimo, quàm ex certa vocis significatione, quando nullum aliud afferatur exemplum, illos qui super amicum se coniiciunt officij gratiâ, vt corporis sui iniectu tremorem illum cohibeant: quem tremorem adeò magnum fuisse hoc loco dicit Aristoteles, vt ita affecti reiicerent à se amicos, nimirum vel quòd præ tremulis motibus non possent amici illi ita superiniecti permanere, & adhærere trementibus, sed repellerentur ob concussionem & vibrationem; vel quòd reiicerent à se eos maioris caloris procurandi gratiâ, vt balneum aquæ calidæ, cuius meminit statim; quo tamen perfusi & loti, nihil præ frigoris ac tremoris vehementia, dicit eos sensisse: hoc autem eodem sensu, θλίβοντας etiam, & meliùs accipi posse satis notum, & certum est. Henricus Stephanus suspectam habet vocem φιλοβολίτας, & Iustinianus ad marginem habet φλεβολίτας, hæc tamen vox & ipsa mihi ignota. Antiquus interpres vertit, proiiciunt vestes. Vnde suspicio subit, forsitan legisse ἀμφιβολίτας, aut ἀμφιβλίμαστας: quæ vox haud inusitata· ἢ ὅτι γίνεται μὲν ὁ τρόμος διὰ κατάψυξιν. *An quòd tremor tum oritur, cùm corpus maximè friget.* Solutionem quæstionis pluribus persequitur, sicuti etiam problemate xxvi. Vult autem ex vino ideo oriri tremorem, quia tremor oritur ex frigore, vinum autem frigus parit. Hoc postremum vt probet, docet quot modis in corpore nostro frigus progignatur, seu calidum corrumpatur, vt quo ex illis vinum refrigeret, deinde doceat; quam rem facit etiam problemate xxvi. etsi cum aliqua diuersitate vt ostẽdemus. Hoc igitur loco videtur proponere quatuor modos. Primus, cùm ob externum aëris frigus, calor natiuus qui intus est, circumsistit, & obsidet partes illas interiores, nec foras prodit, vbi viget hostis, vt hyeme accidit. Quo casu partes exteriores frigent. Secundus qui diuiditur in duos; quia hic idem natiuus calor extinguitur: extinguitur enim vel à contrario, qui sit secundus modus, vt in senectute ob temporis progressum: vel ob externi caloris excessum, sicuti illis contingit qui aut Sole, aut igne vruntur, qui tertius: quartum adiicit paullò post nonnullis interpositis. Porrò hi modi quibus calor, aut ignis corrumpitur, tanguntur etiam ab Aristotele problemate xxvii. huius sectionis, & in libro de iuuentute, senect. vita, & morte. Atque etiam à Galeno libro de morborum caussis capite tertio, qui loci quoniam faciunt ad hanc doctrinam, eámque maximè illustrare possunt, sunt etiam à nobis proponendi & excutiendi: Verùm quia præter iam dictos modos, alius adhuc vt dicebamus hoc eodem problemate mox proponitur, præstat, quæ interposita sunt enarrare, tum loca discutere. συμβαίνει δὴ τοῦτο καὶ τοῖς τοῦ ἀκράτου οἴνου χρωμένοις. *Igitur ijs etiam idem obuenit, qui mero abutuntur.* Modum vnum ostendit quo à vino corpus refrigeratur, qui fuit postremùm positus, nimirum ob externi caloris excessum; nam cùm vinum calidum sit, vbi corporis propriæ & innatæ caliditati inmixtum, facultate sua corporis caliditatem superat, eundem extinguit: extincto autem, refrigeratóque corpore, ob debilitatem succedentem tremores, fiunt. ἔστι δὲ καὶ πάντα τὰ εἰρημένα ἄλλου τρόπου καταψύξεως. *Quin & præter omnes refrigerandi modos quos præposuimus.* Secuti sumus hoc loco Theodori & Antiqui interpretis lectionem, ea supplentes quibus vulgati Græci codices carebant, quæ habuimus ex margine Iustiniani, nimirum propositionem καὶ ante πάντα, & illa ἄλλου τρόπου καταψύξεως. Continent autem hæc alium, atque quartum corruptionis caloris modum, quem cur in hunc locum, illis interpositis reiiceret, non sanè afferam caussam, cùm præsertim eundem etiam velit in meri immoderato vsu locum habere, sicuti illum alium quem dixit ante. Est verò hic vltimus modus, cùm ablata seu absumpta materia, quæ pabulum & nutrimentum caloris, aut ignis est, ille deficit & emoritur: hunc autem modum pluribus persequitur, & exemplis illustrat, tum in inanimatis tum in animatis, quæ distinctiùs paullò post considerabimus: nunc enim considerandi sunt omnes modi quibus calorem corrumpi dictum est, & loci quos indicauimus proponendi, & conferendi, discrepare enim aliquâ adinuicem videntur, & aliquâ scrupulum facere. Igitur quæ de modis corruptionis caloris proponit Aristoteles hoc problemate, illa superiùs allata sunt, quæ autem problemate xxvi. ita habent. *Corrumpitur autem calor aut marcore aut extinctione; extinctione quidem à contrariis, hoc est frigido atque humido: marcore autem vel indigentia nutrimenti, vt lucerna cùm fomite aut oleo caret: vel ab alieno calore, vt ignis in Sole, & lucerna apud ignem.* Mox autem cùm modum proponit quo in ebriosis deficit calor, hunc postremum affert, ab alieno excedenti calore, qui etiam in præsentia propositus est. In libro porrò de iuuentute,

ſenectute,vita & morte,cùm hos eoſdem modos tangit,tum etiam diſtinctiùs cauſſam tradit per hæc verba. *At verò ignis duas eſſe corruptiones videmus : marcorem & extinctionem. Appellamus autem eam quæ à ſe ipſo eſt marcorem, quæ verò à contrariis extinctionem,& illam quidem à ſenectute, hanc autem violentam,vtrámque tamen corruptionem eâdem de cauſſa fieri accidit,deficiente enim alimento, quòd non poſsit calor illud accipere, corrumpitur ignis. Contrarium ſanè coctionem ceſſare faciens, quo minùs nutriatur prohibet : quando autem contingit vt marceſcat,* [id fit] *quoniam ampliore calore collecto, non poteſt reſpirare, nec refrigerari : ita enim collectus plurimus calor abſumit alimentum, & præoccupans abſumere antequam reſpiratio inſiſtat : quocirca non ſolùm minor ignis marceſcit maiori igni appoſitus : ſed & ipſa per ſe lucernæ flamma maiori flammæ indita aduritur, ſicuti quodcúmque aliud cremabile. Cauſſa autem eſt, quoniam alimentum quod in flamma ineſt, præoccupat arripere flamma maior, antequam aliud adueniat.* Hæc nos ita conuertimus, rudi ſanè & pingui minerua, at fideliter. Nam Vatabli verſionem etſi verbis elegantem, non omnino approbabam; illa enim ὑπολειπόσης γὰρ τῆς τροφῆς ἡ δύναμις λαμβάνειν τὸ θερμὸν τὸν τροφὸν, φθορὰ γίνεται τοῦ πυρός, ita vertere videtur, tamquam ſint declaratio vnius ex modis dictis, quibus calor corrumpitur : ad quem finem vt puto peruertit ſignificationem particulæ γὰρ, quam reddit, *nam*, quæ vertenda iuxta propriam ſignificationem, *ſanè*, aut *equidem*, aut ſimili modo. His autem verbis Ariſtoteles modum ſeu potiùs cauſſam communem proponit, quo ignis deficiat, & ad quam cæteras reducit;nimirum defectum nutrimenti : explicat deinde quomodo vtérque ex dictis modis, ſeu per contrarium fiat, ſeu per exceſſum caloris reducatur ad defectum. Nam contrarium cuius merito fit extinctio (& eſt alter ex duobus modis propoſitus) intercipiens coctionem, tollit nutrimentum; nutritio enim non fit niſi præcedente coctione (in inanimatis autem coctio ſit præparatio illa, aut diſpoſitio quæ præcedit.) Quando autem ob exceſſum caloris marcor contingit, qui erat prior ex duobus modis propoſitus, accidit id quoque ob alimenti defectum; nam maior flamma abſumit identidem cibum minoris, antequam minor poſſit illum accipere, quod habemus, etiam ab eodem Ariſtotele ſcriptum in libro, de longitudine & breuitate vitæ capite III. & v. Cùm porrò deficit ignis quia nullo pacto apponatur materia, ſeu nutrimentum, ex defectu eſſe non ſit ſanè cur dicat hoc loco Ariſtoteles : neque enim hunc marcoris modum nominatim propoſuit hoc loco; dixit tamen quo illum nominauit problemate XXVI.Igitur conſona ſunt his,verba problematis XXVI. duobus modis corrumpi calorem, extinctione aut marcore, qui ex marcore in duos rurſus diuiditur, ob defectum nutrimenti, & ob excellens calidum alienum : quæ diuiſio licèt non ita expreſsè ponatur in libello adducto de longitudine, & breuitate vitæ, habetur tamen manifeſtè ex verbis vt nos ea conuertimus:eo tamen in loco omnes modi reducuntur ad vnum, ſcilicet ad nutrimenti defectum : vt patuit; quod non habuimus in problemate XXVI. Hoc autem problemate v. quædam euariare videntur; nam cùm duos modos propoſitos, tum in libello de iuuentute, tum problemate XXVI.nimirum & ab extinctione,& à marcore,hîc etiam proponat; licèt marcorem, haud nominet, qui tamen eſt ſecundus modus ſecundi membri hoc loco propoſiti, ſcilicet ob exceſſum alterius caloris; primus ille modus quo dicitur frigere corpus, aut deficere calorem ob frigoris externi vim, reſidente nimirum proprio calore in partibus internis, circumſiſtentéque, nec foras prodeunte; non ponitur tamquam diſtinctum membrum,aut problemate XXVI.aut in libello de iuuẽtute:nec ſanè vt videre videor,diſtinguitur ab eo quem ſtatim proponit eſſe ab extinctione à contrario: quia enim natiuus calor magna ex parte intus reſidet,exiguus in exterioribus relictus, cùm non poſſit ambientis frigori reſiſtere; ſuperatur, imminuitur, & extinguitur, & inde frigus ea in parte,atque tremor oritur,quod etiam apparet ex problemate XXVI.Præterea qui mox ſeorſim proponitur alius refrigerandi modus, quem fecimus quartum, ob materiæ ablationem, ſeu abſumptionem, quomodo non compræhendatur in ſecundo modo alterius membri, qui dictus eſt ob extinctionem ab excedente alio calore, ſicuti manifeſtè compræhendi patuit in libro de iuuentute, & problemate XXVI.dicitúrque his locis per marcorem? qui marcor etſi in præſentia haud nominetur, illum tamen intelligi patet ipſo ſenectutis exemplo quod proponitur : ad marcorem enim referri etiam ſenectutem vult problemate XXVI.qua in re, ſeu quo in exemplo illud etiam difficultatis emergit, quod paullò ante, cùm primum extinctionis aut corruptionis modum proponeret, ad extinctionem à contrario videtur eam retuliſſe; Niſi quòd ad id quidem pertinet, dicamus, ſenectutem conſiderari quodammodo poſſe, & tamquam rem refrigerantem, ac ex qua frigus in corpus inducatur,etiam abſque conſideratione materiæ abſumptæ, & tamquam exſiccantem, atque ideo vtrobique locum habere poſſe; meliùs tamen & propriè ad marcorem referri.

Iam

Iam illud ſola ex voce difficultatem non faciat,quòd hoc problemate ebrioſos ideo frigeſcere ac tremere dicit,quia vinum extinguit, & refrigerat calorem proprium, problemate autem xxvii.ex marcore, qui modus ex aduerſo videtur diſtingui ab extinctione, re enim idem dicit Ariſtoteles, quamquam vtitur verbo ὑποσβέννυσι, hoc eſt, *extinguit*, quo etiam vſus eſt hoc eodem problemate paullò ante,cùm alterum membrum propoſuit illi oppoſitum,quod dicitur ab extinctione: res enim eadem manifeſtè proponi videtur, quamquam vocem vſurpat magis particularem, loco generalioris quam intelligit: idem enim hoc loco extingui ac corrumpi, quod pro genere antea poſuit. Illud fortaſsè maiorem poſſit iniicere ſcrupulum, quòd hoc problemate duos modos videtur proponere, quibus à vino refrigeretur corpus calido corrupto: nam primùm dicit id fieri externi caloris exceſſu; permixtum enim vinum calori noſtri corporis, illum ratione maioris caliditatis extinguere; tum propoſito alio modo corruptionis eiuſdem caloris per materiæ ſeu alimenti abſumptionem, hoc etiam modo à vino corrumpi calorem noſtri corporis, & corpus refrigerari dicit: duobus itaque modis à vino nos frigeſcere; vtérque autem modus problemate xxvi. dicitur per marcorem:at eodem problemate xxvi. quod auget difficultatem diſertè affirmat,in ebrioſis corrumpi quidem calorem ratione marcoris, non tamen ſicuti in ſenibus, in quibus id contingit defectu alimenti; ſed modo illo tertio, quia ob exceſſum caloris aduentitij,innatus calor aut extinguitur,aut debilitatur, & ex debilitate tremor fit, vnus igitur tantùm eſt modus, íſque iam non ob defectum nutrimenti, aut materiæ videatur in problemate xxvi. ſed potiùs ob debilitatem agentis, quæ fiat ob externi caloris exceſſum debilitatem inducentis; hoc autem problemate duo modi proponi videntur, ſcilicet ob externi caloris exceſſum, qui proprium extinguit,& ob materiei aut alimenti abſumptionem. Dicimus problemate xxvi. haud negare Ariſtotelem corrumpi calorem ob defectum alimenti, quinimo affirmare potiùs:ſed negare corrumpi ob defectum alimenti eo modo quo in ſenibus; in illis enim id fit propter ſiccitatem, vt docuit; non ita in ebrioſis, cauſſa autem vtrobíque allata eadem eſt: nimirum innati caloris debilitas ſeu refrigeratio: ratio autem vel cauſſa, ſeu etiam modus huius debilitatis ſiue refrigerationis, adhuc vel proximiùs conſideratur,& dicitur eſſe defectum alimenti, tum hoc problemate loco ſecundo, tum etiam problemate xxvi. non tamen ſicut in ſenibus,vt admonuit eodem xxvi.vel non conſideratur ita proximè, & dicitur cauſſam debilitatis caloris innati eſſe quia excedens calor externus ſuperando extinguit innatum. Porrò autem ſi quæratur hæc victoria externi aduersùs innatum, quomodo illum corrumpat aut debilitet, iam reſpondeamus quia aufert nutrimentum; atque ita eodem reuoluimur. Vna igitur cauſſa eſt proxima, quæ vtróque problemate affertur, etſi modus quidam alter, qui remotiorem cauſſam continet, hoc problemate videtur proponi. Hæc quamquam non incommodè adducta apparere poſſint, non ſilebo tamen quod in mentem venit: fortaſſe corruptum eſſe locum ad illa verba quæ refrigerationis modum poſtremò adductum continent, quæ nos ex Iuſtiniano appoſuimus: in Baſilienſi namque editione lacuna eſt, & deſunt omnia illa verba, quæ eum eſſe alium modum,& à priori diuerſum exprimunt. Theodorus quidem videtur legiſſe vt nos edidimus, at ſunt qui legant locum abſque particula ὡσῤῥὴ ante πάντα,& ἄλλον τρόπον καταψύξεως, quarto caſu,non primo, vt Iuſtinianus: ex qua varietate ſuborta eſt ſuſpicio, fortaſſe abundare verba illa quæ & nos edidimus, & habet Theodorus: atque ab Ariſtotele ita continuari ſententiam, vt nouus haud proponatur modus, ſed explicetur qui propoſitus erat, & ille idem qui dictus eſt eſſe ab externi caloris exceſſum, reducatur ad nutrimenti defectum, quæ cauſſa proponitur problemate x x v i. quam rem facilè iudicabit qui verba vtráque appendet, tum paullò ante prolata, dum modum explicaret,quo dicitur fieri ab exceſſu caloris, tum poſtea cùm ad defectum eundem reducit, ac vel minimùm locum immutare neceſſe erit. Atque hæc quidem nimiùm multis mihi videor perſecutus, quibus tamen vt ſubiiciam quæ Galenus de hac materia ſcripta reliquit, quando iam antea citatus eſt locus,neceſſarium arbitror,nec fuerit abſque aliquo operæpretio,nam & perſpicua admodum ſunt,& Ariſtotelis verba admodum illuſtrant,ita verò habent Leonicero interprete. *Calidæ quidem ægritudinis in vniuerſum diximus cauſſas, nunc ad frigidam veniamus. Sunt verò & huius plures numero cauſſæ,veluti refrigerantium propinquitas, & ciborum, potuúmq; quantitas, ac qualitas, ſtipatióque ac rarefactio, ac præterea ocium,& immodicus motus. Quibus etiam occaſionibus ignis extinguitur. Nam ſi paruo carboni multum niuis aut glaciei ſuperimponas,aut plurimam aquam ſuperinfundas,continuò extinguitur. Sic vbi circunſtans aer ſit præter modum frigidus, veluti hyberno tempore iuxta Hiſtrum, non ſolùm lucernam ſub dio poſitam, ſed & quemcumque exiguum ignẽ videbis protinus extingui. Hoc quidem modo ignis à rerum prægelidarum*

contactu ſuperatur. Ab iis autem quæ natura apta ſunt vt ipſum enutriant, ob exceſſum vel defectum, vel ob alienam qualitatem hoc pacto corrumpitur. Si enim ligna vniuerſim, & multa ſupra paruam coaceruaueris flammam, ob immodicæ quantitatis exceſſum ipſam extingues. Quòd ſi nihil omnino, aut parum admodum adieceris, ob defectum aut paucitatem alimenti videbis continuò marceſcere. Sic & lucernæ flammam comminui, atque in periculo eſſe, ne prope extinguatur inſpicimus, vbi nutrimenti proprij modus non ſeruetur. Siue enim oleum liberaliter non adhibueris, aut multum vniuerſum ſuperinfundas, vtroq; offendes modo. Quòd ſi largam quidem exhibueris materiam, ſed quæ vel nullo modo apta ſit vt ardeat, vel cum magna difficultate incendium ſuſcipiat, hanc etiam ſtatim minorem efficias. Veluti ſi oleum aquæ commixtum ſupra ignem conieceris. Si etiam qui flammæ circunfunditur aërem ſtipaueris, aut nimiùm rarefeceris, ſic quoque flammam decreſcere ac periclitari, ne penitus extinguatur, inſpicias. Stipatur autem ſi cucurbitam qua medici vtuntur, vel furnulum, aut tale aliquod aliud circmponas. Quod etiam continget, ſi fornacum foramina clauſeris. Quòd ſi in multo Sole & calido, & aprico loco, aut ad alteram maiorem flammam admoueris, tunc quoque minorem flammam marceſcere videbis: quoniam exterior flamma, vt quæ præpotentior ſit, elaxat atque diſpergit minorem. Neque verò in obſcuro eſt, quòd ſi eas flabellans, hoc eſt mouens, ſi quidem modicè hoc feceris, augebis: ſi verò immodicè, diſſolues ac diſſipabis. Sic etiam ventos magnitudini flammæ reſpondere opertet, ſi quid eius augumento conferre debuerit: qui verò maiores ſunt, quàm illa queat ſuſtinere, diſpergent, non flabellabunt. Ex quo manifeſtum fit, quòd flamma quidem ad ſui incrementũ, motu eget aduentitio, non tamẽ immodico. Si enim nullo modo flabellatur elanguet: vehementiore autem motu extrinſecus vrgente diſſoluitur ac diſſipatur. Hæc Galenus, *καὶ τὸν νόσον αἱ μακραὶ, καὶ σωτηκτικαί. Et morbus longus diutino conſumptu corpus in tabem redigens.* Non bene vt puto reddit Theodorus, qui ſolos lõgos morbos exprimit, & vt intelligamus facit: cùm etiã colliquantes qui breui tẽpore corrumpunt calorem, ſicuti lethales quidã alui fluxus, febres ardentes, & quæ colliquatiuæ propriè à medicis dicuntur, ab Ariſtotele ſimul ſignificentur; cuius verba ita ſonant. *Et ex morbis, longi, & colliquantes.* Diuidere igitur ſententiam oportet. *ἀναιρεμένης γὰρ ἢ λειπυνομένης τῆς ὑγρᾶς τροφῆς. alimento nãque deleto vel extenuato caloris.* Oſtẽdit, quòd ablationem, defectum & abſumptionem nutrimenti, aut etiam extinctionem caloris dixit, nõ præcisè accipiendum de toto, ſed de parte: ac illis nominibus imminutionẽ etiam nobis intelligendã, *ὑγρῷ μὲν γὰρ τρέφεται τὸ θερμὸν. Calor enim humore alitur.* Oſtendit quomodo minuatur tũ in ſenibus, tum in morbis, qui dicti ſunt, atque tandẽ deficiat calor natiuus: nã cùm hic nutriatur humido, vt vulgatũ apud medicos & Philoſophos eſt, non tamen humidũ quâlibet copia, & cuicuimodi qualitate eſt aptum nutrimentũ, ſed tum proportionata quantitate, ac menſura, tũ apta qualitate ac genere; ſicuti hoc loco ſequitur ad oſtendendũ, & non paucis etiã explicat libro de longitudine & breuitate vitæ cap. v. vbi ſimiliter docet, humidũ hoc quo calor nutritur, tale eſſe debere quod non facilè ſicceſcat: atque etiam non exiguũ: tale autem eſt primigenium, & quod ab ortu naturæ nobis inſitum eſt: quamquam non in omni animãte, nec in ſingulis eodem modo. Quod verò ex ingeſto cibo identidem reficitur humidum, nõ tale eſt, nam pro leni, & pingui, vt hîc dicitur, acre & ſquallidum fit; nec ea copia refici aut augeri poteſt, qua antea erat; ſed aſſiduè aliquid deperdatur neceſſe eſt: alioquin enim immortale fieri poſſet animal, vt habemus, à Galeno tum in lib. primo de tuenda valetudine, tum in libro de Marcore. Depaſcente igitur ſubinde calore, humidum tum copia imminuitur, tum quod reſtituitur, alteratur, & deterius fit; vnde corruptio tandem ſequitur; in ſenectute quidem longioris temporis tractu ſi nihil interueniat, quod acceleret: breuioris verò ſi quidpiam tale contingat, cuiuſmodi ſunt morbi dicti, & vini immoderatus hauſtus, de quo propoſitum eſt problema. *ὅτι γὰρ ἂν ἀπισάξῃ τις αὐτοῖς τῶν τροφωδῶν ὑγρῶν, παρσαναφέρεται συμβαίνει. Fit enim vt eorum virtus vitietur, cùm aliquid nutrientis humoris inſtillatum eſt.* Non aſſequor quid voluerit Theodorus ſignificare verbo, *vitietur*, nec ab eo partem hanc bene fuiſſe redditam exiſtimo: nam nec exprimuntur Græca, vt quidem ea nos in excuſis habemus, & quod magis moleſtum eſt, non ſunt congrua ſententiæ verba, ſed contraria potiùs. Quomodo enim inſtillato aliquo nutritio humore, aut alimentario humido iis, qui ob marcorem è vita abeunt, contingit vt eorum virtus vitietur? idque per hunc modum illius reſolutionis ſignum eſt, quæ proponitur? An legendum in Latinis Theodori codicibus *virtus reſtauretur, aut, recreetur?* ita enim congrua ſententiæ verba: at quomodo conſentanea Græcis? Voci enim, *virtus*, quæ Græca reſpondet? at fuerit addita à Theodoro ſenſus gratia, vt ſit eorum virtutem reſtaurari, quod Græcè dicitur παρσαναφέρεται id eſt illos denuò referri & reſtitui: verba profectò illa *τὸ ἧπτικὸν αὐτῶν*, quibus à Theodoro exprimuntur? Equidem hæc ab eo non agnoſci video. Quis enim fortè putet illa ab eo exprimi per vocem, *virtus*, quæ præceſſit? quod ideo dico quoniam ſi recipienda hæc

sunt,quibus caruisse existimo exemplar quo Theodorus vsus est, attexenda putem præcedentibus, & interpunctionem post vocem συμβαίνῃ, minimè collocandam, vt sit προσαναφέρεσθαι συμβαίνῃ τὸ ὀπτικὸν, deleto ἢ, quomodo locum accipere videtur Theodorus. Quid tamen in præsentia ὀπτικὸν? sanè antiquus interpres, & ex eo Aponensis reddit & intelligit, *aspectum*;cùm tamen vox illa propriè,*visiũ* aut *per spectiuũ*,seu vim habens videndi denotet,vt dicimus neruos opticos.Existimaui aliquando legendũ ὀπτικὸν per *n*,quæ vox sensu torrendi haud ignota omnino est; sed agendi potiùs quàm patiendi significatione,cùm hîc patiendi magis requiri videatur:sed & Henr.Stephanus ὀπτητικὸς potiùs dicendum putat.Cogitabam etiam fortasse legendum ὀπτὸν,aut ὄπταvον,nimirum *assum*,id est,*exsiccatum*,hoc sensu. Argumẽto est ob humidi defectum & exsiccationẽ dissolutionem & interitum illum gigni, quũ instillatis humidis alimentariis, restauretur quod erat assum & exsiccatum, & restituantur ęgroti:quo eodem sensu,licet etiam accipere ὀπτικὸν,si *aspectum* interpretemur,hoc modo:argumento est ob humidi defectũ & exsiccationem gigni interitum illum, quando instillato humido alimentario, aspectus eorum restauretur, reficiatúrque. Animaduertendum autem est, licèt ὀπτικὸν interpretemur *aspectum*, sicuti facit antiquus interpres, non tamen attexendam eam vocem subsequentibus proximè ante τὸ ἢ collocata interpunctione, sicuti etiam dicebamus paullò ante;neque referendum ad verbum ἐοικέναι quod sequitur,vt similitudo dicatur de ipso aspectu, ad id quod ex dissolutione ob defectum humoris rale est: iam enim hoc non est illi simili, sed idem; quod dicitur ab Aristotele: eóque modo collocata interpunctione, particula ἢ post ἔοικε quem habebit locum? Igitur ante ἔοικε interpungendum, quod facit Theodorus, & iuxta eundem Theodorum, ἔοικε conuertendum est *videtur*, hoc scilicet sensu. Hæc igitur caussa iis similiter est, qui mero nimio vtuntur: quam rem sequitur ad ostendendum, docens calorem extraneum additum calori natiuo, viatica promptiùs insumere; totus igitur locus, iis qui Græcè nesciunt ita per nos pingui minerua conuertatur. *Signum autem dictorum auxilia sunt,quæ illis adhibentur,qui ob marcorem è vita abeunt; si enim quispiam instillet ipsis nutritia humida, denuò refici contingit quod in ipsis erat exsiccatum.* Aut iuxta alteram interpretationem, *aspectum ipsorum, tamquam talis humoris defectu facta resolutione. Videtur igitur ijs qui merum bibunt, hanc esse caussam: vinum enim cùm sit calidum:* Et reliqua. διὸ συμβαίνῃ τὰς μὲ ὑδροπικὰς αὐτῶν γίνεσθαι. *Vnde fit vt alios ex his aqua intercus premat.* Ex dictis infert ac enumerat nonnullos morbos, qui ex primogenij humidi defectu natiui caloris corruptione,alieni verò & adscititij abundantia oriuntur. Sunt autem hi, aqua intercus, distillationis & ventris fluxiones: hydropem enim seu aquam intercutem ab hepatis frigiditate, sicuti destillationes à capite in thoracem, seu ad alias partes ab eiusdem capitis frigiditate magnam partem pendere, notum apud medicos est: fluxiones itidem alui fieri quoties crudi succi ad eas partes decumbunt. Quod igitur Theodorus vertit, *fluxio*, distillationes sunt quas diximus,& quod *alia deiectio*, ventris fluxiones, quo nomine tum ventriculi, tum inferioris alui ratione excitati fluxus comprænduntur:illa porrò,*& pleráque alia vitia eiusdem alui*, à Theodoro de suo addita sunt, non enim exstant apud Aristotelem in nostris quidem exemplaribus. τά τε γὲ λοιπὰ ὑγρὰ αὐτοῖς δρυμέα. *Nam & reliqui humores acerbi, ineptíque remanent.* Ostendit quomodo ob natiui caloris inopiam, ex meri liberaliori hausto prouenientem, prædicti morbi contingant. Iis enim quibus à vini calore nimio innatum humidum maximè absumptum est, humores qui adhuc sunt reliqui, nonnullos enim adhuc esse necesse est,aliter enim vita non constaret,illi sunt δρυμὲς vt etiam appellauit paullò ante, hoc est *squallidi*, *subtiles*,& *sicci*, minimè lenes & pingues, & qui extrinsecus aduenerunt, hoc est, per cibum & potum, molles, liquidi & fluidi qui sunt, ob caloris innati debilitatem non possunt cogi & incrassari; non enim vt par esset concoquuntur, cuius coctionis beneficio, crassities ipsis pararetur. Ex quo fit vt facilè ad varias partes fluant, & prædictos morbos gignant. In hydrope enim fluentes ad pedes, eos in tumorem attollunt, sicuti etiam ventrem, & alias partes ad quas decumbunt. ἀσθενὲς δὲ ἔστι τὸ θερμὸν. *calor autem ipse imbecillis propterea manet.*Caussam affert debilitatis caloris qui in corpore remanet,& seruatur donec penitus extinctus sit: id autem fieri dicit ex debilitate materiæ qua nutritur, nimirum ipsius humidi: nam cùm assiduè alteretur, vt paullò ante dixit, deterius & debilius fit, quàm esset ab ortu naturæ. τῷ τὴν ὕλλην εἶ τοιαύτὴν ἐν ᾧ. *Quoniam materia quæ contineri adhuc potest imbecilla est.* Ad verbum. *Quoniam materia in qua adhuc seruatur, talis est.* Sequitur autem ad ostendendum hanc debilitatem etiam à similitudine, sumpta à re congenere, nimirum ab igne: nam cùm subinde calor eorum qui se vino ingurgitant imminuatur, qui in eis reliquus adhuc seruatur, non enim totus illico absumitur,illè similis est igni

ex arundine accenſo, hic enim ob raritatem ac tenuitatem materiæ ex qua ortum habet, debilior eſt, quàm qui ex craſſiori, firmiori, & magis compacta materia, vt eſt lignum, accenditur. καλάμινον autem non ἀπὸ τ῀ καλάμης, quod ſtipulam ſignificat, ſed ἀπὸ τ῀ καλάμου, quod arundinem, deriuatum eſſe auctor eſt Petrus Victorius variarum lectionum libro XXXIII. capite primo. Atqui ad ſenſum, hoc quidem non illo melius eſt.

V I.

Διὰ τί οἱ μεθύοντες, θερμοῦ ὄντος τ῀ οἴνου, δύσειροί εἰσι, τ῀ τάχυστα ὑπὸ πλευρίτιδος ἁλίσκεσθαι, & τῶν γιγνομένων νόσων; ἢ ὅτι τὸ πολὺ ὑγρὸν, ἐὰν ψυχθῇ, πολὺ ψυχρὸν γίνεται, ὥστε κρατεῖν τ῀ φυσικ῀ς θερμότητος; πάντα δὲ τὰ ὑγρότερα, θερμότερά ἐστι τῇ φύσιν· σημεῖον δὲ τὸ μὴ θερμαίνεσθαι μᾶλλον τοῖς ἐκτὸς, ὑγραίνεσθαι δὲ μᾶλλον· ἔστι δὲ καὶ ἧττον ἔστι θερμὰ, τ῀ ἀπολείπειν, δῆλον ὅτι θᾶττον ἀυξάνει ἡ θερμότης ἢ ὑγρότης· ὥστε λειφθέντων ψυχρῶν ὑγρῶν, εἰκότως ῥιγοῦσί τε μᾶλλον οἱ μεθύοντες, & τὰ τ῀ ῥίγους ἴσα πάσχουσι πάθη.

Cur vinolenti, cùm vinum calidum ſit, rigere tamen ſolent, citiſſiméq; laterum dolore, cæteriſq; huiuſcemodi vitiis excipiũtur? An quòd multum humidum, cùm refrigeratum eſt, in multum frigidum ſe cõuertit, ita vt calorem ſuperet naturalem: quę autem ſunt humidiora, eadem omnia naturæ calidiora occurrunt. Argumentũ quòd rebus externis caleſcimus, non humeſcimus. Verùm ſi minùs calida, quàm humida ſint, accidet profectò vt ſuam caliditatem potiùs quàm humiditatem amittant. Humore igitur frigido remanente, non ſine cauſſa vinolenti ampliùs rigent, & vitia rigoris propria patiuntur.

Iterat problema primum, pro cuius diſſolutione cùm multa rurſus adducantur, quæ antea allata ſunt, nonnulla ad finem proponuntur quæ ſolutionem clariorem efficiunt. Nos autem quæ antea explicata ſunt omittentes, reliqua explicabimus. πάντα δὲ τὰ ὑγρότερα θερμότερά ἐστι τῇ φύσιν. *Quæ autem ſunt humidiora, eadem etiam naturæ calidiora occurrunt.* In facilibus verbis locus valde difficilis: & quî ſi ita legatur, nullam ſanè, quam ego quidem videam, aptam ſententiam ad propoſitam rem contineat. Mirè autem in eo reddẽdo lapſus eſt Theodorus, quippe qui ſenſum nulla-tenus percepit. Primùm igitur ſciendum eſt, Iuſtinianum pro θερμότερα repoſuiſſe ψυχρότερα: quod ideo propono, non quòd ea lectio mihi ſatisfaciat, aut ſcrupulum de animo tollat, ſed partim vt cogitandi præbeam occaſionem, partim vt mendi ſuſpicionem cõfirmem; locum autem legi ita poſſe putem, πάντα δὲ ὑγρότερα ἢ θερμότερά ἐστι τῇ φύσιν. aut, πάντα δὲ ταῦτα ὑγρότερα: ſeu, τοιαῦτα, ſi modò articulus τὰ non omnino ſenſum quem dico, exprimere poſſe videtur; atque ita conuertemus. *Omnia autem hæc humidiora quàm calidiora ſunt.* Hoc autem modo difficile non erit, ſententiam ad propoſitam rem accommodare. Propoſitum enim eſt Ariſtoteli, oſtendere vinum relicta caliditate quam habet, frigiditatem inducere, vnde conſentaneum ſit, affectus illos frigidos oriri. Ait igitur quod hæc ſiue talia, nimirum quæ paullò ante memorata ſunt, ſcilicet humida, quibus vinum annumeratur, ſunt ex natura ſua magis humida quàm calida, hoc eſt magis ingenita & inſita eſt illis à natura humiditas quàm caliditas: quam rem ſigno ſeu effectu quodam comprobat: legerim autem libentiùs etiam πάντα δὴ ταῦτα, quam πάντα δὲ ταῦτα, niſi ſit, δὲ pro γὰρ, quod tamen videtur duriuſculum. θερμαίνεσθαι μᾶλλον γὰρ τοῖς ἐκτὸς, ὑγραίνεσθαι δὲ μᾶλλον. *Argumentum quòd rebus externis caleſcimus non humeſcimus.* Locum expono non quemadmodum reddit Theodorus: ſed quemadmodum dixi putare me accipiendum eſſe. Probat igitur Ariſtoteles quod paullò ante propoſuit. Nam vinum quemadmodum etiam aliæ res humidæ eiuſdem generis, ab externis ſeu extra corpus caleſiunt quidem, at non humectantur, caliditatem enim maiorem quàm habeant, recipere poſſunt, humiditatem autem non poſſunt: ex hoc autem colligitur ſummam illis & maiorem quàm caliditatem, ineſſe à natura humiditatem, cùm altera augeri poſſit, altera non poſſit. De ea autem caliditate non tantùm intelligenda eſt ſententia, quæ actu in vinum introducitur ex igne, aut alia re calefaciente, ſed de vini facultate calida, ea enim augetur in ipſo; nam ob vetuſtatem vina potentiora fiunt, & magis calida, minimè verò magis humida, ſed potiùs ſicca. In his autem reddendis fœdè, vt dicebam, lapſus eſt Theodorus, quippe ſenſum nullo modo percepit, quî enim verum eſt, nos rebus externis caleſcere non humeſcere? aut eiuſmodi ſententia quid ad rem propoſitam facit? εἰ δὲ ἧττον ἐστὶ θερμὰ, & ἀπολείπει, δῆλον. *Verum ſi minùs calida quàm humida ſunt.* Hæc

verba perſpicuè comprobant, loci quam paullò ante propoſuimus emendationem. Conuerterim autem libentiùs. *Atqui ſi minùs calida.* Non enim aduerſandi, ſed inferendi potiùs ſenſu, ponitur hoc loco particula ἢ. Ait autem Ariſtoteles: Cùm huiuſmodi ſint minùs calida quàm humida, minúſque à natura ſit illis inſita caliditas, quàm humiditas; manifeſtum eſt quod faciliùs relinquentur à caliditate, quæ eſt magis aduentitia, quàm ab humiditate quæ magis naturalis eſt: ex quo ſequitur quod colligit, vt abeunte caliditate, remaneat frigiditas cum humiditate; ex humidis autem frigidis rigere ebrios, & rigores morboſos pati, conſentaneum eſt, ſicuti vberiùs problemate primo oſtendimus.

VII.

Διὰ τί οἱ μὲ παῖδες θερμοὶ ὄντες ὰ φίλοινοί εἰσι; Σκύθαι ἢ, καὶ οἱ ἄνδρες οἱ ἀνδρεῖοι, θερμοὶ ὄντες, φίλοινοι; ἢ ὅτι οἱ μὲ, θερμοὶ ὄντες, καὶ ξηροί; ἡ γὰρ τὲ ἀνδρὸς ἕξις τοιαύτη. οἱ ἢ παῖδες, ὑγροὶ καὶ θερμοί· ἡ ἢ φιλοποσία ἔστιν ἐπιθυμία ὑγροῦ τινός. ἡ ἐν ὑγρότης κωλύει ἀνίπτικὲς εἶ τὲς παῖδας. ἔνδεια γὰ τίς ὲστιν ἡ ἐπιθυμία.

Cur pueri cùm natura ſint calida, vinoſi non ſint, cùm Scythas & viros robuſtos, qui certè omnes habitu ſunt calidiori, conſtet eſſe vinoſos? An quòd viri non calidi ſolùm, ſed etiam ſicci ſunt: virilis etenim habitus talis eſt: pueri calidi ſunt & humidi. Vinoſitas autem humoris cuiuſdam libido eſt, itáque humiditas facit vt pueri minùs ſitiant. Cupiditas quippe non niſi indigentia ſiue deſiderium quoddam eſt.

Quod proponitur eſt admodum manifeſtum. Intelligit autem pueros vſque ad eam ætatem, qua ſiccitas incipit eſſe maior humiditate, vt ex ſolutione problematis apparet; illud autem variis ætatis temporibus, pro temperamentorum varietate fieri accidit. *ἢ ὅτι οἱ μὲ θερμοὶ ὄντες. An quòd viri non calidi ſolùm, ſed etiam ſicci ſunt.* Ex hac ſiccitatis ſeu humiditatis aut exſuperantia aut defectu, pueritiæ & virilitatis terminum accipi par eſt. Facilis autem ad intelligendum quæſtionis diſſolutio. Ideo enim pueri non ita vinum appetunt ac viri robuſti, & Scythæ, quoniam pueri humidi ſunt, illi verò ſicci: vnuſquiſque autem illud appetit cuius indigentiam ſentit: bibendi autem amor quomodo appoſitiſſimè in Latinum verti poteſt *φιλοποσία*, non eſt aliud quàm deſiderium humidi alicuius. Nam & libro ſecundo de anima ſitis definitur appetitus frigidi & humidi. Porrò autem habitum, hoc eſt temperamentum ſeu naturam puerorum eſſe humidam, virorum ſiccam, cùm vtráque ſit calida, docet Galenus pluribus locis: ſed præcipuè ſecundo de temperamentis capite ſecundo, & primo aphoriſmorum XIIII. Vinum autem naturâ humidum eſſe, dixit idem Ariſtoteles hac eâdem ſectione problemate, XVI. non eſt tamen facilis & citra controuerſiam opinio. Nam vetus & generoſum de quo ſuperioribus problematis locuti ſumus exſiccat, ſicuti oſtendit Iracaſtorius in libello de vini temperamento capite ſeptimo. Vel igitur dicendum intelligi tenue & aquoſum, non vinoſum: vel admodum dilutum: ſeu quod verius puto, humiditatem vini intelligi actualem, quam percipiunt & appetunt qui deſiderio bibendi tenentur, & bibunt: illi enim qui ſicci ſunt, licèt ex potu vini generoſi magis itendidem exſiccentur, cùm tamen illud hauriunt, præſentem quandam madefactionem & humectationem percipiunt, qua eo tempore magnopere gaudent. Vnde & Ariſtoteles cùm antea dixiſſet *φίλοινοι*, hoc eſt, vini amatores, vtitur deinde voce *φιλοποσία*, quæ bibendi amorem ſignificat, tamquam humectatio exponi primùm, atque ita ex vino in problemate conſideretur: hæc autem actu in omni vino eſt. Quare malè etiam fecit Theodorus qui eandem vocem *φιλοποσία* conuertit, vinoſitas, cùm propriè ſonet vt diximus, bibendi amorem: & dicere vinoſitatem, ſit difficultatem augere. Illud etiam admodum moleſtum, & maxima conſideratione dignum eſt; Scythas ab Ariſtotele ſignificari calidos & ſiccos: quamquam enim haud exprimuntur nominatim tales in ſolutione, intelligi tamen quando in propoſitione nominati ſunt, neceſſe ſanè eſt. Hippocrates autem in libro de aëre, aquis & locis, capite x. vbi de huiuſce nationis moribus & natura pertractat, pluribus & diſertis verbis eos frigidos & humidos eſſe affirmat, cuius ſunt hæc verba. *Cæterùm reliqui Scythæ, quod ad formam attinet, ipſi ſibi ſimiles ſunt, aliis diſſimiles, ſicut quoque AEgyptij ipſi inter ſe, præter quàm quòd hi à vehementi calore, illi ab intento frigore ſunt compreſſi.* & paullò poſt, regionis frigiditate eiúſque cauſſa expoſita. *Propter quas cauſſas formæ eorum ſunt craſſæ & carnoſæ, iunctúræ verò humectæ & inefficaces, ventriculi humidi*

omnes,

omnes, maximè omnium tamen inferior aluus, nequit enim ipſa exſiccari in eiuſmodi & regione & natura, & temporis conſtitutione. Tum nonnullis interpoſitis. *Magnum autem argumentum humiditatis corporum Scytharum hoc exhibebo: multos enim ipſorum præcipuè qui Nomades ſunt, reperias exuſtos humeros, ac brachia habentes, manuúmque iuncturas, pectora, coxas, & lumbos, nullam ſanè aliam ob cauſſam, niſi ob humiditatem naturæ & mollitiem.* Ita ſonant hæc poſtrema, non vt Cornarius vertit, *ob humoris, & molliciei naturæ detractionem.* Tum addit idem Hippocrates. *Porrò Scytharum gens fului valde coloris, exiſtit propter frigus ingens; non enim vehemens accedit ad eos Sol; à frigore verò albedo exuritur, & fit fulua.* De quo Scytharum colore Galenus libro primo de tuenda valetudine hæc habet verba. *Eſt enim effectus ſecundùm naturam tum AEgyptiorum nigritia, tum Gallorum candor, tum Scytharum rufus color.* At de humiditate temperaturæ Comment. tertio in librum III. de morbis vulgaribus particula XXX. hæc legimus. *Comparemus iam cum his infantes, Scythas, Gallos, & Germanos, qui planè temperamento ſunt humidiore, frigidiore verò non citra controuerſiam.* Equidem illam ex eodem Galeno diſtinctionem afferre poſſumus, quam poſuit libro II. de temperamentis capite VI. Scytharum inæquali, quinimo contrario modo ſe habere corporis partes, externas nimirum ab internis; vnde aliæ frigidæ, aliæ autem calidæ meritò exiſtimandæ ſunt: ſed præſtat Galeni locum adſcribere, qui ita in Latinis legitur. *At vbi varia partium temperies eſt, ex vna earum pronunciare de toto corpore non licet, ſed adeundæ ſingulæ ſunt: æſtimandúmque quo temperamento ventriculus, quo pulmo, quo cerebrum, ac reliquarum per ſe vna quæque ſeorſum ſit. Atque hæc quidem ex functionibus noſcenda: cùm nec manuum contrectatione, nec oculorum inſpectione inueniſſe temperiem eorum ſit. Simul autem penſitandus & continentium ea partium affectus eſt, quarum omnium extrema eſt cutis. Hæc in noſtra regione, quæ vtique temperata eſt, ſubiectarum partium naturam prodit, quamquam nec in ea ſimpliciter loquenti, omnium, ſed duntaxat earum quæ ſimilem habent cuti temperiem. At in iis quæ ſub Vrſa, & ſub meridie ſunt locis, quoniam quidem corporum quæ in altero ſunt, calor in altum à circundante extrinſecus & vincente frigore eſt fugatus: eorum autem quæ ſunt in altero, in cutem is ab externo calore attractus prodiit, non poteſt ex eo affectu qui in cute cernitur, internarum particularum temperies clarè diſcerni: quippe corporis temperies in regionibus iis, quæ à temperie receſſerunt, inæqualis viſitur, externis ſcilicet internisq; partibus ad eundem ſe modum non habentibus. Celtis enim & Germanis, & omni Thracio ac Scythico generi frigida, humidáque cutis eſt, ideóque etiam mollis & alba, & pilis nuda. Omnis verò naturalis his calor in viſcera vnà cum ſanguine confugit: vbi dum agitatur, & premitur, & feruet, animoſi, audaces, & præcipitis conſilij redduntur. Aethiopibus verò & Arabibus, omnibus denique iis qui ad meridiem incolunt, naturæ cutis ex ambientis æſtu, & naturali calore foras atra, vſta, dura, ſicca, & nigra redditur, toto corpore naturalis quidem caloris exiguam obtinente portionem: ſed alieno atque adſcititio incaleſcente. Quippe id quoque optimè ab Ariſtotele in multis eſt traditum: eſtque illi, ſi alteri vlli, attendendum, ac in ſingulis corporibus æſtimandum, ſuóne & proprio, an adſcititio calore incaleant: quæ enim putreſcunt omnia, adſcititio calore ſunt calida, proprio frigent: qui meridianam plagam incolunt, adſcititio calore ſunt calidi, proprio frigidi.* His verbis Galenus ſatis manifeſtè concedit Scythas frigidos eſſe partibus externis, calidos autem internis, quod etiam de humiditate & ſiccitate dicere liceat; vnde & mores etiam temperamento reſpondẽt, qui dicuntur iracundi, temerarij, & ad ſubita conſilia præcipites, hoc enim ſignificant quæ à Galeno proponuntur verba, θυμικοὶ καὶ θρασεῖς, καὶ ὀξυρρόποι ταῖς γνώμαις. At non video ſolui dubitationẽ. Hippocrates enim diſertè affirmat, Scythis eſſe iuncturas, ventriculum, & ventrem inferiorem humida. Quomodo igitur partibus internis dicuntur ſicci, vt vinum ratione humiditatis appetere dicantur? Augetur difficultas ex Galeni loco quem adduximus commentario III. in tertium de morbis vulgaribus, in quo ratione temperaturæ, pueros Scythis, Gallis, & Germanis coniungit, quemadmodum etiam non diſſimiles moribus ſunt: quod enim de harum nationum hominibus dicitur II. de temperamentis, eſſe iracundos, temerarios, & ad ſubita conſilia præcipites, non malè etiam in pueros quadrat. Quomodo igitur in problemate ab Ariſtotele diſiungantur pueri à Scythis, vt hi quidem, potus ſeu vini amatores exiſtant, illi verò nequaquam, idque ratione diſſimilitudinis temperamenti, non poſſum facilè videre, & de hac re ampliùs conſiderandum cenſeo.

VIII.

Διὰ τί μεθύοντες μᾶλλον ἀφιστάνεσθαι τὰ ἀλυκὰ, καὶ τὰ μοχθηρὰ ὕδατα, νήφοντες ἧττον; ἢ ὅτι τὸ οἰκεῖον τοῦτο ἑκάστοις οἰκείας ἔξιν ἀπαθὲς, καὶ τὸ ὁμοίως διακείμενον; τὰ γὰρ ἐναντία, τῶν ἐναντίων ἔξιν αἰσθητικώτερα· ὁ μὲν μεθύων, γλυκεῖς ἐν αὑτῷ χυμὸς ἔχει, (πίνει γὰρ ὁ οἶνος δοκεῖ) καὶ τῷ φάυλῳ χυμῷ

αἰσθητικώτερός ἐστιν· ὁ δὲ νήφων, δριμεῖς καὶ ἁλυκὰς τὰ τροφὰς ἐν πεπεμμένῃ, οἱ ἀδιάφθαρτοι ὄντα πολλάζεσιν· ἔτοι τε ἐν εἰσὶν ἀπαθεῖς ὑπὸ τῶν ὁμοίων, καὶ τὰ ἔχοντα ποιῶσιν.

Cur temulenti aquas ſalſas, vitioſaſque magis ſentimus, ſobrij minùs? An quòd ſuum quódque à ſuo nihil afficitur, ſimiléque indomitum à ſuo ſimili perſiſtit. Contraria verò à contrariis potiùs ſentiuntur. Vinolentus itaque, quòd dulces intra ſe continet humores (nam vini naturam talem eſſe videmus) hinc vitioſi ſaporis ſentiens magis eſt. Sobrius autem, quòd acres, ſalſóſque habet, ſaporem eundem percipere non poteſt. Admiſſo itaque cibo, excrementitij redundant illi, & fluitant, vt & ipſi à ſuis ſimilibus affici nequeant, & hominem ſenſus huiuſcemodi reddant expertem.

Ebrij aut temulenti nunc accipiuntur, non qui omnino ebrij ſunt: illi enim ſaporum differentias non diiudicant; ſed leuiter ebrij, aut ebrioſi, qui nimirum ſæpius aſſueti ſunt inebriari: nomine etiam aquarum non ſolas aquas intelligo, hoc eſt quæ vulgò & paſſim ita appellantur: ſed liquores omnes, ſeu vina, ſeu ſucci illi ſint: ita enim genericè hac voce vſus eſt Ariſtoteles libro IV. Meteor. cùm aquæ ſpecies eſſe dixit vinum, vrinam, & ſerum. ἢ ὅτι τὸ οἰκεῖον ὑπὸ τοῦ οἰκείου ἐστὶν ἀπαθές. *An quòd ſuum quodque à ſuo nihil afficitur.* Vtrum ſenſus fieret à ſimilibus, aut à contrariis, quæſtio fuit inter antiquos Philoſophos: nam Parmenides & Empedocles, & Plato, teſte Theophraſto in libello de ſenſu, ex ſimilibus; Anaxagoras autem, & Heraclitus ex contrariis fieri arbitrabantur: quorum rationes & argumenta copiosè ibi perſequitur idem Theophraſtus. Eandem controuerſiam propoſuit Ariſtoteles libro primo de generatione & corruptione textu XLVI. cuius ſunt hæc verba ex antiqua & communi tralatione. *De ipſo autem facere & pati dicendum conſequenter. Suſcepimus enim à prioribus ſubcontrarias ad inuicem ſermones. Multi enim concorditer hoc dicunt, quod ſimile quidem à ſimili omne impaſsibile eſt, propterea quod nō magis actiuū quàm paſsiuum ſit alterū altero.* Et mox. *Democritus autem vltra alios propriè dixit ſolus. Inquit enim idē & ſimili eſſe faciens & patiens: non enim contingere altera & differentia pati ab inuicē.* Quæſtionem autē diſſoluens paullò poſt, oſtendit tum quæ illis Philoſophis fuerit deceptionis cauſſa, tū ipſum facere & pati, partim à ſimili, partim à diſſimili eſſe, his verbis: *ſed quoniā non quodcumq; natum eſt pati & facere ſed quæcumq; aut contraria ſunt, aut contrarietatē habent, neceſſe eſt & patiens & factiūs genere quidem ſimile eſſe, & idem, ſpecie autem diſsmile & contrariū.* In quam ſententiam libro quoque II. de Anima hæc leguntur. *Omnia autem patiuntur, & mouentur ab actiuo, & eo quod eſt actu: eſt ergo & quod à ſimili patitur, eſt & quod à diſsimili ſicut diximus, patitur enim quod eſt diſsimile, paſsum autem ſimile eſt.* Quibus conſentanea omnino ſunt, quæ hîc pro ſolutione problematis afferuntur: nam illa οἰκεῖον ὑπὸ τοῦ οἰκείου ἐστὶν ἀπαθές, accipienda & intelligenda ſunt, iuxta ea quæ ab Ariſtotele locis citatis exactiùs diſtinguuntur, καὶ τὸ ὁμοίως δριμέμφρον. *Similéque indomitum à ſuo ſimili perſiſtit.* Aptum eſt ex ſuperioribus, quæ denuò ſubintelligenda; nimirum ἐστὶν ἀπαθές, hoc modo. *Quod ſimiliter affectum eſt, à ſuo ſimili non patitur.* Vel ita. *Simile à ſimili non patitur,* verùm ita affectum remanet ac antea erat, hoc eſt, nullo pacto mouetur, vt ὁμοίως δριμέμφρον, ſit non ſubiectum, ſed prædicatum; quo modo accipit Theodorus: quamquam ad ſenſum nihil interſit vtro modo accipiatur. Porrò cùm excuſi codices Latini haberent, *à ſuo ſimplici,* nos, à ſuo ſimili, excudendum curauimus, quæ ex ſenſu videtur vera lectio, & quo modo ſcripſiſſe arbitror Theodorum: &, *ſimplici,* pro *ſimili,* fuiſſe librarij aut operarum erratum, cùm fortè in ſcriptura eſſet, *ſimli,* quæ nota pro *ſimplici,* imperitè accepta eſt. ὁ μὲν ἐν μεθύων γλυκεῖς ἐν ἀπτῷ χυμές. *Vinolentus itaque quòd dulces intra ſe continet humores.* Rationem accommodat ad rem propoſitam; quoniam enim ebrius continet intra ſe dulces humores quos paullò ante aſſumpſit nimirum vinum, quod dulce, hoc eſt gratum & ſuaue eſt: atque etiam verum dulcedinis ſaporem continet: dulcia enim magnam partem bibebantur illis temporibus vina, quæ etiam alicubi melle condiebantur, hinc fit, vt ſaporibus illis dulcibus adhuc linguæ hærentibus, alios vitioſos poſtea deguſtans, magis percipiat, quia illis, quibus repletus eſt contrarij ſunt. ὁ δὲ νήφων δριμεῖς καὶ ἁλυκὰς. *Sobrius autem quòd acres, ſalſóſque habet, ſaporem eundem percipere non poteſt.* Propriè explicat partem alteram problematis, cur ſobrij ſaporem illum minùs ſentiant. Ait autem ſobrium acres & ſalſos humores intra ſe continere, tales enim in quolibet homine, qui vinoſus non ſit reperiuntur, procreati ab excrementis cibi & potus, licèt in aliis magis, in aliis minùs, in vinoſo etiā, ſed à vini quod aſſiduè ingurgitatur copia, obruti. Qui verò huiuſmodi humore

aut

aut ſapore refectus eſt, ille quod expreſſit Theodorus in tralatione, non expreſſit autem Ariſtoteles, ſapores eoſdem exteriùs aduenientes ob rationem dictam minimè percipere poteſt, τῆς τροφῆς ἐν πεπεμμένῃ, οἱ περίττωματικοὶ. *Admiſſo itaque cibo excrementitij redundant.* Perperam Theodorus vt exiſtimo τῆς τροφῆς ἐν πεπεμμένῃ, reddit, *admiſſo cibo*, cocto enim vertendum fuit: nam & concoctum ſignificat verbum πεπεμμένῃ, & de tali, non de aſſumpto aut ingeſto ſententia profertur. His autem verbis perficit rationem Philoſophus, quare falſa & vitioſa æquè non percipiant ſobrij, ac ebrij, & ait. Cùm in ſobriorum corporibus acres & ſalſi humores reperiantur, quoties cibus coctus eſt, excrementitij illi humores, hoc eſt ſalſi & acres, qui dicti ſunt, ad ſuperficiem tendunt, & ſupernatant, quoniam cibus eos non ampliùs obruit, quippe qui iam ſit attenuatus, coctus, & diſtributus. Hoc autem tempore iidem humores afficientes inſtrumenta guſtus, ei ſapores eoſdem impertiunt: vnde ſi ingerantur alij ſimiles, percipi non poſſunt, aut non ita exactè. In ebriis autem ſeu ebrioſis id locum non habet: nam ipſi vel fortaſſe tales humores non continent, ob multi vini aſſiduum vſum, vel ſi aliquos continent, illi ob eiuſdem vini copiam eos obruentem, non fluitant: omnia enim vini dulces & lenes vapores imbuunt, & ſuo ſapore omnes partes attingunt, vnde facilè contraria à ſenſu percipiuntur.

IX.

Διὰ τί τοῖς μεθύουσι σφοδρὰ, κύκλῳ πάντα φαίνεσθαι φέρεσθαι; ἢ ἤδη ἀπομένης τῆς μέθης, αἴρειν τὸ πόρρω ἐθίσαι; διὸ ἢ σημεῖον τῆς μέθης, ἅτε τοιέντας τινὲς ἢ ὅτι κινεῖ τὸ ὑγρὸν τῆς θερμότητος τοῦ οἴνου ἡ ὄψις πυκνάκις; διαφέρει οὖν τὸν οἶνον ἔτι κινεῖν, ἢ τὸν ὀφθέντα; τῶν δὲ ποιεῖ, ὥστε τὸ φαίνεσθαι τὰ ἐρημένα. ἐπεὶ ἢ ἦν ἀεὶ πλησίον ὄντα διαψεύδεσθαι τὸν ὄψιν συμβαίνει τῶν μεθυόντων, ἦν ἀεὶ τὰ πόρρω μᾶλλον εἶναι ταῦτα πάσχειν διότι ἐκεῖνα μὲν ὅλως οὐκ ὁρᾶ. τὰ δ' ἐγγὺς ἐδὲ ἐν ᾧ τόπῳ ὄζειν ὁρᾶ κύκλῳ ἢ φαίνεσθαι φέρεσθαι, ἢ διὰ ἐγγὺς ἦν πόρρω, ὅτι εἰς μὲν τὸ πόρρω, διά τε τὸν κύκλῳ κίνησιν, ἀδυνατώτερά ἐστι φέρεσθαι ἡ ὄψις· ἅμα δὲ ταναντία ποιεῖν ῥᾴδιον ἔστι ἢ ἡ μὲν πόρρω ὀπθυμία, σφοδρά. ἡ ἢ κύκλῳ, ἐν ᾧ τοῦτο σημαίνει, χήματι. διά τε οὖν τὰ ἐρημένα, πόρρω ἐ φέρεσθαι. ἢ εἰ φέροιτο τὸ ἐγγὺς ἢ πόρρω, ἐ ἦν ταὐθ' ὁρᾶτο· ἀπολείποι δὲ ἂν ἐν θατέρῳ χρόνῳ αὐτῶν τὸ ὁρώμενον ἐν ταὐτῷ τόπῳ· ἀπολείπον ἢ, ὥστε ἂν ὁρᾶτο. κύκλῳ ἢ φέρεσθαι, διά τὸ ὑπάρχον χῆμα τῆς ὄψεως. ἔστι δὲ κῶνος, ἧς ἡ βάσις κύκλος, ἐν ᾧ κινεμένη, ὁρᾷ μὲν τὸν, διὰ τὸ μηδέποτε ἀπολείπειν αὐτό. διαψεύδεται ἢ τῷ τόπῳ, διὰ τὸ μὴ τὸν αὐτὸν ὄψιν ἐπιβάλλειν ἐπ' αὐτό· ταὐτὸν δὲ ἂν ᾖ, ἢ τοῦτο ὥστε τὸν ὄψιν κινεῖν, ἢ τὸν ὄψιν ὥστε τοῦτον.

Cur grauiter à vino detentis, omnia circumferri videantur, iámque inter initia ebrietatis res ſemotas cernere nequeunt? Itaque indicium hinc vinolentiæ nonnulli deducunt. An quia conſpectus frequenter à calore vini compellitur, atque commouetur. Nihil verò intereſt conſpectus moueatur, an res conſpectui obuia. Fit enim ratione vtralibet, vt id, quod modò dixi, videatur. Et cùm propinquis etiam in rebus conſpectum vinolentorum falli eueniat, multò magis idem in remotis accidat conſentaneum eſt: quam ob rem illas videre penitus nequeũt, propinquas autẽ aſpicere quidem poſſunt, ſed non quo ſunt poſita loco. Circunferri autẽ tantùm, non etiam propè procúlq; viciſſim agitari videtur, quoniam procul ob circularem mouendi rationem conſpectus nequeat progredi: haud enim facile eſt, contraria ſimul agitari. Appetitio autem, quæ profluit ad elongatiora, vehementior eſt: circularis verò figura, quam nomen ipſum declarat, continetur. Propè igitur, ac procul viciſſim conſpectus deferri ea de cauſa non poteſt: etſi ita feratur, rem tamen eandem contingere non queat, quippe qui vice alterutra temporis, eodem in loco rem quam intuetur, relinquat, cúmque reliquerit, intueri non poſſit: circulo autem ſuæ figuræ cauſſa videtur. Eſt enim conus, cuius baſis circulus eſt, in quo ſe agitans ipſe conſpectus, rem quidem percipit eandem, quia nunquam ſibi rem ſubiectam deſerit. Fallitur tamen in loco, quia non eodem intuitu rem contingit: nihil enim intereſt, vtrum res ad aſpectum, an ad rem aſpectus moueatur.

Duo quæruntur in problemate: primum cur iis qui vehementer ebrij sunt, res omnes videantur circulo ferri? Alterum cur incipiente ebrietate, quæ procul posita sunt, conspici non possint? Inferiùs problemate xx. eandem quæstionem proponit Aristoteles, sed pro ἀθρεῖν, hoc est, *conspici*, aut *videri*, habet ἀριθμεῖν, hoc est, *numerari*. Probat autem Aristoteles veritatem alterius, ex quorundam hominum opinione, tunc existimantium ebrietatem esse, illúmque ebrietatis veluti terminum, & metam ponentium, cùm quæ procul posita sunt, ampliùs videri non possunt. Aponensis ad hanc rem, vulgarem proponit quorundam in Italia morem, qui vtrum aliqui ebrij sint nec ne experiri volentes, facetè ostensis vtriúsque manus digitis, inuicem supra positis atque cancellatis, numerum eorum interrogant: quod exemplum magis etiam atque meliùs quadrat, si ἀριθμεῖν, vt inferiùs problemate xx. legatur: atque ita sanè legisse antiquum interpretem ex ipsius tralatione apparet. ἢ ὅτι μάλιστα ὑπὸ τὴν θερμότητα: *An quia conspectus frequenter à vini calore.* Hæc solutio, & hoc dictum est vtríque problematis parti commune: maximè tamen ad primam pertinet, quoniam ea ad solutionem secundæ vtitur. Ait igitur, vtrosque illos effectus contingere ob vini caliditatem, nimirum ob vini calidos vapores, qui visionem seu aspectum commouent, hoc est partes & instrumenta ad visionem efficiendam necessarias, vt non permittant eam firmè, validè, & pro veritate effici, sed commotio, atque ex commotione deceptio contingat. Hæc autem communis ratio affertur similiter problemate xx. cùm ea quæ vtrobíque postea afferuntur, non eadem sint. διαφέρει δὲν τὴν ὄψιν. *nihil verò interest, conspectus.* Quoniam de re visa quæsiuerat, quare videretur circulo ferri, moueri autem in solutione dixerat, non rem visam, sed visionem, ideo ad tollendam dubitationem modò adiungit, nihil referre vtrum moueatur visio, an res visa; idem enim alterutro modo contingit effectus: est autem κινεῖν pro κινεῖσθαι more Attico: Hanc porrò sententiam de visione & re visa, ponit etiam Aristoteles libro III. Meteor. capite tertio, nihil similiter ad huiusmodi accidentium causas reddendas referre dicens. ὅτι ἢ ἐπὶ τὰ πλησίον ὄντα, *& cùm propinquis etiam in rebus.* Alterum soluit, quare ab ebriis non videantur longiùs posita, & ait. Quando visionem falli contingit circa ea quæ propè sunt, cùm ea videantur non in loco in quo sunt, sed in girum ferri; quæ enim ita videntur, non videntur quo loco sunt, cùm ea verò non ferantur circulo, nihil mirum si fallitur etiam circa ea quæ longiùs absunt, atque ea non possint vllo pacto videri, quæ bene dispositis videri possunt. κύκλῳ ἢ φαίνεσθαι. *Circunferri autem tantùm.* Locus est admodum difficilis, vt mihi quidem videtur: & in eo vertendo parum fideliter se gessit Theodorus, nisi si alio exemplari, diuersáque lectione vsus est. Primum enim aduerbium illud, *tantùm*, atque etiam illa, *vicißim agitari videntur*, non extant in Græcis quæ vulgata habemus. Sed præstat locum vt nunc Græcè habetur, totum Latinè proponere, pingui sanè minerua, sed cum fide tamen, hunc in modum: *Ferri autem circulo videntur, non propè, procúlque, quoniam procul ob motionem quæ circulo fit, impoßibile est vt feratur visio: simul enim contraria facere non est facile. Est autem ad longinqua appetitio vehemens, circularis autem in ea figura quam nomen significat. Ob ea igitur quæ dicta sunt, longè non fertur: ac si feratur propè & longè, non tamen eadem videat.* Ex iis igitur quæ colligit Aristoteles, videtur significari allatam fuisse rationem quæ probauerit, cur visio non feratur longè, quæ erat altera ex duabus propositis quęstionibus, cur longinqua videri non possint. Sed quæ fuerit ratio, difficile est videre: huiusmodi fortasse fuerit. Quæ feruntur longè, feruntur vehementiùs, visio ebriorum non fertur vehemẽtiùs, igitur visio ebriorũ non fertur lõgiùs: maior propositio probatur ex illis, ad longinqua appetitio est vehemens, motus enim seu appetitus qui ad longinqua feratur, maiore vi & impetu eget; quam propositionem exemplo sagittarũ probat problemate vigesimo: minorem etiam probare videtur; nam visio ebriorũ fertur circulo, quod autem fertur circulo, illud est debile, debilis igitur ebriorum visio: quod autem debile est, illud non fertur longiùs; non enim contraria præstare facile est. Sunt autem contraria propè & procul, & debile ac vehemens, vt si circulo feratur, quod lationi debili contingit, quemadmodum ostenditur problemate xx. non possit ferri ad longinqua. Hæc mihi quidem non satisfaciunt, nam in circulari re ostendenda, circulo alicubi vti visi sumus: sed quando meliora non suppetunt, aliquid volui attulisse. Illud etiam non siluerim, in codice Iustinianæo in illis ἐν ᾧ τρῶμα σημαίνῃ, pro τρῶμα id est, *nomen*, reponi τὸ ὄμμα, hoc est, *oculus*: & sunt qui pro σχήματι, quod vertimus, *in figura*, legunt σχῆμα π: ego locum puto esse corruptum. Quid autem voluerit Theodorus non facilè assequor. κἂν εἰ φέροιτο τὸ ἐγγὺς, & πόρρω. *ac si feratur propè & longè:* licèt etiam concederemus, inquit Aristoteles, quod fieri non posse probauimus; non tamen res eo modo quo verè est, videri poterit: sed videbitur cir-

culo,

culo, vt ſequitur ad probandum : oſtendit autem id fieri ob figuram quæ viſioni ſubeſt, hoc eſt, ob figuram illam cuius medio viſio perficitur, ſeu vt verbis Aponenſis vtar, ſecundùm quã virtus viſiua ſpecie viſibili affecta ſpiritu mediante videt ipſum viſibile: illa enim conus eſt, nimirũ figura pyramidalis, cuiuſmodi fructus pineæ eſt, qui ſimiliter conus dicitur: nam ex re viſa ſpecies quæ in oculum mittuntur hac figura mittuntur, aut ſpiritus ſeu radij ex oculo in rem viſam eadem figura deferuntur : baſis autem, id eſt pars latior coni, eſt in re viſa : inde enim lineæ diſcedentes, & aſſiduè magis inuicem appropinquantes, deſinunt tandem ſe ſe tangentes in cuſpidem, ad quam vbi peruenerunt, viſio iam deficit, vt perſpectiui docent. Baſis igitur hæc coni circulus eſt : contingit autem vt cùm partes in oculo, per quas viſio efficitur, & conus moueantur à vini caliditate, ad baſim etiam in re viſa perueniat motio : & quoniam baſis hæc circularis eſt, apparet res circulo moueri. Aponenſis ad hunc locum præter Ariſtotelica, alia quædam videtur afferre, quæ rem magis adhuc perſpicuam faciunt : quoniam tamen illa ex Alexandro ſunt problemate LXXII. libri ſecundi, hæc ſatis erit adſcripſiſſe, quod faciemus mox ad finem expoſitionis. Διὰ τὸ μηδέποτε ἀπολείπειν αὐτό. *Quia nunquam ſibi rem ſubiectam deſerit.* Quod non contingit in ebrij viſione, vt meliùs videbitur ſequenti problemate. σφάλλεσθαι δὲ τῷ τόπῳ. *fallitur tamen in loco*, fallitur loco, hoc eſt, non videt res quo ſemper loco ſunt, cùm dum circulo mouentur, locum ſubinde immutent. Διὰ τὸ μὴ αὐτῷ ὄψιν. *quia non eodem intuitu.* Quia cùm viſio moueatur, non poteſt eademmet ſemper affigi obiecto, non quia alius ſit oculus qui videat, aut alio tempore, ſed quia ob motum creberrimum & veluti tremulum, variè, inſtabiliter, & minimè firmè, aut continenter poteſt obiectum intueri. Iam Alexandri verba ſunt proponenda quæ ita Latinè habent. *Cur hominibus admodum vinolentis circunuerti omnia videantur? Quoniam larga copia vini exhalationem ſpiritus vaporoſi ad cerebrum mittit nimiam, qui ſpiritus cum digeri, atque conſumi nequeat, priùs quàm temporis ſpacium concoctionem exhibeat, exitum non habens, per cerebrum voluitur, & quaquà versùs percurrit, atque ita perturbatus profluit per neruum conſpectiuum, pupillámque ad res conſpectui obuias, facítque vt tales videantur, qualis ipſe eſt. Affectum etenim interiorem foris eſſe imaginantur : quocirca efficitur, vt etiam caligent, & vertigine tantiſper tententur. Cuius vitij nomen à conuolutione aquarum deductum eſt. Neque verò ex vino tantùm, ſed ex materijs etiam corporis accidere illud poteſt : quoties vaporem ad cerebrum nimium efferant, affectúmque moueant, quæ caligo vocata eſt.*

X.

Διὰ τί τοῖς μεθύουσιν ἔνιο τε πολλὰ φαίνεσθαι τὸ ἓν ὁρᾶσιν; ἢ καθάπαξ εἰρηται, κινουμένης τῆς ὄψεως, συμβαίνει μηθένα χρόνον τὸν αὐτὸν εἶναι τὰ αὐτὰ ἠρεμεῖν ὄψιν; τῷ δὲ ἐν αὐτῷ χρόνῳ ἑτέρως ὁρώμενον, ὀψιαίτερον εἶναι δοκεῖ· ἁφῇ γὰρ ὄψεως ὁρᾶται τὸ ὁρώμενον· ἀπίθανον δὲ πλείοσιν ἅμα ἓν αὐτὸ, ἀδύνατον. ὄντος δὲ ἀναισθήτου τοῦ μεταξὺ χρόνου, ἐν ᾧ ἡ ὄψις ἥπτετο, καὶ παρήλλαττε τὸ ὁρώμενον, εἷς εἶναι δοκεῖ χρόνος, ἐν ᾧ τε ἥπται καὶ παρήλλαξεν. ὡς ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ ταὐτὸ πλειόνων ἁπτομένων ὄψεων, πολλὰ δοκεῖ εἶναι τὰ ὁρώμενα διὰ τὸ ταῦτα καὶ τὸ αὐτὸν τρόπον ἀδύνατον εἶναι ἅπτεσθαι.

Cur vinolentis res vna plures interdum eſſe videatur? An quia vt dictum eſt, iam aſpectus, cùm commoueatur, euenit, vt nullo tempore idem viſus in eodem quieſcat. Quod autem eodem tempore variè cernitur id ſeriùs ocurriſſe videri poteſt. Quod enim cernitur, non niſi conſpectus tactione ſentitur. Fieri autem non poteſt, vt idem pluribus ſimul attingatur. Quod cùm nullum ſenſum admittat id tempus, quod interpoſitum tempori diſtinguat, quo rem conſpectus attingit, & quo repetit, efficitur hinc, vt tempus vnum eſſe videatur, quo attingitur, quoque repetitur. Itaque cùm plures aſpectus rem eandem attingant eodem tempore, plura eſſe videtur, quod vnum conſpectui ſubiacet : quoniam fieri non poteſt, vt res eadem modo eodem attingatur.

Quæſitum ſimile ſuperiori eſt, & eâdem ſimiliter nititur ſolutione, quemadmodum etiam verbis ſuis ſignificat Ariſtoteles. Nam cùm ob commotionem quæ accidit in oculo ebrij factam à vini vaporibus, nunquam viſio aliquo tempore quieſcat in eâdem re obiecta, nimirum contingit hæc geminata viſio : eodem enim temporis ſpatio, quo in ſobrio

vnica visio perficitur, eomet in ebrio duæ fiunt, quia variè res videtur, hoc est non firmè ac stabiliter, & vnico intuitu: sed priori & posteriori: vnde bis videt. Probat autem duas esse eo tempore visiones in ebrio, quo vnica in sobrio; nam cùm illud quod cernitur, non nisi visionis tactu cernatur: necesse enim est se se simul tangere visum & rem obiectam, vt etiam in aliis sensibus accidit; eadem autem res à pluribus simul visionibus tangi non valeat, id enim fieri non potest; sequitur necessariò vt visiones illæ quæ in ebrio contingunt, sint plures, quamquam tempus idem est. ὄντες δὲ ἀναιθητα. *Quod cùm nullum sensum admittat id tempus quod interpositum tempori distinguat.* Hæc, verbum ex verbo, & admodum perspicuè, ita sonant: *Sed cùm insensibile sit tempus intermedium, in quo obiectum visio tangit & repetit, tempus vnum esse videtur, &c.* Ostendit autem quomodo tempus idem & vnum sit, visiones autem plures: ad id autem declarandum, pluribus explanat quod superiùs vno verbo dixerat, ebriorum visionem non quiescere, quia fieret variè; docet enim in ea visione, licèt eodem tempore facta quo in sobrio, contingere reciprocationem, & iterationem, vt cùm mota fuerit antea erga rem obiectam, antequàm perfectè compleatur, reuertatur, & interposito aliquo spatio, sed insensibili iteret; ex quo contingit vt gemina in ebrio sit visio eodem temporis spacio, quo vnica in sobrio, quod vnum tempus est; Nos porrò in textu ex Iustiniani codice suppleuimus verba illa, quæ post vocem χρόνῳ in Græcis vulgatis desiderabantur, ἐν ᾧ ἡ ὄψις ἥπτετο ἢ παρήλατε τὸ ὁρώμενον, quæ in Theodori tralatione habentur ita conuersa, *quo rem conspectus attingit & quo repetit.* ὥστε ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ τ' αὐτὲ πλειόνων. *Itaque cùm plures aspectus rem eandem attingant.* Concludit. In ebrio plures visiones eo tempore tangunt rem obiectam, quo vnica in sobrio, non tamen simul, id enim fieri non posse antea affirmauit: sed eodem temporis spacio ob iterationem seu alternationem: hinc sequitur quod erat primum problematis propositum, vt plura videantur obiecta, nam cùm bis idem videatur, interiecto spacio temporis insensibili, à sensu ebrij accipitur ac si semel videretur, vnde quæ duæ sunt visiones, duas existimat res obiectas. Διὰ τὸ ταῦτα καὶ τ' αὐτὸν τόπον. *Quoniam fieri non potest vt res eadem.* Iterat rationem, quódque superiùs dixit, videri ἑτέρως, id est variè seu per alternationem, hîc dicit, non secundùm eundem modum, quia nimirũ aliter ac aliter à visione tanguntur, primùm intuendo, sed non completè tum repetendo, fiuntque plures visiones, quæ existimantur plura obiecta: Hanc quæstionem proponit iterum Aristoteles hac eâdem sectione xxx. quo loco alia quædam affert, quæ hîc non habentur, ibi à nobis explicanda. Eandem pertractauit similiter Alexander libro primo problemate CXXIII. qui eodem sanè quo Aristoteles vtitur fundamento, rem tamen adhuc explanat magis. Ideo enim gemina conspici ait, quoniam oculorum radij, simul & eodem tempore eundem locum non attingunt, nam cùm vini humore plùs minùs repleti sint oculorum musculi, atque ideo relaxati, oculos ipsos deprauant, & contorquent, ac alterum sursum, alterum deorsum trahunt, ex quo radiis non in vnum & eundem, sed ad duo loca latis, geminata visio fit, duóque apparent quæ vnum sunt. Quam rationem habemus etiam apud Aristotelem probl. XI. sect. XXXI. cùm non de vitio particulatim sed generatim quæreret, cur distracta conspectuum societate res vna geminari videretur. Ad eandẽ licet etiam videre Auerroem in libro de sensu & sensato, atque etiam Auicennam in fine tertij tractatus libri VI. naturalium, qui illius effectus quatuor vniuersaliter attulit causas, desumptas partim à neruis opticis, partim à spiritu visiuo, atque etiam ab vuea tunica. Nobis autem hoc loco nõ recensentur; possunt enim legi apud auctorem proprium, & referuntur ab Aponensi in commentariis ad hunc locum.

XI.

Διὰ τί οἱ μεθύοντες ἀφροδισιάζειν ἀδυνατοί εἰσιν; ἢ ὅτι δεῖ τινα τόπον ἐνθερμανθῆναι μᾶλλον ἢ ἄλλα σώματος; τοῦτο δὲ ποιεῖν, διὰ τὸ πλῆθος τοῦ ἐν ὅλῳ τῷ σώματι θερμασίας, ἀδυνατοῦσιν· ἀποσβέννυται γὰρ τὸ ὑπὸ τῆς κινήσεως θερμὸν γινόμενον ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ μᾶλλον· ὅτι πολύ ἐστιν ἐν αὐτοῖς τὸ ὑγρὸν, καὶ ἄπεπτον· ἔτι δὲ τὸ σπέρμα ἐκ τροφῆς· τροφὴ δὲ πᾶσα πέπτει· ἧς πλεονασθέντες, ὀρμητικοί εἰσι πρὸς τὰ ἀφροδίσια· διὸ κωλύουσί τινες πρὸς τὴν παράζιν τὴν τοιαύτην, δρίζαν μὲ πολὺ, δειπνεῖν δὲ ὀλίγον, ἵνα ἧ αὐτοῖς ἐλάττω τὰ ἄπεπτα τ' πεπεμμένων.

Cur vinolenti concumbere nequeant? An quoniam pars quædam magis caleat, quàm reliquum corpus oportet, quod in his fieri non potest, ob nimium totius corporis feruorem; extinguitur enim calor motionis internæ, obtentu caloris occupantis, quoniam multum in his inest, quod humidum,

crudum

crudúmque efficiat. Ad hæc, ſemen à cibo proficiſci neceſſe eſt: cibus autem omnis concoquitur, quo ſatiati ad venerem planè incitamur. Vnde hac de re plerique prandere largè, cœnare parcè præcipiunt, vt cruda inſint quàm concocta pauciora.

Superiùs problemate quarto locutus eſt Ariſtoteles de ebrioſis qui Græcè ὀινόφλυγες dicuntur, nimirum de iis qui ſæpius inebriari aſſueti ſunt, illóſque ad venerem exercendam aptos exiſtimaſſe videri poteſt Philoſophus, quando eorum ſemen magna ex parte infœcundum eſſe dixit: hîc autem de ebriis ipſis, hoc eſt, de illis qui ebrietate detinentur verba facit, eóſque vti venere non poſſe proponit, & cauſſam quærit: ebrios autem accipere debemus, non qui leuiter vino tacti, ſed eo admodum obruti ſunt, hi enim ad venerem inepti exiſtimantur, leuiter autem ebrij concumbere & gignere poſſunt aliquando, vt colligimus ex Plutarcho in libello de liberis educandis dicente, qui rem habere cum mulieribus prolis gignendæ cauſsâ volunt, aut omnino vini vacuos, aut certè mediocriter eo vſos id eis facere conuenire: adſolent enim vinoſi & ebrioſi fieri, quos patres ebrij ſeuerunt. Quin & apud Platonem in Conuiuio, Porus ebrius, quamquam non ex vino, ſed ex nectare Amorem ex Penia genuit. Duas igitur cauſſas proponit Ariſtoteles, quarum altera ſumitur ex locis ſeu partibus corporis, veneris vſui inſeruientibus, altera ex materia eidem vſui neceſſaria, nempe ſemine. Dicit igitur in venere exercenda, partes quaſdam, nimirum quæ generationi dicatæ ſunt, magis quàm alias excalfieri debere; id enim ad ſeminis expulſionem neceſſarium eſt; at harum partium excalefactio in vinolentis ſeu ebriis fieri non poteſt ob nimiam caliditatem, quæ in toto corpore abundat, & hinc ad veneris vſum oritur impotentia. ἀποσβέννυσι γὰρ τὸ ὑπὸ τῆς κινήσεως. *extinguitur enim calor motionis internæ, obtentu.* Hæc verba rationem continent, quare ex abundantia caliditatis ſeu efferueſcentiæ, quæ in toto corpore eſt, impediatur maior caliditas illarũ partium quę generationi dicatæ ſunt, veneris vſui neceſſarias. Locum autem Theodorus nec ſenſu nec verbis fideliter expreſſit: ita autem verbum ex verbo reddas: *Extinguitur enim ob motionem calidum factum à continente magis, quoniam multum eſt in ipſis humidum & crudum.* Videri autem poſſit Theodorus legiſſe ita, ἀποσβέννυται γὰρ τὸ τῆς κινήσεως θερμὸν, abſque particula ὑπὸ: tali ſenſu, extingui innati caloris iugem motionem in ebrio, quia dominetur, & regnet in eo caliditas à vino conflata, quæ innatam extinguit: motio autem quam dicit Ariſtoteles, non poſſit hoc loco ita accipi, ſi vulgatam lectionem retineamus: ſed huiuſmodi erit ratio: calor qui gignitur in ebrio ob motionem ſeu impetum (ita enim motionem hoc loco accipio) extinguitur in eo ab alio calore, qui in toto corpore eſt, qui illo maior eſt; minorem enim calorem à maiori extingui ſuperiùs ab Ariſtotele dictum habuimus: Fit igitur in ebrio impetus quidam & motus ad venerem, excalfiúntque illo partes genitales, confluente eò aliqua caliditate, ſed extinguitur eadem, quoniam maior eſt quæ in toto corpore abundat, cum qua fluit ad illum locum multa & cruda humiditas calorem ipſum continens, quæ obruit & extinguit eum, qui in illis partibus excitabatur: ita enim fortaſſe etiam liceat, vocem περιέχοντος nobis accipere. Hoc problema cùm iterum interpretaretur Theodorus hac eâdem ſectione propè finem, vbi repetitur, aliter ipſum reddidit: nam & particulam ὑπὸ videtur agnoſcere, & vocem περιέχοντος, pro ambienti accipit, vt omnino videatur eorum haud meminiſſe quæ antea ſcripſerat; niſi ſi variè reddidiſſe data opera exiſtimandus ſit: qui fortè vtroque modo locum accipi poſſe putaret· ἐπὶ δὲ τὸ σπέρμα ἐκ τῆς τροφῆς. *Ad hæc ſemen à cibo.* Alia ratio ducta ex ſemine. Semen fit ex alimento, eſt enim vtile quod ſuperat ex tertia concoctione, alimentum autẽ, quoddam coctum eſt, quo repleti ad veneris vſum incitamur: at coctio cùm in vinolentis malè fiat, malè etiam ad concumbendum, id eſt ad gignendum & emittendum ſemen paratos eſſe neceſſe eſt: deficiunt enim & calor & ſpiritus, vitiata & deficiente coctione. διὸ καὶ πολλοί πινες. *Vnde hac de re plerique.* Corollarium. Cùm ad munia veneris celebranda coctionem præcedere neceſſe ſit, illud ſequitur quod præcipiunt aliqui, nimirum vt nocte concubituri largè prandeant, & parcè cœnent: ita enim cocto cibo, qui mane ſumptus eſt, quæ coctio præ temporis breuitate haud ita cõtigiſſet, ſi eâdem copia hora veſpertina fuiſſet aſſumptus, erunt ob eam rationem plura cocta, quàm cruda. Porrò autem quæſtionem hanc de coitus tempeſtiuo vſu, & hora qua venus commodè ſit exercenda, copioſè admodum tractauit Plutarchus tertio Sympoſ. problemate ſexto: illud etiam minimè omittendum exiſtimo Athenæum huius problem. quod modò expoſuimus aliam ex Ariſtotelis quoque

mente attuliſſe ſolutionem libr. enim x. Dipnoſoph. cùm de Alexandri bibacitate verba faceret ſcriptum reliquit Regem illum ebrietatis merito, qua corripiebatur vehementi ad venerem minimè fuiſſe procliuem, quoniam vt explicat Ariſtoteles in problem. naturalibus ait Athen. hominum eiuſmodi genitura ἐξυδρέται, id eſt aqueſcit, ſeu in aquam eliqueſcit, vt eo loco ſenſit Dalechampius qui exiſtimat ab Athenæo ſignificari præſens problema & xxxiii. quod huic planè germanum eſt. Verùm cùm neutra ex allatis in præſentia ab Ariſtotele ſolutionibus eadem fuerit huic ab Athenæo propoſita vt apparuit, neutrum ex his problematis ab eo appellari exiſtimo, ſed aliud quod interciderit, & ad nos minimè peruenerit, quod multis aliis problematis contigiſſe ſcimus.

XII.

Διὰ τί ὁ γλυκὺς, & ἄκρατος, καὶ ὁ κυκεὼν μεθεξὺ σκαπινόμενοι ἐν τοῖς πότοις, νήφειν ποιέσι; καὶ διὰ τί ἥττον μεθύσκονται τῶν μεγάλαις κωθωνιζόμενοι; ἢ πάντων τὸ αὐτὸ αἴτιόν ἐστιν, ἡ ἀναθυμίασις τῶν ὑπὸ τῆς θερμῆς; τὸ γὰρ μεθύειν ἐστὶν, ὅταν ἡ τὸ θερμὸν ἐν τοῖς ἄνω τῆς κεφαλῆς τόποις.

Cur ſi quis vinum dulce, ac merum, aut cyceonem inter potandum hauſerit, ſobrius perſiſtere poſſit? & cur minùs ebriantur, qui calice amplo fœcundóque hauriunt? an omnium eadem illa ratio eſt, quòd ſuperficialis calor ita ſupprimitur. Vinolentia enim tum oritur cum calor ſedem capitis totam occupauit.

Duo quærit in problemate: alterum cur ſi quiſpiam inter potandum alia vinorum genera, quæ ebrietatem creare ſolent, vinum interim aſſumat dulce & merum, ac cyceona, ebrietatem, ne fiat impediat: alterum cur minùs inebrientur qui magnis & amplis poculis perpotant (ita enim reddit Theodorus illa, τῶν μεγάλαις κωθωνιζόμενοι) quàm nimirum qui paruis poculis pitiſſantes, eandem vini quantitatem hauriunt. Dicit autem omnium horum eandem eſſe cauſſam. Ideo enim tum vinum dulce, tum merum, tum cyceon ebrietatem impediunt, quia repellunt vini vapores, & prohibent ne ad ſuperficiem, & ad partes capitis ſupernas aſcendat vini calor, quo modo ebrietas gigni ſolet, calefacta nimirum capitis ſede. Porrò autem vinum dulce, vapores & calorem vini repellit, quia cùm ſit craſſum & viſcidum, vt habetur ſequenti problemate, vias obſtruit, quibus vapores aſcendũt, & cum ſit inodorum, ad aſcendendum ineptum eſt, & ideo minùs caput tentat & aggrauat. Idem Ariſt. lib. 4. Meteor. ſcripſit ſimiliter, vinũ dulce non afferre ebrietatem, quare & nomine tantùm eſſe vinũ, non autem re: & inferiùs problemate xxix. vinum dulce non obtinere ſaporem vini, ſaporem inquam vinoſum, ſed alienũ; vnde qui dulcis vini deſiderio tenetur, non vini, ſed rei dulcis deſiderio teneri dicendus eſt. Hippocrates etiã in libro de ratione victus in acutis ſcribit, vinum dulce vinoſo minùs caput grauare, minúſq; mentem ferire, id eſt minùs deliria progignere, vt exponit Galenus: fortia ſiquidẽ vina, vt idem Galenus ſubiicit, vehementer calefacientia caput humoribus vaporibúſque & caliditate replent, vina autem dulcia, quo magis à vehementi caliditate abſunt, eò minùs tum caput grauant, tum mentem lædunt. Craſſa autem eſſe & nigra huiuſmodi vina dulcia ſcribit ibidem Galenus per hæc verba Latinè. *Neque enim tenue exquiſitè, neque album vidiſti aliquando vinum dulce: ſed plus minus dictis recedit, & neutrum horum habet. Dulcia autem vina maximè ſunt theracum & Scybelites, craſſa vtráque & nigra. Dulcia quoque & ea, quæ in Mæonia ſunt, Therinum & Caryinum, tanto dictis & craſitie, & nigritie ſuperiora, quanto dulcedine inferiora. Præterea quòd hepſema, & ſiracum à Græcis (à Latinis ſapa) appellatum, ex cocto muſto conficitur, quo dulcius vino perficitur, eo & colore nigrius, & ſubſtantia craſsius apparet. Quarto autem de ſimplicium medicamentorum viribus dulcem omnem ſaporem à caliditate quæ non immoderata, & vehemens ſit, fieri demonſtrauimus; ſicuti & acrem in vehementer calefacientibus, acrimonia ſiquidem horum eſt inſeparabilis; In vſu verò vinum dulce mediocriter calfacere videtur, ſitímque facit propter tum caliditatem, tum craſsitiem. Ita ſanè & muſtum quo diutius in igni verſatur, eo tum craſsius, tum nigrius, tum dulcius euadit.* Hæc Galenus, quæ ideo à me allata ſunt, vt appareret cuiuſmodi putem dulcia fuiſſe vina, de quibus loquitur Ariſtoteles, quod valet ad eam dubitationem diluendam quam paullò poſt afferemus. Atqui ſanè & muſtum minimè inebriare diffusè habemus à Plutarcho tertio Sympoſiac. quæſtione ſeptima, vbi præter alia in dulcedinem cauſſa reiici videtur;

dulcia enim vino admixta, ebrietatem potiùs impedire ex Aristæneto Nicæo refert ibi Plutarchus. Hieronymus Mercurialis libro primo variarum lectionum capite XVII. quod ab Aristotele dicitur de vino dulci, accipiebat tantummodo de vino protropo, aut podromo, seu de passo, quæ ebrietatem non pariunt: vina enim dulcia apud nos eam parere videntur: verùm illud non existimem esse necessarium, non enim de dulcibus vinis cuiusmodi nostra sunt, ex illis quæ ex Galeno sunt adducta, loqui Aristotelem apparet, nec proposita ratio ad illa accommodari potest: quam rem licèt etiam confirmemus ex ea differentia quam ex Homero inter γλυκερὸν, & ἡδὺ, affert loco citato Plutarchus, quorum illud dulce, hoc suaue Latinè dicunt: vinum enim de quo loquitur Aristoteles γλυκερὸν est, seu γλυκὺ, qua voce ipse vtitur, taléque ebrietatem haud parit, sed potiùs impedit, cuiusmodi sapa est, & mustum; vina autem dulcia nostra, cuiusmodi Genuæ habemus muscatellum quod ex oppido Tabia aduehitur, ἡδὺς potiùs dicetur, nec de eo Aristotelis verba accipienda sunt. Hæc de dulci. Merum etiam eâdem ratione iuuat, quia repellit, quoniam nimirum crassum est, præsertim comparatione diluti, vt habuimus problemate tertio, & scribitur problemate XIV. crassitie igitur sua obstruens & ipsum foramina, reprimet ascendentes vapores. An verò fortasse dicendum, vocem, *merum*, iungendam esse cum *dulci*, vt sensus sit, vinum dulce & merum, nimirum dulce absque aquæ miscella, inter bibendum alia vina haustum, ebrietatem impedire, ita enim facilior & magis expeditè erit ratio. Cyceon crassa quædam potio erat valde antiqua, eius enim mentio apud Homerum Iliados λ. & sæpe apud Hippocratem, quam vocem cùm exponeret Erotianus, dixit esse potionem mistam cum farina. Galenus autem in sextum de morbis vulgaribus commentar. XI. textu v. ita de ea. *At hoc loco Hippocrates vtrúnque miscuit, & cibum & potum; tale enim quiddam cyceon est, quemadmodum apud Homerum didicistis, miscentibus quidem alia cum vino, commune verò ipsum habentibus, fortasse & cum polenta vinum miscebant.* Eustachius ad illum Homeri locum annotat cyceona constare cum ex aliis, tum ex vino & caseo; & quamuis cyceon videatur fuisse quoddam medium inter esculenta, & poculenta, potiùs tamen fuisse sorbile quoddam ius esculentum, vnde & Homerum dixisse eum bibi. Hesychius potionem esse dixit ex variis herbis compositam. Tale igitur cibi aut potionis genus ebrietatem prohibebat, si inter potandum fuisset assumptum, eodem modo ac dulce & merum, quia scilicet vinum reprimeret, ne ad superficiem ascenderet: non tamen dixerim, quia obstrueret vias, sicuti vinum dulce: Galenus enim loco citato, cyceona proponit tamquam laxantem, discutientem, & deobstruentem, hanc enim esse rationem cur dolores tollat, quod ab Hippocrate scriptum fuerat: nisi igitur alio modo apparatus intelligatur cyceon ab Aristotele propositus, quàm propositus à Galeno, cum vino excepto, variè fuisse compositum ab eodem Galeno superiùs habuerimus, vt alter obstruens, alter discutiens præ miscellæ varietate dici possit, erit quidem eadem ratio generalis & remota, quod vini calorem repellat à superficie, quemadmodum facit dulce, non eadem particularis & proxima, dulce enim obstruendo, cyceon non item: Quomodo igitur? an laxando & discutiendo viam præbet vini calori, & vaporibus vt per alias vias abeant? & hæc à superficie repulsio est? Difficilior illa ratio, cur minùs inebrientur qui magnis & amplis poculis se proluunt, siquidem hic Aristotelis verborum sensus est, quemadmodum vertit Theodorus: nisi dicamus, quod de cyceone fuit propositum, cùm affatim magna vini copia ingurgitatur, quod fit cùm amplis poculis haurimus, ob copiam fieri attenuationem & laxationem viarum, vnde aditus præbeatur calori vt exeat, contra exigua quantitate assumptum firmari in ventriculo, indéque vapores ad caput mittere, cui subinde aliud ac aliud succedens, ibidemque consistens, vaporesque alios attollens, ebrietatem faciliùs procreare.

XIII.

Διὰ τί τὸ γλυκέως ἀπολασικὸν ὄντος. ἐάν τις μεθύων ἤδη ἀπίπτῃ γλυκύ; καταπέπτει) ὁ ἐνυπάρχων οἶνος, ἢ ἧττον ἐνοχλεῖ; ἢ ὅτι τὸ μὲν γλυκὺ λεαντικόν τε ἔστι καὶ γλίσχρον; (ἐμφράττῃ οὖν τὰς πόρους) τὸ δὲ αὐστηρὸν, τραχυντικόν· καὶ τὸ μὲν, ἀπεπῆ ποιεῖ τῷ θερμῷ τὴν ἀναφοράν· ὁ δὴ γλυκὺς, σὺν αὐτῷ, τὰς πόρους ἐμφράττων. ὅτι δὴ τῶν ἄνω θερμαθέντων ὄξινη μέθη, εἰρηκε· ἔτι δὴ ὁ μὲν γλυκὺς, ἄνοδμος. ὁ δὲ αὐστηρὸς, ὀδμὴ δὲ πᾶσα βαρεῖ κεφαλῇ.

Quam ob caussam cùm vinum dulce aptum sit fluitare, si quis temulentus dulce superadmittit, haustum vinum concoquitur, minúsque infestat?

An quia vinum dulce, lene, ac lentum est; itaque foramina obsarcit, atque intersepit: austerum contra, exasperans, rigidum est: facilem item ascensum calori hoc præstat, dulce autem obstrusu foraminum calorem arcet, ac inhibet. Vinolentiam verò parte concalefacta superna oriri, dictum iam est. Addo etiam, quòd vinum dulce inodorum, austerum autem odorum est: odor autem omnis caput tentat, & ingrauat.

Hoc problemate idem penè proponit Aristoteles, quod superiori, licèt non iisdem verbis, difficultate tamen præterea adducta de vini dulcis natura: nam cùm vinum dulce natura sua aptum sit fluitare, & in superficie immorari, quomodo & superbibito, vinum ante hausturn coquitur, & minùs turbat? hoc est inhibetur seu tollitur ebrietas? cùm ex superficie & superiori loco facilior sit vini latio ad caput, eiusdemque capitis occupatio? vinum autem dulce ideo fluitat, & in superficie immoratur, quoniam dulcia omnia præ natura crassiori & pinguiori qua sunt prædita, non possunt intimiùs penetrare, sed in superficie, & in partibus superioribus innatant, qua conditione & qualitate vinum etiam dulce præditum est. Tale tamen vinum, ait Aristoteles, non solum non inebriare, quæ res superiori problemate proponebatur: sed si quis ebrius factus sit, eidem remedio esse, ebrietatem minuens aut tollens; caussam autem dicit esse, quoniam vinum dulce, & si in superficie, & in superioribus partibus fluitare aptum sit, est simul naturæ lenis & pinguis, vnde tegit & cooperit quod antea erat hausturn, & meatus obstruit, ac ebrietati vias intercludit, sicuti superiori problemate dicebatur. Vinum autem austerum, non lenientis & obstruentis naturæ, sed exasperantis est; vnde potiùs impedimenta tollit, si quæ in viis sunt; & calori ex vino expeditiorem & faciliorem præbet aditum & ascensum, potiùs quàm illi impedimento sit; dulce autem, vt dictum est, obstructionis merito contraria operatur. Porrò Theodorus, qui reddit, *facilem item ascensum*, non bene vt existimo, reddit: videtur enim, merito particulæ, *item*, nouam proponere rationem, quæ eadem apud Aristotelem est: nec etiam, *rigidum*, vllum nominat Aristoteles: ita verò sonant verba. *An quia vinum dulce lene est & viscidum (quare obstruit poros) austerum autem exasperat, & hoc quidem calori facilem præstat ascensum, dulce autem tegit illum poros obstruendo: dictum autem est ebrietatem fieri partibus superioribus calefactis.* ἔτι ἢ ὁ μὲν γλυκὺς. *Addo etiam quòd vinum dulce.* Alia ratio. Vinum dulce est inodorum, austerum autem minimè, odorata autem omnia caput tentant, & grauant, iure igitur austerum illa pollet facultate, quæ in dulci desideratur.

XIV.

Διὰ τί ἀπὸ τῦ πεπεμμένυ μᾶλλον πονῦσι τὴν κεφαλὴν, ἢ ἀπὸ τῦ ἀκράτυ; ἢ ὅτι ὁ μὲν ἄκρατος, παχυμερὴς ὢν, εἰς τὰς τῶν τὴν κεφαλὴν πόρους στενὰς ὄντας, αὐτὸς μὲν οὐκ εἰσπίπτει, ἡ δὲ δύναμις αὐτῦ, ἡ ὀσμὴ καὶ θερμότης ὁ ἢ πεπεμμένος, μιχθεὶς λεπτῷ τῷ ὕδατι, αὐτὸς εἰσδύεῖ; ἔχων ἢ σῶμα, ἐν ᾧ δυνάμεως πολὺ ἐν τῷ ἀκράτῳ, δυσπεπτότερός ἐστι· τά τε γὰρ ὑγρὰ πάντων δυσπεπτότατα, καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν αὐτοῖς δυνάμεων.

Cur à vino diluto, meracius tamen caput postridie magis dolemus, quàm mero? An merum, quia crassius est foramina capitis anguita subire ipsum non potest, sed vim suam, atque odorem, & calorem tantùm transmittit; dilutum autem illud, quoniam per aquæ admistionem tenuius factum est, facilè ipsum subit, ac penetrat: cùm tamen partem corpulentiæ, facultatisq; meri non mediocrem adhuc retineat, concoctu difficilius est: nam & humida, omnium difficillima concoqui, & corpora longè peruicaciora, quàm facultates eorum persistere nouimus.

Vinum dilutum sed meracius illud est, in quo maior vini quàm aquæ copia inest: tale autem qui biberit, quærit Aristoteles cur postridie in aurora (intelligit nimirum vinum fuisse vesperi in cœna hausturn) magis caput doleat, quàm si merum ex toto hauserit. Est autem solutio similis ei, quam problemate tertio attulit quia scilicet merum crassius est, quàm dilutum, crassioremque adeò obtinet substantiam, quæ in angustos capitis meatus ingredi nullo pacto potest: sed in ipsos sola ingreditur facultas, odor & caliditas: contra

quod eſt mixtum aquæ,quę ſua natura tenuior quàm ipſum eſt,ab aquæ tenuitate adiutum, vnà cum corpulentia quam habet, poros cutis ſubit, & ingreditur: habens autem cum ea corpulentia multum adhuc illius facultatis, quæ erat in mero, difficiliùs multò quàm antea concoquitur. Nam tum humida omnia, inter quæ huiuſmodi & ita dilutum vinum eſt, difficilis coctionis ſunt, tum etiam magis corpora, ſeu corpulentiæ quàm facultates quæ in ipſis reperiuntur.

XV.

Διὰ τί μᾶλλον δυώαν) πεῖν εἰς μέθην οἱ ἀγύμναστοι τῶν γεγυμνασμένων, ⁊ ῥᾷον ἀπαλλάτθσιν; ἢ ὅτι οἱ ἔχοντες περίτωμα ⁊ ὑγρὸν ἐν αὐτοῖς, ἀρτικοὶ γίνον). ὥσᾳ ποιεῖ δυώαθαι πίνειν, ἢ ὕστερον κάφως ἔχειν, Διὰ τὸ μὴ ἐμμένειν πολὺ ὑγρὸν οἰνῶδες; οἱ μὲ οὖ ἀγύμναστοι, ὑγροὶ ⁊ περίτωματικοί εἰσιν· οἱ ᾗ γεγυμνάσμενοι, ξηροί· ὥς᾽ εἰς τὸ σῶμα τάχις ἡ ὑγρότης ἡ οἰνηρὰ ἀφικνεῖ). εὐθύς τε οὖ ἀντιπαᾷ τῇ ἀρήσᾳ ἡ Φορὰ αὕτη. καὶ ὕστερον ἔμμενον τὸ ὑγρὸν τῦτ᾽ ἐν τῷ σώματι, βάρος ποιεῖ.

Cur inexercitati magis quàm exercitati, ad vinolentiam vſque potare, & vino faciliùs ſolui poſſunt? An quoniam qui excrementa, humoréſque in ſe continent, vrinam copiosè profundunt: quod facit, vt plus bibi, & leuari faciliùs poſſit, quoniam non multum vinoſi humoris in ventre remaneat. Atqui inexercitati, humidi ſunt, excrementíſque redundant. Exercitati contra, ſicci, ſiticuloſíq;, vt vini humor ſeſe totum inſinuare corporibus poſſit, ſtatim igitur hic vini impetus vrinam retractat, & poſt, humor hic in corpore inſidens, grauitatem creare nimirum poteſt.

Quærit Ariſtoteles quam ob rem illi qui minimè exercitari ſolent,poſſint abſque ebrietatis periculo, & antequam ebrietate præhendantur, maiorem vini copiam ingurgitare, quàm illi qui exercitationibus aſſueti ſunt:ac ſi ebrietatem incurrant faciliùs ea ſoluantur. Aponenſis tamen falſa antiqui interpretis tralatione deceptus,contrariam omnino ſententiam in expoſitione proponit, non exercitatos faciliùs præhendi exercitatis affirmans: illum tamen quem attulimus eſſe Ariſtotelis ſenſum, ex ſolutione ipſa patet. Solutio autem nititur hoc fundamento, quòd exercitationibus non vtentes, vias vrinæ apertiores habent, per quas omne quod bibunt profundunt, vtentes contra. Ait igitur quòd inexercitati multas humiditates & ſuperfluitates congeſtas habent exercitationis defectu: exercitatio enim illas exſiccat ac tollit: Aſſumpto igitur vino illæ diluuntur,& attenuantur, & ad vias vrinæ deducuntur, per quas eaſdem vnà cum eodem vino, cui ſunt etiam comites, & auxilium præſtant, vt ab eodem & ipſæ viciſſim adiuuantur, foras per vrinam excernuntur; ex quo fit, vt & alij potui locus ſit, & eo onere leuatum corpus,leuius deinde ſe habeat, quia ſcilicet humidum illud vinoſum intus haud remanet. Contrario modo qui exercitationibus multis vtuntur, toti ſicci ſunt, nimirum ob diſcuſſas, & euacuatas humiditates beneficio exercitationis: non igitur ad vias vrinæ in eis vini humiditas ferri poteſt: ſed potiùs per vniuerſum corpus, cui ob ſiccitatem inſinuatur, & imbibitur, ſicca enim promptè humiditatem recipiunt, & ad ſe trahunt; atque inde ad partes ſuperiores fertur: hæc igitur vini per corporis partes diffuſio & inſinuatio retrahit ipſum à viis vrinæ,per quas in illis excernitur: tale autem humidum vinoſum detentum in corpore grauitatem & ebrietatem faciliùs progignit.

XVI.

Διὰ τί ὁ οἶν☉ καὶ τετυφωμένους ποιεῖ, καὶ μανικούς; ἐναντία γὰ ἡ Διάθεσις· ὁ μὲ γὰ μᾶλλον ἐν κινήσᾳ· ὁ ᾗ ἧτθον. ἢ ὥσᾳ χαιρήμων εἶπε, τῶ χρωμένων γὰ τοῖς τρόποις ἀεφάνν) ταὐναντία ἓν ποιεῖ ἃ ταὐτά, ἀλλὰ τὰ μὲ ὁμοίως ἔχοντα· ὥσᾳ ⁊ τὸ ὠῶρ, τὰ μὲ ξηραίνει, τὰ ᾗ ὑγραίνει· ἀλλ᾽ ἃ ταὐτά, καὶ πήκει τὸ κρύσταλλον, καὶ πήγνυσι τὰς ἅλας. καὶ ὁ οἶν☉ (ὑγρὸς γὰ ἔσι τῷ φύσι) τὰς μὲ ⁊ραδυτέρους ἀπιτείνᾳ, ⁊ θάτθας ποιεῖ, τὰς ᾗ θάτθας ἐκλύει· διὸ ἔνιοι τῶ μελαγχολικῶν τῇ φύσι ἐν τῷ κεφαλαίᾳ ἐκλελύμθοι γίνονται πάμπαν· ὥσᾳ γὰ τὸ λατθὸμ τὰς μὲ σιωδεδεμθύς τὸ σῶμα καὶ σκληρὰς, ἀκινήτους ποιεῖ, τὰς ᾗ ἀκινήτους καὶ ὑγρὰς ἐκλύᾳ· ὅπως ὁ οἶν☉, ὥσᾳ λέγω τὰ ἐντὸς, ἀᾳγάζεται τῦτο.

Cur vinum aliquos retardos, alios ſuperbos reddit, atque inſanibundos?

Contrario

Contrario enim adfectu id agitur, quandoquidem alteri magis, alteri minùs moueantur? An (vt Chæremon ait) *vinum se se pro moribus vtentium applicat.* Contraria igitur reddit, non quæ eadem sed quæ sunt dissimilia: vt ignis alia exsiccat, alia humefacit, sed non eadem: ea quidem glaciem liquefacit, salem indurat. Nam & vinum, vt quod suapte natura humidum sit, homines tardiores incendit, reddítque mobiliores: contra mobiliores dissoluit, atque retardat. Vnde pleróque melancholicos penitus resolui, labíque in crapulis nouimus. Vt enim balneum corpora perstricta, duráque relaxat, agilioráque facit, humida verò & mobilia dissoluit, atque infirmat: sic vinum quasi interna hominis diluens, ita afficere potest.

De vini effectibus circa hominum mores, pro varia qua hauritur mensura, pluribus agit Aristoteles primo problemate sectionis trigesimæ. Hoc autem loco duo tantùm proponit: cur vinum efficiat τετυφωμένους, & μανικούς. Non est autem ita facilè videre quid illis vocibus Aristoteles intellexerit. Theodorus duo verba tribus expressit; & quæ Aristoteles copulauit, ipse disiunxit, ex vino alios dicens fieri retardos, alios superbos, & insanibundos: oritur difficultas ex varia notione vocis τετυφωμένους, quæ denotat tum *superbos, fastuosos*, & *insolentes*, metaphoricè ex fumo deducta significatione; tum *attonitos*, ac etiam, *stultos*, μανικοὺς itidem quum significet *delirantem*, ea mentis alienatione & furore qui à flaua bile, acri & calido humore excitatur, vt habemus in libro Galeno ascripto, cui titulus, introductio, seu Medicus, quomodo etiam sæpe Hippocrates & Galenus accipiunt; aliquando etiam significat insanum, & ea mentis alienatione detentum, quæ alioqui melancholia dicitur, quo modo accepit eam vocem Hippocrates v 1. aphor. xxi. *In insanientibus si varices vel hæmorrhoides superuenerint insaniæ solutio*: hoc enim loco Hippocrates habet maniam, quam pro vocata propriè melancholia minimè genita à bile sumi, testis est Galenus in commentario; sed & Demosthenes non dissimiliter eas voces vsurpasse videri potest, cùm eas iunxit in oratione pro corona dicens. ἀλλ' ἐγὼ μάινομαι ἢ τετύφωμαι νὴ καπῆρον. Verùm de huius verbi notione alia etiam in hisce commentariis ex M. Tullio & Platone me attulisse puto. Cùm hæc igitur ita sint; illud primùm ambigo, vtrum Aristoteles duabus illis vocibus, eundem seu similem potiùs affectum intelligi voluerit, solùm maioris & minoris ratione differentem, non enim ex vi quidem verborum prohibeatur; an contrarium: alium calidum, alium frigidum. In Theodori sanè tralatione, & iis quæ statim subiicit Aristoteles, contrarietas apparet; habemus enim in tralatione, *aliquos retardos, alios insanibundos*, quæ manifestè videntur contraria, & subdit Aristoteles: *contrarius enim est affectus:* ita namque Græca sonant quæ Theodorus vertit, *contrario enim affectu res agitur.* Sed Theodori tralatio vim non facit, possit enim esse suspecta; & contraria dicuntur aliquando, quæ maioris & minoris ratione differunt, vt magnũ & paruum. In eâdem Theodori tralatione illud etiam molestum, quòd cùm superbi nominentur, nec significari Græcè possint nisi participio τετυφωμένους qua voce significentur *retardi* non video. Quòd si eâdem voce velit Theodorus ab Aristotele vtrósq; intelligi; Primùm quidẽ ea mihi res absona videtur: nec huiusmodi morem, aut apud Aristotelem, aut alios auctores obseruare memini; tum verò cur iũgit superbos insanibundis, quæ duæ voces separatim ponũtur ab Aristotele, cùm superbos vna & eadem prorsus voce significari faciat, qua retardos? vt hoc modo potiùs fuerint illa iungenda. Cur vinum aliquos retardos, & superbos facit, aliquos insanibũdos? si modò superbos in seriẽ orationis recipimus, quod nõ facio: nam cùm duæ tantùm sint voces quibus vtitur Aristoteles, atque vna denotentur insanibundi, altera vnum tantùm etiam significari existimo, quos retardos dicit Theodorus. Nec verò superbis hîc locus est, vt puto, non enim vsu vini aliquos superbos reddi fortasse bene dicatur, aut verum sit: reddit quidem existimatione de se ipsis plenos, & magnificè de se sentientes nonnullos, sicuti dixit Plato in Cratylo, teste etiam Athenæo libro secundo; qui Plato illam vocis οἶνος Etymologiam afferebat, quòd νῆν, id est, mentem nostram impleret τὴ διήσεως, id est, stulta de nobis ipsis existimatione, facerétque nos putare plenos esse mente, & intelligentia, cùm non essemus: quam rem habemus iterum apud eundem Platonem libro primo de legibus, nimirum quo quispiam plus biberit, tanto maiore & meliore spe esse, opinionémque concipere vt plus valeat, & animosiùs de se ipso sentire: quod itidem apud eundem Athenæum cecinit Diphilus comicus hoc carmine.

Abiecti magnificè vt ſentiant de ſe tu ſolus efficis.

Hoc igitur facit vinum: ſuperbos autem propriè non reddit. Ariſtotelem igitur exiſtimo, duos tantùm effectus proponere, & illos inter ſe contrarios, non tamen omnino & propriè. Eſt autem vtérque inſania, ſed altera cum mobilitate, & motuum frequentia, nimirum mania, hanc enim in præſentia ita accipio; altera autem cum tarditate, vel meliùs cum ſtupore, quam denotat participium τεθυφωμμένους. Ex his autem duobus affectibus, gignitur vnus aliquando mixtus, qui dicitur, τυφωμανία, quem ex lethargo & phrenitide eſſe compoſitum, docet Galenus in expoſitione linguarum Hippocratis, & in libro de Comate. Maniaci igitur crebrò agitantur, pluribúſque motionibus percelluntur, ſtupore autem detenti, quos & attonitos nominemus licet, immobiles permanent, quòd omnino exſoluantur, vt in problematis diſſolutione dicit Ariſtoteles; nimirum tum corpore, tum mente, cur autem ex vſu vini, vel hic vel ille contrarius ſuboriatur effectus, cauſſam eſſe dicit Ariſtoteles, temperaturam illius qui vino vtitur: nam vt dicebat Chæremon: *vinum miſcet ſe ſe moribus eorum qui ipſo vtuntur.* Fuit autem Chæremon tragicus, vt apparet ex Ariſtotelis libro de Arte poëtica. Dicebat autem ille, vt habemus apud Athenæum, ex vino conciliari bibentibus riſum, ſapientiam, docilitatem, & bona conſilia. Igitur pro eorum varietate qui vino vtuntur, varios gignit effectus; contrarios autem non circa eaſdem res, ſed quæ alio & alio modo ſe habent: nimirum à re quæ patitur, non à vino contrarietatem illam effectuum proficiſci inſinuat. Id autem in aliis etiam rebus ſimili modo contingere dicit Ariſtoteles: nam ignis & exſiccat & humectat, non eadem ſed alia atque alia, pro ratione materiei quæ ſubiicitur, ſicuti exemplis propoſitis oſtendit, καὶ ὁ οἶνος ὑγρὸς γάρ ἐστι τῷ φύσει, τοὺς μὲν βραδυτέρους. *Nam & vinum, vt quod ſuapte natura humidum ſit, homines tardiores.* Ad rem propoſitam adaptat Ariſtoteles, quæ dicta ſunt. Meliùs autem ita conuertamus. *Vinum igitur, quippe quod ſuapte naturâ humidum ſit, homines tardiores incendit,* hoc autem poſtremum verbum *incendit* Græcè eſt ὀξυτείνει, id eſt, *mobilitatem & celeritatem affert*, quemadmodum ſuperiùs problemate tertio primæ particulæ ὀξυτείνουσιν τοὺς νόους. Igitur qui naturâ tardi ſunt, frigidi ac ſicci, illi à vini humiditate irrigati, & emolliti fiunt celeriores & maniaci; qui autem mobiliores & calidi naturâ, illi exſoluuntur: nimirum vlteriùs promouet hos, quàm illos vinum; ſed & hi etiam eodem modo vlteriùs procedente vino propelluntur: ita enim debilitatur eorum vis & natura, quæ motioni inſeruit, ac minùs vino poteſt reſiſtere; vt ab illius facultate promptè & penitus ſe inſinuante, exſoluantur omnino, ſtupidíque & attoniti reddantur. *Mobiliores diſſoluit atque retardat*, hæc poſtrema, *atque retardat*, quæ de ſuo addidit Theodorus eliminanda puto, non enim tarditatis verbum conueniat, vbi de ſtupiditate & omnimoda diſſolutione agitur. διὸ καὶ ἔνιοι τὸν μελαγχολικῶν τῇ φύσει. *Vnde pleróſque melancholicos natura.* Si hoc inferatur ex verbis quæ vltimo loco propoſita ſunt, vt prima facie apparet, nimirum celeres & mobiles exſolui, iam per melancholicos naturâ, neceſſe ſit intelligere aduſtos, hi enim celeres & mobiles, alij autem contrà. Meliùs autem puto vt nulla vis inferatur verbo, & per melancholicos naturâ intelligamus frigidos & ſiccos: & ſenſus optimè quadrat: ac etiam illis conuenit, quæ dicuntur problemate primo ſectionis trigeſimæ: eſt hoc nimirum exemplum non tantùm illius partis, quæ poſtremò propoſita eſt, ſed totius membri, & totius problematis, ac declarat omne propoſitum: quia enim vinum tardos & frigidos reddit mobiles & celeres, celeres autem & mobiles exſoluit omnino, hinc fit vt melancholici, qui tardi ſunt, ex vino reddantur celeres; procedente autem adhuc vino omnino diſſoluti, hóſque gradus, vt dicebam, eodem modo diſtinxit ſectione xxx. fieri ſcribens priùs μανικούς, tum diſſolui, & ineptire. ὥσπερ γὰρ τὸ λουτρὸν. *Vt enim balneum.* Vinum quoddam balneum eſt, ſed internum; eſt enim humidum naturâ, vt ſuperiùs dixit; iure igitur illius exemplo, tamquam rei congeneris vtitur ad idem probandum, hoc modo: Qui habent corpus durum, ſiccum & veluti illigatum, quemadmodum melancholici, illi balnei vſu agiles, & bene mobiles redduntur; qui verò agile, bene mobile, & humidum, illi relaxantur, & diſſoluuntur. ὥσπερ λούων. *quaſi interna hominis diluens*, ſimilitudinem vini cum balneo inſinuat, hoc enim externa, illud interna proluit: legendum enim, vt nos excudendum curauimus λούων, non autem λύων, quam lectionem ſimiliter agnoſcit Theodorus & antiquus interpres, ac reponit Iuſtinianus.

XVII.

Διὰ τί ἡ κράμβη πάυει τὴν κραιπάλλην; ἢ ὅτι τὸ μὲν χυλὸν γλυκύν, καὶ ῥυπτικὸν ἔχει· διὸ καὶ κλύζουσιν αὐτῷ τὴν κοιλίαν οἱ ἰατροὶ· αὐτὴ δ' ἐστὶ ψυχρά· σημεῖον δ' ὅτι τοὺς σφοδρὰς ἐμπρόσθους χρῶνται αὐτῇ οἱ ἰα-

τερὶ, ἕψοντες σφόδρα, καὶ ἀποχυλίζοντες καὶ ψύχοντες· συμβαίνει ἢ τ κραιπαλώντων, τ μὲ χυλὸν αὐτῆς εἰς τ κοιλίαν καταταφὰν τὰ ἐν αὐτοις ὑγρὰ, οἰνηρὰ ὄντα, αὐτῷ ἢ ὑπολειπομένην ἐν τῇ ἄνω κοιλίᾳ ψύχειν τὸ σῶμα· ψυχομένη ἢ ὑγρὰ λεπτὰ συμβαίνει εἰς τ κύστιν φέρεσθ· ὥστε κατ' ἀμφότερα τ ὑγρῶν ἐκκενομένων ἀφὰ τ σώματος, καὶ καταψυχομένη, εἰκότως ἀκραίπαλοι γίνονται· ὁ γὰρ οἶνος ὑγρός, καὶ θερμός ὅστιν· ἔτι ἢ συμβαίνει τ ὑγρῶν καταπωμένων καὶ ἐκκενομένων κάτω, καὶ πνεῦμα ἐπάγεσθ αὐτοις· ὅταν μόνον ἀπὸ τ ὄινα εἰς τ κεφαλὴν φερόμενον, τ κάτω καὶ τ κραιπάλην ποιεῖ· κάτω ἢ ὁρμήσαν, καὶ καταψυχομένη τ σώματος ἀφὰ τὰ εἰρημένα, λύεται ὁ κραιπάλης πόνος· ἔστι γὰρ ἡ κραιπάλη ζέσις τις καὶ φλεγμασία λήγουσα· λυπεῖ δὲ μᾶλλον τ μέθης, ὅτι ἐνέννη μὲ ἐξίστησιν, ἡ ἢ κραιπάλη ἐν ἑαυτῆς ἔσα, τ πόνον παρέχει· καθάπαξ δ' ἐν καὶ ὑπὸ τ πυρετῶν οἱ λαμβανόμενοι παίζεσι μᾶλλον ἢ ἀλγοῦσι παρ' αὐτοις ἢ γνόμενοι οἱ αὐτοὶ, κεφιδέντες δ' πάθος, ἀλγοῦσι· τ' αὐτὰ γὰρ καὶ ἐπὶ τῆς κραιπάλης, καὶ ἐπὶ τ μέθης συμβαίνει.

Quid eſt cur braſſica ſedet crapulam? An quòd ſuccum dulcem, diſcutientémque obtinet. Vnde medici eum aluo infundunt, frigida autem ipſa eſt. Argumentum, quòd ad alui vehementes deiectiones medici ea vtuntur, excocta in plenum, & ſuo caule purgata refrigeratáque. Fit igitur detentis à crapula, vt eius ſuccus humores in aluum detrahat, qui vinoſi, crudíque tenentur, & ipſa ſupra in ventriculo remanens corpus refrigeret: quo fit, vt tenues humores ad veſicam labantur. Quòd cùm humor vtrímque educatur, corpúſque refrigeretur, rectè liberari à crapula poſſint. Vinum enim humidum, atque calidum eſt. Euenit ad hæc, vt cùm humores deorſum ſe trahunt, atque excernunt, flatum etiam ſecum deducant: qui, ſi per vinum liceat, in caput ſe efferens grauitatem creat, & crapulam: ſin autem deorſum ſe vertit, corpúſque ob cauſſam prædictam refrigeratum eſt, dolor crapulæ omnis tollitur Eſt enim crapula feruor quidam & deſinens inflammatio, quæ plus conflictat quàm temulentia, quòd mentem illa quatit, & alienat, crapula autem mente ſibi conſtante, dolorem admouet. Vt etiam qui febre vrgente ludunt potiùs, quàm dolent: iidem vbi leuati malo fuêre atque ad ſe redière, indolere occipiunt. Hoc enim idem in crapula quoque, & in temulentia euenire ſolitum eſt.

Braſſicæ vires aduersùs crapulam & ebrietatem multi auctores prodidêre. Theophraſtus lib. IV. de hiſtoria plãtarum ad finem, & ex ea propulſari ebrietatẽ ſcribit: quippe ex Androcydis ſententia, quòd vitis etiam viuens odorem braſſicæ fugiat. Hoc tamen Theophraſti loco aduertendum eſt, pro braſſica quæ Græcè crambe eſt, dici à Theophraſto, raphanum, ita enim antiquitùs crambe, ſeu braſſica appellabatur, ſicuti manifeſtum facit Ariſtoteles libro v. de hiſtoria animalium dicens, erucas naſci ex foliis viridibus, præſertim in raphano, quem nonnulli cramben, hoc eſt, braſſicam appellant. Ex Athenæi libro primo ad finem, id etiam apertiſſimum fit, qui locum à me citatum Theophraſti in medium adducit, & alias præterea antiquorum Poëtarum auctoritates, quibus eadem braſſicæ facultas ſub raphani nomine proponitur. Non putaui autem alienum, illius verba etſi longiuſcula ſint, Latinè huc afferre, quæ ita habent ex Dalechampij tralatione. *Vinolentos AEgyptios fuiſſe hoc oſtendit, quòd apud eos tantùm in cœnis ſtatutum eſt, ante omnem cibum braſſicam elixam comeſſe, & ad compotationes ita ſe præparare. Multi ſanè vt ab ebrietate vindicentur, præſumunt braſſicæ ſemen. Quin & in qua vite braſſica naſcitur, inde vinum exilius: quam ob rem Sybaritæ, vt inquit Thimæus, antea quàm potarent, braſſicarum eſu ſe muniebant.*

Alexis. *Heri bibiſti plus ſatis: nunc graue caput*
Sentis, medendum eſt huic malo ieiunio:
Deinde braſſicam tibi dabit quiſpiam
Elixam.

Hoc autem loco, vbi Latinè braſſicam habet Dalechampius, Græcè eſt, raphanum. Sequitur Athenæus.

Eubulus alicubi inquit.

Vxor mihi raphanum si tu afferas,
Hanc crapulam euestigiò discusseris
Ni fallor omnem.

Antiquos raphanum brassicam vocasse monstrat Appollodorus Carystius.

Raphanum scito vocare nos : at hospites
Vos brassicam : quid interesse hoc fœminis
Putas? Anaxandrides.
------ *si lauabitis,*
Raphanúmque multum edetis, hæc mox desinet
Vexare vos capitis grauedo : frontibus
Nubem insidentem tristibus dispergite.

Nicochares. *In crastinum raphani loco, nos balneum*
Quod crapulam sanet tuum parabimus.

Amphis. *Nullum remedium est ebriis paratius,*
Quàm si molesti quidpiam fortè accidat
Subitò, etenim mirum in modum illud dissipat
Eiusmodi nugas : raphanus vt non magis
Ad id valeat.

Brassicæ hanc facultatem literis mandauit Theophrastus, & hoc præterea, vitem etiam dum viuit, odorem brassicæ auersari. Hæc Athenæus. Apud Dioscoridem similiter libro secundo habemus, eandem à cibo sumptam, mala quæ ex crapula fiunt discutere. Galenus libro secundo de compositione medi. secundùm locos ad capitis dolorem ex vini potu eandem brassicæ medelam commendauit, ex affectione inuentã, atque experientia ab ipso comprobatam. Laudat autẽ tum succum, tum ipsa brassicę folia, aqua calida irrigata, capitiq; circumposita & adligata. Sed & Latini scriptores hãc brassicæ facultatem nõ siluerunt. Cato enim in libro de re rustica ita de ea habet. *Si voles in conuiuio multum bibere, cœnaréque libenter, ante cœnam esto crudam quantum voles ex aceto: Et item vbi cœnaueris comesto alia V. folia : reddent te quasi nihil ederis, biberísque, bibésque quantum voles.* Plinius libro xx. capite ix. de eâdem inquit, antecedente in cibis caueri ebrietatem, postea sumpta crapulam discuti. Huius igitur effectus caussam quærit hoc problemate Aristoteles, eámque reddit per illa quæ sequuntur, ἢ ὅτι τὸ μὲν χυμὸν γλυκὺν ἀφ' ἑαυτοῦ. *An quòd succum dulcem discutientémque obtinet.* Cur ebrietati aut crapulæ resistat brassica, Galenus loco quem adduximus secundo de compos. medicam. eam esse caussam dicit, quòd repellat vapores ad caput ascendentes, ex quibus fit ebrietas, & ille capitis dolor ac molestia, quòd refrigeret, sáltim vnà cum rosaceo, cum quo adhiberi iubet, caliditatem quam vinum fecit & facit; quòd exsiccet eosdem vapores: tum naturalem etiam quandam vim eiusdem brassicæ aduersùs vinum in medium adducit. Libro autem de remediis paratu facilibus, cùm eiusdem brassicæ vires ad eandem rem commendaret, solius exsiccationis mentionem fecit; Aristoteles autem hoc loco, illam esse caussam tradit, quia brassica trahit ad se in ventrem, refrigerat, & per vrinas ducit, his autem soluitur crapula. Ostendit igitur quomodo hos effectus præstet, qui partim à succo, partim ab ipsius substantia proficiscuntur. Primùm igitur dicit, succum esse dulcem & absterforium : de hac autem absterforia vi meminit etiam Galenus libro secundo de alimentis, & vii. de simpl. medic. facultatibus : quemadmodum etiam Plinius libro x x. capite i x. de dulcedine autem nemo, quod sciam. Semen equidem amarum dicit Galenus v i i. de simplic. medic. & ipsam totam, tum idem Galenus eodem loco, tum secundo de alimentis: quemadmodum tertium genus propriè appellatum crambe, reliquis amarius dicit Plinius. Aristoteles autem de succi hac dulcedine meminit, vel vt eum separaret ab aliis partibus, in quibus vt dictum est, dominatur amaritudo, vel vt ab aliis absterforiis & deiectoriis, quæ magis amara sunt. Hanc porrò absterforiam vim ex eo ostendit Aristoteles quod medici faciebant, qui ad intestina abstergenda, eum per clisteres infundebant : legendum autem in Latinis, *eum*, vt nos restituimus non *eam*, vt omnes codices habebant, vt de succo non de substantia sententia accipiatur. Mox brassicam esse frigidam eodem argumenti genere ostendit, ad alui enim fluxiones vehementes vtuntur ea medici, coquentes ipsam, & ex ea educentes succum, seu partem illam quæ in superficie residet, & absterforia est, & fortasse

non frigida,quemadmodum etiam docet Galenus de eâdem braſſica, & de lente, quoties ipſorum vi adſtringenti ſola vti nobis conſilium eſt : quod conſequimur abiecta prima aqua, in qua illa fuerit elixata:nam in ea ſuccus,ſeu pars illa abſterſoria, quæ eſt in ſuperficie recipitur, alia adſtringenti & frigida in ſubſtantia relicta. Porrò locum ita expono, quia lego ἀποχυλίζοντες, non ἀποξυλίζοντες, quod verbum vt abſurdum, neque aptum vt aliquam obtineat ſignificationem ſententiæ conſentaneam, omnino delendum puto, licèt Theodorus qui ſenſum, vt ego exiſtimo non percepit, quomodo potuit reddiderit, *& ſuo caule purgata* : ita enim legendum in Latinis non *ſuo callo*. Nam & hoc monſtrum ibidem inoleuerat. Theodorus autem verbum deduxit, vt puto, ἀπὸ τοῦ ξύλου, hoc eſt à ligno, vt ἀποξυλίζειν eſſet *detrahere lignum*, id eſt, *partem lignoſam*, quam caulem ſeu ſtipitem dixerunt : in quem errorem ſimiliter inciderat antiquus interpres, qui reddit, *extrahentes ſtipitem*, χυλίζειν autem apud Dioſcoridem & alios medicos, vt ἀποχυλίζειν, eſt ſuccum ex herbis educere & extrahere, quod licèt per expreſſionem ſæpius fieri intelligatur, non ſit tamen abſurdum, etiam hoc modo accipi, quando magis ſententiæ quadrat : ita igitur locum conuertemus. *Argumentum : quòd ad alui vehementes deiectiones medici ea vtuntur, illam plurimùm elixantes, ſuccum extrahentes,& refrigerantes*:& ſi vltimum hoc verbum, *refrigerantes*, quod de ipſa braſſica accipit Theodorus, cùm velit exhiberi refrigeratam, poſſit fortaſſe meliùs referri ad eos qui illam accipiunt, hoc ſenſu: Exhibent braſſicam vehementer elixatam, & ſucco extracto, & ita corpus refrigerant. συμβαίνει ἢ. *Fit igitur.* Ad rem propoſitam accommodat quæ dicta ſunt, & oſtendit quomodo braſſicæ tùm ſuccus, tum ſubſtantia operetur in ebriis. Ait autem ſuccum braſſicæ, quippe qui ſit abſterſorius, & aliquam vim trahendi obtineat, deducere ad ſe ex capite in ventrem humiditates vinoſas, & crudas, atque ita liberari caput iis quæ ipſi negotium faceſſebant, aliò tranſlata materia: quòd ſi ex ventre per aluum extra corpus deiiciuntur, quod tamen non exprimitur hoc loco, ſed ſignificatur paullò poſt, multò magis illud contingit : & id ſanè præſtat ſuccus: ipſa autem braſſica in ventre ſuperiori ſeu ventriculo relicta, ea facultate qua poſſet corpus refrigerat : refrigerato autem corpore, ceſſantéque calore, cuius vi ad caput ferebantur vapores & humiditates, iam non ampliùs illuc impetum faciant ; ſed potiùs labantur deorſum, & cùm tenues atque aqueæ ſint ad veſicam, quo huiuſmodi materia promptè, niſi impediatur,ſolet confluere ; cui rei præſtat etiam auxilium ipſamet braſsica, præſertim cymata, ſeu aſparagi ipſius, quos ciendæ vrinæ facultate pollere teſtatur Dioſcorides, loco quem adduximus libro ſecundo, & Ætius libro primo. Succus igitur & braſſica hæc operantur : non apparet autem ex verbis, vtrum ſuccum à braſsicæ ſubſtantia ſeorſim exhiberi velit Ariſtoteles, an ſeparationem illam opere naturæ intus fieri. ὥστε κατ' ἀμφότερα. *quòd cùm humor vtrinque educatur.* Concludit propoſitum ; meliùs autem reddamus. *Quare cùm humor* ſeu, *cùm igitur humor.* Quod autem dicit Ariſtoteles κατ' ἀμφότερα. Theodorus vertit, *vtrinque*, nimirum per aluum,& veſicam : illinc craſsiora quæ à ſucco trahuntur,(quod paullò ante dicebamus hoc loco ſignificari ab Ariſtotele,) hinc tenuiora quæ à braſsica. Aponenſis tamen qui antiqui interpretis tralationem expoſuit, quæ habet ad verbum, *ſecundum vtraque*, intellexit pelli humorem tum virtute braſsicæ, tum ſucci, quo modo extra corpus eiici craſsiora paullò ante ab Ariſtotele ſignificari haud ſit neceſſe : huic tamen expoſitioni vt puto magis conueniret, δι' ἀμφότερα, quàm κατ' ἀμφότερα, quo verbo Ariſtoteles vtitur. ὁ γὰρ οἶνος ὑγρὸς, καὶ θερμός ἐστιν. *Vinum enim humidum atque calidum eſt.* Explicat adhuc liquidiùs ſolutionem, propoſita vini qualitate, cui opponitur braſsica : vinum enim humidum eſt atque calidum, & iis qualitatibus in crapula nocet : braſsica autem, quod oſtendit ſuperiùs, his aduerſatur, nam humiditates è capite tollit, ac exſiccat, ac etiam refrigerat. ἐπὶ τοῦτο συμβαίνει. *Euenit ad hæc.* Alia ratio. Dum humores attrahuntur, & excernuntur per partes infernas, vnà cum ipſis etiam flatus & ſpiritus deducitur ; hic autem flatus & ſpiritus eſt,qui à vino ſeu vini facultate in caput delatus grauitatem & crapulam parit: repoſui autem pro κενοῦμαι, ἐκκενοῦμαι, & pro ὅθεν, ὅταν, auctore Iuſtiniano, quo modo etiam legiſſe apparet Theodorum. *Qui ſi per vinum liceat, in caput ſe efferens grauitatem creat & crapulam.* Ad verbum,& meliùs vt puto; *Qui ſolummodo à vino in caput delatus, grauitatem & crapulam facit.* ἔστι γὰρ ἡ κραιπάλη. *Eſt enim crapula.* Liquidiùs explicat, quare ob eam cauſſam crapulæ dolor ſoluatur ; ait enim id meritò accidere : nam cùm nil aliud ſit crapula, quàm incendium quoddam & feruor, iure refrigerato corpore, & inducta qualitate contraria, feruor & incenſio tollitur : ait autem eſſe feruorem & incendium deſinens, vt quæ illi cum febre eſt, differentiam inſinuet, feruoríſque huius naturam oſtendat, qui huius quidam affectus eſt, & ſolutu facilis, non ſicuti febris quæ non ita facilè deſinit : φλεγμα-

σιαν

σίαν autem, non θερμασίαν excudendum curaui, quòd ita legeret Iustinianus,& agnoſceret Theodorus: malui tamen, *incenſionem*, & *incendium* eam vocem conuertere, quàm *inflammationem*, vt fecit Theodorus, quia inflammationis nomen, medicis conſueto more, affectum magis grauem ſignificat, qui Græcis φλεγμονὴ dicitur. λυπεῖ δὲ μᾶλλον, *quæ plus conflictat.* Temulentia & crapula non idem ſunt: quo differant docet hîc Ariſtoteles. Nos ſuperiùs ad problema tertium nonnulla etiam ex Galeno adduximus. Temulentia, ait, hominem magis immutat, & de ſuo ſtatu dimouet: ita enim meliùs interpretemur ἕξισιν, quàm *conflictat*, vt Theodorus: (ſic tertio Ethicorum idem Ariſtoteles, κὴ ἡ μὲν λύπη ἕξισιν.) Crapula autem mente conſtantibus dolorẽ præbet. καθάπερ ἐν κὴ ὑπὸ τ̃ πυρετ̃ν. *vt etiam qui febre vrgentur.* Similitudine febricitantium eandem explicat differentiam: qui enim febri, eáque graui & vrgente laborant, magis ludunt, hoc eſt nugantur, & puerilia faciunt, quippe qui extra ſe poſiti ſint, quàm doleant, aut dolorem percipiant: ad ſe autem reuerſi, & morbi magnitudine leuati, dolere incipiunt: Eodem pacto in crapula contingit: ebrietas enim illi, crapula huic ſimilis eſt.

XVIII.

Διὰ τί μᾶλλον ἐμετικὸν ποιεῖ ὁ ὑδαρὴς οἶνος, ἢ τὸ ὕδωρ ἢ ὁ ἄκρατος; ἢ ὅτι ἐμεῖν μάλιστα ποιεῖ τὰ ἀπιπολαστικά; ἃ ὅσα ἀηδῆ ὄζωνται ἔχει ἢ ὁ μὲν οἶνος καθαρτικός, τὸ δὲ ὕδωρ λεπτὸν κὴ οὐκ ἀηδές· διὰ μὲν οὖν τὸ λεπτὸν, κὴ οὐκ ἀηδες εἶναι, κάτω διέρχεται ταχύ· διὰ δὲ τὸ μὴ ἀηδὲς εἶναι ἐμεῖν οὐ ποιεῖ καρδιώττειν. ὁ δὲ κεκραμένος λίαν, οὐκ ἔστι λεπτός, ὥστε διαῤῥεῖν ταχύ· διὰ δὲ τὸ μικρὸν ἔχειν οἶνον, ἀηδής ἐστι. ταραττόμενος δὲ τῶν αἰσθήσεων, τῶν πλείστων ἐν αὐτῇ τὰς κινήσεις ἐμποιεῖν, τό τ' ἀπὸ τ̃ οἴνου, καὶ τ̃ ὕδατος· αἰσθάνεται γὰρ ἀμφω χρόνου· ὁ δὲ ὀξυκράτου τῶν μὲν ὕδατος ἀναίσθητον ἀφανίζει, οἴνου δὲ μᾶλλον ποιεῖ αἰσθάνεσθαι. διὸ ἥδεως πίνεται· ἀηδὴς δὲ ὢν ὁ ὑδαρὴς οἶνος, ἀπιπολαστικός ἐστι· τὸ δὲ τοιοῦτον, ἐμετικόν ἐστι.

Cur vinum dilutius temperatum vomitum magis quàm merum, quàm aqua prouocat? An quòd ea maximè vomitum mouent, quæ innatare ſolita, quæque inſuauia, faſtidioſáque ſunt. Vinum autem reprimendi vim obtinet: aqua tenuis, nec inſuauis eſt. Quòd igitur tenuis eſt, cito pro ſui tenuitate deſcendit: quòd non inſuauis, ſtomachum non perturbat. Vinum autem nimis dilutum, nec ita tenue eſt, vt perfluere poſſit celeriter, & faſtidioſum eſt; quod parum obtinet vini: ſenſum enim conturbat, quia plures motus in eo excitat, ſcilicet quem vinum, quémque aqua efficere poteſt: ambo enim ſentiri queunt. Quod autem fuerit modicè temperatum, id ſenſum penitus aquæ tollit, viníque mollis, delinientíſque ſenſum accommodat, ex quo ſuauiter bibi poteſt. Sed cùm vinum immodicè dilutum ita inſuaue eſt, tum innatare, redundaréque ſolet: quod autem tale eſt, vomitum id facilè ciet.

Tria ſunt quæ comparat, vinum dilutum, aqua & merum: primum autem rurſus diuidit; nam mixtio aquæ & vini duobus modis fieri poteſt, aut maiorem aquæ, quàm vini portionem admiſcendo, quod dilutius temperamentum nominat; aut à contrario, maiorem vini, quàm aquæ, de qua mixtione, quam ὀξύκρατον, ſeu moderatè temperatum appellat, ad finem problematis loquitur. Tria autem hæc proponens inquirit, quam ob rem ex eis magis vomitum concitet vinum maximè dilutum, quàm aut aqua ſola, aut merum. Ait autem id fieri, quoniam illa quæ vomitum concitant, id efficiunt, quia in ſuperficie innatare ſolita, & inſuauia ſunt, in ſuperficie nimirum oris ventriculi, quod cum inſuauitate moleſtent, via faciliori expelluntur à natura: huiuſmodi autem non eſt, nec merum nec aqua per ſe: merum enim tantum abeſt, vt in ſuperficie innatare conſueuerit, vt potiùs alia reprimat, & repellat; non ſanè ratione qualitatis, ſuperiori enim problemate dictum eſt calidum & humidum; repellentia autem propriè frigida & ſicca: ſed ratione ſubſtantiæ qua adſtringit & corroborat partem, ex quo innatationem etiam aliorum prohibet. Aqua autem & tenuis natura eſt, vt facilè permeare ad inferiora poſſit, nec in ſuperficie reſideat, & minimè inſuauis: celeriter igitur deorſum meat, hoc eſt, ad vias vrinæ, vel alui: efficit enim illa partium ſubtilitas, vt promptè ad interna & inferiora illa loca poſſit penetrare: & quoniam inſuauis non eſt ſtomacho non infert cum nauſea dolorem

& morſum, quod Ariſtoteles dicit καρδιώτιειν: ita enim, vt alios auctores omittam, exponit verbum hoc Erotianus in Onomaſtico ſcribens. καρδίαν *veteres appellabant os ventriculi, quod etiam ſtomachum communiter appellamus.* καρδιώτιειν *igitur, &* καρδιαλγεῖν *dicitur, cum nauſea & dolore ſtomachum diſcrutiari: hincq;* καρδιογμὸς, *id eſt, ſtomachi morſus.* ὁ δὲ κεκραμένος λίαν, οὐκ ἔστι λεπτός. *vinum autem minùs dilutum, nec ita tenue.* Quare tum aqua per ſe, tum merum haud concitarent vomitum docuit modò; eum quare moueat maximè dilutum ſequitur ad oſtendendum: quod autem antea ὑδαρὴς appellauit, nunc dicit κεκραμένον λίαν, id eſt, *valde temperatum,* ſeu, *multæ aquæ mixtum.* Tale igitur vinum non eſt ita tenue, vt citò poſſit ad interiora ſeu inferiora labi, & penetrare, quod inerat aquæ: hinc fit vt in ſuperficie innatet; & quia vini exiguum obtinet: dictum eſt enim maximam in eo aquæ portionem ineſſe, inſuauis & iniucunda potio eſt, ob varias quas ex illa mixtione gignit motiones in ſenſu: facit enim & eam quæ à vino, & eam quæ ab aqua proficiſcitur: vtræque enim ſenſibiles ſunt, & ſentiuntur, neque altera ab altera occultatur, quemadmodum contingit in ea quæ ſequitur mixtione: varietas autem illa ſaporum, & ſenſationum ventriculum conturbat. Quod verò paullò ante dictum eſt de vino admodum diluto, non habere ipſum eam tenuitatem, vt celeriter poſſet labi, & per corpora penetrare, illis minimè aduerſantur quæ dicta ſunt problemate tertio: ibi enim comparabat intemperatum, ſeu ex toto merum paullulùm diluto, atque hoc celeriùs illo penetrare in corpora dicebat: hîc autem admodum dilutum aquæ non mixtæ comparat, & hanc illo penetraliorem eſſe affirmat; non enim admodum dilutum illam habet tenuitatem quam aqua per ſe: exigua igitur aqua multo vino admiſta adiuuat vt penetret, idque dicitur problemate tertio, multa autem exiguo vino, ſi comparetur cui aquæ nullum admiſtum eſt, non adiuuat, ſed ea re reddit illam huic inferiorem, & id in præſentia dicit Ariſtoteles: hæc autem vt exiſtimo non ſunt contraria; Illud contrarium apparet quod dicit Galenus primo de ſimplic. medicam. facultatibus, à vino aquam ad penetrandum adiuuari: hoc enim videtur ſimpliciter proferri, quacúmque menſura miſtio fiat: verùm de hac re quæ occurrebant diximus ad problema tertium ὁ δὲ ὄξυκρατος τῷ μὲν τὸ ὑδατῷ. *quod autem fuerit modicè temperatum.* Hæc eſt altera pars vnius ex membris ſuperioribus, quod vt dicebamus rurſus diuiditur: dilutum enim vel valde dilutum eſt, quod ὑδαρὴς appellauit, & λίαν κεκραμένον; vel modicè, in quo multò maior vini quàm aquæ copia ineſt, quod ὄξυκρατον appellat: tale igitur ea noxa caret; nam quamuis eſt mixtum aquæ, id tamen ea proportione eſt, vt aquæ ſenſus occultetur, vnde non plures ſenſationes, quæ guſtum turbant, vt in valde diluto, ſed vna ſola vini mollis & ſuauis linguæ occurrit, exigua nimirum aquæ portione ſenſu haud percepta, vnde iucundè bibitur: valde dilutum autem quum inſuaue ſit, in ſuperficie ventriculi innatat, atque ita vomitum facit. Illud idem porrò quod εὔκρατον dicitur, non ſolum minùs quàm valde dilutum vomitum citat, vt hoc loco affirmatur, ſed etiam quàm merum ipſum, quod ſuperiùs ab eodem Ariſtotele tertio problemate habuimus.

XIX.

Διὰ τί μεθύοντες μᾶλιστα δῃδανόμεθα τὰ ἁλυκὰ & τὰ μοχθηρὰ ὕδατα· νήφοντες δὲ ἧττον; ἢ ὅτι τὰ λυπηρὰ μᾶλλον δῆλα τοῖς μὴ ὀπιθυμοῦσι τὰς δ' ὀπιθυμοῦντας λανθάνει. ὁ μὲν οὖν ἡδέως ἔχων, ἡδέως τῷ ὀπιθυμοῦντι ἔχει· ὁ δὲ νήφων, ἄτοπος ἔχει. ὁ δὲ μεθύων, πλήρης.

Cur vinolenti aquas ſalſas, & vitioſas, meliùs quàm ſobrij ſentire poſſumus? An quoniam dura, & triſtia certiùs ab iis ſentiuntur, qui minimè cupiunt. Latent hæc enim cupientes & ſæpe fallunt. At verò qui lætè ſe habet, is non cupienti ſimilis eſt: qui autem in triſtitia eſt, cupientis hic gerit affectum. Sobrius autem ita ſe habet: vinolentus contra, ſatiatus, repletúſque eſt.

Iterat problema octauum, cuius aliam quodammodo à priori diſſolutionem affert: prior tamen vti rei proximior, ita magis idonea & efficax exiſtimari poteſt. Dicit autem ebrios ideo magis percipere ſaporem aquarum, quæ ſalſæ & vitioſæ ſunt, quàm ſobrios, quoniam res quæ ſenſui triſtes & ingratæ ſunt, meliùs ab iis percipi & ſentiri poſſunt, qui rerum earum aut illis ſimilium deſiderio non tenentur: efficit enim deſiderium, vt multa quæ alioquin triſtia & iniucunda apparerent, talia non percipiantur, vt in grauidis mulieribus,

amara

amara quædam & fœtida appetentibus, & aliis etiam contingere videmus. Ebrij autem ſunt veluti non deſiderantes, ſobrij ſicut deſiderantes: ebrius enim eſt repletus & ſaciatus, deſiderium autem eſt rei qua caremus. ὁ μὲν ἡδέως ἔχων. *at verò qui lætè ſe habet*: locus hic in Græcis excuſis exemplaribus quæ vidi, eſt corruptus & mancus. Sententia tamen ex Theodori tralatione clara, quam paullò ante expreſſimus. Qui iucundè ſe habet, nimirum vinolentus, ſimilis eſt non cupienti; quod paullò poſt probat ad finem problematis per hæc verba; *Vinolentus enim repletus eſt*: at deſiderium ob defectum contingit vt ſuperiùs dixit: Ita fit vt ſedatè & abſque cupidine, & ardore degat: ſobrius autem deſideranti eſt ſimilis: ſobrij igitur partes ſeu loca ad quæ guſtus pertinet; tamquam vacua, & præ auiditate, raptim ac fermè abſque ſenſatione trahentia, triſtes & ingratos ſapores non percipiũt. In codice Iuſtiniani pro ἡδέως τῷ ὀπιθυμοῦντι, reponitur, ὁμοίως, quomodo ſanè legi debet: plura tamen neceſſariò addenda eſſe, ex ſententia ipſa, & ex tralatione Theodori patet. Cùm hos commentarios abſoluiſſem incidi in Græco-lat. Ariſtotelis editionem, quæ à doctiſſimo Caſaubono prodiit, in qua adnotatur Theodorum ita legiſſe. ὁ μὲν οὖν ἡδέως ἔχων τῷ μὴ ὀπιθυμοῦντι ὁμοίως διάκειται· ὁ δὲ ἀηδῶς διακείμενος, τῷ ὀπιθυμοῦντι ὁμοίως ἔχει. Quæ omnino Theodori tralationi reſpondent.

XX.

Διὰ τί τοῖς μεθύουσι σφόδρα, κύκλῳ πάντα φαίνεται φέρεσθαι· καὶ ἤδη ἀπιόμενης μᾶλλον τῆς μέθης, ἀριθμεῖν τὰ πόρρω δύνανται; διὸ καὶ σημεῖόν τινες τῆς μέθης ποιοῦνται· οὐκοῦν τῷ θερμότητι τοῦ οἴνου ἡ ὄψις πυκνάκις; ὥσπερ οὖν ὅταν ὑποθῇ τις ὑπὸ τὸ ὀφθαλμὸν δύο φαίνεται ἅττα καὶ τοῖς μεθύουσιν. ἡδὲν γὰρ διαφέρει· ἐὰν μὲν ὑποθῇ, κινῇ τὴν ὄψιν, ἡδὲ ἂν ἔξωθεν ἢ ἔσωθεν· ἀμφοτέρως γὰρ τὸ αὐτὸ πάσχει ἡ ὄψις· ὥστε ἡ δέξις μένει τὸ ὁρώμενον· ἢ τὸ πόρρωθεν ἔτι μᾶλλον· ἔτι γὰρ ἧττον κρατεῖ ὑποτεινομένης τῆς ὄψεως· καὶ πλέον τὸ διάστημα ἐπὶ τῷ ἄκρῳ ποιεῖ ἡ ἐγγὺς αὐτῆ κίνησις· ἐὰν ᾖ σφόδρα κινῇ, καὶ ὁμαλῶς ἄνω καὶ κάτω ἧττον, κρατήσει τῶν πόρρω· πάντα γὰρ ὑποτεινόμενα, κύκλῳ φέρεσθαι· οἷον ὀῖσοι, καὶ τὰ καταρτώμενα· καὶ ἡ ὄψις οὖν διὰ ἀσθένειαν ταὐτὸ πάσχει, ὥσπερ ἂν εἰ πόρρω ἐφέροντο. διαφέρει δὲ ἡδὲν τὴν ὄψιν κινεῖν, ἢ τὸ ὁρώμενον· ταὐτὸν γὰρ ποιεῖ πρὸς τὸ φαίνεσθαι.

Cur penitus vinolentis res omnes circunferri videntur, & cùm iam amplius vinum attingit, nequeunt, quæ procul poſita ſunt enumerare? quocirca nonnulli hinc vinolentiæ indicium trahunt. An quia conſpectus frequenter à vini calore commouetur. Quemadmodum igitur, ſi ſub oculo preſſeris, rem obiectam geminari videbis: ſic etiam vinolentis accidere illud poteſt. Nihil enim intereſt, vtrum ſuppreſſeris, an aſpectum commoueris, nec vtrum extrinſecus, an intrinſecus: idem enim obuenire vel accidere, vtráque ratione conſpectui poteſt. Itáque res obiecta minimè conſtare videbitur, atque etiam magis quæ procul abeſt: nam eò obtinebitur minùs, quò ſe longiùs aſpectus deducat. Propinquitas etiam illa mouendi, ampliùs ad extremum abſoluere interuallum poteſt. Item ſi æquabili cum vehementia ſurſum deorsúmque aſpectus ſe agitet, res minùs aſſequatur remotas neceſſe eſt. Deducta autem circunferri omnia ſolent, velut ſagittæ, & quæ appenſa demittimus. Igitur viſus quoque ſuam ob imbecillitatem, quaſi procul deferatur, idem hoc patitur: nihil autem intereſt, viſum, an rem viſui obiectam commoueas.

Iterat problema nonum, cuius ſolutionem affert eiſdem innixam rationibus, quibus eo loco vſus eſt, breuiùs tamen, & pauculis quibuſdam immutatis. ἤδη ἀπιόμενης μᾶλλον τῆς μέθης. *& cùm iam amplius vinum attingit.* Vox μᾶλλον ſeu amplius in nono problemate non fuit poſita: & pro ἀριθμεῖν, ibidem legitur ἀθρεῖν, quo tamen loco, ἀριθμεῖν itidem legiſſe antiquum interpretem, ex illius tralatione apparet. ἢ ὅτι κινεῖ). *an quia conſpectus frequenter.* Diſſolutio eadem quæ problemate nono. ὥσπερ οὖν ὅταν ὑποθῇ τις ὑπὸ τὸ ὀφθαλμὸν. *quemadmodum igitur ſi ſub oculo preſſeris.* Diſſolutionem à ſimili declarat; quam rem in IX. problemate non habuimus. Quemadmodum igitur, ait Ariſtoteles, ſi quiſpiam ſub oculo premat, res geminatæ videntur, & quod vnum eſt duo apparent, quia nimirum

transmouetur oculus, seu pars oculi, per quam visio fit, ita contingit in ebriis; nam ob vini calorem, oculus aut visio in eis eodem modo mouetur, ac in sobrio, cùm ita oculus premitur. De hac oculi suppressione per quam efficitur vt res geminatæ appareant, suauissima etiam habemus Lucretij carmina libro IV. de Rerum natura, quæ ita leguntur:

At si fortè oculo manus vni subdita subter
Pressit eum: quodam sensu fit, vti videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo,
Bina lucernarum florentia lumina flammis,
Binaque per totas ædeis geminare suppellex:
Et duplices hominum facies, & corpora bina.

Galenus libro primo de sympt. caussis capite II. hunc eundem effectum quo res geminatæ apparēt in medium attulit, cùm de humoris crystallini morbis pertractaret, inter quos transferri & à propria sede dimoueri, instrumentalis morbus eidem est, atque hunc effectum parit de quo loquimur in præsentia, si modò dimotio fiat sursum vel deorsum, quemadmodum ipse ait his verbis. *Porrò si ad alterum angulum, vel maiorem vel minorem conuertatur, haud ita notatu digna noxa succedet: si verò vel ad superiora, vel ad inferiora declinet, tum quicquid cernitur, id duplum esse videtur.* Copiosiùs autem de eâdem re idem Galenus locutus est libro x. de vsu partium capite XII. ratione adducta, cur si in latus alterutrum distrahatur pupilla, effectus ille minimè contingat, sursum aut deorsum retracta contingat. Sed & Aristoteles ipse eandem similiter rationem affert sectione XXXI. problemate XVII. quo huius accidentis caussam inquirit. Quare autem ob visus distractionem res geminatæ appareant, habemus rursus ab Aristotele propositum problema sectione XXXI. estque illius sectionis vndecimum: sed & eâdem de re Vitellionem etiam videre licet. οὐδὲν γὰρ διαφέρει ἐαν μὴ ὑποθῇ κινῇ δὲ πλὴν ὄμμα. *nihil enim interest, vtrum suppresseris an aspectum commoueris.* Similitudinem aptè fuisse allatam ostendit: Quamquam enim in ebrio illa visionis, aut videndi instrumenti pressio non fiat, idem tamen subsequitur effectus, quia eadem similiter exoritur caussa, nimirum visionis commotio: qui enim oculum supprimit, visionem commouet; & in ebrio à vino commouetur visio; non igitur ratione caussæ proximæ differunt. Ita videtur accipere Theodorus, vt quidem conuertit: verùm vt proferam quod sentio, Græcis verbis mihi aliquam videtur inferre vim, quæ ita sonant, *nihil enim differt, siquidem supprimamus, moueamus autem visionem*; vnde licet etiam fortasse dicere reddi ab Aristotele rationem exempli & similitudinis; nimirum ideo in suppressione oculi geminatas res videri, quia in ea commouetur visio, quod fieri in ebrio docuerat; sicuti igitur in illa res apparent geminatæ, ita etiam in ebrio. Suspicio etiam incidit fortasse legendum. ἐαν μὴ ὑποθῇ κινῇ δὲ. hoc est, *nihil enim interest*, si non supprimas, moueas tamen, nimirum, nihil interest, etiamsi non suppresseris, dummodo commoueas, quod fit in ebrio. Iustinianus illud μὴ transponit *post* ὑποθῇ· οὐδὲ ἄν ἔξωθεν, ἢ ἔσωθεν. *nec vtrum extrinsecus an intrinsecus.* Eandem similitudinem confirmat: nam vtróque modo commouetur visio: hac re solùm differunt, quòd ibi principium est extrinsecus à manu vel alia re, hîc intrinsecus à vini calore: idem tamen subsequitur effectus, quia vtrouis modo idem patitur visio; & res obiecta non videtur quiescere, sed moueri. ἔτι τὰ πόρρωθεν μᾶλλον. *atque etiam magis quæ procul abest.* Aristoteles in huius accidentis caussa explicanda, eodem modo progreditur, eundémque seruat tenorem, quem superiùs in problemate IX. nam & ibi postquàm communem rationem adduxerat, eam magis particulariter ad illa quæ longiùs posita sunt his verbis applicuit, ἐπεὶ ὴ ἔτι τὰ πλήσιον &c. ἢ τὰ πόρρω μᾶλλον εἰκὸς ταῦτα πάσχειν. Ostendit autem ideo minùs videri remotiora, quoniam magis porrecta & extensa visione, res obiecta minùs ab ea comprehenditur & obtinetur, visio autem per illam comprehensionem fit. ἔτι πλέον γὰρ ἀφέστηκε ὅπη τοῦ ἀκροῦ. *Propinquitas etiam illa mouendi amplius ad extremum absoluere interuallum potest.* Horum verborum, quæ satis obscurè, vt mihi videtur, trāstulit Theodorus, hic sensus est: motio illa quæ in oculo seu visione contingit, cùm proxima est rei visæ, perficit & absoluit spatium & interuallum illud magis ad extremum, id est magis perfectè: nam longinquitatem itineris debilitatus oculus haud ferre potest. Posita autem sunt illa ἡ ἐγγὺς αὐτὴ κίνησις, *seu motio prope*, quod Theodorus vertit, *propinquitas mouendi*, pro eo quod est, visio quæ fit circa rem prope existentem. ἐὰν ὴ σφόδρα κινῇ. *item si æquabili cum vehementia sursum deorsumq; aspectus se agitet.* Hæc ad verbum conuersa, sententiam fortasse magis explicant in hunc modum. *Si autem vehementer moueatur, & æquabiliter sursum &*

deorsum.

deorsum. Rem autem magis subinde declarat, alia & alia addita conditione. Primùm generatim edocuit, quare ebriis omnia videantur moueri, tum conditione sumpta ex re obiecta, quare circa magis remota id magis patiantur: nunc verò alia proposita conditione ex oculo ipso, idem ostendit: si enim oculus vehementer moueatur, & æquabiliter sursum ac deorsum (id *æquabili vehementia* transtulit Theodorus) minùs obtinere poterit, quod longinquè erit positum motione scilicet impediente, quæ etiam hîc magis efficit si sursum & deorsum æquabiliter fiat, quàm si aut sursum aut deorsum non æquabiliter, sed solùm ad alteram aut ad alteram partem: variatio enim hæc perturbationem & confusionem parit: minùs igitur ob hanc caussam rem oculus cernet: hoc enim est rem obtinere, eique dominari. πάντα γὰρ ἐκτεινόμενα κύκλῳ φέρεται. *deducta autem circunferri omnia solent velut sagittæ.* Nunc propriè probare aggreditur, quare non solùm moueri, sed moueri circulo, ebriis res videantur. Est autem sumptum argumentum ex iis quæ paullò ante adducta sunt, quod magis remota & longiùs porrecta minùs videantur, minùs enim obtinentur. Ait igitur quòd huiusmodi res quæ longiùs porriguntur, vt sagittæ, & missilia omnia quæ alicubi appensa longiùs dimittuntur, illa circulo mouentur, nimirum ob debilitatem: alioquin enim rectà progrederentur: Vnde in iaculorum emissione videmus, quæ cũ magno impetu per aëra iaciuntur, cùm impetu destituta qui ea iecit, deorsum labuntur & propè terrã sunt, circulo agitari. In visione etiam idem contingit, visioque similiter idem patitur: extenditur enim & longè porrigitur etiam illa: dixit enim paullò ante, ἐκτεινομένης τῆς ὄψεως, iure igitur circulo mouetur, quippe quæ à vini copia debilitata admodum sit. Si autem longiùs posita obtinere minimè potest, nec illa comprehendere; numerare sanè nec poterit, quod in problematis secunda parte erat propositum. διαφέρει δ' οὐδὲν τὴν ὄψιν κινεῖν, ἢ τὸ ὁρώμενον. *nihil autem interest, visum an rem visui obiectam commoueas.* Problemate IX. eadem sententia, sed verbis paulisper immutatis proposita est: ibique à nobis explicata.

XXI.

Διὰ τί ὅταν ἀθρόως πίνωσι, ξηρότεραι αἱ κοιλίαι γίνονται, ὅτε δεῖ ὑγραίνεσθαι μᾶλλον ὑπὸ πλείονος; ἢ ὅτι τοῦ μὲν πολλοῦ καὶ ἀθρόου, ὃ κρατεῖ ἡ κοιλία, ἀλλ' εἰς τὸ αὐτὸν, ἔρχεται τόπον ἀπαθές; ὀλίγον δὲ ὑγρὸν τοῦτο ἀπέπτυε ἡ κύστις· ὃ δὲ ὀλίγου κρατεῖ, καὶ πέττει. ὥστε μᾶλλον, ὑγραίνει.

Quam ob caussam, quod vniuersum raptímque bibitur, ventrem id minùs humectat, cùm tamen ab humore copiosiore plus humectari conueniat? An quòd humorem multum, ac vniuersum, venter superare, non potest, sed locum adire suum indomitum patitur. Locus autem crudi humoris, vesica est, exiguum verò facilè vincit & concoquit: ex quo moram hîc diutius trahens, ventrem porrò humificare potest.

Comparat potionem multam vniuersim & raptim bibitam seu potiùs ingurgitatam, exiguæ pedetentim & lentè ingestæ, & quærit cur illa minùs, hæc magis ventrem humectet, cùm à maiori illum plùs humectari par sit. Soluit autem ideo fieri dicens, quia quoties affatim ingeritur humor aliquis, ille à natura detineri & concoqui non potest: coctio enim pedetentim fit, nimia autem copia affatim ingesta obruit naturam, quæ ab eo munere abducit se: vnde humor ille crudus remanet, & crudus fertur ad vesicam, qui proprius ipsius locus est; illuc autem eo delato, eodémque alui priuatæ, siccæ remanent; Quod verò potionis exiguum est, illud vincitur, superatur, & coquitur à natura, quare per vesicam non ita excernitur, sed intus in ventre remanens, & absorpta eum humectat. Id porrò exemplo etiam pluuiæ possit facilè ostendi, quæ si placidè, lentè, & sensim, minutísque stillis labatur, penitus terram irrigat, si verò præceps, & confertim, diffluit penè tota nec à terræ sinu absorbetur, aut retinetur. Siccos autem remanere ventres ex humoris delatione ad vesicam, ex illo etiam Hippocratis aphor. est conspicuum, qui quarto libro legitur his verbis: *Mictio noctu plurima contingens paruam significat deiectionem.*

XXII.

Διὰ τί μᾶλλον κραιπαλῶσιν οἱ εὐκρατον πίνοντες, ἢ οἱ ἄκρατον. ἢ διὰ τὸν λεπτότερα εἰς πλείους τόπους κεκερματισμένον εἰσέρχεται, (καθάπερ ἐν τοῖς ἰματίοις) καὶ ἔστι δυσεξαγωγότερον· τὸ δὲ ὕδωρ λεπτομερέστερον μέν, ἀλλ' εὐέξοδον. ἢ διότι ἔλαττον πίνουσιν ἄκρατον, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι, καὶ μᾶλλον ἀπεμεῖσιν.

ἔτι ἢ συμπέπτει τὰ λοιπὰ τ' αὐτὸ δι' ὃ ἐστι πρόβλημα.

Cur magis crapulam ſentiunt qui dilutum bibunt, quàm qui merum? An propter tenuitatem ſuam in plures locos dilutum penetrat (quod in veſtibus contingit) difficiliúſque educi poteſt? Aqua quidem, partibus conſtat tenuibus, ſed quæ facilè queat educi. An quia meri minùs bibitur, (tantùm enim non poteſt) faciliùs euomitur. Præterea merum vt reliqua, ſic ſe ipſum concoquit.

Tertium iterat problema, cuius duas eaſdem affert ſolutiones, pauculis quibuſdam, quæ nihil ſenſum euariant immutatis. Ob quam rem fortaſſe deſideratur in nonnullis codicibus. Nobis tamen tum proponendum eſſe, tum pauca quædam ad illud afferenda viſa ſunt. Ex eo autem inprimis apparere poteſt, quam miſtionis rationem aut modum in tertio problemate Ariſtoteles intellexerit, cùm ἔυκρατον dicat hoc loco, quod inibi dixit ἀκρατέστερον: quid verò εὔκρατον ſit, patuit problemate XIX. καθάπερ ἐν τοῖς ἱματίοις, *quemadmodum in veſtimentis*. Hanc ſimilitudinem in tertio problemate non habuimus. Vult autem modicè dilutum vinum veſtes magis penetrare, quàm ex toto merum, idque fieri ob partium ipſius tenuitatem, de qua tenuitate diximus ad tertium problema. καὶ ἔστι δυσεξαγωγότερον. *& eſt ad educendum difficilius*. Difficiliùs educitur, quia ad intimiora & magis remota penetrauit, ab illis enim quæ longiùs receſſerunt, difficilior eductio eſt: Aqua autem facilè educitur, vnde nec vomitum facit, ſicuti ſuperiùs problemate XIX. dictum eſt, non ita vinum modicè dilutum. ἢ διότι ἔλαττον. *An quoniam minus*. Altera ſolutio, quæ eadem prorſus cum ſecunda problematis tertij, quam ibi declarauimus; quæ autem adduntur, τ' αὐτὸ δ' ἐστὶ πρόβλημα. *eſt autem eadem quæſtio*; ſi Ariſtotelis verba ſunt, innuunt problema tertium, quod cùm propoſuerit de vino quod ἀκρατέστερον appellauit, ait idem eſſe huic, in quo eadem res ſub εὐκράτες nomine proponitur. Exiſtimo tamen hæc ad oram libri ab aliquo qui meminerat idem problema antea fuiſſe propoſitum, adſcripta, & deinde librariorum inſcitiâ in textum irrepſiſſe.

XXIII.

Διὰ τί ἴσως τοῖς ἀκράτοις ἀποθνήσκουσιν, ἐὰν τις προϊσχνάνας πολὺ πίῃ: ἢ μὴ προϊσχνάναντες ἢ πολλοὶ τῶν φιλοπότων, ἀθρόον πολὺ πίνοντες, ξηροὶ γίνονται; δοκεῖ γὰρ ὅ, τε οἶνος τὸ θερμὸν ἔχειν τῇ φύσιν, καὶ τὸ ζῆν. τὸ δ' ἀποθνήσκειν, κατάψυξις ἢ ὥσπερ καὶ ἀπὸ τοῦ πυρὸς σβεννυμένου καὶ μικρὸν τὸ θερμὸν τὸ οἰκεῖον ἀλλὰ τρόπον ἕτερον; τὸ μὲν γὰρ τῇ ψυχρότητι πήγνυσι τὸ ὑγρὸν καὶ θερμὸν. ὁ δ' οἶνος, τῇ θερμότητι τῇ αὑτοῦ μαραίνει τὴν φυσικὴν θερμότητα· ὥσπερ οὖν ἴσως τοῦ πολλοῦ πυρὸς ὁ ἥλιος, τὸ ὀλίγον πῦρ ἀποσβέννυται, καὶ τῶν ἐν τοῖς σώμασι θερμότης ἴσως τὸν ἐν τῷ οἴνῳ, ἐὰν ὑπερβάλλῃ.

Quam ob rem qui ante extenuatus, merum inde multum hauſerit, morte occumbat: & plerique verò bibaces, cùm ſe nihil extenuarint, multo tamen, vniuerſóque meri hauſtu ſicci efficiuntur? Quærendum enim hoc eſt, quandoquidem vinum calidum ſuapte naturâ eſt, & vt vita calore contineri apparet, ſic mors refrigeratione accidere. An, vt ex cicuta, ſic ex mero intereundum eſt, videlicet dum proprius calor paulatim extinguitur, modo tamen diuerſo. Cicuta enim calorem frigiditate ſua extinguit, humorémque indurat: vinum autem ſua caliditate calorem macerat naturalem. Et quomodo ab igne nimio, aut Sole exiguus ignis extinguitur, ſic intimus corporis calor à vini calore, ſi nimius eſt, ſuperatur, atque extinguitur.

Duo proponit, vini prauum vſum ſpectantia: quorum alterum ad extenuatos homines pertinet, quos ſi deinde copioſo meri potu vtantur, ex eo mori ait: alterum ad eos bibones, qui extenuati nondum ſunt, quos ex copioſo mero affatim ingurgitato non mori, ſed marceſcere, & exſiccari dicit. Cauſſam autem horum effectuum perquirens, dignam eſſe inquit conſideratione rem; cùm & vinum ſuapte naturâ calidum ſit, & vita calore ſimiliter contineatur, mors autem frigore. Quomodo igitur non potiùs à re frigefaciente, quàm à calefaciente mors oriatur? ſoluit autem quæſtionem, & dubitationi ſatisfacit: mors enim

contingit in iis qui antea extenuati, merum nimia copia ingurgitant, non ſecus ac in iis qui cicutam, vel ipſius ſuccum hauriunt: quia nimirum in præextenuatis, calor natiuus qui exiguus eſt, ob nimij vini vſum extinguitur, quamuis alia & alia ratione in vino & cicuta fiat. Nam cicuta ſua extrema frigiditate extinguit tum humorem, tum calorem innatum; quòd nimirum illa denſet, concretionem, & congelationem in eis efficiat, nec ſinat per corpus moueri, & diffundi, quæ res vitæ tuendæ neceſſaria eſt: loquitur autem de humore coniunctim vnà cum calore, quia nullus humor ſine calore eſt, ſicuti ſcribitur quinto de generatione animalium capite tertio: extinguitur igitur calor, induratur (vt vertit Theodorus) atque exſiccatur humor, ac inde ex cicuta mors. Vinum autem non frigiditate, ſed nimia caliditate, cùm multa copia aſſumitur, tabefacit & abſumit calidũ iunatum, quippe illo validius: à maiori autem caliditate minorem abſumi, habemus apud eundem Ariſtotelem, tum in hiſce problematis alibi, tum aliis locis: hîc autem oſtenditur exemplo ignis & Solis. Porrò ſolutio hæc propiùs quidem & proximiùs primam problematis partem videtur attingere, comprædit tamen etiam alteram: eoſdem enim effectus in illis parit vinum; quos in his, licèt non adeò validè, quia præextenuati non ſunt; imminuit enim calorem natiuum, & humidum exſiccat, non ſecus ac cicutæ vſu fieri dixit, quamquam diuerſa ratione, vt explicuit; cicutæ enim ſimilitudinem ad hanc etiam ſoluendam partem, quando initio propoſita eſt, trahere debemus. Vinum igitur etſi calefaciat, extinguendo tamen calorem natiuum, refrigerationem inducit, quæ mors eſt, atque ita dubitationi eſt ſatisfactum.

XXIV.

Διὰ τί οἱ μεθύοντες ῥᾳδάκρυοι μᾶλλον; ἢ ὅτι θερμοὶ & ὑγροὶ γίνονται; ἀκρατεῖς δ' εἰσίν, ὥσπερ ὑπὸ μικρῶν κινεῖσθαι.

Cur vinolenti ſunt ad lacrymandum propenſiores? An affectuum huiuſcemodi omnium eadem cauſſa eſt, quam repreſſio, quæ ſcilicet agitur per ſumma, afferre poteſt: vinolentiam enim locis conſiſtere capitis certum eſt.

Hæc pars eſt admodum corrupta, & confuſa, tum in Græcis, tum in Latinis codicibus, quos ego vidi; nam quam hîc Theodorus proponit tralationem verborum, quę ſolutionem problematis continent, illa nullo modo exprimunt Græca Ariſtotelis verba, quæ in excuſis leguntur, atque ita ſonãt. *An quia calidi humidíque fiunt? debiles igitur ſunt: itaque facile ex paruis mouentur* Poſt quæ abſoluta problematis ſolutione, in Græcis alterum problema proponitur, quòd iiſdem verbis omnino legitur, quibus propoſita eſt ſecunda pars problematis duodecimi, pro cuius ſolutione in iiſdem Græcis eademmet afferuntur quæ problemate XII. allata ſunt; in Latinis autem iſthæc eadem verba problematis X I I. ſubiiciuntur hîc ſtatim pro ſolutione præſentis, quemadmodum in problemate propoſuimus, omiſſis illis quæ in Græcis codicibus extant, quæque paullò ante Latina feci & propoſui, ex duobus igitur problematis vnum facit Theodorus, & pro ſolutione illa affert ſicuti dixi, quæ problemate XII. propoſita ſunt. Nos verò Theodorum hoc loco dimittentes, Græcúmque codicem ſecuti, quem ſimiliter ſequitur antiquus interpres, & Aponenſis, illius verba exponemus. Ait igitur Ariſtoteles, ebrios ad lacrymandum eſſe propenſiores, quoniam ſunt calidi & humidi, nimirum ex caliditate & humiditate vini: tale enim dictum eſt antea problemate X V I I. ſuperiori tamen problemate ab eo extenuationem & exſiccationem fieri dixit. Ad hanc autem difficultatem quamquam puto me aliqua tetigiſſe problemate primo, non omiſerim tamen quod hoc loco ſuccurrit. Primùm non eſſe vinum omne vnius generis, ſed aliud alio generoſius & validius, ac ſiccius: tum vinum conſiderari, quod etiam notat Aponenſis, & ſicuti nutrimentum, & ſicut medicamentum; ſicut nutrimentum humidum eſt, huiuſmodi enim eſt quodcúmque nutrit; vt medicamentum autem exſiccat quod eſt generoſum. Præterea non eodem modo ex vini vſu afficiuntur ſingulæ corporis partes, ſed ex eo cùm videantur humiditates augeri, morbíque humidi exiſtant vt alibi diximus, ſolidæ tamen partes magis exſiccantur, & inde fit macies aut tabes, ſicuti in ſuperiori problemate dictum eſt. Vinum igitur & humectat & exſiccat: quæ fuit etiam ſententia Haly primo libro ſuæ practicæ capite octauo, vbi cùm de vini vſu loqueretur, de eo primùm dixit. *Mitigat melancholiam calefactione & humectatione ſua.* Tum verò paullò poſt noxam proponens, *nec oportet aſſuefacere ebrietati, corrumpit enim mẽtem, adducit hecticam, ſanguinis ſcreatum*, &c.

Quin & nonnulli ex ipſiſmet macilentis & tabidis, vtrúnque patiũtur, ſiccitatem & humectationem, qua iidem nonnullis in partibus diffluunt, quámque non poſſunt retinere, ſicuti eiſdem ebriis contingit, cùm enim ſint imbecilles; (quippe humiditas debilitatem parit, robur autem & retentricis validitas ſiccitate conſiſtit) humiditates quæ lacrymæ ſunt, promptæ fluunt, diſſolutæ enim & laxatæ partes; vnde lacrymæ emittuntur, illas haud continent, ſed leui quacúmque de cauſſa motæ facilè elabuntur.

XXV.

Διὰ τί τοῖς μεθύουσι ὁ ὕπνος; ἢ ὅτι δεῖ πρὸς τὰς ὕπνους ὑγρότητα ἐνυπάρχειν θερμῷ; αὕτη γάρ, εὔπεπτος· ἂν δὲ μὴ ἐνῇ ὑγρότης ὀλίγη, ἢ δύσπεπτος, ὁ ὕπνος· διὸ ἐν τοῖς κόποις, καὶ ἐπὶ τὰ σιτία, καὶ τὰς πότους, ὑπνωτικώτατοι γίνονται· ἰσχὺν δὲ θερμῆς τοῖς μὲν μελαγχολικοῖς, καὶ τὰς μεγάλας πυρεξίας, ἀγρυπνίας· τοῖς μέν, ὅτι κατέψυκται τούτων· τοῖς δέ, ὅτι σὰρξ ἔστιν, ἢ ὀλίγον· φανερὸν οὖν ὅτι εἰς ταῦτα βλεπτέον καθ' ἕτερον τῶν παθῶν.

Cur vinolentis ſomnus oriri nequeat? An quòd ad ſomnum creandum calidum adeſſe humorem opus eſt: hic enim concoqui expeditè poteſt. Qui ſi deeſt, exiguúſque humor aut concoctu difficilis ineſt, ſomnus non oritur? qua de cauſſa poſt cibum, ac potum ſomnolentiſſimi fieri ob calorem ſolemus. Melancholicos verò, & vehementer æſtuantes inſomnia tenent: alteros, quia refrigeratus humor penitus eſt, alteros quia nullus aut minimus extat. Ergo rationem vtriuſq; affectus inde eſſe petendam palam eſt.

Dixi ad initium expoſitionis problematis ſuperioris, problemata nonnulla hoc loco eſſe confuſa & corrupta; quod vel nimiùm hîc etiam pateat, tum Græcum tum Latinum codicem conſideranti. Ego verò ea de re non addam plura: hoc ſolùm, me qua ex Latinis, qua ex Græcis diſtinxiſſe & emẽdaſſe vt potui melius. Ea igitur omiſi hoc loco quæ ſcripta in Græcis abundabant, repetita ex problem. XII. vt paullò ſuperiùs dixi: quæ verò in eiſdem Græcis deſiderabatur propoſitio huiuſce problematis, illã ego verbum ex verbo reddẽs ex antiquo interprete vt potui tranſtuli, quod & dico, nec mea pro Ariſtotelicis obtrudo. Quærit igitur in præſentia Ariſtoteles, cur ebriis oriri non poſſit ſomnus: quam ſententiam de valde ebriis accipiendam eſſe, ſcribit Aponenſis ad hunc locum: ebrios enim moderatè, aut ſemiebrios, in ſomnum promptè incidere quotidie videmus, quam dubitationem aliis etiam argumentis confirmare licet; ſunt enim qui poſt merum epotum non ſolùm dormiunt: verùm ſomni beneficio, ebrietatis noxa liberantur. Ariſtoteles libro de ſomno & vigilia à vino dixit ſomnum procreari quia euaporat. Galenus coment. ſecundo in primum prorrh. in textu XXIX. ex liberaliore vini potu ſoporem naſci dicit, eundémque paullò poſt eodem textu caron appellari poſſe concedit: & libro II. de motu muſculorum cap. III, ebrios dormientes memorat, atque ſtertorem, & oris hiatum, & ſupinum ſitum præterea in medium affert. Auicennas etiam libro tertio fen prima tract. IV. vbi de cauſſis ſomni agit, ita ſcribit. *Et quandóque etiam accidit propter cauſſam humectantem inſtrumenta, & perturbantem ſubſtantiam ſpiritus, & oppilantem viam eius, & laxantem ſubſtantiam neruorum & lacertorum, & mollificatio quam ſequitur oppilatio & cooperimentum, quæ prohibent ſpiritum penetrare; quoniam ſpiritus ipſius ſubſtantia iam eſt ingroſſata & perturbata, & quoniam inſtrumenta eius iam ſunt corrupta propter humiditatem, & laſſitatem eorum ſimul, & iſte eſt ſomnus ebrietatis.* Apud Stobæum capite LXXXVIII. hæc itidem habemus. τοῖς μεθύουσι ὕπνοι μὲν βαρεῖς καὶ δυσανάφοροι, καὶ πνιγώδεις. hoc eſt, *Ebrioſis graues fiunt ſomni, profundi, & ſuffocantes.* Appareat igitur à vino & ebrietate haud impediri ſomnum, ſed potiùs conciliari. Dicendum, primùm ab Ariſtotele non de vino ſimpliciter hoc loco, verùm de ebrietate verba fieri: illa autem non idem ſunt: tum ſomnum dupliciter poſſe ſumi, vel morboſum vel non morboſum; de non morboſo verba facit in præſentia Ariſtoteles: de morboſo autem Stobæus, talem enim ex vini immoderato vſu induci affirmat, quod non negat Ariſtoteles. Hæc ad Stobæum, & ad loca de vino, ſi quæ etiam alia ſunt. Vbi verò nominatim proponitur ebrietas, dicimus vel de moderatè ebriis cum Aponenſi accipiendam eſſe ſententiam, vel propoſitionem Ariſtotelis non eſſe vniuerſaliter intelligendam: ſed indefinitè ſicuti proponitur: eſt enim vbi vinum facit ſomnum, eſt vbi non facit; ratione enim rei ſubiectæ & quæ patitur, diuerſos eſſe qui ab eo contingunt effectus, habuimus etiam antea cùm

dixit Aristoteles, pro moribus vtentium se se vinum applicare: pro qua re vide etiam quæ ex Plutarchi III. sympos. attulimus ad problema secundum. Vbi igitur modicè humectat somnum facit, quod etiam dixit Galenus secundo de locis affectis ad finem, & primo de symptom. causis capite vltimo; vbi nimiùm exsiccat, vigilias, vt eodem loco primi de symptom. causis & alibi. Neque ab hac sententia Aristotelis solutio discrepat, qui in temulentis vigiliarum causam ostendit esse humidi caloris defectum. Ait igitur ad somnum conciliandum corpori opus esse calida humiditate, hæc enim ad concoquendum facilis est: fit verò somnus vt idem docuit Aristoteles libro de somno & vigilia, in quo subtiliùs totam hanc materiam pertractauit ex euaporatione quę ab alimento fit, dum ipsum concoquitur, vt ibi habetur cap. III. huiuscemodi enim euaporatio primùm ad caput tum è capite ad pectus delata occupat & cohibet calidum innatum, huius autem cohibitio segniciei sensibus causa est vt docet Alexander Aphrodixiensis libro primo quæstionum naturalium cap. xx. talis igitur humiditas si extet in corpore, facilè conciliatur somnus, fit enim euaporatio: si autem vel non extet, vel pauca, vel ad concoquendum contumax, scilicet vel dura & sicca, vel nimiùm frigida & flatulenta, vel etiam nimia quantitate corpus aggrauet vehementiùs, ipsam natura haud tentat, nec euaporatio fit, quare haud arcessitur somnus: puto autem Theodorum legisse ἂν ᾖ μὴ, ἢ ἐνῇ ὑγρότης ὀλίγη, ἢ δύσπεπτος: quæ lectio quamquam commodior est, nihil tamen immutauimus. διὸ ἐν τοῖς κόποις, ἢ μὴ σιτία, καὶ τὰς πότους. *quæ de caussa post cibum & potum somnolentissimi* Theodorus non agnoscit illa, ἐν τοῖς κόποις, & non τὰς πόνους, vt habuit antiquus interpres, & habet Basilienſis editio, sed τὰς πότους legisse videtur. Mihi cùm molestiam exhiberet illa modi, & casuum variatio, ἐν τοῖς κόποις, & μὴ σιτία: atqui post labores verum videretur fieri somnos, consimili ratione ac post cibum, & potum. Suauissimè enim Lucretius libro quarto:

Deinde cibum sequitur somnus, quia quæ facit aër,
Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omneis
Efficit: & multo sopor ille grauissimus extat
Quem satur, aut lassus capias.--

Aristotelemque etiam viderem non solùm lib. quem adduximus de somno & vigilia id affirmare, sed etiam problemate XXXI. sectionis quintæ vbi laborantes dixit merito laborum repleri calido colliquamento, ex quo euaporatione facta, non secus ac ab alimento somnum oriri par sit. Cùm igitur labores hoc loco essent recipiendi, occurrebat, molesta illa ἐν τοῖς κόποις abigenda, tamquam otiosa, & glossema quoddam, retinere τὰς πόνους, vt habet antiquus interpres, & Basilienſis editio, & potum quem nominat Theodorus vnà cum cibis, voce σιτία comprehendere. Atque hæc sanè vt ad Aristotelis sententiam fortasse parum, sic ad loci integritatem plurimùm quidem faciunt. Igitur vt ad sensum redeam, postquam Aristoteles exposuit qua ratione somnus fiat, ex his vel tamquam corollarium infert, cùm ille à dicta euaporatione oriatur, iure illum fieri post cibos & potus, & post labores, cùm ex his illa oriatur; vel tamquam signo ostendit ex euaporatione somnum fieri, cùm fiat post illa ex quibus oritur euaporatio: sicuti contra eâdem ratione proponit melancholicos, & sicco calore æstuantes vigiles degere: est enim vterque illorum orbatus calido illo humore, seu humido illo calore, cuius beneficio somnus fit: melancholici quidem quoniam ille calor seu humor (liceat enim vtrouis modo dicere quoniam iuncta sunt) nimiùm refrigeratus est, atque ideo ineptus illi muneri: æstuantes autem seu sicco calore inflammati ac detenti, vel quia nullus est, quia fuerit à nimio calore absumptus, & exsiccatus omnino, vel maxima ex parte, vt perexiguus fuerit relictus. φανερὸν ἂν ὅτι εἰς ταῦτα βλεπτέον καὶ ἕτερον τῶν παθῶν. *ergo rationem vtriúsque affectus inde esse petendam palam est.* Ex illis quæ posita sunt, non concludit definitè Aristoteles qua ratione ebriis contingit ille vigiliarum affectus, sed ad causas quæ dictæ sunt, inquit, respicientes nos nimirum ad nimiam refrigerationem, priuationem seu corruptionem, aut ex toto aut ferè calidi illius humoris, aut humidi illius caloris, ab excedenti alio calore, qui siccitatem summam inducit, de vtroque affectu tum somni, tum vigiliarum pronunciandum esse. Igitur variis rationibus ex ebrietate impediri somnum & induci vigilias existimo posse nos dicere: nam & per se & per accidens, calefaciendo, exsiccando, calidum innatum refrigerando, hoc est, corrumpendo, ineptúmque eum reddendo somni prouocationi, quæ ferè tandem in idem recidunt, eum effectum gignere potest ebrietas. Galenus libro secundo de locis affectis ad finem, nimiam calefactionem & exsiccationem, quæ à mero fit caussam esse dixit, exemplum afferens de puero illius grammatici qui vehementi siti cruciatus, ob aquæ

inopiam, vino mero eóque antiquo liberaliter hausto, reliquo vitæ tempore vigil omnino permansit. Hæc de solutione problematis. Porrò non celarem lectorem absolutis in hæc problemata meis qualibuscúmq; hisce laboribus, reperisse me in editione Aristotelis operum Græco-latina, quæ ab eruditissimo Casaubono prodiit, propositionem præsentis problematis per hæc verba efferri. Διὰ τί οἱ μέθυσοι σὺν ὑπνίζονται; quæ Silburgi codicem agnoscunt auctorem. Ego verò codice illo destitutus quæ potueram adscripseram. De hisce tamen certior factus, vt mea expungat, illa autem reponat, volui hoc loco admonere lectorem.

XXVI.

Διὰ τί οἱ οἰνόφλυγες τρέμουσι, κὴ μᾶλλον ὅσῳ ἂν ἀκρατοποτῶσιν; ἔστι ἢ ὁ μὲ οἶνος θερμαντικὸς· ὁ ἢ τρόμος, γίνεται μάλιστα ἀπὸ ψυχρᾶ. διὸ οἱ ῥιγῶντες μάλιστα τρέμουσι· πολλοῖς δ' ἤδη χρωμένοις μόνῳ ἀκράτῳ τροφῆς χάριν, τρόμοι τε ἰσχυροὶ συνέβησαν, ὥστε ἀπορρίπτειν τὰς θλίβοντας. κὴ τῷ θερμῷ ὕδατι λουόμενοι, αὐαισθήτως εἶχον· ἕτεροι ἢ τὸν τ τρόπον διῳτώμενοι, κὴ τρίψεσι χρώμενοι, κὴ τροφῇ κρέασι, περὶ ἀποπληκτικὰς ἀῤῥωστίας ἤλασαν· οἷς τρόμοι μὲ, διὰ τ ἀκινησίαν, ἦσαν ἐνεπίπλον, πόνος ἢ ἰσχυρὸς, κὴ τὸ μὴ δύνασθαι κοιμᾶσθαι· ἐπὶ ⁂ τ μὲ τρόμος αἰτία, ἡ ψυχρότης. Φαίνονται γὰρ (ὥσπερ εἴρηται) οἵ τε ῥιγῶντες τὸ τοῦτο πάσχοντες, κὴ οἱ σφόδρα γέροντες· ἀμφοτέρων ἢ τὸ τῶν, τ μὲ, τὸ πάθος ψυχρόν· τ ἢ ἡλικία· ὁ ἢ οἶνος, θερμαντικώτατος· ὥστ' ὑπεναντίων ἄντι συμβαίνοι· ἢ ἔθεν κώλυοι γίνεσθαι ταὐτὸ ὑπὸ ἐναντίων, μὴ ὡσαύτως ἢ ποιοῦντων, οἷον κὴ ὑπὸ τ πάγου ἀποκάεται, κὴ ὑπὸ τ θερμοῦ, ὅταν ὁ πάγος ἀθρόον ποιήσῃ τὸ θερμόν· ὥστε ἔστι μὲ ὡς ὑπὸ ἐναντίων τὸ πάθος τὸ αὐτὸ συμβαίνειν· ἔστι ἢ ὡς ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ τὸ αὐτὸ· ὁ ἢ τρόμος γίνεται μὲν ὑπὸ ἐνδείας θερμοῦ, ὅ παντὸς, ἀλλὰ τοῦ οἰκείου. Φθείρεται ἢ τὸ θερμὸν, ἢ μαραίνοι, ἢ σβέσῃ· σβέσῃ μὲ, ὑπὸ τ ἐναντίων, ὑπὸ ψυχροῦ, κὴ ὑγροῦ· μαραίνοι ἢ, ἐνδείᾳ τροφῆς, οἷον οἱ λύχνοι, ὅταν μὴ ἔχωσιν ὑποκκαυμα, μηδ' ἔλαιον· ἢ ὑπὸ θερμοῦ ἀλλοτρίου, οἷον τὸ πῦρ ἐν τῷ ἡλίῳ, κὴ οἱ λύχνοι πρὸς τῷ πυρὶ· οἱ μὲ δὴ ῥιγῶντες ὑπὸ ψυχροῦ, σβεννυμένῳ τ θερμῷ τρέμουσι· διὸ κὴ τοῖς προσχρωμένοις τὸ θερμὸν, αἱ φλέβες γίνονται· ἐγκαταλειομένου γὰρ τοῦ ψυχροῦ εἴσω, κὴ ἀντιπωθεῖσάμενον, ἴσπερ τὰς τρίχας· κὴ τῷ δεχομένῳ πυρέττειν τὸ γινόμενον ῥῖγος δι' ὁμοίαν αἰτίαν γίνεται, ἐν ᾗ τῷ χρόνῳ τὸ θερμὸν μαραίνεται, ἢ τροφῆς ὑπολειπούσης· τροφὴ μὲν γὰρ ὑγρὸν τῷ θερμῷ· τὸ ἢ γῆρας ψυχρόν· οἱ δὲ οἰνόφλυγες, μαραινομένης μὲ τ οἰκείας θερμότητος, τρέμουσι· κἂν εἴ τινες ἄλλοι τοῦτο πάσχουσι διὰ τ οἶνον· ὃ τ αὐτὸν ἢ τρόπον τοῖς διὰ γῆρας, ἀλλ' ἐπὶ τρίτῳ ἰῶ τρόπῳ τ δ' θερμὸν φθορᾶς, ὅταν γὰρ ὑπερβάλλοντα χρώνται ἐν τῷ σώματι πολλὴ ἕδρα ἡ θερμότης, ἢ ὑποσβέννυσιν, ἢ ἀσθενῆ ποιεῖ τ οἰκείαν θερμότητα ἢ ἰσχύν· ἔστι γὰρ ὅταν μὴ κρατῇ τὸ κινοῦν τ κινούμενον· οἷον ὅταν ξύλον μακρὸν, κὴ μέγα, μὴ εὐκράτως ἔχῃ τις, τὸ ἄκρον τρέμει· γίνεται γὰρ τοῦτο, ἢ τῷ τὸ ἐχόμενον μεῖζον εἶ, ἢ τῷ τὸ κινοῦν ἔλαττον· συμβαίνει ἢ σβεννυμένῳ τῷ θερμῷ, (δοκεῖ γὰρ αἴτιον τοῦτο εἶ) τ κινεῖσθαι τοῖς ζώοις) μὴ κρατεῖν τὴν φύσιν· σημεῖον ἢ ὅτι διὰ ψυχρότητα γίνεται τὸ πάθος τοῖς οἰνόφλυξι, κὴ τοῖς προσβυτέροις, ὅτι ἄνευ ῥίγους γίνεται ὁ τρόμος.

Cur ebriosi tremunt, & eò magis quò largius merum hauserint? Cùm vinum calefaciendi vim habeat, tremor autem ex frigore maximè proficiscatur: itaque qui rigent præcipuè tremant. Attamen pleróque cùm mero tantummodo cibi gratiâ vterentur, tremores acres adeò inuaserunt, vt homines comprimentes à se omnes eiicerent, & cùm aqua calida perfunderentur nullatenus sentire possent. Alij verò cùm eo ipso agerent modo, perfrictionéque & carnibus in cibo vterentur, in stuporem attonitum inciderunt: quos tremor quidem mitiùs, scilicet ob immobilitatem torquebat: dolor tamen acerrimus, & inquietudo iam inde exercebat assiduè. Tremoris itaque caussa frigiditas est: nam & qui rigent, ea re pati ipsa videntur, vt dictum est, & qui admodum senuêre, quorum vtrorúmque alteri ab affectu frigido, alteri à frigida ætate vrgentur. Vinum autem calefaciendi vim præcipuè obtinet, quocirca contrarius quidam vt proueniat effectus, ratio exigit. An nihil prohibet rem eandem à contrariis effici, dummodo non agant modo eodem, sed diuersò. Exempli gratiâ, vritur & à gelu, & à calore, vbi gelu calorem coëgit vniuersum: itaque modo quodam à contrariis effectus proficiscitur idem, & modo quodam non nisi idem producitur. Tremor autem ob inopiam excitatur caloris, non cuiúsque, sed proprij. Corrumpitur autem

calor, aut marcore, aut extinctu, extinctu quidem à contrariis, hoc est frigido atque humido: marcore autem vel indigentia nutrimenti, vt lucerna cùm fomite aut oleo caret: vel ab alieno calore, vt ignis in Sole, & lucerna apud ignem. Igitur qui ex frigore rigent, caloris extinctu obtremunt. Ex quo etiam fit, vt aqua offusa calida horror exoriatur. Frigus enim, cùm intus includitur, atque circumobsistit, pilos erigit: & in febrium quoque accessione rigor ille eueniens, simili de caussa venit. In senectute autem calor alimento deficiente emarcescit: humor enim alimentũ caloris est, senectus autem sicca est. Ebriosi verò & si qui ita affecti sunt alij, suo prorsus, emarcescente calore obtremiscunt: sed non modo eodem quo senes, sed tertio corrumpendi modo, vt proposuimus. Quod enim vino vtuntur nimio, calor aduentitius superans aut extinguit, aut debilitat proprium calorem, quo valemus. Fit enim tum tremor, cùm mouens quicquam rem nequit superare, quam mouet: vt cùm lignum quis longum, crassúmque obtinere firmaréque non pollet, tremit extremum: quod ideo fit: quoniam aut suscepta res maior est, aut minor, quæ mouet. Ergo tremor, cùm calor extinguitur, accidit: hic enim dum integer, inuictúsque manet, caussæ animantibus esse videtur, cur mouere se valeant. Indicium autem, ebriosos, senésque ob frigiditatem affectos sic esse, quod tremor his fieri sine vllo rigore solitus est.

Iterat problema quintum, quare ebriosi, & qui vini amore ducuntur, in tremores incidant, cùm vinum excalfaciat, tremor autem à frigore oriatur: problematis autem eandem quam antea, eisdémque nixam fundamentis solutionem proponit, licèt in orationis serie nonnulla fuerint immutata: quam ob rem explanatione egere illa mihi visa sunt, omissis tamen quæ antea fuêre proposita. ὥστε ἀποῤῥιπίζειν τὰς θλίβοντας, *vt homines comprimentes à se omnes reiicerent.* In problemate quinto legitur φιλοθολίτας: sed & ibi censere nos Theodorum similiter legisse θλίβοντας, in illius loci expositione diximus. ἔτεροί δὲ τῶτον τὸν τρόπον. *alij verò cùm eo ipso agerent modo, perfrictionéque & carnibus in cibo vterentur.* Ex ebrietate oriri tremorem propositum est in problemate, quam rem confirmauit tum problemate quinto, tum hoc loco, exemplo eorum qui tremore adducti, comprimentes homines à se reiicerent: sed hoc loco præterea exemplo quarundam ægritudinum frigidarum, & cum tremore accedentium, quæ similiter ex vsu vini oriuntur, illud comprobat. Dicit enim nonnullos fuisse qui eodem modo viuentes, hoc est vt priores illi copioso mero vtentes, & frictionibus præterea, & in cibo carnibus, inciderunt in affectiones apoplecticas, ob cibi nimirum copiam humores adaugentem, & frictiones quæ eosdem commouerunt, & colliquarunt: ita enim ad cerebri ventriculos & neruorum initia delati, eósque obstruentes, sensum & motum tollunt, quæ apoplexia est: hoc tamen loco, non vera nec absoluta intelligi potest apoplexia, quod paullò post apparebit. τρόμοι μὲν δὴ τὴν ἀκινησίαν ἔτλον. *quos tremor quidem mitiùs, scilicet ob immobilitatem.* In iis qui ita viuentes ita afficiũtur, tremores minùs contingunt, aut mitiùs, vt reddit Theodorus, quàm in illis aliis quos dixerat, quia motus in eisdem maximè imminutus est; tremor autem est motus depraua-tus: labor tamen & dolor vehemens contingit, neque illi requietem habere possunt; non enim sensus in illis resolutus aut obstupefactus fuit: hinc autem dicendum esse apparet Aristotelem per ἀποπληκτικὰς ἀῤῥωστίας, hoc est apoplecticas affectiones non intelligere veram apoplexiam, vt paullò ante admonui, sed morbos apoplexiæ similes & finitimos, & illius naturam sapientes: ob quam etiam rationem non apoplexias dixisse existimo, sed affectiones apoplecticas, in quibus sensus & motus non amittitur; in illis enim dolor locum habet, minimè verò in perfecta & absoluta apoplexia, in qua motus & sensus omnino ablatus est; possunt verò morbi illi varij & multiplices esse. De eâdem re Macrobius septimo saturnalium: quæcúnque nimiùm algentibus, eadem contingunt ebriis: fiunt enim tremuli, graues, pallidi, & saltu tumultuantis spiritus ortus suos, & membra quatiuntur. Idem corporis torpor ambobus; eadem linguæ titubatio: multis autem & morbus ille, quem παράλυσιν Græci vocant, hic nimio vino, vt multo algore contingit. ἔστι τὸ μὲν τρόμου αἰτία. *tremoris itaque caussa frigiditas est.* Si legamus, ἔστι vt habent vulgata exemplaria, existimetur meritò

hæc noua

hæc noua ratio, quæ talis non apparet: sed Iustinianus reponit ἢ δὴ, & Theodorus habet, *itaque*; meliùs est igitur vt dicamus, Aristotelem colligere & concludere ex dictis, ac dubitationem propositam denuò insinuare; quomodo ab ebrietate oriri possit tremor, cùm tremor à frigore sit, à vino autem calor: tremorem verò à frigore esse, iterum cõfirmat proposito exemplo, tum rigentium, tum senectutis, quarum alterum est affectio morbosa, alterum autem frigida ætas. ὥστ' ἐναντίων. *quocirca contrarius quidam.* Dubitationẽ propositam maximè attingit. Morbi frigidi, ætas frigida faciunt tremores, quia nimirum faciunt frigus, vinum igitur quod est calidum, & eis quadantenus contrarium, non eundem, sed affectum alium illis quadantenus contrarium iure pariat, à contrariis enim contraria proficisci, meritò existimemus. ἢ οὐδὲν κωλύει γίνεσθαι τὰ αὐτὰ ἐναντίων. *An nihil prohibet rem eandem à contrariis effici.* Iam quæstionem incipit dissoluere, & rationem reddere illius quod propositum est: hactenus enim vel in eius confirmatione laborauit, vel aliquid in contrariam partem disputauit. Primùm autem illud docet, quod tamquam absurdum illatum est, à contrariis eundem prouenire effectum, minimè esse absurdum, & nihil prohibere illud fieri, dummodo ea contraria non simili modo agant, quam rem gelu & caloris exemplo ostendit. ὑποκάεται ὑπὸ θερμοῦ. Lego, ὑπὸ θερμοῦ, ex Theodoro & Antiquo interprete. ὅταν ὁ πάγος ἀθρόον, *vbi gelu calorem coegit vniuersum.* Docet obiter quomodo gelu vrat, quia nimirũ ratione contrarietatis cogit intus confertim calorem, ille autem coactus, vnitus, & ideo auctus vrere potest, quod etiam dixit Virgilius illis verbis quæ in 1. Georgicorum leguntur:

---- *penetrabile frigus adurit.*

ἔστι δ' ὡς ἐκ τοῦ αὐτοῦ τὸ αὐτό, *& modo quodam ab eodem non nisi idem producitur.* Qui effectus à contrariis idem nascitur, non omnino à contrariis est, illa enim non eodem modo agunt: sed alio atque alio; quare quodammodo à contrariis sunt, quia à prima caussa contraria, quodammodo ab eodem, quia ratione modi agendi, seu etiam caussæ proximioris, ab eodem; nimirum mediatè vt in scholis loquimur, à contrario, immediatè non à contrario. ὁ δὲ τρόμος γίνεται διὰ ἔνδειαν. *Tremor autem ob inopiam excitatur caloris.* Postquam in vniuersum ostendit, non esse absurdum ab eadem caussa oriri & calorem & frigus, vt obiectioni propositæ satisfaceret, quomodo fieri posset vt à vino oriretur frigus, cùm sit naturæ excalfacientis, nimirum fieri posse vt vtrúmque gigneret; progreditur ad ostendendum quomodo ab eo gignatur frigus: verùm antea generaliùs de caloris defectu, & frigoris generatione nonnulla proponit; sed hac de re quoniam nos, vel nimiùm plura verba fecimus in commentariis ad problema v. nulla de ea hìc præterea addemus: sed alia quædã tantummodo ad particulariũ huius problematis locorum explicationẽ pertinentia tangemus. οἱ δὲ οἰνόφλυγες μαραινομένης διὰ τὴν οἰκείας θερμότητος. *Ebriosi verò, & si qui ita affecti sunt.* Proposuit varios modos quibus calor corrũpitur, seu frigus generatur, eósq; tum exemplis declarauit, tũ nonnullos qui à frigore gignuntur affectus, ad quem ex propositis reducerẽtur ostendit: iam verò ad id quod problematis scopus est ostendendum accedit, quomodo ex nimij vini vsu in ebriis gignatur frigus ac tremor: hos autem ideo tremere dicit, quia marcescente propria caliditate frigus superuenit, & inde tremor, vt paullò post ostendit: quomodo verò ob vini vsum immoderatum marcescat propria caliditas, meliùs explicat paullò post. κἂν εἴ τινες ἄλλοι τῶν πάχεσι διὰ τὸν οἶνον. *Et si qui ita affecti sunt alij.* Hæc non expono quo sensu reddit Theodorus, qui alios quosdam ebriosis adiungit, eundem affectũ patientes, quos ad eandem caussam referat incongruus enim sensus: sed & ille verba hæc, διὰ τὸν οἶνον, quæ in omnibus exemplaribus leguntur, nulla-tenus agnoscit: si verò à nobis recipiuntur, & verba exponimus quomodo facit Theodorus, necesse erit ita dicere: *ebriosi verò & si qui ita affecti sunt alij ob vinum, suo prorsus*, &c. Verùm quinam illi sunt qui eundem tremoris affectum patiuntur ob vinum, & non sunt οἰνόφλυγες, aut ebriosi? Existimo igitur verba illa, διὰ τὸν οἶνον, dependere à superioribus, μαραινομένης διὰ τὴν οἰκείας θερμότητος, id est, *ebriosi tremunt marcescente propria caliditate ob vinum*, κἂν εἴ τινες ἄλλοι τῶν πάχεσι, id est, *& si alij etiam qui ebriosi non sunt, eundem tremoris affectum pati possint*, nimirum ob aliam caussam, quàm ob vinum, vt contingit senibus. Vel, *& si alij etiam præter ebriosos hoc pati possint*; nimirum illum natiuæ caliditatis marcorem aut consumptionem, qui sunt iidem senes, licèt alio modo in eis contingat: nam in senibus marcescit calidum ob defectum humidi, quod illius est nutrimentum; in ebriosis verò ob tertium modum qui dictus est; cùm à calore alieno proprius corrumpitur: corrumpi autem dicit, quia calor alienus seu aduentitius extinguit, aut debilitat calorem proprium & natiuum. Porrò hic refrigerationis modus ad quem ex propositis reducatur, & quomodo illis congruat, quæ dicuntur tum problemate v. tum in libello de iuuentute & senectute copiosè explicatum est ad problema quintum, & verbum

hoc loco non sit addendum. ἔστι γὰρ ὅταν μὴ κρατῇ. *Fit enim tum tremor cùm moueas quicquam.* Ostendit quomodo extincto seu debilitato calore tremor in ebriosis oriatur: hactenus enim frigus solum in eis succedere declarauit. Tunc igitur tremorem fieri dicit, cùm illud quod mouet aliquam rem, ipsam non bene compræhendit, nec ipsi absolutè dominatur, quod ligni exemplo declarat: si quis enim lignum longum & magnum ab altera extremitate appræhendat manu, neque illud præ imbecillitate bene continere, firmaréque possit, extremitatem alteram vibrari ac tremere contingit. Non potest autem quispiam bene continere & firmare, vel quia quod appræhenditur & mouetur maius est, maioríque ponderis, roboris, & virium, quàm illud quod compræhendit ac mouet; vel quia quod appræhendit & mouet, minus est, hoc est minùs potest, vincitúrque ab eo quod mouetur: debilitas igitur mouentis, seu robur rei motæ hæc caussa est: licèt igitur tamquam duo proponi videantur, re ipsa tamen vna tantùm caussa est, duæ autem ratione. συμβαίνει ἢ σὺν νυμφῇ τὸ θερμῷ. *Ergo tremor cùm calor extinguitur accidit.* Hæc est minor syllogismi propositio: maior autem modò proposita est, hunc in modum: Tunc fit tremor cùm quod appræhenditur & commouetur, validius est appræhendente & commouente: cui subditur minor, extincto autem seu imminuto naturali calore, validius est quod appræhenditur & commouetur, extincto igitur naturali calore seu debilitato fit tremor: in ebrietate autem hoc contingit, in illa igitur meritò fit tremor. Est autem validius quod continetur & mouetur quàm continens & mouens, nimirum vinum quàm natura ipsa, seu calor natiuus: hinc enim fit vt vinum minimè superante natura, eóque haud concocto, affectiones frigidæ ac tremores oriantur, quippe calore haud continente & rigente, membra illa labuntur & tremunt. Theodorum autem non rectè hunc sensum percepisse existimo; non enim hîc concluditur aliquid, nec particula *igitur* aut *potiùs* ei respondens adest in Græco exemplari, aut illa concinnè hîc locum habet: sed Theodorus fortasse diuerso, & manco vsus est codice hoc in loco: non enim etiam video in tralatione expressa verba illa, quæ sunt in Græcis vulgatis, μὴ κρατεῖν τῷ φύσιν, quæ ad sensum rectè percipiendum mihi necessaria videntur: vt contra illa, *dum integer, inuictúsque manet*, vt possint quidem subaudiri, non sunt sanè in Græcis expressa. Locum igitur iuxta vulgatam scripturam verbum ex verbo reddentes, ita conuertere possumus: *Contingit autem extincto calore (hæc enim caussa esse animalibus videtur, vt se moueant) naturam minimè superare.* ὅτι ἄνευ ῥίγους γίνεται ὁ τρόμος, *quod tremor hic fieri sine vllo rigore solitus est.* Si cum tremore ebriosorũ & senum coniungeretur rigor, existimare possemus, affectum aliquo modo à caliditate dependere, rigentes enim quamquam tremunt, non tamen semper ob frigiditatem tremunt; verùm qui sine rigore tremor est, ille semper à frigiditate ortum habet.

XXVII.

Διὰ τί ὁ ἀκρατῶς μᾶλλον παροινεῖ τῶ μεθύοντι μᾶλλον, ἢ νήφοντι; ἢ ὅτι ὁ μὲν νήφων, δύκεινεν; ὁ δὲ παντάπασι μεθύων, διὰ τὸ τὰς αἰσθήσεις ὑπιπεπλασμένας εἶ, ὥ διυάμενον τὸ βάρος φέρειν, ὥ κρίνει ὥ κείνων ἦ, ὥ παροινεῖ· ὁ δὲ ἀκρατῶς κείνει τε, ἢ διὰ τὸ οἶνον κακῶς κείνει, ὥστε παροινεῖν· ὥσπερ ἢ Σάτυρον τὸν Κλαζομένιον ὄντα φιλολοίδορον, φύσει ὄντα δίκην, ἵνα ὑπὲρ τοῦ παραγράφου λέγῃ, ἢ μὴ λοιδορῆται, τὰ ὦτα ἐπέπλασαν, ἵνα μὲν ἀκούων, εἰς λοιδορίαν τρέπηται, παρωμένως ἢ τὸν ἀντιδίκου, ἀφεῖλον· μικρὰ δὲ ἀκούσας ἔτι λέγοντος, οὐκ ἀπέσχετο, ἀλλὰ κακῶς ἔλεγε, διὰ τὸ αἰδανέστερος μὴ, κακῶς δὲ κείνειν.

Quam ob caussam, qui leuiter à vino tenentur, magis peccant vel delirant, quàm qui aut grauiter se se ebriârint, aut sobrij manent? An quòd sobrius rectè iudicat: qui autem penitus vinolentus est, quòd sensibus interceptis, onus sustinere non potest, nihil diiudicat, atque ita non peccat. At verò, qui leuiter se ebriauit, iudicat quidem, quia non multum hauserit: sed quoniam à vino detentus aliquatenus est, potestatem rectè iudicandi amisit, vt peccet necesse est. Quemadmodum quod Satyrus Clazomenius propensus admodum erat ad maledicendum, eius aures, cùm accusaretur, penitus obstruxerunt, vt de re ageret, non in contumelias se prouolueret. Postea tamen cùm cessante iam aduersario referâssent, & pauca dicente adhuc illo audiuisset, nequaquam continere se potuit, sed eyestigiò maledicta

effundere incepit, quoniam ſentire iam poterat, rectè autem iudicare non poterat.

Iterat problema ſecundum eiuſque eandem affert ſolutionem, quæ & ſatis facilis eſt ideo enim magis ex vino peccant leuiter ebrij, quàm vel ſobrij, vel vehementer ebrij: quia ſobrij rectè iudicant, nec peccant, quippe à vino haud impediti: vehementer autem ebrij, quòd ſenſibus non valent, eos enim habent impeditos, ac detentos à vini copia, non peccant, quia ne agere quidem aliquid in quo peccent aggrediuntur: parum autem ebrij in medio poſiti, ſenſibus non omnino impeditis, & facere aggrediuntur, & faciunt, ſed à vino conturbati; malè. ὥσωϛ ⸫ Σάτυρον τ̀ κλαζομένιον ὄντα φιλολοίδορον. *Quemadmodum quòd Satyrus Clazomenius propenſus admodum erat ad maledicendum.* Satyri Clazomenij exemplo declarat quod propoſitum eſt; vehementer ebrios ideo non peccare, quòd ſenſibus impeditis non aggrediantur facere, leuiter autem ebrios peccare quia aggrediantur. Ait igitur, cùm Satyrus hic Clazomenius, qui erat admodum propensùs ad maledicendum, accuſatus fuiſſet, & in iudicium ductus, ne dum accuſator aduersùs eum orationem habebat, conuiciis à Satyro impetteretur, ſed de re, de qua lis erat, Satyro neceſſe eſſet agere, obſtructas illi fuiſſe aures: ceſſante autem aduerſario, ablatoque Satyri auribus operculo, cùm paucula quædam adhuc ab aduerſario audiuiſſet Satyrus, nequaquam ſe continuit: ſed ueſtigiò contumelias iacere cœpit; quippe ſenſibus, nimirum auribus expeditis facere aggreſſus eſt, ſed malè, natura eum huc impellente. Satyro igitur aures reſeratas habenti ſimilis eſt parum ebrius, eidem habenti obſtructas, vehementer ebrius, qui interceptos à vino ſenſus obtinet. Vt Satyrus igitur obſtructis auribus non peccat, reſeratis peccat, ita leuiter ebrius, & vehementer ebrius. Hæc autem ſolutio eadem videatur illi quæ à Plutarcho tertio ſympos. quæſtionum primo loco eiuſdem quæſtionis proponitur, licèt tamquam alia ab eodem propoſita, & à nobis in commentario ad problema ſecundum relata ſit: ideo enim magis peccare leuiter ebrium, quàm vehementer dicit Plutarchus, quia illius impetibus corpus inſeruire poteſt, quod nondum à vino detentum & oppreſſum ſit, huius non poteſt, quia concuſſum & oppreſſum à vino corpus illa vi deſtituitur. *Quoniam ſentire iam poterat.* ſenſibus vti, nimirum ſenſu audiendi.

XXVIII.

Διὰ τί πᾶϛ τ̀ γλυκὺν οἶνον ἡδίω ὄντα, ἐ γίνον) οἰνόφλυγας; ἢ ὅτι οὐκ ἴδιον χυμὸν ἔχῃ ὁ γλυκύς, ἀλλ' ἀλλότριον; φιλόγλυκυς ἓν μᾶλλον, ἢ φιλοίν☉ ἔϛιν ὁ πεκραμένος.

Cur vini dulcis, quod ſuauius eſt, ebrioſum neminem eſſe arbitramur? An quòd vinum dulce, nullum ſaporem obtinet proprium vini, ſed alienum penitus reddit. Igitur dulcis rei, non vini auidus appellandus eſt, qui vini dulcis tenetur deſiderio.

Quæ ad hanc quæſtionem pertinent, propoſita copiosè ſunt in commentario ad problema XII. adducto etiam præſenti problemate: quare id ſolum in præſentia pro declaratione problematis dico. Vinum dulce non ſuccum habere propriè vinoſum, qui validus, & caput tentans ebrietatem gignit, ſed potiùs ſaporem alienum à vino, quare nec caput tentat. Et vinum fortaſſe intelligit Ariſtoteles non ſimplex, ſed compoſitum, & admodum craſſum, quale apud nos ex aromatibus componitur media hyeme, dictum hipocras, tale autem, vini proprium ſaporem obtinere iure dici non poteſt.

XXIX.

Διὰ τί οἱ οἰνόφλυγες ὑπὸ τ̃ ἡλίᾳ θερμαινόμενοι, μάλιϛα χαίρουϛιν; ἢ ὅτι δέον) πέψεως ἔπ ☉ κὴ λαβὼ τ̀ κατεψύχθαι διὸ ⸫ αἱ ἀποπληξίαι, κ) αἱ ἀπονάρκωσεις τάχιϛα μ☉ τὸϛ πότας γίνον).

Cur ebrioſi Solis calore gaudere maximè ſoleant? An quoniam concoctionem deſiderant, atque etiam quòd refrigerati admodum ſunt, ex quo attoniti, ſtupidíque mox fieri ſolent à potu.

Quæ hîc de ebriis proponuntur calore Solis gaudentibus, repetuntur problemate ſub-

ſequenti xxx i. quibus adduntur illi qui iuxta mare habitant, ex eodem calore non minus iucunditatis & fructus percipientes. Quoniam autem vtriuſque eadem redditur ratio, tum hîc tum ibi, ne eadem fruſtra bis repetantur, in illum locum reiicimus quæ dicenda ſunt.

XXX.

Διὰ τί τῆς μεθύσεσιν ἐνίοτε πολλὰ φαίνεται τὸ ἓν ὁρῶσιν· ἢ ὅτι αἱ ἀρχαὶ τῆ ὄψεων ἔστωθεν κινοῦνται ὑπὸ τῦ οἴνυ, καθάπερ ἡ ὅλη κεφαλή; κινεμένων δὲ τῶν ἀρχῶν, οὐκ εἰς ταὐτὸ συμβάλλουσιν αἱ ὄψεις, ἀλλ' οἷον ὅπερ μέρος ἑκάτερον τῦ ὁρωμένυ· διὸ δύο φαίνεται· ταὐτὸ δὲ τῦτο γίνεται, ἢν ἐαν τις κάτωθεν πέσῃ τῆ ὄψεως· ἐκίνησε γὰρ τὴν ἀρχὴν τῆ ὄψεως· ὥστε μηκέτι εἰς ταὐτὸ συμβάλλειν τῇ ἑτέρᾳ· ἡ μὲν οὖν τοιαύτη κίνησις, ἔξωθεν γίνεται. ἡ δὲ ἀπὸ τῦ οἴνυ, ἔστωθεν. διαφέρει δὲ οὐθέν. ταὐτὰ γὰρ ποιήσει ὁπωσοῦν κινηθεῖσα.

Cur vinolentis multa interdum apparet quod vnum eſt? An quia conſpectus initia intrinſecus à vino mouentur, ſicut vel caput totum ſolicitari neceſſe eſt. At cùm initia mouentur, conſpectus idem ſeſe applicare non quit, ſed quaſi partem rei obiectæ vis vtráque conſpiciendi attingit. Meritò igitur res vna ſuſpicionem recipit geminationis: quod idem vel oculo ſubter oppreſſo poteſt euenire. Conſpectus enim mouetur initium, vt ei coire cum altero non ampliùs liceat: ſed hic motus extrinſecus eſt: vini autem ille intrinſecus oritur, nec quicquam intereſt: idem enim ſequetur, qualitercumq; aſpectum commoueris.

Superiùs problemate decimo eandem omnino rem propoſuit Ariſtoteles, & problemate IX. ac XX. de eâdem materia non pauca habuimus à Philoſopho: noſque ad ea loca diximus quæ occurrebant, quare in præſentia verba quædam tantummodo explicabimus, rationes enim antea longiori oratione fuerunt expoſitæ. ἢ ὅτι αἱ ἀρχαὶ τῆ ὄψεων ἔστωθεν. *An quoniam conſpectus initia intrinſecus à vino mouentur, &c.* In Latinis hæc puto eſſe corrupta, ſunt enim qui legant, *ſicut*, coniunctim, ſunt qui, *ſic vt*, diuiſim: ſed & particula, *vel*, omnino abundat, neque adeſt in Græco exemplari, cuius verba admodum perſpicuè ita ſonant: *An quoniam principia viſionis intus mouentur à vino, quemadmodum totum caput?* Quæ itidem ſequuntur. *At cùm initia mouentur conſpectus, idem ſe ſe applicare non quit*; vel perperam ſunt interpuncta, diſtinctioniſque nota ante vocem, *conſpectus*, collocari debet, hoc modo: *At cùm initia mouentur, conſpectus idem ſe ſe applicare non quit.* ſicuti nos locum emendauimus, vel deeſt particula, *ad*, ante vocem, *idem*, vt hoc modo legamus. *At cùm initia mouentur conſpectus, ad idem ſeſe applicare non quit*, nimirum ipſe conſpectus: non enim de obiecto, aut de re viſa putem dici verbum *applicare*. Sicuti autem expeditior videtur loci correctio, mutata ſolùm diſtinctionis nota, & ſic putem ſcripſiſſe Theodorum; ita addita particula, *ad*, videntur magis Græca referri, quamquam non nego potuiſſe etiam commodiùs. Igitur, οὐκ εἰς ταὐτὸ συμβάλλουσιν αἱ ὄψεις, *ad idem*, nimirum punctum, ſeu eandem obiecti partem determinatam, non poſſunt admoueri, coniici, aut iungi viſiones. Eorum quæ his continuantur eſt etiam conſideranda tralatio. *Sed quaſi partem rei obiectæ vis vtráque conſpiciendi attingit.* Theodorus enim illa ἑκάτερον δ' ὁρωμένυ accepit de viſione ipſa, tamquam ἑκάτερον iungeretur ſubſequenti δ' ὁρωμένυ, & ὁρωμένυ patiendi ſignificatione ſumeretur; quod hoc loco fortaſſe duriuſculum ſit. Vnde aliter & fortaſſe meliùs locum etiam accipere poſſumus, vt ἑκάτερον, iungatur ſuperiori voci, μέρος, & ὁρωμένυ patiendi ſignificatione ſumptum denotet obiectum ipſum, quod tamquam duæ partes videtur: vt tota hæc problematis pars ita conuertatur: *An quoniam principia viſionis intus mouentur à vino, quemadmodum totum caput? at cùm principia mouentur, non iam in idem coniiciuntur viſiones, ſed veluti in vtránque partem rei viſæ.* Dicit autem, *veluti*, quia verè res obiecta, diuiſa in partes non eſt, ſed ita apparet. ὥστε μηκέτι εἰς ταὐτὸ συμβάλλειν. *vt ei coire cum altero non ampliùs liceat.* Omiſit Theodorus illa, εἰς ταὐτὸ, quæ ſenſum non parum adiuuant, hoc modo; vt ad idem punctum non poſſint viſionis initia iungi, ſeu coire, vt poſtremum hoc verbum vertit Theodorus: hoc autem ad rem qualis verè eſt cernendam, vtique neceſſarium eſt.

XXXI.

Διὰ τί τῶν μεθυόντων ἡ γλῶσσα πλαίει; πότερον ὅτι καθάπερ τὸ ὅλον σῶμα ἐν τῇ μέθῃ σφάλλεται,

ὅτω καὶ ἡ γλῶσσα, σφαλλομένη παίει, καὶ ἡ δυσὶ τὴν λέξιν διαθεσῶ; ἢ ἀπογλώδης ἐστὶν ἡ δ γλώττης σάρξ; βρεχομένη οὖν ἐξαίρει). τέτε ἢ συμβαίνοντ@ Διὰ τὸ πάχος τὸ ἀπὸ ἔ ὄγκε δυσκινητότερα ἦσα, ἡ δυσὶν) ἀκριβοῦ· ἢ διότι ὅτε ἐν τῷ ὑγρῷ δυνάμεθα λαλεῖν, Διὰ τὴν ἀπουσίαν ἔ ἀέρος ἐσὶ ὅταν εἰς τὸ σῶμα λάβωμεν ὑγρὸν; ἐν τῇ μέθῃ οὖν ἐν ὑγρῷ πολλῷ δ γλώττης ἦσης, οὐκ ἀκριβῶμεν· τὸ ἢ μὴ ἀκριβοῦν, ὅτι τὸ παίειν. ἢ διότι ἐν τ μέθαις ἡ ψυχὴ συμπαθὴς γινομένη, παίει; δ ψυχῆς οὖν τὸν παχύσης, εἰκὸς ⊂ τὴν γλῶτταν τὰυτὸ πάσχειν· ἀπ' ἐκείνης γὰ ἡ ἔ λέγειν ἀρχή. διὸ ⊂ χωρὶς δ μέθης, ὅταν ἡ ψυχὴ πάθῃ τι, συμπάσχ καὶ ἡ γλῶττα, οἷον τ φοβεμένων.

Cur vinolentorum lingua oberret? Vtrum quemadmodum corpus totum in vinolentia titubat, ita etiam lingua labens oberrat, nec reddere articulatim vocabula poteſt. An quoniam caro linguæ mollis, & inſtar ſpongiæ eſt, ampliatur madeſcens atque extollitur: itaque ob molem retardior fit, exprimeréque ſincerè non valet. An quòd vt in aqua ob abſentiam aëris loqui non poſſumus, ita neque cùm nimium in nos humorem indidimus: igitur quòd vinolentorum lingua in nimio humore ſe voluit, idcirco exprimere ſincerè non poteſt. An animus quoque vinolentorum compatiens errat? At ſi animus ita affectus eſt, linguam etiam pariter affici conſentaneum eſt: inde enim omne, loquendi initium ducitur. Quo fit, vt etiam ſine vinolentia, vbi animus quemquam hauſit affectum, lingua etiam ſentiat, atque compatiatur, vt in metuentibus patet.

Cur ebriorum lingua inter loquendum offendat, & vacillet, nec verba aut voces rectè explanare poſſit, ſed balbutiat, quatuor rationes affert Ariſtoteles. Prima eſt à lingua tamquam parte totius corporis, cùm enim in ebrietate totum oberret, titubet, & labatur, pars ab errore & lapſu non debet eſſe immunis. Secunda ab eadem lingua tamquam inſtrumento locutionis; hæc enim cum ſpongioſa natura ſit, madefacta & imbibita vini humiditate, in tumorem attollitur, quo impeditur, ne promptè moueri poſſit, aut locutionem explanatè proferre: ἀπογλώδης autem pro μυογλώδης repoſuimus, ita enim legit Theodorus, & antiquus interpres, & habet Iuſtinianus. Tertia ratio eſt à medio ad locutionem neceſſario; hic autem aër eſt, ſicuti in omni alio ſono, vt docemur libro ſecundo de anima; ille verò in ebriis non ita ſe habet, ſicuti explanatæ locutioni opus eſt. Vnde quemadmodum illi qui ſub aqua ſunt, aut qui aqua os plenum habent, vocem explanare non poſſunt, ita nec ebrij: nimirum præ humiditate qua lingua abundat, & repleta eſt; ita quadantenus hæc ratio ad proximam refertur. Galenus libro VI. aphoriſmorum XXXII. ad eandem humiditatem, ebriorum balbutiem retulit ita ſcribens: *quare & ebrij aliquando balbutiunt, partim quia multa humiditate perfunditur cerebrum, partim quia etiam ab ipſius multitudine prægrauatur.* Et eandem ſimiliter eo loco puerorum balbutiei cauſſam ſtatuit. Quarta autem & vltima ratio eſt, vt exponit Aponenſis, ab agente principali, nimirum ab anima, quam etiam referre poſſumus ad conſenſum ſingularum corporis partium cum anima: hæc autem in ebrietatibus labitur, offendit & peccat; vidimus enim ſuperiùs quod delirant, & malè iudicant ebrij, iure igitur cùm anima principale agens ſit, & corpus ab ea actionis huius principium ducat, illi conſentiet, atque illa peccante, à peccato non erit immune. διὸ κ χωρὶς δ μέθης. *quo fit vt etiam ſine vinolentia.* Ab eodem fonte alius accidentis cauſſam proponit: quia enim anima, principale locutionis agens eſt, vel quia lingua animæ inter loquendum conſentit, fit vt impedita & turbata anima, locutio turbetur, & vitietur: ex quo illi qui timore detinentur, etiamſi ebrij haud ſint, balbutiunt: cùm enim anima ſuum ipſius officium in timore non bene faciat, nec etiam lingua, aut pes, quæ illi deſeruiunt: hæc autem huius accidentis generalis quædam ratio eſt, propria enim & proxima, eſt retractio caloris ad cordis partes internas, tunc enim virtute, & robore deſtituta inſtrumenta, expeditè mouere ſe non poſſunt.

XXXII.

Διὰ τί οἱ οἰνόφλυγες, ⊂ οἱ ὠθὶ τὴν θάλασσαν, χάιρουσιν ἡλίῳ; ἢ διότι οἱ μ οἰνόφλυγες, δέον πέψεως, κ ἅμα συμβαίνει πνὰς πτυς κατεψύχθαι, διὸ κ ἀποπληξίαι, ⊂ ἀπονευρώσεις μ τὰς πόρας· οἱ ἢ θαλάττιοι, Διὰ τὸ ἀεὶ ἐν ὑγρῷ ἔ, τέτο ποιᾶσι.

Cur

Cur ebrij omnes, & qui mari operam dant, libenter Solis tepori ſe dedunt? An quòd ebrij concoctionem deſiderant, ſimúlque euenit, vt partes corporis quædam refrigerentur? itaque ſtupidos, attonitóſque poſt potum fieri nouimus. Maritimi autem illi, quoniam in humore ſemper ſuam degunt ætatem, calorem porrò deſiderant.

Quod paullò ante problemate xxix. de ebriis quærebatur, cur Solis calore gauderent, iterat hoc loco Ariſtoteles, quibus alios quoſdam præterea adiungit, nimirum qui circa mare degunt, vt ſunt nautæ & piſcatores. Duabus autem rationibus fieri tradit, vt Solis calor ebriis iucundus ac vtilis ſit: illi enim cùm ſint referti multis & crudis humiditatibus, quæ ſubinde corpori accreſcunt ob nimiam vini copiam, calorem natiuum debilitantem, coctionem deſiderant, & ea iuuantur: Sol autem ſalutari & viuifico calore corpora fouens coctionem adiuuat. Refrigerationem etiam illi iidem quibuſdam partibus patiuntur, tum ob caloris natiui imbecillitatem, tum quoniam crudis humiditatibus ſæpe ſæpius frigiditas iungitur; quod eo ſigno docet Ariſtoteles, quia frigidis morbis caput præſertim tentantibus, illi prehendi ſolent, cuiuſmodi ſunt ſtupores, & apoplexiæ: his autem deprehenſos, attonitos Latini auctores dixerunt, atque eodem modo Theodorus: quamquam hoc nomine non eam tantùm quæ ita propriè dicitur, ſed omnem capitis morbum frigidum, & veternoſum puto Ariſtotelem ſignificaſſe. Qui verò iuxta mare degunt, illi ideo eodem Solis calore gaudent, quia cùm aſſiduè verſentur in humido, multa excrementitia humiditate ex maris conſuetudine detinentur, hanc autem calore ſuo Sol exſiccat: quamquam enim aqua marina facultate ſicca exiſtat, qui tamen aſſiduè in ea verſantur, actuali continua humiditate ita repleti ſunt, vt ex calore Solis eam tollente non parum iuuentur: trahit enim eam Sol ex carnibus & corpore vt dicebat Hippocrates ſecundo de dieta per hæc verba: *Sol & ignis ſiccant, propterea quòd cùm calida ſint & ſicca, humiditatem ex corpore trahunt.*

XXXIII.

Διὰ τί οἱ μεθύοντες ἀδυώατοι ἀφροδισιάζειν; ἢ ὅτι δεῖ μᾶλλον πυὰ τόπον ἐκθερμανθῆναι ἢ ἄλλε σώματος; οἱ ἢ ἀφ᾽ τὸ πλῆθος τ᾽ θερμασίας, ἀδυωατεῖσιν. ἀποσβέννυ) οὖν τὸ ἀπὸ τ᾽ κινήσεως θερμὸν γινόμενον ὑπὸ τ᾽ περιέχοντος· ἢ διότι δεῖ μᾶ ἐκθερμανθῆναι τὰς κάτω τόπες, ὁδὶ οἶνος ἄνω πέφυκε φέρεσθαι; ὥστε ἐκεῖ ποιεῖ τὴν θερμασίαν, ἐντεῦθεν ἢ ἀπάγ. ἔ μ᾽ τὰ σιτία, ἥκιστα ἀφροδισιαστικοί· καὶ κελεύσιν ἀρίστᾶν μᾶ πολὺ, δειπνεῖν δὲ ὀλίγον. ἀπεπτῶν μᾶ γὰ ὄντων, ἄνω φέρε), πεπεμμένων ἢ κάτω τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ὑγρὸν· ἡ ἢ ἐ σπέρμα[τος] γένεσις ἐκ τέτων. καὶ οἱ κοπιῶντες ἐξονειρώτθεσιν, ὅτι ὑγρὸς ἔ θερμὸς ὁ κόπος. ἐαὶ οὖν ἐν τῷ τόπῳ τέτῳ γένη) ἡ περίπωσις, συμβαίνει ἐξονειρώτθειν. ἀφ᾽ τὰυτὸ ἢ ἡ ὀπὶ τοῖς ἀῤῥωσήμασιν, ὅσοις γίνε), συμβαίνει· ἔ τοῖς φοβεμένοις, ἔ τοῖς ἀποθνήσκουσι συμβαίνει ὡσαύτως.

Cur vinolenti concumbere nequeant? An quòd partem corporis quandam ampliùs, quàm reliquum corpus, incaleſcere opus eſt, quod vinolentis contingere præ nimio calore non poteſt. Calor igitur, qui à motu naturæ interno præſtatur, obtentu caloris ambientis extinguitur. An quòd partes corporis imas recaleſcere opus eſt. Vinum autem in ſublime efferri aptum eſt: itaque calorem, quemadmodum illic excitat, ita hinc auocat, atque abducit. Poſt cibum quoque libido veneris minimè incitatur. Vnde prandere largè, cœnare parcè præcipiunt. Cibo enim concocto ſurſum, crudo deorſum fertur, & humor, & calor: ortus autem ſeminis ex his eſt: & fatigatis idcirco per ſomnum profluit genitura, quòd labor corpus humidum & calidum reddit. Quòd ſi excrementum ea in parte ſubſtiterit, euenit certè, vt per ſomnum erumpat. Hæc eadem cauſſa eſt, cur in aduerſis quibuſdam valetudinibus id eueniat, atque etiam metuenti, & morienti.

Iterat problema decimum: & quamquam verba quæ ſolutionem continent non omnino eadem ſunt, rationum tamen momenta eadem apparent. Nobis igitur pauca erunt

quæ dicantur ad hunc locum; non enim repetere ea quæ ad decimum sunt allata operæ pretium existimo. Ἀποσβέννυ) οὖν. *calor igitur qui à motu.* Hæc ratio magis perfectè traditur problemate decimo: quo loco etiam quæcumque ad illius explicationem mihi pertinere videbantur, in medium allata sunt. ἢ διότι δεῖ μᾶλλον ἐνθερμανθῆναι τὰς κάτω. *An quòd partes imas recalescere opus est.* Hæc non habuimus problemate decimo, adducitur autem hoc loco tamquam noua ratio, verè tamen eadem superiori est, quæ etiam fuit proposita problemate x. nisi quod illa magis generalis, hæc autem magis particularis, & proximior esse videtur. Ait igitur, in coitu partes inferiores, quæ nimirum pertinent ad instrumenta generationi dicata, necesse esse vt excalfiant, in vinolentis autem contrario modo contingere; in illis enim excalfiunt superiora & partes capitis, vinum enim & suapte natura ad superiora fertur, & eo in loco existens, caliditatem etiam ex inferioribus partibus abducit, & ad se trahit, vnde genitalia loca refrigescere necesse est, & hinc ad venerem impotentia. ἔτι μὴ τὰ σιτία. *Post cibum quoque libido veneris minimè incitatur.* Hæc partim continent rationem illam, quæ problemate x. fuit secundo loco proposita ex seminis materia, quæ est alimentum coctum, partim adiuuant proximam rationem de vino, quod ad superiora & ipsum tendit, & alia trahit. Dicit igitur post cibos reddi homines ad venerem ineptos, ex quo fieret, quod dixit etiam problemate x. vt concubituris nocte mandaretur, vt largè pranderent, parcè autem cœnarent: oriri autem illam impotentiam ex cruditate humorum; statim enim ab assumpto cibo viget cruditas, atque eodem tempore agente in cibum calore, vaporum sursum ad caput elatio fit, & partes genitales refrigescunt: cocto autem deinde cibo, factáque distributione, calor & humor qui iunctim incedunt, iterum deorsum reuertuntur, fitque seminis generatio, quæ ex his est, nimirum à calore excocto humore. Eadem igitur ratione ebrij ad venerem inepti sunt, quippe modo largo pastis non absimiles: cùm igitur in his quoque præ copia & cruditate vini fiat ad caput elatio, parteſque genitales refrigescant, quod dicebatur in proxima ratione, & cùm ob cocti alimenti defectum in eidem non adsit seminis copia, quod decimo problemate proponebatur, iure fit vt ebrij ad concumbendum sint inepti. ἀπεπτῶν μὲν γὰρ ὄντων, ἄνω φέρε). *cibo enim concocto sursum, crudo deorsum fertur.* Hæc Theodori Latina verba omnino contraria Græcis sunt, quibus clarè proponitur ab Aristotele, crudo seu inconcocto cibo, lationem caloris & humoris fieri sursum vel ad caput, cocto autem deorsum, vt omnino conuertendum fuerit ita, sicuti Græca sonant: *crudo enim existente cibo, calor & humor sursum feruntur, cocto autem, deorsum.* Et nescio quid in mentem venerit Theodoro vt contrario prorsus modo locum conuerterit, cùm præsertim ratio ipsa quam Aristoteles proponit, errorem facilè potuisset considerranti manifestare. καὶ οἱ κοπιῶντες ἐξονειρώττουσιν: *& fatigatis idcirco per somnum profluit genitura.* Confirmat quod modò propositum est, ex calore, & humore ad partes genitales confluentibus fieri seminis exitum: quando ille per somnum accidat fatigatis, si ad partes illas fiat colliquamenti fluxus, labor enim calefacit & humectat, qua de re, tum nonnulla diximus superiùs problemate xxv. ex Aristotelis libro de somno & vigilia, tum verò quædam dicentur ad problema xxxi. sectionis quintæ, quo in loco huius accidentis proponitur caussa inuestiganda. Eandem autem rem, ex eo etiam confirmari tradit, quòd nonnullis ægritudinibus euenire conspicimus, atque etiam metuentibus ac morientibus, his enim ob calorem & humorem quarundam partium, contingere significat vt effluat genitura: sed & hac de re vberiùs agetur ad problema octauum sectionis proximè sequentis, quo loco ea quæstio proponitur.

XXXIV.

Διὰ τί οἱ νέοι ὄντες ἐνυρέσιν μᾶλλον ὅταν μεθυσθῶσιν, ἢ πρεσβύτεροι; ἢ διὰ τὸ θερμὸς καὶ ὑγρὸς εἶναι, πολὺ τὸ συρρέον γίνεσθαι περίττωμα, διὰ τὸ μὴ ἀναλίσκειν τὸ σῶμα τὸ ὑγρὸν· ὥστε ὑπερχεῖται. πρεσβυτέροις δὲ γινομένοις, διὰ ξηρότητα τὴν ὑπερβολὴν ἀντιποιεῖται τὸ σῶμα· ἢ ὅτι μᾶλλον ὑγιεινότεροί εἰσιν οἱ νέοι τῶν πρεσβυτέρων; διὸ τοὺς μὲν νέους, καθύπνους ὄντας, λανθάνει ἡ ὁρμὴ τοῦ ὕδατος ἐκπίπτουσα ὥστε διεγερθῆναι· τοὺς δὲ πρεσβυτέρους, διὰ καθαρὸς ὁ ὕπνος τοῦ ἔξωθεν κινήσεων, διὸ ἂν ἤδη τι λανθάνει αὐτοὺς ἢ τοὺς νέους. δῆλον δὲ καὶ αὐτοὶ οἱ νέοι ἐν τοῖς βαθυτάτοις ὕπνοις μάλιστα ἐνυρέσιν.

Cur iuuenes potiùs, quàm seniores immingant, vbi vino se se ebriauêre? An quoniam iuuenes humidi sunt, & calidi multùm, idcirco excrementum humoris confluit in vesicam: exiguum enim à corpore eorum absumitur, quam ob rem id effundi necesse est. Senioribus verò, corpus pro sua siccitate

humorem nimium attrahit, atque imbibit. An quòd iuniorum natura ad ſomnum propenſior, quàm ſeniorum eſt: quocirca grauiter iuuenes conſopitos vrinæ ſæpe excitatio latet, vt hæc priùs erumpat quàm illi ſurrexerint. Seniores autem latere minimè poteſt, quemadmodum nec externorum motuum quiſquam minùs ab his percipi, quàm ab adoleſcentibus ſolet. Conſtat autem quod modò diximus, quādoquidem iuuenes ipſi tum maximè immingunt, cùm arctè & grauiter dormiunt.

Inquirit cur illi qui tenella ætate ſunt, ſi inebriẽtur, magis per ſomnos immingant, quàm ſeniores. Diximus autem tenella ætate quos Theodorus vertit, iuuenes: nam ex ipſa problematis ratione apparet tales intelligi, cùm dicantur calidi & humidi, cuiuſmodi potiùs pueri ſunt quàm iuuenes. Et ſanè Græca vox νέοι non rarò hac ſignificatione legitur, nam ἐκ τ̃ νέων, &, ἐκ τ̃ νέων παίδων, hoc eſt, à teneris annis, à pueritia, frequens apud Platonem locutio: & Ariſtoteles quum teneram admodum ætatem intelligeret in libro de memoria & reminiſcentia ad finem dixit: πάμπαν νέοι, *pueri admodum teneri*, & ipſemet Theodorus ad finem problematis eandem vocem etiam vertit, *adoleſcentes*. Duas porrò eius rei affert rationes Ariſtoteles: Primùm enim illud contingere affirmat, quia pueri naturâ ſunt multùm calidi & humidi; cunctas igitur corporis partes & meatus repletos habent humore, totúmque corpus madidum; vbi igitur vini humiditas ſuperingeritur, illa per corpus haud diſpertiri, nec abſumi poteſt: ſed in veſicam defertur, & inde promptè effunditur. Senes contra tum partes corporis ſiccas habent, tum meatus omnes admodum latos, vnde vini humiditates tum à ſiccitate partium attrahuntur, ſicca enim trahunt, vt ex Hippocrate ſuperiùs dicebamus, tum partes raræ & vacuæ imbibuntur, & patentes meatus illas facilè recipiunt, nec ad veſicam vt deferantur cauſſa vlla eſt. Tum alteram rationem ponit Ariſtoteles, atque ait, ideo pueros ſe ſe immingere, quoniam longioribus, & profundioribus ſomnis detineri ſolent quàm ſeniores: cuius rei cauſſam in libro de ſomno & vigilia dixit eſſe multum alimentum, quod in illis ſurſum ad caput fertur. Igitur in lõgis & altis ſomnis vrinæ ſtimulantis impetus haud percipitur, vnde erumpit antequàm excitentur: non ita in ſenioribus; nam quia ſomni leuiores, leuiori cauſſa excitantur, & quia leuiores, vrinæ ſtimulus haud ita vrgere poteſt, quippe experrectis mingere licet. καθάπερ ἐδὲ τ̃ ἔξωθεν κινήσεων. *quemadmodum nec externorum motuum quiſquam*. Confirmat adhuc, faciliùs à ſomno excitari ſenes; nam externos omnes motus, qui ab animali facultate ſunt, non minùs percipi à ſenibus quàm à pueris poſſunt; quinimo meliùs, quod contingit ob motum qui in pueris eſt, ratione iugis & multi augmenti: Non ſunt autem hæc intelligenda de valde ſenibus, illi enim etiam ob motum decrementi, idem ac pueri patiuntur, ſicuti dicitur in libro de memoria & reminiſcentia ad finem. Hanc rationem immictionis puerorum habemus etiam apud Auicennam libro tertio fen XIX. tract. II. nam cùm capite XV. ageret de mictu in lecto, ita enim ille loquitur, hæc ſcribit: *Et pueros quidem adiuuat ad illud profunditas in ſomno: quum ergo mouetur, expellunt eam natura, & occulta voluntas ſimilis voluntati animæ ante ipſorum euigilationem.* Aliam tamen proximiorem paullò ante attulerat, quæ vt in ægris locum habet ex intemperie morboſa, nimirum mollificationem lacerti, vt ipſe loquitur, id eſt, relaxationem muſculi os veſicæ claudentis, ita etiam in pueris ob teneritudinem; & mollitiem corporum. Non igitur hac ratione, quod putauit Aponenſis, dicit Ariſtoteles, ideo pueros ſe ſe immingere; quia ob ſomnos longiores celebrata meliùs coctione, vrina multa colligatur: non enim de vrinæ copia verbum vllum hoc quidem loco; ſed quia ſtimulantis vrinæ impetus eos latet. μᾶλλον ὑπνωτικώτεροι. *An quòd iuniorum natura ad ſomnum propenſior.* Verterim libentiùs. *An quòd longiùs & profundiùs dormiunt pueri, quàm ſeniores.* δῆλον ὅ: ὡς γὰρ αὐτοὶ οἱ νέοι. *Conſtat autem quod modò diximus, quandoquidem iuuenes ipſi.* Veritatem rationis confirmat; nimirum ex profunditate ſomni accidens propoſitum oriri: nam quo ſomni profundiores ſunt, eò magis pueri ſeſe immingere videmus: iam igitur ex ſomni profunditate illud proficiſci appareat.

XXXV.

Διὰ τί τὸ ἔλαιον πρὸς τὰς μέθας συμφέρει, καὶ τὸ διὰ κοιλίας πίνειν τὸ καταῤῥοφᾶν; ἢ διότι ἀρπικόν ἐστι, καὶ τῷ πόματι προσδοποῖ;

Cur

Cur oleum ad arcendam vinolentiam valet, ſorbitúmque facultatem præſtat potandi? An quòd vrinam ciere poteſt, vinóque hauſto iter regit.

Inquirit hoc poſtremo huius ſectionis problemate, cur oleum ebibitum ad arcendam ebrietatem conferat, tum poſt vini potum ingeſtum ad eam arcendam, tum ante, vt largiùs potandi præbeatur occaſio. Cauſſam autem dicit eſſe quoniam oleum mouere vrinas poteſt, qua facultate vini humiditates ad veſicam deducendo, vnde foras mittuntur, auertit vapores à capite, atque ita ebrietatem impedit; vt habuimus etiam ſuperiùs problemate XVII. ex Galeno, vnam ex cauſſis cur braſſica reſiſteret ebrietati eſſe, quoniam cieret vrinas: atque eàdem ratione ſimiliter fieri exiſtimo, quod Hippocrates ſeu Auctor libri IV. de ratione victus in acutis eo libro ſcripſit, allium ad arcendam ebrietatem valere, quia ſcilicet diureticum: quamquam diuerſa ratione ac allium, hoc enim eſt propriè tale, quippe acre, calidum, & attenuans; oleum verò lene, lubricum, & aëreum per anguſtos etiam meatus ſe ſe inſinuare poteſt, vnde dixit Auicennas, olea omnia eſſe diuretica. Oleum igitur quod hoc loco ex oliuis commune intelligitur, auertit humorem vini à capite, & viam illi præſtruit ad partes inferiores, & ad veſicam, vnde foras ſubinde mittitur, ac ita largiori copia aſſumi poteſt. Cur autem Theodorus verterit, *vino iter regit*, quod Græcè eſt ὁδοποιεῖ, ac non potiùs dixerit, iter ſternit, viam facit, aut munit, aut præſtruit, quod videtur eſſe illud ipſum; qua voce nos vſi ſumus, meliúſque vt puto ſententiam expreſſimus, equidem diuinare non poſſum. Cæterùm præter hæc quæ in vulgatis codicibus habemus problematis verba, Iuſtinianus poſt vltima quæ modò expoſuimus, hæc etiam reponit. ἢ μᾶλλον διότι ὑπερπλαστικὸν τὸ ἔλαιον, καὶ τὸν ἀπὸ τοῦ οἴνου ἀναθυμιάσεων κωλυτικὸν, hoc eſt. *An vel magis quoniam in ſuperficie innatare oleum ſolet, & vini vapores prohibere?* Hæc autem alteram, & ſatis manifeſtam rationem continent propoſiti effectus: ideo oleum ebrietati reſiſtere, quia cùm innatare ſoleat, & in ſuperficie reſidere, vino ſupernatat, illúdque tegit & cooperit: ex quo vaporum qui à vino attolluntur, & caput petunt aſcenſum prohibet, quæ ratio tacta etiam fuit ab Ariſtotele problemate XIII. dum ageret de vino dulci: hac enim in re, vinum dulce oleo non abſimile eſt. Eandémque ſimiliter rationem adducit Aponenſis in commentario ad hunc locum: vt non ſit fortaſſe abs re cogitare, eam in aliquibus codicibus extitiſſe.

* * *

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Δ.

ὅσα περὶ ἀφροδίσια.

ARISTOTELIS PROBLEMATVM SECTIO IV.

De iis quæ ad rem veneream pertinent, THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII COMMENTARIVS.

I.



ΔΙΑ τί ὁ ἀφροδισιάζων, καὶ ἀποθνήσκων, ἀναβάλλει τὰ ὄμματα, κατὰ βάθους ἢ καταβάλλῃ; ἢ διότι ἄνωθεν τὸ θερμὸν ἐξιὸν ἀναστρέφῃ ἵναπερ ὁρμᾷ· ἐν ᾧ τῷ ὕπνῳ κάτω σωμάζεται· διὸ ῥέπῃ κάτω; συγκλείονται δὲ οἱ ὀφθαλμοὶ διὰ τὸ μὴ ὑπάρχειν ἐπινοτίδα.

Quam ob cauſſam qui concumbit, & qui moritur oculos attollit: qui autem dormit ſubmittit? An quòd de parte ſuperiore calor exiens, eodem oculos vertit, quo ſe deflexerit: per ſomnum autem deorſum ſe colligit, itaque eodem conuertit. Clauduntur verò propterea oculi, quia humiditas deficit.

In veneris vſu, in morte, & in ſomno, oculi ab eo ſitu dimouentur, quem priùs obtinebant, alio tamen inter ſe, atque adeò contrario modo; nam in coitu, & in morte, ſurſum, in ſomno autem deorſum ſubmittuntur. Eius rei cauſſam quærit hoc loco Ariſtoteles: dicit autem ideo fieri, quoniam in concubitu calor, & ſpiritus noſtri corporis, qui totus eo tempore commouetur, ad ſuperiora vergit: quò autem vergit calor & ſpiritus, eodem trahuntur partes, in quibus calor, & ſpiritus maximè abundant, tales autem oculi ſunt: ad illos enim plurimum animalem lucidum ſpiritum è cerebro proficiſci ſcribit Galenus Comm. IV. in VI. de morbis vulgaribus tex. XXVIII. atque etiam VII. de Decretis Hippocr. & Platonis capite VI. Quinimò nec in ventriculis ipſis tantam animalis ſpiritus copiam contineri, ac in oculo eodem loco VII. de Decretis affirmat. In morte ſimiliter, cùm ad extremum redacta res eſt, calor & ſpiritus, qui antea ad cor, tanquam ad arcem confugiebant, eo tempore veluti deſperata ſalute, illam deſerentes, ad partes ſupernas, quo naturâ illis aditus eſt, fugam moliuntur: & inde ſurſum oculi trahuntur. In ſomno contra calor deorſum vergit, nimirum ad cor, & ad partes internas: quamquam enim primùm, in caput aſcendunt vapores ſomnum arceſſentes, inde tamen ad cor reflecti, cùm altè homo dormit, Ariſtotelis ſententia fuit, ſicuti patet ex libro de ſomno & vigilia, quem locum adduximus ſuperiori ſectione ad problema XXVI. Aduersùs has rationes obiicit Aponenſis, nam in coitu partes inferiores excalfieri neceſſe eſt, vt habuimus ſuperiori ſectione problemate XXXII. eò igitur mouebuntur calor & ſpiritus, quorum beneficio illæ partes incaleſcunt; in morte ſimiliter, ad cor tanquam ad arcem confugiunt calor & ſpiritus, & meritò; cor enim primum viuens, & vltimum moriens eſt, vt ſcribitur ſecundo de generatione animalium

capite IV. non igitur ſurſum, ſed deorſum tum in coitu, tum in morte oculi mouebuntur. Reſpondet idem Aponenſis, Ariſtotelem de motu caloris & ſpiritus rem contrario modo accipere, ac in obiectione ſit dictum: ex quo totum tempus tum mortis, tum venereæ illius actionis, in duo diſtinguit, initium & finem, ſeu tempus quod ad finem eſt: nomine autem mortis, non vltimam illam animæ diſceſſionem intelligit, quæ momento fit, ſed tempus etiam aliquod præcedens, quod latitudinem habet. Igitur initio actus venerei ſpiritus & calor vergunt ad inferiora, parteſque illas excalfaciunt, mox verò illinc impetu facto, cùm inſtat ſeminis exitus, ac iam exit, ad ſuperiora ſe conuertunt. Cui rei argumento etiam eſſe poſſunt, genæ & aures, ac tota facies, quæ eo tempore incaleſcere, & rubeſcere maximè ſolet. De morte eodem modo ſoluitur, declaratáque res eſt, dum rationem exponeremus, antea nimirum refugij cauſſa, calorem & ſpiritum tendere ad cor, at deſperata ſalute, arcéque derelicta, aliò vergere, & ad ſuperiora, cuius rei etiam argumentum eſſe poteſt raritas & imbecillitas pulſus, quæ in animam agentibus obſeruatur, ſicuti etiam adnotauit Auicennas. *διότι ἄνωθεν. An quòd de parte ſuperiore.* Aduerbium, ἄνωθεν, quod ſignificationem de loco, vt Grammatici loquuntur, habere ſolet, quomodo etiam vertit Theodorus, libenter ſumerem ſignificatione per locum, vt non locum vnde calor egreditur, ſed per quem trãſit, & manat, eo intelligeremus. *συγκλείονται δὲ οἱ ὀφθαλμοὶ. clauduntur verò propterea oculi.* Hæc additamentum quoddam eſſe videntur: non enim perſpicio quid propoſiti problematis ſolutioni conferant: ſed & illud dubium, vtrum ad ſingula propoſita membra concumbentium, morientium, & dormientium referantur, an ad hoc poſtremum tantùm, in omnibus enim claudi oculos verum eſt. Aponenſis ad poſtremum referre videtur: tum illud adhuc difficilius, quod ſatis perſpicuè verba ſonant, humiditatis defectu claudi oculos: nam in oculis eorum qui multum pota uerunt, vt dicit Aponenſis, non deficit, ſed abundat humiditas: atqui illis & clauduntur oculi, & ipſi multùm dormiunt. Præterea qui naturaliter oculos habent humidos, ſomniculoſos à Philoſopho iudicari idem Aponenſis ſcribit: ſignificat autem, vti exiſtimo, Ariſtotelis librum de phyſiognomia, in quo tamen cùm ſomniculoſorum alia tradat indicia, hoc ſanè, in illis quidem quibus ego vtor Ariſtotelis exemplaribus, non extat. Sed addamus ex Galeno VI. Aphoriſ. LII. ſiccitatem adeò non efficere vt palpebræ claudantur, vt potiùs contrarium operetur, & ne perfectè claudantur efficiat, ſicuti exſiccata coria difficulter extendi videmus, quemadmodum ſcribit eo loco Galenus. Præterea in catocho, quod ſymptoma oritur à ſiccitate Galeno ipſo teſte, ægri habent oculos apertos ac tenſos, vt ſcribit ſimiliter Galenus comment. II. in primum Prorrheticorum. Obiectioni reſpondet Aponenſis, nomine humiditatis non intelligere Ariſtotelem humiditatem quamlibet: ſed certam quandam, cui calor innititur, quáque euaneſcente, calor qui palpebras extendit, ſubiectum cui innitatur non habet: hanc autem eſſe humiditatem tenuem, quæque promptè extendatur, non viſcidam, & craſſam, illa autem carere vinolentos: nec verò tandem exſiccari oportere, iam enim oculos apertos detineat, ſicuti fit in catocho, & ſicuti cuidam adurendi febre vexato accidiſſe ſcribit Aponenſis, cui ob exſiccantem calorem, adeò corrugatæ ſunt palpebræ, vt in poſterum illas nunquam clauſerit, ſed perpetuò tanquam lepus oculis apertis dormierit. Igitur huius humiditatis defectu, in ſomno oculi claudi dicuntur: eo enim tempore illa vnà cum calore, deorſum & ad partes infernas deſcendit: in morte autem, & per veneris res, ſi ad hanc etiam illa verba referenda ſunt, humor ſanè cum calore haud deorſum vergit: ſed contrario modo, ſicuti dictum eſt; in illis etiam idem humor cum calore abit, humiditatiſque defectus itidem contingit. Porrò autem huius eiuſdem accidentis cauſſam, ſiue dormientes, ſiue morientes, ſeu concumbentes ſpectes, poteſt etiam ad imbecillitatem referri, ad quam Galenus VI. Aphoris. eorundem oculorum apertionem refert: qua enim imbecillitas mouentis facultatis non poteſt deorſum palpebras demittere, vnde apertio: eadem ſimiliter non poteſt illos ſurſum attollere, vnde obſeratio: porrò tamen hæc imbecillitas à caloris abſentia fit, vt iam ferè eodem reuoluamur. Sed & propriè in coitu, ratione ſummæ voluptatis, ne ab obiectis diſtrahamur, fieri vt oculi claudantur, & clauſi detineantur, probabili ratione puto etiam nos poſſe dicere.

II.

Διὰ τί τὸ πλέοσιν ἀφροδισίοις χρωμένων, ὑπαδηλότατα σωιδίδωσι τὰ ὄμματα, καὶ τὰ ἰσχία. τὰ μὲ ἐγγὺς ὄντα· τὰ δὲ πόῤῥω; πότερον ὅτι καὶ ἐν αὐτῇ τῇ συνουσίᾳ ὑπαδηλότατα συμπονεῖ ταῦτα, τῇ ἐργασίᾳ συνιόντα περὶ τὰ μόρια τὸ σπέρματος; συνεκθλίβει δὲ μάλιστα ἐντεῦθεν ὅσον ὑγκτον

τ τροφῆς ἕνεκα διὰ τὴν θλῖψιν· ἢ διότι συμθερμαινόμενα, τήκεται μάλιστα. ὁ δὲ ἀφροδισιασμὸς, θερμότητα ἐργάζεται· μάλιστα δὲ ταῦτα θερμαίνεται ἃ κίνησιν ἐν τῇ ἐργασίᾳ. οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ, καὶ τὰ περὶ τὴν ἕδραν, ὅτι δήλως συμπονεῖ· ὅτε γὰρ μὴ συναγάγοντι τὰ περὶ τὴν ἕδραν ἐνδέχεται περάσαι, ὅτε μὴ τῶν ὀφθαλμῶν καθαθληθέντων· τὰ μὲν γὰρ περὶ τὴν ἕδραν συνιόντα, θλίβει, οἷον ἐκ κύστεως τῇ χειρὶ τὸ ὑγρὸν· ἡ δὲ τῶν ὀφθαλμῶν συναγωγὴ, τὰ ἀπὸ τῆς ἐγκεφάλου· ὅτι δὲ μεγάλην ἔχουσι τὰ ὄμματα τὴν δύναμιν, καὶ ὁ τόπος αὐτῶν πρὸς γένεσιν, δηλοῖ ἡ τῶν ἀτέκνων, καὶ γονίμων γυναικῶν τοῖς ἀναλείμμασι πεῖρα. ὡς δέον ταύτῃ διελθεῖν εἰς τὸ σπέρμα δύναμιν· πόνα δὲ ἀεὶ ἄμφω τυγχάνει ὄντα πάντων ἀεὶ, ἀρχός τε καὶ ὄμματα. διὰ μὲν οὖν τὴν συνεργίαν, κοινωνεῖ τῆς θερμασίας· διὰ δὲ ταύτην, λεπύνεται καὶ συναποκρίνεται πολὺ εἰς τὸ σπέρμα. ὅτε γὰρ, ἂν μὴ πίον ᾖ ὁμοίως λύσει ἡ θερμότης, ὅτε πῖον ὄν, μὴ συμπονῶν, οἷον ἐν τῇ κοιλίᾳ· ἀλλὰ οἱ νεφροὶ τῶν ἄλλων μάλιστα αἱθάνονται, διὰ τὴν γειτνίασιν· καὶ αὐτὴ δὲ ἡ τοῦ σπέρματος πάχυσις, διὰ τὰς τούτων τάσεις ἅσα, ὅπι δηλόεται ἱκανὴ ὄζι λεπύνειν. ἀφερεῖ γὰρ τί ἀλλ' ὁ προσπίθησι, συλησιάζουσα.

Cur iis qui rem veneream immodicè agunt, oculi, & clunes manifestè subsident, partes, quarum alteræ propè, alteræ procul à genitalibus absunt? Vtrum quòd in ipso etiam coitu partes hæ perspicuè collaborant, cùm rem studiosiùs ipsæ persequantur, & se cogant, nitantúrque in semine emittendo. Itaque quantum alimenti facilè liquescere potest, id pressum extruditur. An quòd obcalefactæ præcipuè contabescunt. Concubitus autem caloris agitur facultate, eáque maximè sentiunt calorem, quæ in agendo commouentur. Oculi autem partésque sedi proximæ perspicuè collaborant. Haud enim fieri potest vt semen profluat, nisi partes cogantur illæ, nisiq; oculi demittantur: quippe cùm partibus his coeuntibus humor quasi manu, ex vesica prematur, oculísque coactis cerebrum sua dimittat. Oculos verò & locum his proximum, vim ad procreationem maximam obtinere, docent illinimenta, quæ mulieres tam steriles, quàm fœcundæ experiuntur, vt pote cùm vis ad semen transmitti hinc debeat. Sunt autem & oculi, & renes omnium pingues, atque obesi: ergo quòd partes hæ rem veneream efficaciùs adiuuant, caloris participes sunt, cuius tabifica vi extenuantur, multúmque sui succi ad semen excerni patiuntur. Calor enim (si corpus vel pingue non est, vel si pingue quidem, sed non tamen laborat) æquè liquefacere nequit, vt latè in ventre patet. Renes tamen omnium maximè sentiunt, quia in vicino positi sunt. Et ipse quoque seminis transitus, cùm per ea loca perspicuè agatur, extenuare procul dubio potest: adimit enim, non addit per suam istam propinquitatem.

Cùm oculi & clunes partes sint inter se admodum distantes, nec vlla affinitate coniunctæ alteræque propè, alteræ autem procul ab ea parte absint, cuius opera venus exercetur; iure quærit Aristoteles, cur hæ præcipuè ab eâdem re, nimio scilicet veneris vsu fatiscant, & collabantur; quam rem habemus etiam apud eundem Aristotelem libro II. de generatione animalium cap. VII. ad finem, vbi & causam reddit: cuius verba paullò post adducemus. Hoc autem loco eius rei duas affert rationes: Primùm enim illud fieri scribit, quoniam partes hæ vtræque in coitu perspicuè, & maximè laborant, & defatigantur: dum enim in illo munere ad seminis excretionem moliendam concurrunt: ex illis etenim eo in opere ob compressionem seu nixum qui in eisdem partibus accidit, fit expressio alimenti, quantum sanè liquari potest: hæc autem ratio meliùs declarabitur paullò post. Porrò Theodorus cùm illa scribit, *cùm rem studiosiùs ipsæ persequantur, & se cogant, nitantúrque in semine emittendo*, iam non Aristotelis orationem conuertit: sed paraphrasi eam explanat, vnico enim verbo illa Aristoteles complexus est, cuius oratio ita habet: *Vtrum quoniam in ipso coitu perspicuè hæ collaborant, eo in opere ad seminis proiectionem concurrentes?* Sicuti verò hoc loco abundauit Theodorus, ita defecit paullò post duas voces omittendo, μάλιστα ἐντεῦθεν, quæ ad sensum non parum faciebant; itaque addendæ sunt, poterimúsque ita locum conuertere: *Itaque illinc maximè ob compressionem exprimitur, quantum alimenti facilè liquari potest.* Hæc autem omnia ad formam syllogisticam redacta ita meliùs patere poterunt. Quæ par-

tes maximè concurrunt ad opus venereum, ſeminis proiectionem adiuuantes, illæ maximè laborant; oculi & clunes ſunt huiuſmodi, illæ igitur maximè laborant. Maior propoſitio ex eo probatur, nam quæ partes in illo opere maximè concurrunt, ſeminis proiectionem adiuuantes, illæ id efficiunt nixu & expreſſione alimenti; quæ verò nixu & expreſſione alimenti id efficiunt, illæ maximè laborant, quæ igitur partes eo in opere maximè concurrunt ſeminis proiectionem adiuuantes, illæ maximè laborant: minor autem probatur mox, poſtquam alteram rationem attulit, quam ſubdit per ea quæ ſequuntur. ἢ διότι ὠδαθερμαινόμενα τήκεται μάλιστα. *An quòd obcalefactæ præcipuè contabeſcunt.* Altera ratio, vt dicebam, quæ petitur à calore, ſicuti modò propoſita à nixu & expreſſione. Primùm autem lego ὠδαθερμαινόμενα, ſicuti excudendum curaui, non ὠδαθερμαίνεται, vt habent vulgata exemplaria: ita enim legiſſe videtur Theodorus, & reponit Iuſtinianus: non tamen putem, participium hoc intelligi particulatim debere de partibus propoſitis, ſcilicet de oculis & clunibus, ſicuti facit Theodorus, qui vertit, *obcalefactæ*, ſed abſolutè enuntiationem proferri, quæ eſt minor ſyllogiſmi propoſitio: ita enim ratiocinatur Ariſtoteles: quæcunque maximè incaleſcunt, illa colliquantur, partes per quas venus exercetur, maximè incaleſcunt, illæ igitur colliquantur: minorem probat hunc in modum: partes quæ mouentur eo in opere, maximè incaleſcunt, at illæ per quas venus exercetur, mouentur, illæ igitur maximè incaleſcunt. ὁ γὰρ ἀφροδισιασμὸς θερμότητι ἐργάζεται. *concubitus autem caloris agitur facultate.* Theodorum puto legiſſe non θερμότητα, ſed θερμότητι, quo modo quamuis nos excudendum curauimus, vulgatam tamen lectionem ferri poſſe putamus, ſiue enim dicamus, caloris beneficio peragi concubitum, ſiue ex concubitu creari ac gigni calorem, ad propoſitam rationem æquè conducit. οἱ δ' ὀφθαλμοὶ καὶ τὰ πρὸς τὴν ἕδραν. *Oculi autem partéſque, ſedi proximæ.* Iam probat minorem propoſitionem rationis, quæ primo loco adducta eſt, vt perſpicuè apparet ex verbis, quæ eadem omnino hic repetuntur. Cur verò altera ratione interpoſita, in hunc locum probationem illius propoſitionis diſtulerit, fortaſſe illa cauſſa ſit, quòd ad eandem ſecundam rationem comprobandam, illa etiam conferat, ſuntque enimuero vtreque rationes ſatis inter ſe ſimiles: & fortè vna tantùm ſunt, corruptúſque eſt leuiter locus ad illa verba, quæ initium alterius rationis continere videntur: ſed quando exemplaria nihil nos adiuuant, non eſt vt de immutatione aliqua cogitemus. Probat igitur Ariſtoteles minorem illam propoſitionem, vt dicebam, nimirum oculos, & partes ſedis proximas manifeſtè in coitu laborare; non enim fieri poteſt ſeminis emiſſio, niſi ſe cogant partes quæ ad ſedem attinent, & oculi demittantur, hoc eſt contrahantur, & conſtringantur: id enim valet hoc loco, καθελκόντων, Latinè *demittantur*, vt apparet ex illis quæ ſequuntur, ἡ τῶν ὀφθαλμῶν συναγωγή, quæ Theodorus reddit, *oculíſque coactis*; contractio autem ſeu coactio hæc, non niſi cum labore fieri poteſt: præcedit autem illa motum qui ad ſuperiores partes fit, de quo dictum eſt in præcedenti problemate, in quo tamen illamet vox non eodem prorſus modo accepta eſt. Liquidiùs autem explicat Ariſtoteles, quomodo partium illarum defatigatio & nixus, ſeminis eiectioni conferat: nam partibus his quæ ad ſedem pertinent coëuntibus, & coactis, humidum, quod inibi eſt, tanquam manu ex aliqua veſica exprimitur; & oculorum coactio ſeu conſtrictio, ex cerebro idem humidum citat. Porrò ex cerebro ad maris genitalia defluere ſemen, fuit vetus Philoſophorum opinio. Ita ſenſit idem Ariſtoteles ſectione x. problematum LXI. & alibi, Plato in Timæo, & Hippocrates in libro de aëre, aquis, & locis, vbi de Scythis loquens, qui ſibi remedij gratia vtranque venam poſt aures incidebãt, dicit ea medicatione eos perdere ſe ipſos, aut ſicuti alij legunt, corrumpi ſemen. Venis enim illis ſectis ſterilitatem induci: id verò qua ratione eueniat, explicat in libro de Genitura his verbis. *Quibuſcúnque iuxta aures venæ ſectæ ſunt, hi coëunt quidem, & genituram emittunt, verùm modicam, & debilem, ac infœcundam. Nam plurima genituræ pars à capite iuxta aures in ſpinalem medullam procedit: Ipſe autem tranſitus cicatrice ſectioni inducta conſolidatus eſt.* Quam Hippocratis ſententiam habet etiam Auicennas libro III. Fen XX. tractatu primo, cap. III. cui quum alia quædam addat, rei propoſitæ non inutilia, operæ pretium duxi eius verba referre, quæ ita habent: *Et Hippocrates quidem dixit in ſuis intentionibus, quòd plurimum materiei ſpermatis eſt ex cerebro: & quòd deſcendit ex duabus venis, quæ ſunt poſt ambas aures: & propter hoc abſcindit phlebotomia ambarum generationem, & facit incurrere ſterilitatem: & eſt ſanguis earum lacteus, & continuatæ ſunt nuchæ, vt non elongentur à cerebro, & quæ ei ſimilantur ſpatio longo; quare alteraretur complexio illius ſanguinis, & conuerteretur: imò perueniunt ad nucham, deinde ad renes, poſtea ad venas, quæ veniunt ad teſticulos, & Galenus quidem non ſciuit an faciat incurrere inciſio harum duarum venarum ſterilitatem, an non. Mihi verum videtur, quod non oportet vt ſit ſperma ex cerebro ſolo,*

quam

quamuis eius fermentum ex cerebro ſit: & eſt verum, quod dixit Hippocrates de eſſe duarum venarum: imò oportet vt ſit ei ex omni membro principali fons, & vt ſit ex membris alijs reſudatio etiam ad iſtas radices, & propter illud eſt aſsimilatio. Hæc Auicennas. ὅτι δὲ μεγάλην ἔχουσι τὰ ὄμματα. *oculos verò & locum his proximum vim ad procreationem maximam obtinere.* Sequitur ad oſtendendum pleniùs, quare ex partibus capitis oculi præcipuè in coitu afficiantur. Oſtendet autem & magis diſtinctè paullò poſt, quare & loca ſedi proxima afficiantur etiam. Dicit igitur oculos ita affici; quoniam ad generationem vim maximam illi obtinent, vt ab ipſis in ſemen virtutem deriuare appareat: quam rem probat experimento illo, quod de mulieribus ſumitur. Cùm enim experiri volunt aliqui, vtrum mulieres fœcundæ, an ſteriles ſint, illinunt oculorum angulos tinctura aliqua, exempli gratiâ, croco aquæ immixto: quòd ſi ex ea illinitione oris ſaliua tingatur, dicunt illam fœcundam, ſin minùs, ſterilem. Id verò qua ratione fiat, pleniùs docet libro ſecundo de generat. animalium cap. VII. quo loco etiam hanc oculorum præcipuam facultatem ergo ſemen, pluribus verbis proponit in hunc modum: *Mulieres autem probantur ex ijs quæ admouentur, nimirum ſi odores extrinſecus à parte inferiori appoſiti, pertranſeant vſque ad ſpiritus locum,* [& afficiant halitum;] *& ex ijs coloribus, qui illinuntur oculis, ſi ſaliuam tingunt, quæ in ore eſt: nam niſi hæc ita fiant, meatus corporis per quos excrementum decedit, confuſos, obſæptos, & obcæcatos eſſe ſignificatur; ſedes enim oculorum maximè omnium locorum capitis ſeminalis eſt, quod patet, cùm ſola ipſa per coitum venereum manifeſtè immutetur, & vſu immodico rei venereæ, oculi apertè langueant, & ſubſideant: cauſſa eſt quòd natura genituræ ſimilis cerebro eſt, aquoſa enim materia eius eſt, calórque aduentitius.* δηλοῖ ἡ τῶν ἀτέκνων ἐγγονίμων. *docent illinimenta quæ mulieres tam ſteriles, quàm fœcundæ experiuntur.* Senſus Ariſtotelis verborum eſt: ex illinimentis probari mulieres, vtrum fœcundæ, an ſteriles ſint, vt locum exponentes diximus: quod manifeſtè patet ex verbis adductis II. de generat. animalium. At hæc Theodori Latina verba, niſi valde impropriè, & præter Latinorum vſum ſumpta, magnáque vi illis adhibita, eum ſenſum exprimere non poſſunt. Sed & eundem II. de generatione locum, quòd à Theodoro non ita perſpicuè iuxta illum ſenſum fuiſſet conuerſus, cùm eum modò adduximus, denuò transferre libuit, ſenſum quem diximus, quemque Ariſtotelis verba manifeſtè continent, perſpicuè reddentes. πιῶνα ἢ ἄμφω πυγχάνει ὄντα. *Sunt autem & oculi & renes omnium pingues.* Theodorum πον πλείονα, vt habebant vulgata exemplaria, ſed πιῶνα legiſſe pro certo habeo. Antiquus tamen interpres vulgatam lectionem ſequutus eſt, quam vt retinerem, ipſe quoque multa cogitaui: & ſanè quod ad hanc ſententiam pertinet, illa mihi videbatur, retinendo etiam vocem πλείονα, non prorſus incommodè hîc recipi & locum habere poſſe, ſi ad præcedentem δύναμιν vox referretur: reliqua etiam procedebant, vſque ad illa quæ ſequuntur, ὥστε γὰρ ἂν μὴ πιῶν ἦ: hæc enim quomodo ad priorem illum ſenſum accommodari poſſent, vbi de pingui aliqua re nulla fit mentio, quæ fit in his à quibus illa reſpiciuntur, aut quomodo ſuperioribus necti poſſent, ego ſanè non poteram videre. Adhæſi igitur libens lectioni doctiſſimi viri. Cùm enim ſuperiùs Ariſtoteles docuerit, ex oculis & ſede multum ſecedere in ſemen, hinc partes illas valde labefactari, quod erat primum problematis inſtitutum; oſtendit modò, eaſdem partes conditiones habere, vt quod dictum eſt contingere facilè poſſit, ſcilicet vt ex eis multum in ſemen ſecedat, ipſæq; vt labefactationem recipiant aptæ ſint: tales autem apparent: nam in omnibus hominibus pingues & obeſæ ſunt: quæ autem tales ſunt, ſic affici poſſunt vt dictum eſt: quod liquidiùs explicat colligens ex dictis, quia hæ partes in concubitu multùm operantur, multùm etiam eaſdem incaleſcere, ſicuti ſuperiùs dictum eſt; caloris autem vi tum extenuari, tum excerni multam materiam, quæ in ſemen abeat: id autem fieri poſſe, quia pingues ſunt, ſicuti antea propoſuit: niſi enim vtráque hæc concurrant, & aut ſola defatigatio ſit abſque pinguitudine, aut ſola pinguitudo abſque defatigatione, non ſimiliter humidi colliquatio, & diſſolutio fieri poterit; quemadmodum ventris exemplo docet: hunc enim, quia non ita laborat, etſi pinguis ſit, continet enim omentum, quod totum eſt pinguedo, non poteſt tamen liquefacere caliditas: ita verò in coitu non laborare exiſtimandus eſt, etſi in multo motu eo tempore conſtituatur, quia longiùs abeſt à ſeminis tranſitu, quàm partes poſteriores. Aponenſis autem aliam etiam huius rei, cur non diſſoluatur, & liqueſcat venter, rationem ad hunc locum affert: quia ſcilicet magis terreſtria, & frigida ſunt illa ventris pinguia: eam tamen ego in Ariſtotelis verbis non agnoſco. νεφρούς τε καὶ ὄμματα. *& oculi & renes.* Vocem νεφρὸς reddidiſſe puto Theodorum, *renes*, cùm propriè, *anum*, aut *ſedem* ſignificet, nimirum inteſtinorum initium ex parte inferiori, vt conueniret illis quæ ſequuntur, ἀλλ' οἱ νεφροι, *renes tamen.* Atqui illa, *caloris participes ſunt*, meliùs reddamus, participes fiunt, &

ab illis, *cuius tabifica vi extenuantur*, iure *tabificum* tollamus, quòd nec habet Græcus contextus, nec desiderat sensus. Post hæc leuem quandam situs nonnullorum huius loci verborum immutationem quæ subiit, proponere volui, quando illa mihi quidem totius loci sensum videatur expeditiorem, & faciliorem reddere: nam cùm viderem illa, ἂν μὴ πῖον, longiùs abesse quàm vt commodè respicere possent πῖονα superiùs positum: & particulam οὖ vellem ex proximè dictis inferre aliquid, quod non faciebat, existimaui omnia hæc verba, Διὰ μὲ οὖ τὴν συνεργίαν κοινωνεῖ τ᾽ θερμασίας· Διὰ ἣ ταύτην, λεπτύνε) κ᾽ σωαποκέινε) πολὺ εἰς τ᾽ σπέρμα, illicò collocanda post vocem δύναμιν: Cùm post hæc apponenda, quæ de oculorum, & renum pinguedine dicuntur, vt locus totus ita legatur: δύναμιν Διὰ μὲ οὖ τὴν συνεργίαν κοινωνεῖ τ᾽ θερμασίας· Διὰ ἣ ταύτην, λεπτύνεται, κ᾽ σωαποκέινεται πολὺ εἰς τὸ σπέρμα: πῖονα ἣ ἄμφω τυγχάνει ὄντα πάντων ἀεὶ, ὀχός τε ☪ ὄμματα· ἔτε γὰ, ἂν μὴ πῖον ᾖ ὁμοίως λύσῃ ἡ θερμότης, ἔτε πῖον μὴ συμπονῆν οἷον ἐν τῇ κοιλίᾳ, hoc est. *Vtpote cùm vis ad semen transmitti hinc debeat. Igitur quia partes hæ rem veneream efficaciùs adiuuant, caloris participes fiunt, ex eo autem ipsæ attenuantur* [vel attenuatur, scilicet materia] *multúmque materiæ simul ad semen excernitur. Sunt autem ambo, & renes, & oculi omnium semper pingues: neque enim si pinguis non sit* [pars] *caliditas æquè dissoluet, aut si pinguis sit, vbi non laboret, vt in ventre contingit.* ὁμοίως λύσῃ. *æquè liquefacere,* λύσῃ legendum esse, sicuti ex Iustiniano reposuimus, non χρύσῃ, cui nulla subest notio, tum ex tralatione Theodori, & antiqua, tum ex sensu ipso liquidò patet. ἀλλ᾽ οἱ νεφροὶ τῶν ἄλλων μάλιστα αἰσθάνονται. *Renes tamen omnium maximè sentiunt.* Propriè renes affici docet: quam rem de oculis itidem superiùs fecit: renes autem hîc appellat, quod initio problematis ἰκρία, & paullò ante ὀχὸς, nominauit, idque ob eam rationem vt puto, quia cùm singulis illis nominibus singularis aliqua pars ab Aristotele haud intelligatur: sed communis quædam ad posteriora spectans, quæ in concubitu læditur, ideo variis nominibus appellatur. Vnde & mox communi etiam nomine illas comprehendit Aristoteles dicens, Διὰ τὲς τόπες τέτες, hoc est, *per ea loca.* Quoniam igitur partes hæ labori proximæ sunt: quippe seminis transitus per ea loca fit, sentiunt maximè & afficiuntur; vicinia enim ac transitus ille non quidpiam apponere, sed auferre potiùs potest: ex illis nimirum partibus materia ad semen secedente, sicuti dictum est. Quomodo autem per ea loca fiat seminis transitus, quibúsque itineribus ad exitum perueniat, erumpátque semen, ex anatomicorum libris pleniùs discenda res est, præsertim ex Galeno libro XIV. de vsu partium cap. IX. δῆλα δηλότατά ὅτι λεπτύνει. *extenuare procul dubio potest.* Græca sonant: *manifestissimè,* seu *admodum perspicuè potest extenuare*: quæ maiorem adhuc vim habent, quàm, *procul dubio*: At paullò superiùs, vbi, *perspicuè,* à Theodoro positum est, in illis verbis, *cùm per ea loca perspicuè agatur*, aduerbium illud in Græco textu desideratur.

III.

Διατί κ᾽ οἱ ἀφροδισιάζοντες, κ᾽ οἱ εὐνέχοι ἃ χρώμενοι ἀφροδισίοις, ὅμως ἀμφότεροι τὰ ὄμματα πρὸς ὀξυωπίαν ἐκπίπτουσι; ἢ ὅτι τοῖς μὲ, Διὰ λαγνείαν, τοῖς ἣ Διὰ τ᾽ τομήν, τὰ ἄνω ξηρὰ γίνεται μᾶλλον τῶ δεῖν; ὅτι δηλότατα δ᾽ ἐν τούτοις, ὅσον τὸ ἔργον ὄξιν ἀκριβές· ἡ δ᾽ ὄψις γίνεται κατασπωμένων δὲ τῶν τοιούτων ὑγρῶν, τὰ ἄνω ξεραίνεται· ὁ μὲν οὖν ἀφροδισιασμὸς, δῆλον ὅτι τοῦτο ποιεῖ· τοῖς δ᾽ εὐνέχοις τά τε σκέλη οἰδεῖ, κ᾽ αἱ κοιλίαι εὔλυτοι, ὡς κάτω μεθισαμένε τ᾽ ὑγρᾶ.

Quam ob rem & qui concumbunt, & spadones, qui re minimè vtuntur venerea, in acumine oculorum offenduntur? An quòd alteris ob libidinem, alteris ob excisionem, partes superiores plùs iusto exsiccantur? quòd perspicuum in iis est, quorum opus exquisitùs administratur: aspectus autem tale est. Humoribus verò deorsum ductis, superiora siccari necesse est. Id igitur nimirum concubitu fieri patet. Spadonum autem crura intumescunt, & alui faciles sunt, vtpote cùm deorsum se humoris copia seuocet.

Cùm illi qui vtuntur rebus venereis, & eunuchi qui eisdem non vtuntur, hac quidem re admodum dissimiles sint, cur oculorum hebetudine conueniant iure quærit Aristoteles, cùm dissimili, atque adeò contrario modo ex dissimili, atque contraria caussa eos affici par esset. Caussam igitur proponit Aristoteles, quæ vtrique communis est, & in qua ambo conueniunt, nimirũ exsiccationem: hæc autem ab aliis quæ contraria sunt, originem ducit.

Ita proximè & immediatè,vt aiunt,ab eadē cauſſa eſt effectus.Non proximè autem & mediatè à contrariis eundem oriri effectum, nihil eſt abſurdi;quod alibi etiā adnotaſſe memini.Ait igitur Ariſtoteles, primis illis ob nimiā libidinē partes ſuperiores exſiccari:poſterioribus autem his ſeu eunuchis ob teſtium exciſionē:Illi enim eunuchi dicuntur, quibus pars illa exſecta eſt, aut etiā qui ſine illa nati ſunt,hoc enim nihil interſit,dummodo illa priuentur.Diximus autem ſummā libidinem,quā Græcè dicit Ariſtoteles λαγνείαν,quia etſi moderatū coitum vox illa aliquādo ſignificet,immoderatum etiam ab illa ſignificari,tum ex Heſychio conſtat,tum etiam ex aliis,qui Xenophontis locū proponunt: ac præſertim ex Henrico Stephano qui Philonis de vita Moſis teſtimonia duo adducit: quare cur hanc ſignificationem illi voci negaret Mercurialis,cauſſa nulla erat, à quo etiam ex hoc loco apparet non omnino iure fuiſſe dictum,Theodorum eandem vocem λαγνείαν pro immoderato coitu ſemper fuiſſe interpretatum,cùm hoc problemate eam, *libidinem*, reddiderit: quæ ſanè vox coitum immoderatum non neceſſariò ſignificat,eſt enim & libido moderata:quum tamen, vt puto,ea ſignificatio magis huic loco conueniret, quàm quibuſdam aliis,quibus ita conuertiſſe videtur:etſi enim veneris vſus omnis exſiccet,non tamen omnis oculorū aciem hebetat: ſed qui immoderatus eſt: ſunt enim quorum valde humidum oculorum temperamentum exſiccando adeò non lædat, vt etiam iuuet; qui tamen ſi eadem venere immoderatiùs vtantur,noxam itidem ſentiunt. Cùm igitur exſiccationem patiantur,tum venere vtentes, tum eunuchi,videndi autem munus magna ex parte in humore conſiſtat:eſt enim oculus ex natura aquæ ſicuti habemus apud Ariſtotelem in libro de ſenſu, & ſenſili ad initium, & alibi,minimè autem ex natura ignis ſicuti exiſtimauerunt nōnuli ex priſcis,& imprimis ipſe Timæus, cuius opinionem habemus apud Platonem in Dialogo eiuſdem nominis,ratione fit,vt à re quæ eo muneri,& inſtrumento, quod ex humore totum penè conſtat, aduerſatur,nocumentum percipiat. Nocumenta quidem percipiūt alia eunuchi ex eadem ſuperiorum partium exſiccatione: euidentiſſimum tamen eſt in actionibus quæ exquiſitæ admodum ſunt, quæque exquiſita facultate ad ea abſoluenda indigent,cuiuſmodi viſio eſt, quæ multos lucidos, æthereóſque ſpiritus ad eam rem deſiderat. Puto autem Theodorum non ὅσον τὸ ἔργον, ſed ὅσων legiſſe, quo modo nos etiam locum accepimus. καταφερομένων ἢ τῶν ὑγρῶν. *humoribus verò deorſum ductis.* Oſtendit quomodo tum in eunuchis, tum in venere vtentibus ſuperiora exſiccentur: quia nimirum humiditates ad partes inferiores trahuntur:& ſanè quod pertinet ad concumbentes,rem notam eſſe ait,humiditatem duci ad partes infernas, cùm à cerebro ad genitalia deſcendat: de ſpadonibus autem probat: nam & illis crura intumeſcere videmus, eò nimirum à partibus ſuperioribus tranſlata humiditate, & aluos ſolui ab eādem cauſſa humectatos & laxatos. Atque hæc quidem de partium ſuperiorum ſiccitate in eunuchis ita ab Ariſtotele dicuntur, quæ tamen non facilè dixerim quomodo cum illis conueniant quę ſcribuntur à Galeno VI.aphoriſmorum XXVIII. eunuchis caluitium non accidere propter temperaturæ humiditatem, cùm caluitium paſſio capitis ſit,& partium ſuperiorum:quibus itidem cōſonant,quæ dicuntur ab eodem Galeno Comment.III.in VI.de morbis vulgaribus tex.primo,capitis cutim pueris, mulieribus, & eunuchis humidam eſſe,caluis autem immodicè aridam.

IV.

Διὰ τί ὁ ἄνθρωπος μόνον ὅταν ἄρχηται δυνάσθαι ἀφροδισιάζειν, ἠβᾷ· τῶν δ' ἄλλων ζώων ὅσα τρίχας ἔχει, οὐθέν; ἢ ἐπειδὴ κατὰ τὰς ἡλικίας μεταβάλλει τὰ ζῶα εἰς τοὐναντίον; φωνὴ τε γὰρ βαρεῖα ἐξ ὀξείας γίνεται, καὶ δασύνεται ἐκ φαλῶν; δῆλον δὲ ὡς καὶ τὰ ἐκ γενετῆς δασέα ζῶα φαλοῖ τ' ἂν ἐδαστώοιτο, σαθματικὰ γινόμενα· πάσχει δὲ τοῦτο, διότι τὰ σαθμαίνοντα ξηρότερα γίνεται, καὶ ἀραιότερα· ἐξ ὧν θρὶξ φύεται· δῆλον δὲ ἐκ τοῦ μὴ ἐν τοῖς ἁλὸς φύεσθαι τρίχας, σημεῖον, γὰρ αἱ ἅλαι ἀλλ' οὐκ ἀραιαὶ μηδὲ τρῖς παυδίοις, ἐγγενέσθαι.

Cur homo cùm concumbere poſſe incipit, tunc pubeſcit, cæterorum autem animantium, quæ pilis teguntur, nullum tunc pubeſcere incipit? An quòd per ætates mutari animantes in contrarium ſolent. Vox enim grauis de acuta efficitur, & nuda quæ ante fuerunt, hirta redduntur. Vnde etiam animantes à primo natali die hirſutas, enudari debere tunc, non denſeſcere conſtat, cùm ſemen habere incipiunt: ſed ita euenit, quia quæ ſemen effundunt,ſicciora fiunt & laxiora: quibus de cauſſis pilus oritur: quod inde ſanè

patet.

patet. Pilus enim neque cicatricibus, neque pueris, neque mulieribus exit, cùm scilicet cicatrices spissò contextu non raro inducantur: pueri mulieréſque corpore humido sint non sicco.

Hoc problema duas habet partes. Primùm cur homo solus ex cæteris animantibus, tunc incipiat pubescere, nimirum pilos circa pubem, aut pectinem emittere, cùm etiã concumbere posse incipit; tum cur eam rem nulli animantium alij, quæcunque pilis vestiri solent, accidere videamus: quæ enim natura pilis vestiri non solent, vt pisces, & serpentes, illa à quæstione excluduntur. Contingit autem hic pubescendi effectus ea ætate, quæ eodem etiam quo pars illa nomine, pubes videlicet, appellari solet, nimirum mulieribus ad annum duodecimum, viris autem ad decimum quartum. Quæstionis autem solutionem quandam communem primo tradit Aristoteles, deductam à mutatione in contrarium statum, quæ singulis ætatibus in animantibus contingere solet: tum proponit alteram; est autem communis hæc: nam cùm singulæ ætates immutare animantia soleant, iure ætas qua semẽ emitti posse incipit, quæ ætatis mutatio est, immutat & ipsa; cùm igitur nuda essent, pilosa reddantur. Probat autem ex aliarum etiam qualitatum immutatione, iure eo tempore quoque fieri circa pilos immutationem: nam & vox de acuta fit grauis, cuius causſam habemus apud eundem Aristotelem sectione XI. problemate XVI. & quæ nuda erant, pilosa fiũt: hæc autem si de homine dicuntur, & afferuntur probationis gratiâ, iam sit idem eadem re probare: nisi dicamus hæc non intelligi de pilis pubis, sed aliarum quarundam partium, quæ ætatis huius immutatione alicubi recens oriuntur: sanè verò in auibus ob ætatis immutationem oriuntur plumæ: non tamen de illis, aut de ea ætatis immutatione crediderim Aristotelem loqui. Quid autem si dicamus, tum hæc, tum quæ de voce acuta in grauem immutata adducta sunt, non esse probationem, sed conclusionem ex vniuersali illa ratione ab immutatione petita, scilicet ab ætate immutari animalia, & ex hoc contingere, vt vox de acuta fiat grauis, & animalia de nudis fiant pilosa, nimirum ea pubescere, quod erat propositum in problemate. ὅθεν ἔν ὡς ἡ τὰ ἐκ γενετῆς, *vnde & animantes à primo natali die hirsutas*. Colligens soluit alterum ex membris propositis: apparet autem collectio seu illatio ex particula ὅθεν, quam Theodorus reddit, *vnde*; euidentiùs tamen in Græco textu hæc ita sonant. Manifestum igitur quòd illa quæ à natiuitate hirsuta sunt, denudentur vtique, minimè hirsuta reddantur. Et sanè huiusmodi particularum vsus, quæ sensum mirificè adiuuant ac illustrant, retinendus vtique sit, quod tamen à Theodoro, qui sermonis elegantiam diligentiùs quæsiuit, sæpius omissum fuisse video. Soluit igitur Aristoteles alterum ex membris propositis in problemate; pilos enim ea ætatis immutatione nulli sanè ex aliis animantibus oriri par sit, quum immutatio in contrarium statum deducat, animalia autem illa ab ortu naturę pilosa sint: nudari igitur potiùs debeant, quàm pilis vestiri, cùm ad eam ætatem perueniunt, qua semen emittunt. Tum propriam rationem proponit Aristoteles, ideo illa ætate qua semen emitti incipit pubescere homines dicens, quia tunc sicciore & laxiore corporis textura homines fiunt, quàm antea essent: ita autem cute affecta, faciliùs & promptiùs exoriuntur pili; cùm locus erumpendi pateat fuliginibus, quæ pilorũ materia sunt. Ostendit autem rationis adductæ veritatem, nempe in siccioribus, & rarioribus locis oriri pilum inductione quadam: nonnullaque proponit, in quibus ob earum conditionum defectum pili non oriuntur; nimirum cicatrices, pueros, & mulieres: in cicatricibus enim nimiùm spissa & coacta caro est, vnde sicuti dicitur problemate XIII. sectionis IX. omnes meatus obcœcantur, è quibus pili se promouere solẽt. In pueris autem, & mulieribus superflua abundat humiditas, quæ cutis meatus similiter occludit. Illa porrò ad finem problematis τεγαναὶ δὲ αἱ ὄλαι, ἀλλ' ὅτι ὑφαιμαὶ, quæ rationem continent, cur cicatricibus pili non oriantur, quam & nos in expositione modò attulimus, desiderabantur in omnibus excusis codicibus: illa verò nos ex Iustiniano addidimus, quæ etiam transtulit Theodorus. At verò eius tralatio, præter hæc alia adhuc habet, quæ rationem reddunt, cur pueris, & mulieribus iidem pili minimè oriantur, quæ erant reliqua ab Aristotele proposita: at hæc desiderantur in Iustiniani codice. Cæterùm præter illa quæ adhuc attulimus, pauca quædam præterea proponenda sunt ad illa verba, πάσχει ἢ οὔ, habẽt enim difficultatem, nam editio Aldina antiqua, & Basilienſis, locum legunt cum negatione, hoc modo, ὃ πάσχει ἢ, eandémq; negatiuam particulam agnoscit antiquus interpres, qui transfert, *non patiuntur hoc*, illam tamen non agnoscit Theodorus, qui vertit: *sed ita euenit, &c.* Et Iustinianus eandem notis compungit, quibus ostendit caruisse ea exemplar, vnde lectionum varietatem depromebat. Nos sanè in expositione Theodori tralationem secuti sumus, qui tamen quoniam à Græcis verbis longiùs

discessit,

diſceſſit, nos verbum è verbo reddentes, locum vt ſcriptus eſt lectori proponendum exiſtimauimus in hunc modum: *Manifeſtum igitur quòd quæ à natiuitate hirſuta animalia ſunt, denudarentur vtique, non autem piloſa fierent, cùm ſemen emittere incipiunt; patiuntur autem hoc* (ſeu cum negatione, *non patiuntur autem hoc*) *quia quæ ſemen emittunt ſicciora fiunt, & laxiora, ex quibus pilus enaſcitur.* Dubitare igitur contingit ad quæ referenda ſint verba illa quæ negotium exhibent. Ego ſanè in expoſitione ad homines retuli: ad quos etiam retuliſſe exiſtimaui Theodorum, de quibus problema erat inſtitutum, reddíque rationem propriam putaui, cur in hominibus vnà cum ſeminis emittendi facultate, oriretur etiam pubes: quo ſanè modo abſque negatione commodè locus legatur: ſed nonnulla ſunt quæ ſcrupulum iniiciunt: Primùm enim longiùs abeſſe videntur hæc verba, nec ita prolata, vt commodè, aut concinnè eo modo accipi poſſint; tum particula, ὃ, oppoſitionem quandam videtur indicare aduersùs proximè dicta, vt illa quæ ſequuntur, *quia quæ ſemen emittunt, ſicciora ſunt, & laxiora*, rationem contineant aduerſariam proximè propoſitis, nimirum cur ætate ſeminifera, vt ita dicam, animalia à natali die hirſuta, haud denudentur: hoc autem modo vt apparet, iam negatiuæ particulæ locus ſit, tali ſenſu: etſi ob ætatis mutationem, circa pilos etiam mutationem contingere par eſſet, quæque piloſa à die natali ſunt, pilis nudari eo tempore deberent, non patiuntur tamen hoc, quia eadem ætatis mutatione, ſeminiſque tempore, fiunt ſicciora & laxiora, qua ex re pili proueniunt: hæ igitur conditiones plus poſſunt, quàm ætatis mutatio, quæ vniuerſalis quædam, & admodum remota cauſſà eſt. Sanè autem hunc eundē ſenſum, etiam abſq; negatione retineri poſſe exiſtimo, ad eundémq; trahi Theodori conuerſionem hoc modo: *Deberent vtique ex ætatis mutatione nudari ſeminiferæ ætatis tempore animantia à natali die hirſuta, hoc autem patiuntur,* ſeu vt vertit Theodorus, *ſed ita euenit*; nimirū contingit *vt fiant ſicciora, & laxiora, qua ex re pili proueniunt, atque ideo minimè denudantur.* Hoc autem modo nō erit alteraratio ad quęſtionē propoſitam diſſoluēdam, ſicuti ſuperiùs dicebamus. Quid verò ſi ad vtranq; rem, illa verba accommodemus? nam & ob ſiccitatem, ac raritatem pubeſcunt homines & ſeminiferæ ætatis tempore, & ob eaſdem qualitates, minimè eadem ætate nudantur animalia à primo natali die hirſuta. Seu igitur cum negatione, ſeu abſque illa legatur locus, problematis ratio euidenter apparet.

V.

Διὰ τί ἡ ἀνυποδησία πρὸς ἀφροδισιασμοὺς; ἢ ὅτι τὸ μέλλον ἀφροδισιάζειν σῶμα, δεῖ τὰ ἐντὸς θερμὸν εἶ) ⊂ ὑγρόν; νύξ τ' ἐν τοῖς ὕπνοις μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ ἐγρηγορέναι· διὸ καὶ ταχὺ καὶ ἄνευ ἐργασίας οἱ ἐξονειρωγμοὶ γένονται. γρηγοροῦσι δ' μὴ πόνος ἅμα δ' τὸ σῶμα τοιοῦτον, ⊂ οἱ πόδες ὑγρότεροι καὶ θερμότεροι· σημεῖον δ', ὅτι καθευδόντων, θερμοὶ, ὡς ἅμα τοῖς ἐν τοῖς ἐντὸς ἔτως ἔχοντες· ἡ δ' ἀνυποδησία, τοιαυτίον ποιεῖ· ξηραίνει γὰρ ⊂ ψυχεῖ ὡς', εἴ τε ἀδύνατον μὴ θερμῶν ὄντων ἀφροδισιάσαι, εἴτε χαλεπὸν, ἀνάγκη ἀσύμφορον εἶ) πρὸς τὴν τ' ἀφροδισίων χρῆσιν.

Cur nuditas pedum obeſſe in re venerea poteſt? An quoniam corpus, quod concubiturum ſit, calidum intus, atque humidum eſſe debet, quale per ſomnum potiùs eſſe quàm per vigiliam ſolet: ex quo etiam celeriter, ac ſine corporis agitatione ſemen dormientibus profluit, vigilantibus verò non ſine labore prodit. Simul autem fit vt & reliquum corpus tale exiſtat, & pedes humidiores ſint, atque calidiores. Indicium quòd cùm dormimus, pedes obtepeſcere ſolent, vt qui vnà cum internis partibus ita afficiantur. At nuditas pedum è contrario agit: ſicut enim, atque refrigerat. Itaque ſiue impoſſibile, ſiue difficile ſit, vt res agatur venerea, niſi pedibus calidis, eam tamen nuditatem in vſu concumbendi, incommodam eſſe neceſſe eſt.

Quam pedum nuditatem Theodorus in tralatione dicit rei venereæ obeſſe; Ariſtotelis verba propriè ſonant, non conferre. Notat autem Aponenſis, ſignanter dixiſſe Ariſtotelem, non conferre, minimè autem, nocere, aut prodeſſe; quippe qui innueret, neutrum ex propoſitis ſemper eſſe verum, ſed verum, ſemper quod proponit Ariſtoteles, haud conferre, tanquam medium inter illa duo, licèt verè magis ad alterum ex extremis declinet: fieri enim poſſe aliquando vt nuditas pedum proſit, quemadmodum ſi foret quiſpiam

temperamento adeò calido præditus in omnibus corporis partibus,vt ob vehementem caliditatem diſſolueretur generandi vis, & ſemen euaneſceret, vt ille ait, hic ſanè à pedum nuditate, aut refrigeratione ad aliquam mediocritatem deductus, ab ea in re venerea adiuuaretur: Nimirum vult Aponenſis propoſitionem eſſe accipiendam hoc modo: Propter quid nuditas pedum ſemper non confert in re venerea? quæ vera eſt propoſitio: non vera autem hæc: Propter quid nuditas pedum ſemper nocet in re venerea? Nec itidem altera; propter quid nuditas pedum ſemper prodeſt in re venerea? At hæc vt puto ſuperflua ſunt; non enim particulam ſemper, habet Ariſtoteles:nec verò à nobis illa adiicienda.Sunt enim quæ proponit hoc loco Ariſtoteles, ſicuti alia permulta in hoc libro, & in libris medicorum, vera vt plurimùm:nimirum vt plurimùm eum præſtant effectum,fruſtrari tamen aliquando ex aliquo accidenti poſſunt: nec tamen minùs vera habetur propoſitio. Dicunt medici rhabarbarum purgare bilem: at eſt qui ex eo non purgetur: an minùs veram idcirco dicemus propoſitionem? Nimirum reſpiciunt medici quod vt plurimùm fit, ſeu reſpiciunt communem quandam naturam, quæ ita afficitur, iuxta quam pronunciant. Ita Ariſtoteles medium quoddam & commune hominum temperamentum reſpexit hoc loco: illi autem pedum nuditatem in re venerea obeſſe ſi dicamus, vtra proponimus: nimirum vt eam vel tollat omnino, vel difficilem, & incommodam reddat, vt apparet ad finem problematis. Non eſt igitur vt reprehendatur Theodorus, quod fortè quiſpiam ex Aponenſis obſeruatione faceret,noſque ad eum finem hæc attulimus: alioquin enim Aponenſis errata, quæ & plurima ſunt, magnámque partem ex Græcæ linguæ imperitia ridicula,quis ad refutandum aggrediatur?Tradit igitur rationem Ariſtoteles,cur pedum nuditas, hoc eſt refrigeratio, quæ ad nuditatem ſequitur, obeſſe in re venerea poſſit: illa autem eſt, quia concubiturus calidus & humidus intus vt ſit oporteat, fitque adeò concubitus beneficio caloris, & humiditatis internæ, pedum autem frigiditas contrarium operatur. Probat autem concubiturum, calidum & humidum eſſe oportere,ex eo quod in ſomno contingit: nam quoniam in illo partes omnes internæ calidæ ſunt, ac etiam ſimul pedes, quod fit præſertim procedente ſomno, quo tempore etiam ſeminis effluuia, aut pollutiones contingunt, ideo facilè & celeriter, & abſque corporis agitatione profluit genitura, non ita vigilantibus, quia interiùs non æquè calidi, & humidi ſunt. Qui igitur pedes habent calidos ſimiles facit dormientibus, qui frigidos vigilantibus:vt igitur illi à ſomno iuuantur ad excretionem ſeminis, hi à vigilia non item, ſed læduntur potiùs, ſic à caliditate pedum qui eos habent calidos, à frigiditate non item qui frigidos, ſed potiùs læduntur. ξηραίνει γὰρ καὶ ψυχεῖ. *Siccat enim atque refrigerat.* Pedum nuditatem non ſolùm refrigerare, ſed etiam exſiccare dicit: nam qui calor ad eos calefaciendos deſcendit, iunctam habet humiditatem; calidum enim non eſſe ſine humore habuimus antea ab eodem Ariſtotele: deſtituti autem calore pedes, deſtituuntur etiam humiditate quæ cum calore erat:vnde non ſolùm refrigerantur,ſed etiam exſiccantur:illinc autem ad totum corpus permanare affectionem, experientia poteſt quilibet didiciſſe. Vix enim dici poteſt, quàm frigidis pedibus toti horreamus, calidis toti incaleſcamus, ex quo ad venerem agilitas & promptitudo. ἀνάγκη ἀσύμφορον εἶναι. *incommodam eſſe neceſſe eſt.* Ariſtoteles vtitur eodem termino, quo ſuperiùs in proponendo problemate, ἀσύμφορον εἶναι, hoc eſt, *vt haud conferat neceſſe eſt.*

VI.

Διὰ τί ἐκλύεται μάλιστα τῶν ζώων ἀφροδισιάσας ὁ ἄνθρωπος; ἢ διότι πλεῖστον σπέρμα καὶ λεπτὸν τοῦ σώματός ἐστιν;

Cur omnium maximè animantium homo, poſtquàm concubuit, diſſoluitur, & langueſcit? An quòd ſemen proportione ſui corporis plurimum emittit?

Ex vſu veneris hominem plùs quàm cætera animalia diſſolui & langueſcere ſatis conſtat. Pauci enim mariti copioſis gregibus, aut armentis, fœminas etiam quotidie ineuntes ſufficiunt: homo nec vni quidem ita. Rationem reddit Ariſtoteles, quia homo proportione ſui corporis plurimum ſeminis emittit; quod ſcripſit idem Philoſophus tum libro III. de hiſtoria animalium capite vltimo, tum ſeptimo capite ſecundo. In multo autem ſemine multi ſpiritus inſunt, quorum diſceſſu vires etiam in illis ſitæ diſcedunt. Atqui & minimo etiam emiſſo ſemine exſolui corpus, & imbecillitatem ſequi, quaſi corpus eo

fine priuetur, qui ab alimento afferatur, ſcribit idem Ariſtoteles libro primo de generatione animalium capite XVIII.

VII.

Διὰ τί ἢ πλεῖσον ἀφίεται; ἢ ὅτι ἧκιστα ἐκπονεῖ τὴν τροφήν, ⁊ φύσῃ ὑγρὸν ⁊ θερμόν ἐστι τῶν ζώων μάλιστα; ὧν τὸ μὲν, ποιεῖ σπέρμα πολὺ τὸ δὲ, τὴν φύσιν σπερματικὴν ποιεῖ; ⁊ γὰρ τὸ σπέρμα τοιοῦτόν ἐστιν ἕως ἂν σώζηται.

Sed cur plurimum homo emittit? An quòd minùs cibum is conficit, & omnium maximè animantium humidus naturâ, & calidus eſt: quarum rerum altera ſeminis copiam reddit, altera naturæ vim efficit ad ſemen creandum: ſemen enim tale eſt, quandiu ſeruatur.

A ſuperiori dependere hoc problema ſatis manifeſtum eſt, tum ex particula δὲ, tum ex ipſo ſenſu. Quinimò Antiquus interpres, & eum ſecutus Aponenſis, vnum ſolum ex his duobus conficiunt. Quærit autem rationem eius rei Ariſtoteles, quæ modò pro ſolutione proximi problematis aſſumpta eſt: cur homo plurimum ſeminis emittat: duas autem affert cauſſas, alteram ductam à materia ex qua ſemen conficitur, alteram ab agente; quæ vtræque cùm maximè apparatæ ſint ad ſeminis copioſum prouentum gignendum, iure copioſum oritur. Eſt igitur materia ſeminis alimentum ipſum: ſemen enim, vt habemus apud eundem Ariſtotelem libro primo de generatione animalium capite decimo octauo, ad finem, excrementum eſt alimenti vtilis, atque vltimi: vbi igitur copioſum fit alimentum, copioſum etiam vtilis alimenti excrementum fieri neceſſe eſt; hoc ipſum autem ſemen eſt. Fit autem copioſum alimentum, quum ex cibis facilè gignitur, quod homini contingit: ille enim minimùm cibos elaborat, hoc eſt minimùm laborat in cibis conficiendis: ſunt enim cibi quibus vtitur faciles ad concoquendum, & arte ipſa ac præparatione, aſſando, elixando, comminuendo faciliores adhuc redduntur. Theodorus autem qui vertit: *quòd minùs cibum is conficit*, neſcio vtrum ad hunc ſenſum intenderit. Si enim fortaſſe putauit, ideo copioſius homini ſemen gigni, quòd minùs concocto cibo, plurimum excrementi gignatur, ac inde ſeminis, ne non falſa putauerit vehementer dubito. ⁊ φύσει ὑγρὸν, ⁊ θερμόν ἐστι τῶν ζώων, *& omnium maximè animantium humidus naturâ, & calidus eſt.* Alteram rationem ab agente proponit. Homo eſt animal naturâ omnium maximè calidum & humidum: tale etiam natura eſt ſemen, facilè igitur à ſimili ſimile gignitur: quod autem dicitur hominẽ omnium maximè eſſe calidum & humidum, coniunctim accipienda vtráque qualitas eſt: calidiora enim homine reperiuntur animalia, vt leo, humidiora itidem vt ſus, calidiora & humidiora ſimul, nulla; ex quo vitæ hominis longæuitas, vt habetur in libro de longitudine & breuitate vitæ. Sed Aponenſis rem aliter declarat, & calorem diſtinguens, quemadmodum in puero & iuuene faciunt medici, ac ſimiliter humidum, aliud aëreum dicens, benéque commixtum, ac temperatum aliis elementis, quo abundant homines, aliud aqueum, non rectè naturis aliorum elementorum proportionatum, quo abundant reliqua animalia; etiam diſiunctim veram propoſitionem eſſe vult. Homo igitur ob duas cauſſas propoſitas plurimum habet ſeminis: prioris enim ratione contingit, vt quantitas ſeminis multa eſſe poſſit: alterius autem vt ſeminis natura inducatur, quæ eſt caliditas & humiditas. Semen autem calidum & humidum eſſe multis locis habetur apud Ariſtotelem in libris de generatione animalium: vnum tamen adduxiſſe ſat erit, in quo ſeminis natura plenè explicatur: is autem legitur ſecundo de generatione animal. capite ſecundo his verbis: *His de cauſsis ſemen quoque exit intrinſecus ſpiſſum, & album: ex calore qui intus eſt multum continens ſpiritum calidum: ſed egreſſum, vbi calor expirauit, & aër refrigeratus eſt, humidum nigrúmque euadit: remanet enim aqua, & ſi paruum quiddam terreſtre continetur, ſicuti in pituita, ita etiam in ſemine exſiccatum. Semen igitur commune eſt ſpiritus & aquæ: ſpiritus autem, aër calidus eſt: quam ob rem naturâ humidum eſt, quoniam ex aqua conſtat.* ὧν τὸ μὲν ποιεῖ σπέρμα πολὺ τὸ δὲ. *Quarum altera ſeminis copiam reddit, altera.* Hæc nos retulimus ad duas priores cauſſas, vt primum τὸ priorem cauſſam à materia ſumptam denotaret, alterum alteram ab agẽte. Illud adiicimus, ſubiiſſe etiam, poſſe vtrúnque ad vltimã & proximè propoſitam cauſſam referri, quę duas partes cõtinet: dicitur enim homo & calidus & humidus: duobus igitur nominibus hæc cauſſa gignẽdo ſemini prodeſt:

quia enim homo humidus,copiam ſeminis facilè gignit, hæc enim ſeminis conditio, qua homini conuenit,& quia calidus,vim & naturam facilè poteſt imprimere, calore enim ſeminis vis conſiſtit. Quæ porrò Theodorus reddit: *altera naturæ vim efficit ad ſemen creandum*, ad verbum reddantur: *altera naturam ſeminalem facit*, hoc eſt vt ego interpretor, *naturam quæ ſemini requiritur, facere poteſt*: quod autem ait Ariſtoteles, ſemen tale eſt, quandiu ſeruatur, hoc vult, quandiu naturam ſuam retinuerit: ſi enim corrumpatur, iam non erit ampliùs tale,ſed vel frigidum, vel ſiccum,& alio modo affectum.

VIII.

Διὰ τί τὸ ἀφροδισιάζειν γινομένῳ μὲν θερμότητα, τῷ δὲ φόβῳ ὄντι ψυκτικῷ, καὶ τῷ ἀποθνήσκειν, ἐνίοις ὅταν γένωνται ἐν τούτοις τοῖς πάθεσι, σπέρμα προέρχεται; ἢ ὅτι ψυχομένων ἐνίων τόπων, ἕτεροι ὑπερθερμαίνονται, τῷ τε οἰκείαν ἔχοντες θερμότητα; καὶ δεχόμενοι τὴν τῶν καταψυχομένων τόπων; ὥστε καταψυχομένων μὲν συμβαίνει, ἐπὶ μὲν τὸ ψύχεσθαι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τὸ θερμαίνεσθαι· δῆλον δὴ καὶ τῇ ὄψει τῶν γὰρ φοβερῶν τὰ ἄνω λευκαίνει, τὰ δὲ κάτω ὑγραίνει), καὶ κοιλία καὶ κύστις λύεται. ὑπάρχει δ' ἐν τῷ θερμῷ, ἐν μὲν τῷ φόβῳ κάτω, ἐν δὲ τῷ θανάτῳ. κάτωθεν ἄνω· ὀξυγεγόνου τῇ θερμότητι, ποιεῖ τὴν τοῦ σπέρματος ἔξοδον.

Quam ob cauſſam cùm ratio concumbendi calore contineatur,timor autem & mors refrigerandi vim habeant, pleriſque tamen cùm ab his ipſis tenentur affectibus,ſemen excurrit? An quòd cùm loca quædam corporis refrigerantur,alia quædam intepeſcunt, cùm & ſuum calorem habeant,& pulſum de locis refrigeratis, illum ipſa ſuſcipiant. Quam ob rem frigentibus quidem id euenit, verùm non quia frigent, ſed quia calent. Conſtat hoc etiam ipſo aſpectu? partes enim ſuperiores timentium ſanguine priuantur, inferiores autem humeſcunt, & aluus ſoluitur, & veſica. Calor igitur cùm ſe per timorem deorſum,per mortem ſurſum deuius agitat, madificare, & ſeminis excitare profluuium poteſt.

Cùm Veneris opus beneficio caloris conſtet,ſicuti habuimus ſuperiùs ſectione III. problemate XXXII. timor autem ac mors refrigerantes affectus ſint,iure quærit Ariſtoteles,cur timentibus,& morientibus pleriſque,ſeminis contingat excretio. Pro ſolutione autem docet Ariſtoteles, quamquam illis refrigerari accidit, motum tamen eum ſeminis, non à refrigeratione per ſe:ſed per accidens fieri, per ſe autem à calore: nam loca ſanè aliqua in illis refrigerantur: aliqua tamen magis incaleſcunt: nam qui calor loca nonnulla deſerit, nimirum extrema,ad alia,nimirum interiora, & ad centrũ progreditur, quæ idcirco duplici calore incaleſcẽtia,& ſuo & illo qui aduenit, calidiora propterea ſunt,ſeminíſque emiſſio iure contingit. Verterim autem libentiùs, *incaleſcunt*, quàm *intepeſcunt*, vt facit Theodorus: ita enim videtur requirere ſententiæ ratio:nec verò verbum ὑποθερμαίνονται, quo vtitur Ariſtoteles, adeò ſententiam extenuat: quamquam legerim libentiùs ἐνθερμαίνονται, vt habetur ſectione præcedenti problemate XXXI. ἐπὶ μὲν τὸ ψύχεσθαι μόνον. Iuſtinianus, pro μόνον reponit ἢ,vel μὲ, quorum vtrumlibet magis arridet quàm μόνον, quod nec etiam agnoſcitur à Theodoro. δῆλον δὴ. *Conſtat hoc.* Oſtendit in timentibus fieri caloris migrationem ex vna parte ad aliam, quod etiam euenit morientibus,ex quo fieri mox ſubdit, vt humore itidem ad eandem partem confluente, ſeminis effuſio contingat. Dicit autem illud conſtare ex ipſo aſpectu, nimirum ex re quæ ad aſpectum pertinet, quæque oculorum ſenſui ſubiicitur: nam timentium partes ſuperiores ſanguine priuantur, atque ideo calore,qui cum eo diſcedit: vnde albeſcunt, & palleſcunt, quod oculorum acie perſpicitur: eorumdem autem partes inferiores humectantur, quod ex eo patet, quia venter illis ſoluitur, & veſica, ſicuti etiam ſcripſit problemate XXVI. ſectionis ſecundæ, eo nimirum vnà cum calore tranſlatis humidis, in quibus ipſe calor reſidet. Concludit igitur Ariſtoteles, cùm in timore deorſum, hoc eſt, ad viſcera, & interiores, ac inferiores partes, nimirum ad centrum vergat calor; in morte ſimiliter ex partibus quæ deorſum ſunt, ad ſuperiora, hoc eſt ad eadem viſcera, ac partes internas, & ad centrum; locis illis magis excalfactis, magíſque humectatis, ſeminis fieri emiſſionem. Porrò quæ Theodorus vertit. *Calor igitur cùm ſe per timorem deorſum, per mortem ſurſum deuius agat, madificare, & ſeminis excitare profluuium poteſt*: fideliùs & ad ſenſum magis accommodatè ita reddemus:

in timore igitur calor ſubitus partes inferiores, in morte autem ex partibus inferioribus ſurſum repens, vnà cum caliditate humefaciens, ſeminis exitum molitur. Videtur autẽ hoc loco Ariſtoteles, genitalium ſedẽ tum ſurſum, tum deorſum cõſtituere, & modò ſuperioribus, modò inferioribus partibus adiungere; cùm in timore dicat calorẽ deorſum vergere, ac ita ſemen citare: in morte autẽ ſurſum, ac idẽ efficere: cùm igitur tum in timore, tum in morte ſemẽ ex eodem loco moueatur, idem locus dicetur ſurſum & deorſum. Nihil verò abſurdum dicit Ariſtoteles: genitalium enim ſedes verè in inferioribus locis & deorſum eſt. Sunt enim inferiora ex eodem Ariſtotele libro de iuuentute, ſenectute, vita & morte, partes per quas primum excrementum deiicitur, nimirum ſedes, aut anus, cui è regione locantur genitalia; ad hunc igitur locum deſcendente calore & humore, iure ad inferiora deſcendere dicuntur: in morte autem ex partibus inferioribus ad ſuperiora vergere dicuntur, licèt idem, aut proximus locus ſignificetur, quia partes extremæ reſpiciuntur à quibus in morientibus calor primùm decedere incipit, hoc eſt, pedes & crura, vnde refugiens calor, ſupernáq; petens, hoc eſt, thoracis partes, genitaliáque attingens pedibus ſuperiora, iure ſurſum vergere dicatur. Illud etiam nobis in præſentia adnotandum eſt, hoc de caloris migratione dictum, non itidem valere, nec ad ea accommodari poſſe, quæ proponebantur problemate quinto, pedum nuditatem rei venereæ obeſſe, quod aliquis fortaſſe exiſtimare poſſet: ibi enim ſola pedum nuditas aut frigiditas intelligebatur, abſque alio caloris id genus regreſſu aut migratione ad alias partes, nam cum pedum nuditate migratio illa, & regreſſus non ſemper neceſſariò coniungitur. Aponenſis huius eiuſdem effectus de quo in problemate, rationem etiam aliam proponit: nimirum fieri poſſe vt in morientibus conuulſio quædam inſtrumentorum ſeminis emiſſioni deſtinatorum contingat, atque ita extrudatur ſemen, aut potiùs ſeminalis illa materies, verè enim ſemen non eſt, nec tale exiſtimari debet. Sed & poſſumus etiam cauſſam referre ad contentricis facultatis imbecillitatem: deficiente enim natura, ſeu calore innato, facultates omnes deficiunt: laxatis itáque partibus & inſtrumentis illis quæ ad ſemen continendum pertinent, materiei illius effluxio contingit.

IX.

Διὰ τί ὃ δεῖ μὴ ὀργῶντα ἔτε ἀφροδισιάζειν, ἔτε ἐμεῖν, ἔτε πάρνυσθαι, ἔτε φύσαν ἀφιέναι; ἢ ὅτι μὴ ὀργῶντες ὁμοίως ἔχομεν τοῖς ἐπὶ τῆς ἀναστωμύοις, οἷς προσεκπεσὸν τι ἀλλότριον, ἢ ἐγκαταλειπὲν ἀποσπασθέν; ἅπαν γὰρ ὃ δεῖ ἐξαρθῆναι. κολοβὸν δὲ ὑπολειπὲν, πλείω χρόνον παρέξει πόνον· ἐάν τε τῆς κινήσεως τὸ ἀλλότριον, τὸν πόνον παρέξει, ὄν οὐκ ἐν τῇ αὐτῇ χώρᾳ ὄν· ἃ συμβήσεται τοῖς μὴ ὀργῶσι, παθεῖν τι τῶν εἰρημένων.

Cur neque concumbere, neque euomere, nec ſternuere, neque flatum emittere oportet, niſi res turgente corpore vrgeat? An quia cùm non turgemus, ſimiles terræ ſtirpibus ſumus, quibus euulſis, aut alienum conuellitur quippiam, aut aliquid abſciſſum relinquitur. Quod autem cùm extrudi debet, minutum remanſerit, dolorem diutius id omne mouebit: & ſi quid alienum commotum ſit, id cùm ſua ſede priuetur, dolorem creabit. Quæ certè iis vſu euenient, qui cùm non turgent, aliquid faciunt ex iis, quæ modò retulimus.

Non de venereis tantummodo, quæ erat in hac ſectione princeps inſtituta tractatio: ſed conſecutione quadam, de vomitu etiam, ſternutatione, ac flatus emiſſione verba faciens in hoc problemate Ariſtoteles, illud quærit, cur dictis hiſce motibus vti non expediat, niſi earum rerum magno deſiderio teneatur natura, vel potiùs impetu concitetur: id enim eſt, quod Latini turgere dicunt, Græci autem ὀργᾶν, cuius de vocis ſignificatione, non ſunt Grammaticorum quærendi libri, quando Galenus eam admodum diſertè explicuit comment. primo ad aphoris. XVIII. ita ſcribens; Latinè: *Verbum autem ὀργᾶν hoc eſt turgere, tranſlatum eſt ab animalibus concubitum appetentibus, ad humores. Nam ſicuti illa ſtare loco non poſſunt, quadam titillatione impulſa, eòque affectu concitata, ſic & humores plerúnque in motu vehementiore, atque transfluxu à partibus ad partes in morbi principio hominem infeſtant, mouentes, titillantes & quieſcere non permittentes, cùm & ipſi pariter moueantur, & tranſfluant, & titillatione ægra moleſtent.* Quæ ſimiliter iterauit comment. IV. in eoſdem libros aphor. primo & decimo, ita ſimiliter ſcribens: *Dictum eſt & à me priùs quòd verbum turgere, Hippocrates*

transtulit ab animalibus, quæ ad coitum properant, cùm naturali quadam concupiscentia mouentur ad seminis excretionem. Hac autem significatione, qua ad animalia refertur dicitur aliquando, ὀργᾶν, per se, vt fecit Galenus loco primo ex iis quos citauimus, etsi Leonicerus in tralatione de suo addiderit vocem, *concubitum.* Sæpius autem additur συνουσίαι, vt fecit idem Galenus alio loco quem citaui, aut ὀχείαν, aut σύλληψιν vt alicubi Aristoteles. Verè enim ὀργᾶν, est desiderio magno affici, & impetu trahi, cuiuscúnque rei ille impetus sit; dicitúrque etiam aliquando de inanimatis, vt de plantis & de terra, sicuti Grammatici docent; quorum tamen in hoc loco citare sententias abuti otio est. Solutionem autem problematis ex similitudine adducit Aristoteles, homines enim quum illo naturę impetu haud incitantur, veluti naturæ stirpes esse dicit, similitérque ac illas affici: in iis autem euellendis, cùm nullum ab ipsis nobis præstetur auxilium ad euulsionem illam rectè perficiendam, alterutrum ex incommodis his sequitur, vt vel auellatur aliquid quod non deberet auelli, vel abscissum seu abstractum aliquid relinquatur opere non perfecto, vtrúnque autem incommodum est, & laboriosum. ὅτι τ' γῆς ἀναστομῶσι. *quibus euulsis.* fortasse meliùs: *quibus dum euelluntur.* ἅπαν δ' ὃ δεῖ. *Quod autem cùm extrudi debet, minutum remanserit.* Ostendit vtrúmque ex propositis esse incommodum & molestum: Ac primùm id quod secundo loco propositum erat, abscissum seu abstractum aliquid relinqui: quodcúnque enim tale est, vt tolli debeat, illud si relinquatur κολοβὸν, seu *minutum*, vt interpretatur Theodorus, hoc est mutilatum, & abscissum, opere inchoato, & non perfecto, labor gignitur, molestia, ac dolor: turbatur enim & diuexatur natura ex ea commotione; quippe inepta materia ad conuellendum nihil natura adiuuat, dolor sanè si sensile, & doloris capax subiectum sit, labor & noxa si minimè capax, vt arbores & stirpes. Hac autem in ratione illud aliquantisper est molestum quod Aristoteles dicit: quodcúmque tolli oporteat, si relinquatur mutilum, & abscissum, laborem creare, cùm problema fuerit propositum negatiuè, nimirum, cur non oporteat motus illos ciere qui dicti sunt, nisi vehementer appetente natura: quomodo igitur dicit hoc loco: quod oportet tolli, si non tollatur, sed abscissum seu distractum relinquatur, laborem creari? cùm non de euacuatione molienda, sed de non molienda agatur? Respondemus facilè, Aristotelis rationem procedere, quia supponitur hæc propositio quæ vera est: noxiam omnèm materiam euacuandam esse: Aristoteles autem in problemate agit de tempore & occasione euacuationis; nimirum non omni tempore esse euacuationem illius moliendam, sed eo tantummodo quod commodum est, & quum appetit natura. Igitur si materia noxia quæ tollenda est, commouetur quo tempore non debet, quum scilicet natura non appetit, tunc vel abstrahetur alienum, vel relinquetur discissum & abstractum, quod laborem creabit. Eam ob rationem præcepit Hippocrates primo libro aphoris. loco quem paullò ante adduximus, cocta esse mouenda non cruda, nisi turgeant, eadem voce qua hîc Aristoteles vtens: cùm enim vel cocta sunt, vel turgent, naturam habemus adminiculantem: nec commouentur solùm, sed perfectè euacuantur humores· ἐάν τε τὶς κινήσῃ τὸ ἀλλότριον. *& si quid alieni commotum sit.* Alterum incommodum explicat: quod enim sede suâ, & proprio loco in nostro corpore situm est, illud quiescit, nec molestiam exhibet, si verò commoueatur, alienámque sedem acquirat, quod fit cùm non opportuno tempore illius euacuatio tentatur, molestiam exhibet multo tempore, nimirum donec aliena sede fuerit, nec aut propriam denuò acquisierit, vel opportuniùs extra corpus fuerit depulsum.

X.

Διὰ τί νήστεις θᾶσσον ἀφροδισιάζουσιν; ἢ διότι οἱ πόροι κενώτεροι οἱ τῶ σώματι νήστεσι, πλήρεσι δὲ πλήρεις; κωλύουσιν οὖν τὴν εἰς τὸ σπέρμα ὑγρότητα διεξιέναι· δῆλον δὲ ὅτι τὸ κύστεως· ἐὰν δὲ διώσαι πλήρες ὄσης ταχὺ ἀφροδισιάζειν.

Cur ieiuni celeriùs concumbunt? An quòd foramina corporis ieiuno inaniora, repleto autem plena habentur: itáque impediunt, ne humor seminis genitalis valeat permeare: quod latissimè in vesica patet: hac etenim plena, nunquam celeriter concumbere possumus.

Quærit cur facilior & expeditior sit veneris vsus ieiunis, quàm cibo repletis; nimirum vt tum promptiùs, tum etiam sæpius sicuti existimo, illi quàm hi semen emittant. Ieiunos autem intelligit, non diu antea inedia maceratos, illi enim veneri haud sufficiunt, sed qui

bene

bene antea pasti, cibum bene concoxerunt: hos enim ad venerem expeditos, benéque paratos esse ostendit, ex illa ratione quæ sequitur, quòd hi corporis meatus inaniores, & patentiores obtineant, cibis autem repleti, repletos & occlusos: meatibus autem apertis, humiditas ex cibo antea assumpto genita, quæ est seminis materia, facilè ad seminis loca peruadit, & in semen transit, copioso autem existente semine, facilior, & celerior veneris vsus est: si autem occlusi sint, ob nimiam ciborum copiam ingestam, humidorum non potest fieri transitus, nec augeri semen: vnde actio tardescit, ac diminuitur. Idem Aristoteles libro 1. de generat. animalium cap. XVIII. nonnullos homines esse ait, qui vbi per habitum corporis bonum carnulenti aut pinguiores euaserint, minus semen emittant, minúsque rem veneream expetant, & capite subsequenti, pinguia minus seminis habere, quàm macilenta itidem scribit: cuius rei sanè causam licèt eam esse dicat, quòd materia in corpulentiam, & in pinguedinem abeat, cum eo tamen meatuum etiam occlusionem coniungi puto; in pinguibus enim illi sunt admodum anguſti. Meatuum igitur reseratio, tum seminis copiam auget, tum verò genito semine facilem reddit expulsionem, locis omnibus seminis transitui patentibus: occlusio contra: vt vesicæ lotio repletæ exemplo docet; qui enim illam repletam habent, ij in venere perficienda, seminéque emittendo laborant, & cunctantur, vesica enim seminis meatus comprimens, angustans, & occludens, illius exitum moratur: quod similiter fieri vult, si aliam ob repletionem viæ & meatus itidem occludantur. *κωλύουσιν ἂν τὴν εἰς τὸ σπέρμα. Itaque impediunt ne humor seminis genitalis valeat permeare.* Sensum quem proposuimus exprimunt faciliùs & liquidiùs Græca, quæ ita penè ad verbum conuertantur. *Prohibent igitur humiditatem in semen pertransire.* Possimus autem hæc etiam Theodori ad eundem sensum trahere hoc modo: impediunt ne humor seminis genitalis, id est, ex quo semen genitale fit, valeat permeare: si modò hæc fuit Theodori sententia & mens; atque hanc pluris seminis generationem in Aristotelis verbis agnouit, quæ magis ex ipsius tralatione solùm per corporis meatus eiusdem seminis faciliorem transitum exprimere videntur.

XI.

Διὰ τί οἱ νέοι ὅταν πρῶτον ἀφροδισιάζειν ἄρχωνται, αἷς ἂν ὁμιλήσωσι, μῖσος τὴν πρᾶξιν μισοῦσιν· ἢ διὰ τὸ μεγάλην γίνεσθαι, τὴν μεταβολήν; τὴν δὲ συμβαινόσης ὕστερον ἀνδρίας μεμνημένοι, ὡς αἰτίαν ἣν ἐπλησίασαν φεύγουσι.

Cur adolescentuli cùm primo concumbere incipiunt, quibuscum fuerint congressi, eas re peracta, odio habeant? An quòd mutatio summa extiterit, sequentis tristitiæ memores, eam fugiunt tanquam fontem, ad quam se se applicauerunt.

Satis manifestè inquirit Aristoteles hoc problemate, cur mulierem illam, quam primo concumbens inierit aliquis, re venerea peracta, odio postmodum prosequatur. Quam rem breuiter, vt pleráque alia, tetigit etiam Plinius, non mulierem tamen, nec odium, sed coitum & pœnitentiam dicens libro X. cap. LXIII. his verbis: *Homini tantùm primi coitus pœnitentia, augurium scilicet vitæ à pœnitenda origine.* Nec verò difficilis ab Aristotele redditur ratio. Ait enim eo tempore, eáque actione, summam contingere in adolescente mutationẽ. Nam vt habuimus superiùs problemate 1 v. & legitur etiam lib. v. de generat. animal. ca. VII. vox de acuta fit grauis, & nuda quæ fuerant, hirta redduntur, immutantúrque meatus seminales. Venerei enim vsus tempore, potissimúmq; adeò ipso vsu hæc contingunt. De qua etiam mutatione, pubertatis tempore, quo primùm coire incipimus, tum viris, tum mulieribus eueniente, habemus apud Alexand. libro 1. problemate CXXIII. mulieribus enim ampliari mammas, sedem adaugeri coxarum: viris pectus & dorsum amplificari, testes ampliores reddi, colem insignem accipere magnitudinem, totum denique corpus iisdem ipsis laxari & dilatari, quod vel morborum mutationes, absolutionésque indicent. Plurimam tamen partem, quæ ex venereorum vsu primò aduenit mutatio, pernicioſa esse solet; vt ostendunt Galeni verba ex Sabino adducta comment. 1 1 1. in v 1. epidem. XII. quæ ita leguntur, vt nos Latinè conuertimus: *Sabinus quidem meritò coire incipientibus hæc ipsa accidere tradit. Primùm enim quia magna mutatio, & peregrinitas in corpore fit, sic enim ipse scribit, ob quam peregrinitatem, hoc est innouationem inquit accidere ipsis morbum comitialem, renum vitia, aliósque diuturnos morbos.* Adolescentuli autem de quibus institutum est problema, mutantur etiam circa ani-

mum,

mum, vt mox apparebit: At mutatio omnis, & præsertim magna, vt hæc dicitur tum ab Aristotele, tum à Galeno, res noxia, grauis, & molesta est, sicuti habuimus sectione prima problemate III. & IV. id autem quia mutatio ex natura sua, & veluti mutatio, via est ad interitum: præsertim autem hæc, qua vt plurimùm corporis vires debilitantur vt ostēdimus, & animus elanguescit. Re igitur venerea peracta, turpitudinis recordati, quæ eo in actu apparuit, cuiúsque merito à se ipsis ita immutati sunt (libenter enim ἀισχίαν, *turpitudinem* seu *deformitatem* interpreter hoc loco, quam significationem ei voci nonnulli tribuunt:) seu recordantes, animóque voluentes molestias ac fastidia, quæ ex illo tempore perferunt, pruritum multum, ac morsum, ob seminis salsuginem atque acrimoniam patientes: quod inter mala quæ coire incipientibus accidunt, memorat Sabinus loco quem modò adduximus, amorísque passionibus plurimis exagitati, libidinúmque incendiis inflammati, quibus non æquè ac antea dominari potest ratio: sed ipsis illi parere coguntur; eam quæ talium malorum caussa fuit meritò auersantur, ac odio prosequuntur. Dicit autem re venerea peracta, quia dum instat furiosus ille impetus, ne dum eam auersentur, & refugiant, mille verò oscu-lis & amplexibus iunguntur & hærent. ἢ δὲ συμβαινόντως ὕστερον ἀισχίας μεμνημένοι. *Sequentis tristitiæ memores.* Hæc Theodorus non ita conuertit, vt sensus quem nos expressimus facilè pateat: sed ille à verbis nimiùm discedit. Ita igitur verbum verbo reddamus: *contingentis enim posteriùs turpitudinis* [aut tristitiæ, seu molestiæ] *recordati, velati causſam, eam ad quam se se applicuerunt, fugiunt.* Theodorus verò aduerbium, *posteriùs*, iunxit præcedenti participio, *contingentis*, atque ideo conuertit, *sequentis*; verùm non est necesse. Possimus enim etiam referre ad aliud participium quod subsequitur, *recordati*; scilicet, recordati postea deformitatis, & turpitudinis peractæ, seu molestiarum quæ ex illo perferuntur, eam fugiunt cui primò se se applicuerunt. Cæterùm Aponensis in commentariis ad hunc locum; causſam etiam è contrario reddere conatur, cur fœmina maximè diligit eum virum à quo deuirginata, & cui primùm venere iuncta est. Dicit autem esse quia fœmina res est imperfecta, vir autem perfectus, quod ostendit Aristoteles libro II. de generat. animal. capite III. & quarto eorundem cap. VI. perfectum autem si imperfecto applicetur, imperfectum redditur, sicuti imperfectum perfecto, perfectionem acquirit: vnde & illud ex Aristotele citat primo Physicorum, materia appetit formam, sicuti fœmina marem, ac turpe pulchrum. Enimuerò perspicere nō possum, quam perfectionem à viro accipiat virgo, quæ ei primùm commiscetur, nisi si deuirginari, pollutóque corpore, pulchrum & intactum florem amittere, perfectionem acquirere est. Atqui & notum, quanto studio eundem florem ipsæ custodiant, quàm amissum doleant, ac lugeant, & vi ereptum quàm seuerè aliquando, sua & eripientium morte vlciscantur. Cùm etiam Thebana fuerit, quæ captiua legitimo non solùm coniugio, sed etiam regno ac libertati, ac vitæ eundem florem præposuerit, Nicanore repudiato, vltróque morte accersita. Christianas enim virgines omitto, quæ floris illius conseruandi gratiâ, sæuissima etiam immanium tyrannorum tormenta vltrò oppetierunt, & perpessæ sunt, quando illæ pro cœlesti regno, æternáque beatitudinis corona adeò inuictæ persisterent. Sed verò quælibet virgo à viro cui primùm commiscetur, quid magis haurit, & sibi habet, quàm vel decies enixa? igitur non minùs eum diligat hæc quàm illa. Quid ergo virgini proprium constituitur? Quæ verò etiam hæc perfectio, quam mulier in commixtione à viro acquirit? Sanè quibus partibus illa manca est, ac mutila, quibus mas læsus, & imperfectus dicitur, non video eam post concubitum exornari: sed fœminam, sicuti & antea existere. Quæ afferuntur ex Aristotelis libro primo de Physico auditu, materiam appetere formam, vt fœmina marem, non de virgine itidē, sed de quauis muliere pronuntiantur: nec magis ad eam quàm ad pollutam, vel adeò meretricem pertinent: Atqui nec ex illis necessariò colligi putem, ex concubitu, quâ concubitus est, fœminam à viro perfectionem adipisci: materia enim à forma acquirit ipsum esse, sicuti dicunt, quæ perfectio est: cùm enim illa sit potentia seu priuatio, ad actum seu ad esse formæ beneficio redigitur, quæ ex eiusdem materiæ sinu à generante educitur; ita fœmina marem appetit, vt ex eo grauida facta, in prole ita diutius conseruetur, ac perpetuetur, quæ perfectio est: hoc autem fine, iam quæcunque quemcunque congredientem diligat. Illa adhuc memini quæ Petrus Bembus Asulanorum sermonum libro secundo Gismundum facit loquentem, de mulierum manca & imperfecta persona, cùm hominem aut virum quærunt, sui dimidium, & integritatem quærentium, ex Platonis conuiuio desumpta: Hominum enim olim fuisse genus androgynum dictum, manus quatuor habens, totidémque crura, facies item duas, tereti ceruice connexas: hósque homines, quoniam præ summis viribus insolentes, diis bellum inferre conati sunt, à Ioue fuisse in duas partes dissectos, Apollinéque ministro,

vniuſcuiuſque vultum & ceruicis dimidium in eam partem conuerſum, qua ſectus eſſet; quo facto cum vnuſquiſque ſui dimidium deſideraret, concurriſſe nouos illos homines inter ſe, circumactíſque brachiis ſeſe inuicem complexos eſſe; ſed inaniter: mutato deinde illis à Ioue genitalium loco, molitum eum fuiſſe hoc modo mutuam inter ſe generationem: hincque mutuũ innatum eſſe hominibus amorem, priſcæ naturæ cõciliatorem: quique anniteretur vnum ex duobus efficere. Eſt igitur vnuſquiſque noſtrum, ait ille, hominis collatio, & quaſi dimidium, veluti diſſecatus, quemadmodum piſciculi illi, qui Pſettæ vocantur, ſciſſi ex vno efficiuntur duo. Quærit verò ſemper, quiſque ſui dimidium. Huic fabulæ ſi reſpondendum eſt, quam penè piget memoraſſe, mirer ſi non videat quilibet eam non minùs facere ad hominum, quàm ad mulierum imperfectam perſonam oſtendendam. Si enim ob diſſectionem vtérq; ex illis imperfectus, dimidium ſui, hoc eſt perfectionem vtérque quærit, cur fœminam magis quàm virum ex mutuo congreſſu perfici dicimus? cúrue magis ex illo, acquiſitæ perfectionis ergo, fœmina marem, quàm mas fœminam adamabit? quæ res adhuc etiam magis, ex plurimis quæ apud Platonem eo loco leguntur, ac liquidiùs ſi opus eſt, tota pateſcit: cùm Plato, & quare ex viris alij ſint in mulieres admodum proni, alij in mares, & fœminæ itidem cur aliæ fœminas, aliæ viros appetant, ſingulis nimirum ſui dimidium quærentibus, ex hac fabella rationem reddat. Ego veriorem propoſitæ quæſtionis rationem non priùs inquiram, quàm ex mulierum pluribus, veridicíſque reſponſionibus, rem ita eſſe certiùs didicero.

XII.

Διὰ τί οἱ ἱππεύοντες συνεχῶς ἀφροδισιαστικώτεροι γίνονται; ἢ ὅτι διὰ τὴν θερμότητα καὶ τὴν κίνησιν, ταὐτὸ πάσχουσιν ὅσπερ ἐν τῇ ὁμιλίᾳ; διὸ καὶ τῇ τῆς ἐπεχέσης ἡλικίας ἐπιδόσει, ᾠθεῖ τὰ αἰδοῖα μᾶλλον· τὰ μόρια ταῦτα γίνεται· ἀεὶ ἐν τῇ αὐτῇ κινήσει ταύτῃ χρωμένων, εὔροα τὰ σώματα γίνεται, καὶ προσδοπεποιημένα πρὸς τὴν ἀφροδισιασμόν.

Quare qui equitant, aſſiduè libidinoſiores euadunt? An caloris agitationíſque cauſſa eodem afficiuntur modo, quo per coitum. Quocirca ætatis quoque acceſſione membra genitalia contrectata, agitatáque pleniùs augentur. Quod igitur ſemper eo vtuntur motu qui equitant, hinc fluentiore corpore, præparatóque ad concumbendum euadunt.

Ex equitationis vſu veneris appetitum, & frequentiam incitari, norunt qui antea equitationi haud aſſueti, illud motionis genus deinde frequentiùs experiuntur. Rationem rei affert hoc loco Ariſtoteles, eodem modo equitantes affici dicens, ac coitu vtentes: nimirum vtraque in actione mouentur & incaleſcunt eædem partes; renes & coxæ præſertim. Sicuti igitur qui venere ſæpius vtuntur, partéſque illas agitant, illi magis libidinoſi aſſiduè euadunt: ita enim fit, vt quo ſæpius ea vtaris, ſæpius eadem vti velis: quam rem ab aquila abſumpti, & ſubinde renaſcentis iecinoris in Titio exempli antiqui docuêre; ita in equitantibus contingit; quo enim frequentiùs equitant, maior veneris inſurgit appetitus. Rationem autem explicat adhuc meliùs Ariſtoteles: ſed antea illa proponit, *διὸ καὶ τῇ τῆς ἐπεχέσης ἡλικίας ἐπιδόσει, ᾠθεῖ τὰ αἰδοῖα μᾶλλον τὰ μόρια ταῦτα γίνεται.* Quæ Theodorus vertit. *Quocirca ætatis quoque acceſſione membra genitalia contrectata, agitatáque pleniùs augentur.* Ille verò non videtur agnoſcere participium *ἐπεχέσης*, & illa *contrectata, agitatáque*, quæ magnum momentum hac in re faciunt, de ſuo addit, vt ſenſum quem putabat exprimeret: & ſanè verum fortaſſe aſſecutus eſt: nimirum apparere poſſe quod modò propoſitum erat, vtróſque eodem affici modo; quia procedente ætate vtríſque partes hæ augentur, & maiores fiunt, ratione ſcilicet motus & caloris, quæ vtríſque accidere eiſdem locis dicta ſunt. Iuſtinianus pro *ἐπεχέσης*, reponit *ἱππεύσης*: & fortaſſe de ſolis equitantibus hæc intelliguntur, hoc ſenſu: quia equitantes ita afficiuntur vt coitu vtentes, contingit vt ex equitatione, ætate genitalia magis augeantur, ſicuti nimirum ex coitu fit, etiam in non coëuntibus, quam rem dixit Auicennas 11. Fen 111. canonis his verbis: *Vſus veneris confortat hoc membrum, & facit ipſum lacertoſum, & ingroſſat, dimiſsio autem liquefacit ipſum, & rarefacit.* Tum concludit Ariſtoteles, rationem liquidiùs explicans. Quoniam igitur æquitantes motu illo aſſiduo vtuntur, qui partes genitales calefacit, ac dilatat, apertis meatibus, lubrico & fluentiore corpore, attracto ſemine augetur libido, viáque facilis & expedita ſtruitur ad concumbendum.

XIII.

Διὰ τί ὅταν ἄρξωνται ἀφροδισιάζειν δαύεσθαι, οἱ ἀρρῶτες ὄζουσι· πρότερον δ' οὐκ ὄζουσι πρὸ ἥβης, ἔτε οἱ ἄνδρες, ἔτε αἱ γυναῖκες; ἢ ὅτι τὰ ἄπεπτα, τὰς τε χυμὰς ἀεὶ χείρους ἔχει, ἢ γὰρ ὀξυτέρους, ἢ ἀλμυροτέρους, ἢ πικροτέρους, καὶ τὰς ὀσμὰς δυσωδεστέρας; τὰ δὲ πεπέμμενα, ἢ γλυκεῖς, ἢ ἧττον ἀγλυκεῖς, καὶ τὰς ὀσμὰς εὐωδεστέρας, ἢ ἧττον δυσώδεις; τοῦτο δ' ἔστι δῆλον ἐπὶ πάντων θεωμένοις καὶ φυτῶν, καὶ ζώων· ἀφαιρεθέντων δὴ τῶν ἀπέπτων, τὰ ὑπολειπόμενα ἄπεπτα· οἷον δὴ καὶ ἐπὶ τῆς τέφρας, ἀναλωθέντος γλυκέως, πικρὰ ἡ ἡ κονία· καὶ ὁ ἱδρὼς ἁλμυρός· πέσσει δὲ ἡ φυσικὴ θερμότης τὸ σπέρμα, ὃ μικρὸν ὄν, πολλὴν ἔχει δύναμιν. ἐπὶ πολλοῦ γὰρ ὀλίγον συγκεφαλαιοῦται· διὸ ὅταν ἀπέλθῃ, ἐκλύεται ὡς ὑπερπολὺ μᾶλλον, καὶ καταψύχεται. ὥστε ἀπεπέστεροι οἱ χυμοὶ μᾶλλον γίνονται, ἀναστομωθέντων τῶν πόρων διὰ τὴν ἔκκρισιν αὐτοῦ. ἁλμυρώτεροι οὖν ἢ οἱ τῶν παίδων ἱδρῶτες, καὶ δυσωδέστεροι διὰ τὴν ἀπεψίαν· καὶ ἐὰν τύχῃ τοιαύτη ἡ φύσις οὖσα, ὥστε δυσώδη ἔχειν τὴν ὑποστασιν ἐν ἱδρῶτι, τότε μᾶλλον ἐπισημαίνει, καὶ ἐν τοῖς τόποις τούτοις μάλιστα, οἷον μασχάλῃ, ἐν ᾧ μάλιστα καὶ τοῖς ἄλλοις.

Quare concumbendi facultatem dari per ætatem cùm cœptum eſt, corpora malè olent: priùs autem ante pubem non ita olent, nec viri nec mulieres? An quoniam quæ incocta ſunt, tum ſapores habent deteriores: aut enim acidiores, aut ſalſiores, aut amariores: tum odores reddunt fœtidiores. Contra quæ concocta, maturáque ſunt, ſapores aut dulces, aut minùs amaros, & odores ſuauiores præſtant, aut certè minùs inſuaues. Patet hoc in omnibus tam terræ ſtirpibus, quàm animantibus ipſis. Detractis autem quæ matura, concoctáque ſunt, cætera cruda relinquuntur: vt & in cinere, portione dulci conſumpta, puluis amarus relinquitur. Et ſudor quoque ſalſus eadem de cauſſa eſt. Calor autem naturalis ſemen genitale concoquit: quod quamquam exiguum eſt, vim tamen obtinet maximam: quippe quod ex multo admodum, tam exiguum conſtitutum ſit. Quamobrem vbi id ſeceſſit, reſoluimur magna ex parte vehementiùs, atque refrigeramur: itáque humores incoctiores redduntur, patefactis meatibus propter ſeminis excurſum: quo fit, vt ſudor ob cruditatem & ſalſior, & fœtidior tunc ſit, quàm in puerili ætate. Quòd ſi cui fortè talis natura ſit, vt partem ſubſidentem ſudoris habeat fœtidam, huic magis, magíſque res innoteſcet, ac præſertim eiſdem in locis, quibus & cæteris maximè conſiſtit, velut in alis.

Grauis odor de quo in præſenti problemate loquitur Ariſtoteles, vt à Græcis τράγος, ita à Latinis hircus, caper, & capra dictus eſt. Fit autem cùm primùm per ætatem concumbere poſſe adoleſcentes incipiunt, ſcilicet pubertatis tempore, non ante ipſam. Eſt autem ſicuti ſcribit Cenſorinus libro de die natali capite IV. in ſecunda hebdomade incipiente tertia: quo tempore etiam illis vox fit craſſior, & inæquabilis. Appellantur autem eo tempore adoleſcentes hirquitalli, & hirquitallire dicuntur, ſeu à voce, quæ non abſimilis hircis tunc redditur, vt docet Alexander libro primo problematum CXXIII. in quo huius mutationis vocis cauſſam reddit, ſeu à graui hoc odore, de quo propoſitum eſt problema, quod tunc corpus hircum olere incipiat, vt ibidem ait Cenſorinus: id autem à Græcis dictum eſt τραγίζειν, quod nonnulli Latinè, hircire reddunt. Ariſtoteles libro VII. de hiſtor. animalium cap. I. & quinto de generatione cap. VII. à voce verbum deduci arbitratus eſt non ab odore. Atqui cùm vno & eodem tempore hæc contingant, vt & vox immutetur, & grauis odor halare incipiat, iure ad vtrúmque referatur. Cur igitur eo tempore grauis hic odor apparere incipiat, non ante, quærit Ariſtoteles in præſentia. Cauſſam autem omnem refert in humorum cruditatem, quæ eo tempore, non antea viget. Primùm igitur docet, incocta omnia ſeu cruda, tum ſapores habere deteriores, tum etiam odores: quippe odor affectio eſt à ſapido proueniens, vnde lapides inodori quia inſipidi, ligna contra odora quia ſaporem continent: odores igitur ſaporibus proportionales; quæ omnia leguntur apud Ariſtotelem libro de ſenſu, & ſenſili capite V. ſed & apud Theophraſtum eadem habemus libro VI. de cauſſis plantarum cap. I. cuius hæc verba ſunt: καὶ σχεδὸν τὸ αὐτὸ πάθος ὀσμή τε καὶ ὀσμῆς, οὐκ ἐν τοῖς αὐτοῖς ἓν ἑκάτερον. hoc eſt. *eadem fermè ſaporis & odoris affectio eſt: ſed non*

in eiſdem

in eisdem vtrúmque proficiscitur. Eiusdem etiam hæc sunt: ὡς ἀπὸ χυλοῦ πῶς γίνεται; ᾧ οὐκ ἔστιν ἀπηρτημένον τὸ τῆς ὀσμῆς. hoc est, *quod odor quodammodo à sapore fit, neque ab illo separatus est.* Hæc igitur maioris propositionis locum habent: Incocta peiores habent sapores & odores: tum autem minoris loco subdit; ætatis tempore dicto incoctos esse humores, ex quibus facilis colligitur conclusio, iure eo tempore peiores esse odores. Maiorem autem propositionem probat inductione, grauiorum saporum generibus in medium adductis: acidiores enim, salsiores, & amariores tales esse, quia incocti: tales etiam odores fœtidiores. Econtrario cocta & matura, sapores aut dulces, aut minùs amaros, odoréque aut suauiores, aut minùs insuaues præstare: idque manifestum esse ait, tum in plantis, tum in animalibus: fructus sanè qui è plantis percipiuntur, maturos odoratiores esse cuilibet manifestum est: quòd similiter de animalium partibus, aut excrementis quibusdam odoratis dicendum est. Porrò nobis hoc loco de saporum propositorum natura, accuratiùs agendum non est, quippe verborum, aut sententiæ propositæ declarationi haud necessarium. Copiosè autem de tota saporum & odorum natura agit tum Plato in Timæo, tum Aristoteles in libro de sensu & sensili, qui Platoni diuersa affert: atque etiam Theophrastus libro de odoribus, & VI. de caussis plantarum; vt medicos omittam. Illud de odoris natura dixisse sufficiat hoc loco, ex Aristotelis libro quem adduximus de sensu & sensili, odorem affectionem esse saporosæ siccitatis in humido. Fit igitur sapor mixtione sicci cum humido, quæ mixtio sicuti variè contingit, ita etiam contingit variari sapores & odores. Sanè maior ab Aristotele proposita enunciatio, Theophrasti etiam verbis confirmari potest, quæ leguntur initio libri de odoribus in hunc modum, Turnebo interprete: *Igitur, ne multa, suaueolentia sunt omnia, quæ sunt cocta, subtilia, minimè terrena, cùm præsertim in halitu situs sit omnis odor, maleolentia contraria.* Tum Aristoteles probat minorem propositionem illis verbis: ἀφαιρεθέντων δὴ τῶν πεπεμμένων, τὰ ὑπολειπόμενα ἄπεπτα. *detractis autem quæ matura concoctáque sunt, cætera cruda relinquuntur.* Tempore nimirum pubertatis vult abscedere cocta, relinqui & abundare cruda & incocta: hæc autem amara & insuauia sunt, sicuti docet exemplo cineris, qui relinquitur ex lignis, combusto & consumpto dulci, leni, & aëreo, quod ipsis inerat: & exemplo sudoris, quem salsum ob cruditatem fieri, secunda particula abundè vidimus: quomodo autem pubertatis tempore abscedant cocta, & relinquantur cruda vlteriùs ostendit Aristoteles, nempe id fieri ob seminis è corpore exitum: semen enim etsi quantitate exiguum sit, est virtute maximum, continet enim in se calorem natiuum, ex quo coquitur, quique etiam alia omnia concoquit, facultatúmque omnium dux & moderator est: dicitúrque etiam natiuus spiritus, teste Galeno v. de simpl. medicam. facultatibus: ex eo autem præclara habemus apud eundem Aristotelem lib. secundo de generat. animal. cap. III. quo loco eum dicit respondere elemento stellarum: plurimáque itidem apud Galenum pluribus in locis. Post quos, egregiè admodum, qui illius mos est de eodem pertractauit Ioannes Fernelius tum in libello ei rei dicato, de spiritibus & innato calido, tum etiam libro II. de abditis rerum caussis, cuius libri capite III. propositam Aristotelis sententiam explicans, cœlestem, & diuinum illum esse ostendit. Licèt igitur exigua sit illius quantitas, multùm tamen posset, quia ex multo constituta est, nimirum tum alimenti copia, vt mox problemate XXII. tum virtute caloris. Auicennas quod ad hunc locum pertinet, libro III. de Natura animalium cap. III. seminis ad sanguinem qui illius materia est proportionem tradens, ita scribit: *Et quando de homine exit sperma, multùm dissoloratur & debilitatur suum corpus, magis quàm si quadragies exiret de suo corpore sanguis tantus: quoniam sperma est res habilitata ad transeundum in membra: & cùm exit aufertur naturale nutrimentum membri.* Cùm igitur in seminis emissione res decedat adeò efficaci, & præstanti virtute prædita, iure fit vt exsoluamur, debilitemur, ac refrigeremur, humoréque nostri corporis incocti reddantur: aëreo enim, leni & dulci emisso, cui facilè patet exitus extrà, quòd ob seminis excretionem incalescente, & rarefacto corpore patefiant meatus; siccum, durum, terrenum, interminatum, & crudum intus relinquitur, ex quo illa graueolentia, vt subdit. ἁλμυρώτεροι οὖν ἢ οἱ τῶν παίδων ἱδρῶτες. *quo fit vt sudor ob cruditatem & salsior, & fœtidior tunc sit, quàm in puerili ætate.* Theodorus, vt ex ipsius tralatione constare potest, locum hunc legit cum particula ἢ ante οἱ τῶν παίδων, sicuti etiam nos excudendum curauimus: eam enim voculam adscribit in margine Iustinianus. Est autem hæc conclusio totius syllogismi; quod indicat particula οὖν quam apponit Aristoteles, licèt ea non fuerit à Theodoro expressa: sed nos locum ita ad verbum reddimus: *Salsiores igitur & fœtidiores sudores quàm qui puerorum sunt, ob cruditatem.* Absque vocula autem, ἢ, sensus quem exprimit Theodorus non constet: sed omnino contrarius, reique & sententiæ propositæ aduersus, nimirum: *salsiores*

igitur & fœtidiores ob cruditatem sunt puerorum sudores, quomodo accepit Aponensis, tralationem antiqui interpretis secutus, qui locum absque ea particula legit, vt etiam in excusis omnibus legitur. Possit verò fortasse aliquis etiam sensus, problemati non omnino ineptus, absque illa particula, non tamen sine vi elici: sed quando tam manifesta lux ex ea litterula affulgeat, quid tenebras consectemur non video. Ἢ ἐὰν τύχῃ τοιαύτη ἡ φύσις ἔσα. *Quòd si cui fortè talis natura sit.* Corollarium, quo ea quæ dicta sunt, magis illustrantur. Adscribit enim vbi illa magis locum habeant, & vnde nobis magis innotescere possint, nimirum in iis in quibus sudoris ὑπόστασις ex natura fœtida est: expono autem sudoris hypostasin, seu partem subsidentem sudoris, vt transtulit Theodorus, hoc est partem illum humoris, quæ subsidendo, & secreta ab alia humoris parte in sudorem conuersa est, nimirum, sudorem ipsum: ita enim illum dicendi modum accipio: huiusmodi autem, magis quàm alij, esse solent, qui sunt præditi temperamento calido & humido: hos enim tum Galenus fœtere dicit, tum verò Auicennas fœtidum habere sudorem, vrinam, & fœces: In his igitur magis res innotescere potest, quoniam in eisdem magis locum habet cruditas, seu putredo, quas res in præsentia minimè distinguimus: sicuti etiam in illis locis in quibus eadem cruditas præcipuè viget, cuiusmodi alæ sunt, & alij loci arcti, & concluſi, miniméque respirantes: vnde Catullus in Rufum, de alis: —

Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Et de loco ob personarum frequentiam concluso Horatius:

Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ.

De quo etiam alarum fœtore proprium habemus eiusdem Aristot. probl. octa. sect. xiii. Porrò non omiserim adhuc, illa μᾶλλον ὑποσημαίνει Ἢ ἐν τοῖς τόποις τούτοις, adnotare Iustinianum abfuisse à codice vnde lectionum varietatem depromebat. Et sanè tantum abest, vt sensui necessaria sint, licèt ea videatur agnoscere Theodorus, vt eum potiùs conturbent.

XIV.

Διὰ τί ἐαὺ μὲ ἐκ τοῦ σπέρματος ἡμετέρου γένηται τὸ ζῶον, τοῦτο ἡμέτερον ἔκγονόν ἐστιν· ἐαὺ δὲ ἄλλου τινὸς, ἢ μέρους, ἢ ὑποκρίσεως, οὐκ ἡμέτερον; γίνεται γὰρ σπερμάτων πολλὰ Ἢ ἐκ τοῦ σπέρματος τὸ μὲν ὂν, ἐαὺ μὴ γονίμου οἷον ἡμῖν, ἡμέτερον· ἐαὺ δὲ ἀλλότριον, ὅ; γὰρ ἅπαντα φθορὰν ἔχει, ἢ εἰδέναι· ἢ ὡρῶτον μὲν, ὅτι ὅτω μὲ ἐξ ἡμετέρου γίνεται, ἐκείνως δὲ ἐξ ἀλλοτρίου, ὅσα ἐξ ὑποκαθάρματος γίνεται καὶ ἐκκρίσεως; καὶ ὅλως οὐδὲν τοῦ ζῴου, ζῶον γεννᾷ, ἀλλ' ἢ τὸ σπέρμα. τὸ δὲ ἐλάττονος Ἢ κακὸν, οὐδενὸς ἐστιν οἰκεῖον, οὐδὲ τὸ ἀλλότριον· οὐ γὰρ ταυτὸ, τούτου τί ἐστί), καὶ τούτου ἀλλότριον, ἢ ἕτερον ἢ κακὸν· αἱ δὲ ἐκκρίσεις, Ἢ σήψεις οὐκ ἡμέτεραι, ἀλλ' ἕτεραι Ἢ ἀλλότριαι τῆς φύσεως ἡμῶν εἰσιν· οὐ γὰρ ὅσα ἐν τῷ σώματι γίνεται, τοῦ σώματος ἀεὶ τέτοιον· ὅθεν καὶ φύματα γίνεται) ἃ αἴρεσι, καὶ ἐκβάλλεσι· καὶ ὅλως ὅσα παρὰ φύσιν, πάντα ἀλλότρια· παρὰ φύσιν δὲ πολλὰ καὶ τοῦ συγγινομένων ἐστίν· εἰ δὲν ἐκ μόνα τούτων τῶν ἡμετέρων γίνεται ζῶον, ὀρθῶς ἂν τὸ ἐκ τούτου γινόμενον ἔκγονον ἡμέτερον εἶη μόνον; καὶ ἐκ τοῦ σπέρματος δὲ ἄν τι ἄλλο γένηται οἷον σκώληξ σαπέντος, ἢ καὶ ἐν τῇ μήτρᾳ διαφθαρέντος, οἷον ἃ λέγεται τέρατα, οὐκ ἔκγονα λεκτέον. ὅλως γὰρ ἐκ διεφθαρμένου γινόμενα. οὐκ ἔτι ἐξ ἡμετέρου ὄντος γίνεται, ἀλλ' ἐξ ἀλλοτρίου, ὥσπερ τὰ ἐκ τῶν ὑποκρίσεων, οἷον τὸ ἐκ τοῦ κόπρου· σημεῖον δ' ὅτι ἐκ διαφθειρομένου πάντα τὰ τοιαῦτα γίνεται· ἐκ μὴ διαφθειρομένου γὰρ, τοιοῦτον πέφυκε γίνεσθαι, οἷον ἂν ᾖ ἐξ οὗ τὸ σπέρμα· ἐαὺ ἐξ ἵππου, ἵππος. ἐαὺ δὲ ἀνθρώπου, ἄνθρωπος. καὶ ὠὸν τε ὃ πεπαμένον τὸ σπέρμα οὐδὲν πᾶν τὸ ἐν τῇ γαστρὶ γαστρόμενον· καὶ γὰρ ὑγρὸν, καὶ ὄγκος τις καὶ σὰρξ γίνεται. ποτὲ δὲ, διὰ τὸ μήπω ἔχειν τὴν φύσιν, ἀλλ' ἢ τοῦτον μόνον τὸν φύσεως ὅπερ ὕστερον διήκει) ὥστε γαστρὸς ἐξ ἀμυδροῦ τοιοῦτον οἷον ἡμεῖς· ἐκ δὲ διεφθαρμένου, οὐδὲν τοιοῦτον· διὰ ταῦτα δὲ οὐδὲ ἐξ ἑτέρου τῶν ἐν ἡμῖν, οὐδὲ ἐκ τούτου διεφθαρμένου, ἢ ἀτελῶς ἔχοντος, τὸ ἔκγονόν ἐστιν ἡμέτερον.

Cur si ex nostro semine procreatum animal est, prolem id nostram appellare solemus: sed si ex aliquo alio nostro vel excremento, vel parte prodiit, nostrum id esse nunquam fatemur? multa enim semine putrescente proueniunt. Quid igitur causſæ sit, vt si quales nos sumus, tale fuerit, nostrum id sit: sin diuersum, id alienum sit: aut enim omnia nostra esse oportet, aut nulla. An primùm, quoniam quod ex semine nostro prodiit, id ex nostro est: quod secus id ex alieno, scilicet quæ purgamentis, excrementísque enascuntur. Denique nihil ex omnibus, quæ animanti tribuimus, gignere animantem potest, nisi semen genitale. Quod autem nocet, quódque malum

est, id

eſt, id ſuum nullius eſt: nec quod alienum eſt, id ſuum eſſe poteſt. Haud enim idem illa ſignificant, ſuum eſſe, & alienum eſſe, vel diuerſum, vel malum. Excrementa autem, & putredines, non noſtra ſed diuerſa: alienáque ſunt à natura noſtra, non enim quæcúnque in corpore extiterunt, corporis hæc eſſe putandum. Nam & papulæ ſæpe erumpunt, quas tollimus, atque excidimus: omnino quæ præter naturam conſtiterint, hæc aliena omnia ſunt: multa autem præter naturam, vel rebus coniuncta naturalibus prodeunt. Quòd ſi ex rebus noſtris ſolo ſemine natum animans ſit, rectè quod ita prouenerit, prolem id eſſe noſtram tantùm putabimus: ex ſemine verò ipſo ſi quid extitit aliud, vt vermis, vbi vel foris putruit, vel corruptum in vtero eſt, vt quæ monſtra appellamus, prolem id eſſe noſtram haud quaquam dicendum eſt. Cùm enim corrupto creetur ſemine, non inſuper ex noſtro creatur, ſed alieno: quemadmodum quod excrementis conſtiterit, vt quod ex ſtercore. Omnia verò huiuſcemodi ex corrupto creari ſemine hinc indicatur, quòd ex non corrupto creari tale natura ſtatuit, quale illud eſt, de quo ſemen genitale prodierit. Exempli gratia, ſi de equo equus, ſi de homine homo: nec ſemen magnificimus ipſum, nec aliquid quod inter generandum confici ſolitum eſt. Tunc enim humor, & corpulentia quædam, & caro conſiſtunt, quorum nihil nobile eſt, quoniam nondum naturâ obtinent deſtinatam: ſed eatenus naturam attingunt, quatenus ita ſe habeant, vt ex illis tale creari poſſit, quale nos ſumus, modò ſeruentur. Corruptis autem nihil tale enaſci poteſt. Cauſſa eſt hæc, cur nec alia ex re noſtri corporis, nec ex ſemine ipſo corrupto, aut imperfecto, prolem noſtram oriri arbitremur.

Quod ex ſemine noſtro genitum eſt animal, id prolem noſtram appellare nos ſolemus: exiſtimatúrque à nobis illa progenies noſtra; & liberi noſtri qui ita nati ſunt: ſi verò ex aliqua alia re, quæ in nobis ſit, vt parte aut excrementis; cuiuſmodi, exempli gratiâ, vermes ſunt, illud nec ita appellamus, nec noſtrum à nobis habetur. Quid ita fiat quærit Ariſtoteles: meritóque ſe dubitare oſtendit; cùm illud interim contingere poſſit, vt ex ſemine etiam noſtro quædam oriantur, quæ prolem noſtram minimè dicimus, vt ex ſemine orta putreſcente: quidni igitur noſtra etiam non dicantur, quum ex rebus noſtris, hæc ſimiliter ortum trahant: vnde aut omnia noſtra dicenda ſint, aut nullum; minimè verò quod nos facimus, quod tale eſt, quales nos ſumus, noſtrum dicere, quod à nobis diuerſum nequaquam. Solutionem quæſtionis affert Ariſtoteles. Illam verò primùm hac in re conſtituere videtur, quòd illud quod aliter quàm ex non corrupto ſemine oritur, non oritur ex re noſtra: tum verò quòd naturam noſtram non habet, nec tale eſt, quales nos ſumus, nempe formam aut figuram noſtram non habet: non oriri autem ex re noſtra probat: nam quæ creantur de excrementis aut purgamentis, aut ſemine corrupto, ea ex alieno naſcuntur, quæ autem ex alieno, illa ſanè ex noſtro haud naſcuntur. Hæc ferè problematis ſolutio, cuius tamen probandæ cauſſa, cùm alia ab Ariſtotele afferantur, alia quædam etiam explanationis cauſsâ attingere operæ pretium eſt, ipſis Ariſtotelis verbis nonnullis in locis examinatis, Theodorus enim mirum quàm ſæpe longiùs diſcedat. γίνεται γὰρ σηπομένων πολλὰ καὶ ἐκ τοῦ σπέρματος, *multa enim ſemine putreſcente proueniunt.* Theodorum omnino puto legiſſe, γίνεσθαι γὰρ σηπομένα πολλὰ ἐκ τοῦ σπέρματος: hæc enim ab eo conuerti videntur: ſenſum autem continere puto, quem paullò ante expreſſi: at vulgati codices habent, γίνεσθαι γὰρ σηπομένων πολλὰ καὶ ἐκ τοῦ σπέρματος, quæ ad verbum ita ſonant: *Fiunt enim ex putreſcentibus multa, & ex ſemine.* Hæc verò duobus modis expono. Primùm vt dicat non ſolùm ex ſemine, ſed etiam ex aliis quæ in noſtro corpore ſunt, dum ea putreſcunt multa fieri, hisque oſtendi, quod in problemate modò ſumptum eſt, præterquàm ex ſemine, ex aliis etiam in noſtro corpore exiſtentibus, generationem quorundam eſſe. Altero verò modo hic ſenſus eſt. Multa enim eorum quæ putreſcunt, fiunt etiam ex ſemine, ſcilicet eo corrupto, quod mox apparebit. His verò confirmatur problematis occaſio: Cur non igitur prolem noſtram ea dicamus? atque hic ſenſus illi videtur proximus, quem expreſſit Theodorus in tralatione:

mihi tamen magis prior arridet; quamquam ſuperiùs Theodori tralationem ſecutus, alteri magis adhæſi. ἐὰν δὲ ἀλλότριον ᾖ. *ſin diuerſum, id alienum eſt.* Ad verbum: *ſin diuerſum, nequaquam.* Ἔτι ὅλως οὐδὲν τῶν τῷ ζῴῳ ζῷον γεννᾷ. *Denique nihil ex omnibus quæ animanti tribuimus, gignere animantem poteſt.* Solutionem proponens dixit, quæcúnque aliter gignuntur quàm ex ſemine, ex alieno eſſe non ex noſtro, quæ ſcilicet de purgamentis, & excrementis enaſcuntur; hanc rem pluribus declarat. Et primùm quoniam ex rebus quæcúnque inſunt in corpore animalis, nihil omnino animal gignere poteſt, præterquàm ſemen: hæc nimirum propria, & intima animali res eſt, cuiuſmodi ſi forent illa, animal & ipſa gignerent, nunc autem quando non gignunt, aliena ſunt. Tum verò eandem rem probat, quia ſingula præter ſemen, vel ſunt res noxiæ, vel alienæ; neutro autem modo alicuius propria dici poſſunt, quum potiùs defectum, & priuationem oſtendant: Et quomodo propria alicuius dicantur, quæ ſunt ab eo aliena, & ſua vnicuíque, quæ aduerſa ipſi? hoc genere ſunt excrementa, & putredines: illa enim non propria corporis, ſed diuerſa & aliena ſunt à natura noſtra: non enim omnia quæ in corpore apparet, illius propria ſunt, ſed multa in eo conſpiciuntur præter naturam, vt papulæ, & alia plura morborum genera: hæc autem illi quidem inſunt, non tamen illius propria ſunt. Vnde probationem generatim concludens Ariſtoteles, inquit, omnino quæcúnque præter naturam ſunt, illa omnia aliena ſunt, quamquam rebus naturalibus coniuncta, vel ab initio ortus prodierint, cuiuſmodi multa viſuntur, vt exempli gratiâ ſextus digitus, & ſimilia. ἐι οὖν ἐκ μόνε τέτε τῶ ἡμετέρου γένες ζῷον. *Quòd ſi ex rebus noſtris ſolo ſemine natum animans ſit.* Iam ex iis quæ oſtenſa ſunt colligit quod probare ſatagebat, ex rebus quæcúnque in nobis ſunt, ſola quæ ex ſemine prodeunt, ex rebus noſtris oriri. Libenter autem quod Theodorus, *quòd ſi ex rebus noſtris*, rederem ad verbum, *ſi igitur ex rebus noſtris*. vt ex vocula, *igitur*, concluſio magis exprimatur. Vix enim dici poteſt, quàm huiuſmodi particulæ apud graues auctores ſæpe faciant ad ſententiarum, & verborum vim declarandam. At quoniam ex ſemine oriri etiam poſſunt quæ noſtra non dicimus, ſcilicet ipſo corrupto, vt vermes ex ipſo extra corpus, ſicut dicit Theodorus, aut molæ, & varia alia monſtrorum genera in corporibus mulierum; hæc itidem neque ex rebus noſtris oriri oſtendit, quando ex corrupto ſemine oriuntur: corruptum enim ſemen non noſtra res eſt, ſed aliena, ſicuti excrementum: quod probat; nam ſi non eſſet res corrupta, & aliena, iam ex eo fieret tale quale illud eſt ex quo prodiit, vt ex homine homo, ex equo equus: cùm verò tale haud quaquam oriatur, ſemen eſſe, aut rem noſtram minimè dicendum eſt. Porrò illa de verme, *vbi vel foras putruit*, à Græco exemplari abſunt, addita à Theodoro, qui ita ſententiam accipiebat: at cogitandum num etiam fortaſſe intus ex corrupto ſemine vermis aliquis gigni poſſit, vt illa addenda non fuerint. Ἐδ᾽ ὠγκόμεθά γε τὸ σπέρμα. *Nec ſemen magnificimus ipſum.* Tantum abeſt vt quod ex corrupto ſemine ortum eſt, noſtra proles dicenda ſit, vt & ſemen ipſum, etiam minimè corruptum, quæ corporis noſtri res ſua dicta eſt, nec item aliquid aliud ex iis quæ in homine gignendo efficitur, aut terminatur, minimè honoremus aut magnificiamus, ſicuti prolem noſtram conſuetimus; id autem quoniam ſemen, humidum eſt, tumor eſt, caro eſt; nimirum naturam noſtram non habet ad quam deſtinatur, nec tale eſt, quales nos ſumus: nempe figuram noſtram minimè obtinet, tantum verò naturæ noſtræ habet, vt diſpoſitum ſit ad eam recipiendam. Atque ex hoc problematis ſolutio magis apparet, vt initio dicebam. Obſeruandum autem quàm aptè Ariſtoteles verbis illis, *humidum eſt*, *tumor eſt*, *caro eſt*, terminos innuat, ſeu gradus per quos natura in homine efformando procedat: Primò enim ſemen humiditas quædam eſt, tum quidam tumor, hoc eſt veſicula, aut bulla, quam Theodorus corpulentiam dixit, & poſtea caro: Hæ autem res imperfectæ adhuc ſunt, & id tantùm perfectionis, aut naturæ noſtræ obtinent, vt ex ipſis fieri poſſit, quod tale ſit quales nos ſumus, nimirum animal perfectum, & figuram ſicuti nos habens, quod prolem noſtram dicemus: Et ex his iterum colligit, atque concludit Ariſtoteles, quæ in orationis ſerie probata ſunt. Porrò autem quod facere ſoleo, ne lectori Græcarum litterarum ignaro, fraus aliqua fiat, nonnulla adhuc ad Theodori tralationem adnotabo. *Confici ſolitum eſt*: Theodorus legit γενόμενον, quomodo habent excuſi: at Iuſtinianus reponit, περαινόμενον, hoc eſt, terminari: ſenſus tamen idem eſt. *Tunc enim humor, & corpulentia quædam, & caro conſiſtunt, quorum nihil nobile eſt, quoniam nondum naturam obtinent deſtinatam.* Hic de ſuo multa addit Theodorus, quod patebit vnicuique ſi ad verbum locum reddamus: *humidum etenim, ac tumor quidam, & caro conſiſtit. Sanè autem* (repete ex ſuperioribus, nec honoramus) *quia naturam nondum habet, ſed illud tantummodo naturæ* [habet] *quòd ita afficitur, vt ex ipſo generetur tale quales nos ſumus.* Quæ ſtatim ſequuntur: *modò ſeruentur*, abſunt

similiter à Græco exemplari. Videntur autem respicere illa quæ subnectuntur, *corruptis autem*. At si absint illa, hæc referenda sunt ad superiùs proposita, in quibus de semine corrupto non pauca dicta sunt.

XV.

Διὰ τί ἐν τῷ ὕδατι ἧττον δύνανται ἀφροδισιάζειν οἱ ἄνθρωποι; ἢ ὅτι ἐν ὕδατι οὐδὲν τήκεται, ὅσα ὑπὸ πυρὸς τήκεται; οἷον μόλιβδος, ἢ κηρός· ἡ δὲ γονὴ τηκομένη φαίνεται πυρί· πρὶν μὲν γὰρ ἡ τρῖψις ἐκθερμάνῃ, οὐ τήκεται· οἱ δὲ ἰχθύες οὐ τρίβονται ὀχεύονται.

Cur minùs in aqua homines concumbere queunt? An quòd res nulla in aqua liquescere potest, quæ ab igne liquefieri apta est, ceu plumbum, aut cera. Semen autem hominis igne planè liquescere videmus: haud enim priùs fluere incipit, quàm per attritum recaleat. Pisces tamen sine attritu coire fatendum est.

Quod ait Aristoteles, in aqua minùs posse homines concumbere, tum de frigida, tum de calida intelligendum esse dicit Aponensis: quod si est, non æquè tamen ab vtróque aduenire impedimentum existimandum. Multò enim magis à frigida, quàm à calida: à qua vt omnino tolli effectum cum non putem, facit quòd affusione calidæ non flaccescere, sed arrigi penem viderim. Dixit homines Aristoteles nimirum excipiens bruta quædam, vt pisces; qui vt in aqua assiduè degunt, tanquam loco proprio, ita in eo concumbunt: qua de re ad finem problematis; excipi elephantes, quod ait Aponensis, coituros enim ingredi aquam, vt mas ab ea sustentetur, ne mole corporis fœminam lædat, verum sit, si quæ affert vera sunt: illa tamen apud aliquem non memini legere me. Illud memini Aristotelē quinto de historia cap. 11. scribere: coire eum in solitudinibus, præcipuè autem circa flumina, & quà pasci solitum. Cæterùm Aristoteles illam effectus in problemate propositi rationem tradit, minúsque in aqua homines ideo concumbere posse affirmat, quia in aqua semen liquescere non potest; eius autem liquatio in coitu necessaria est: non posse in aqua liquescere probat, quia liquescit igne: nihil autem ab ea liquescit, quod ab hoc sit aptum liquefieri, sicuti ceræ & plumbi exemplo docet, cuius ratio ex libro 1v. Meteorologicorum discenda est; in quo de liquatione & liquabilibus, déque iis, quæ ab humido, & quæ à calore liquantur, exactè differit. Semen autem ab igne liquari eo argumento probat, quia non priùs ab homine excidit, quàm attritio ipsum excalfecerit: attritio nempe calorem gignit, eúmque siccum ignis naturam referentem. Quòd si absque penis attritu excidat, aliquando, vt in somnis, aut ex oscula, aut attactu, non tamen absque attritione seminis, de qua loquitur Aristoteles, quæ sit à spiritu, commoto aut ex oscula, aut tactu, aut etiam cogitatione seu phantasia. Sufficit autem ea attritio exundante semine, quod dum illa quidem fiunt, non possit non exundare. οἱ δὲ ἰχθύες οὐ τρίβονται. *Pisces tamen sine attritu coire fatendum est.* Sine attritu dixit non effundi semen: refellebatur piscium exemplo, qui sine attritu coëunt; eos itaque esse excipiendos docet Aristoteles: & quamquam de hominibus fuerit institutus sermo, de piscibus tamen res quoque erat tradenda, atque docendum cur in aqua illi coire possint: quod enim proposuit, potestate propemodum ita est. Cur homines in aqua minùs cōcumbere possunt, pisces possunt? Cùm ostendisset igitur cur non possint homines; cur liceat piscibus his postremis verbis declarare voluit; nimirum quia sine attritu coëunt, verùm incurrentes seu incidentes citissimè absoluunt, vt habetur libro primo de generat. animalium capite sexto.

XVI.

Διὰ τί τὸ ἀφροδισιάζειν ἥδυστον, καὶ πότερον ἐξ ἀνάγκης, ἢ ἕνεκά τινος ὑπάρχει τοῖς ζώοις; ἢ ἡδὺ μὲν ὅτι, ἥκει δὲ ἀπὸ παντὸς τοῦ σώματος ἀπόνευμα τὸ σπέρμα, ὥσπερ τινὲς φασιν; ἢ οὐκ ἀπὸ παντὸς μὲν ἀπόνευμα, ἀπὸ δὲ τοιούτου, εἰς ὃ πάντες συρρέουσιν οἱ πόροι τῶν φλεβῶν; ὅσης οὖν καὶ ἡδονῆς ὁμοίας καὶ ἐν τῇ κινήσει, τοῦτο συμβαίνει γίνεσθαι, ὥσπερ δὲ ὅλου τοῦ σώματος· ὁ δὲ κινησμὸς ἡδὺς ὅτι, ὑγροῦ ἔξοδος πνευματώδους ἐγκατακεκλεισμένου πάλαι φύσιν· ἢ ἡ γονὴ τοιοῦτον εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἔξοδος· ἔστι δὲ οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἡδύ, οὐδ' ἕνεκά τινος. ἐξ ἀνάγκης μέν, ὅτι ἡ εἰς τὸ κατὰ φύσιν ὁδὸς ἡδύ ὅτι, ἐὰν ἡ αἰσθητή. ἕνεκά δέ τινος, ἵνα γένεσις ᾖ ζώων· διὰ γὰρ τὴν ἡδονήν, μᾶλλον ὁρμᾷ πάντες τοῦ μίξαι τὰ ζῶα.

Qua de causa res omnium suauissima concubitus est: & vtrum necessitate

impel

impellantur ad concumbendum animantes, an rei cuiuſpiam gratiâ genus hoc libidinis datum eſt? An ſuauiſſimè quidem concumbimus, quoniam aut toto ex corpore ſemen profluit, vt aliqui volunt, aut quia, quamuis non toto ex corpore, tamen per eam partem ſe promit, in quam meatus omnes, venæq; omnes applicentur, & coëant. Cùm igitur voluptas ſimilis in libidine, atque in prurigine ſit, efficitur pariter, vt corpus geſtiat vniuerſum. Prurigo enim ſeceſſio humoris ſpirituoſi, incluſi contra naturam eſt: & genituram verò ſeceſſionem humoris eiuſmodi eſſe ad rem naturalem conſtat. Suauiùs autem tum ex neceſſitate, tum rei cuiuſpiam gratiâ concubitus eſt. Ex neceſſitate inquam, quòd via omnis pertinens ad rem naturalem ſuauis eſt, ſi modo à ſenſu percipi queat. Rei verò cuiuſpiam gratiâ eſt, vt ortus ſit animantium perpetuus: facit enim voluptas, vt animantes ad coitum ardentiùs excitentur.

Duo proponit Ariſtoteles in hoc problemate: Primum qua de cauſſa res omnium ſuauiſſima concubitus eſt: alterum, vtrum inſignis hæc dulcedo ex neceſſitate eſt, an alicuius gratiâ ineſt animalibus: hoc enim eſt quod ſecundo loco quæritur; licèt Theodorus hunc ſenſum non expreſſerit, nec de dulcedine, quæ in coitu eſt, ſed de coitu ipſo locum acceperit. Verùm tum ex verbis ipſis, tum multò magis ex ſolutione, ſatis patet Ariſtotelem propoſuiſſe quod dixi. Verba igitur ſecundi membri ita reddantur: *vtrum etiam ex neceſſitate, an alicuius gratiâ ineſt animalibus?* quærit igitur Ariſtoteles vtrum finis alicuius gratiâ, an ex neceſſitate, hoc eſt, ex materia immenſa illa dulcedo oriatur: materiam enim neceſſitatem, ſeu quod ex neceſſitate eſt, dicit libro primo de partibus animal. capite primo, quo loco copiosè tum de aliis, tum de hoc genere cauſſæ pertractatur, oſtenditúrque neceſſitatem hanc in rebus naturalibus duplicem eſſe: quæ verò nunc proponitur ea eſt, quæ ex ſuppoſitione dicitur, vt ex eo loco manifeſtè apparet. Verba autem ad finem illius capitis, quæ hunc locum maximè explanare poſſunt, ita leguntur, eodem Theodoro interprete: *licèt quod modò dixi ita demonſtrare: data animalibus ſpiratio eſt huius rei gratiâ: ſed eam propter has effici res neceſſe eſt.* Hæc autem adhuc ita declarantur à Furlano. Animalibus data eſt ſpiratio refrigerationis, & refectionis cauſsâ: illa autem ſi eſſe debet, neceſſariò inſtrumentis opus eſt, quæ actionẽ hanc peragant: hæc pulmones ſunt, quorũ officium eſt dilatatione atque contractione ſpiritum trahere, & emittere. Porrò autẽ in ſolutione quæſtionis oſtendet Ariſtoteles vtranque cauſſam adeſſe. ἢ ἡδὺ μὲν ὄντι, ἢτοι διὰ τὸ ἀπὸ παντὸς τοῦ σώματος. *An ſuauiſſimè quidem concumbimus, quoniam aut ex toto corpore ſemen profluit.* Ad primam partem duas cauſſas reddit, alteram deſumptam ex aliorum de ſemine opinione, alteram ex propria, ſeu ab ea alia. Primum enim ideo rem dulciſſimam coitum eſſe tradit, quia toto ex corpore ſemen profluit quæ erat aliorum Philoſophorum opinio; hanc autem affert idem Ariſtoteles libro primo de generat. animal. cap. x v i i. atque etiam declarat. Ibi enim cùm de loco pertractaret, vnde deſideretur ſemen, ita legitur, Theodoro interprete: *Sunt enim qui dicant id ex toto corpore prouenire: quibus autem argumentis probent, vt ſemen ex vnaquáque corporis parte ſecernatur, quatuor ferè numero ſunt. Primùm vehementia voluptatis: magis enim ſuaue eſt, quod idem amplius ſit effectus: amplius autem eſt quod omnibus membris, quàm quod paucis accidat.* Vehementia igitur voluptatis in coitu, ſi ex omnibus partibus ſemen decidat, cur fiat ex hoc loco apparet: nempe ita inſignem eſſe, quia vniuerſo corpori communicatur, non ita ſi alicui ſolùm parti eſſet propria; hanc autem opinionem quia paullò poſt refutat, ideo alteram rationem ad propoſitam quæſtionem adducit, nimirum ſi non ex toto corpore ſemen decidat, tamen per eam partem ſe promere, in quam meatus omnes venarum ſe ſe applicant, vt idem effectus ratione conſortij iure poſſit euenire: quam ſententiam non melius ego confirmare, & explanare poſſim quàm verbis Hippocratis initio libri de genitura, quæ ita leguntur Latinè: *Habet autem res hoc modo: venæ & nerui ab omni corpore in pudendam vergunt, quibus dum aliquantulùm teruntur, & caleſcunt, ac implentur, veluti pruritus incidit, ita ex hoc toti corpori voluptas, ac caliditas accedit.* Pro eo autem quod Ariſtoteles habet σωτείνουσιν, Hippocrates habet τείνουσιν, vt σωτείνουσιν legendum fortaſſe ſit, quomodo etiam video reponi in margine editionis eruditiſſimi Caſauboni. Cæterùm quæ ſint hæ venæ, & nerui, atque etiam arteriæ, quæ ad ſeminis exitum concurrant, vnde oriantur, quibúſque

itineribus ad penem desinant, ex anatomicorum libris discenda res est. Non omiserim autem ad hunc locum, & ad ea quæ ab Aristotele dicuntur facientia, suauissima Lucretij carmina, quæ ita leguntur libro IV. de rerum natura.

Ex homine humanum semen ciet vna hominis vis.
Quod simulatque suis eiectum sedibus exit:
Per membra, atque artus decedit corpore toto
In loca conueniens neruorum certa, cietque
Continuò partes genitales corporis ipsas.

ἔστις οὖν ἡ ἡδονὴ ὁ ὁμοίας ἡ ἐν τῷ κνισμῷ. *Cùm igitur voluptas similis in libidine, atque in prurigine sit.* Voluptatem quæ in coitu percipitur, non aliter percipi, quàm quæ ex pruritu, patet ex Hippocratis verbis modò allatis; ac etiam ex illis quæ habet Aristoteles libro primo de generat. animalium cap. XVIII. vbi refellens argumenta eorum, qui semen ex toto decidere affirmabant, ratione vehementis voluptatis, quæ ad illius secessionem percipiebatur, scribit caussam summæ voluptatis non esse, quòd semen ex toto decedat: sed quia prurigo vehemens est. Ex hac igitur similitudine rationem propositam confirmat Aristoteles: quemadmodum enim in pruritu, scalpsáue parte aliqua, per consensum quem pars illa cum toto corpore habet, titillatio per vniuersum corpus fit, totúmque gestit, ita in concumbente, cùm per illam partem res fiat, cum qua vniuerso corpori per venas & arterias consensus est. Aliam etiam rationem affert, qua conueniant tum pruritus, tum concubitus, vt similem possint gignere voluptatem. Quod autem Theodorus vertit, *prurigo enim secessio humoris est*, Græcè propriè est, *prurigo autem*; quod ideo adnotaui, quia fortasse hæc non sunt apta ex superioribus. Similitudo autem quam dicebam ostenditur: nam prurigo dulcis est, quippe exitus humidi flatulenti præter naturam alicubi concluſi: dicitur autem exitus, quia sumitur hoc loco pro effectu, qui ad eam sequitur, nimirum pro materiei excretione, vt apparet ex verbis, atque ideo dicitur dulcis: alioquin enim inter dolorifica symptomata ad sensum tactus pertinentia reponitur à Galeno in libro de symptom. causſis, licèt decimo tertio de vsu partium aliter dicat: genitura itidem est exitus rei non dissimilis, ad id perducens quod est secundùm naturam: igitur vtráque in re humor concluſus est qui exit, vtrobíque cum flatu & spiritu, vtrúmque naturam onerans & grauans: meritò igitur in secretione totum corpus æquè in vtróque gestiat. Veneris tamen desiderium non propriè pruritus dicendus est, hic enim propriè pertinet ad superficiem corporis, & ad cutim, sicuti habemus à Galeno libro secundo de locis affectis: vnde & ab Hippocrate dictus est loco quem modò adduximus, *veluti pruritus*. Et ita ab Aristotele eum intelligi existimare debemus. Idem Galenus libro XIII. de vsu partium capite IX. non alio meliùs quàm eiusdem pruritus exemplo, hanc voluptatis exsuperantiam, licèt rei leuis & paruæ vt ipse dicit, præ magno, & mirabili naturæ opere, se demonstrare posse existimauit. Vinci tamen pruritum, ac titillationem quæ ab humoribus sub cute existentibus, suóque motu voluptatem afferentibus fit, ab hac quæ in venere est, eo loco addit, ob longè exactiorem sensum, quem his partibus quàm cuti natura ad illum vsum tribuit. ἥδιον δὲ ἐξ ἀνάγκης ἡδύ. *Suauis autem, tum ex necessitate.* Soluit alteram partem problematis, docétque in re proposita vtranque causſam adesse; tum quæ necessitas dicitur, seu id quod ex necessitate est; tum quare dicitur alicuius gratiâ, nempe finem: prior autem proposita est etiam paullò ante: nimirum concubitum ideo suauissimam rem esse, quia via est ad id quod est secundùm naturam; tale autem res dulcis est, modò à sensu percipi queat: hæc verò operatio non solùm à sensu percipitur; sed vero in parte exquisitissimo sensu prædita, ac titillantissima, vt Iracastorij verbo vtar, peragitur, sicuti etiam modò ex Galeno proposuimus. Porrò autem suaue esse ad statum naturalem redire, non probat hoc loco Aristoteles, sed tanquam verum, & indubitatum, sicuti est, ponit: Habetur id apud Platonem in Timæo, cuius verba referuntur à Galeno libro primo de symptom. causſis. Sunt autem hæc Latinè si vertas: *pathos seu affectio præter naturam violenter, & affatim incidens dolorem excitat: quod verò ad naturalem habitum redit, idq; rursus affatim, oblectationem inducit.* Omnino enim partes, quum onere aliquo grauantur, quod naturam infestet, si eo abiecto, ad priorem statum redeant, maxima voluptate perfunduntur, si sensu sint præditæ, illéque motus fiat ἀθρόως, quod tum dolori, tum voluptati pariendæ requiri, dicit & Plato & Galenus: Hoc autem ἀθρόως, Latinè vnica voce, *affatim*, vel, *confertim*, reddi potest. Linacer apud Galenum pluribus reddit, nimirum, *simul, multum*, & *celeriter*. Hæc autem conditio vel maximè ea in actione perspicitur: atque apud Aristotelem hoc loco subaudienda est: vnde iure

voluptas maxima ea ratione percipitur. Altera cauſſa eſt finis ipſe, nimirum generatio, cuius merito animalium ſpecies conſeruantur, & perpetuantur, qui amor cùm omnibus maximopere inditus ſit, efficit vt multò ardentiùs in venerem ruant cuncta animalia. Sanè autem has eaſdem duas cauſſas propoſuiſſe etiam videmus Galenum libro XIV. de vſu partium cap. IX. cùm eundem locum tractaret de cauſſa voluptatis, quæ in venereorum vſu percipitur; cuius verba aliquot, quoniam, vt puto, hæc illuſtrare poſſunt, non putaui omittenda: ita autem leguntur: *Cæterùm cur cùm vſu partium genitalium voluptas quidem maxima ſit coniuncta, cupiditas autem æſtro ſtimulans in omnibus florentibus animalibus vſum præcedat, deinceps nobis dicendum, non primam adhuc, neque principaliſſimam cauſſam veſtigantibus (diximus enim antea, naturam eiuſmodi omnia fuiſſe machinatam, quo genus in perpetuum maneret incorruptum) ſed materialem, atque inſtrumentariam. Non enim ob id tantùm, quòd dij qui animalia effinxerunt, voluerunt aut immenſam venereorum cupiditatem eſſe ingenitam, aut ingentem voluptatem eſſe coniunctam, protinus cupiditas ac voluptas animalibus acceſſerunt: ſed ex materia atque inſtrumentis ad ea ipſa appoſitè comparatis. Arteriæ enim:* & reliqua quæ apud Auctorem legi poſſunt.

XVII.

Διὰ τί ἡ λαγνεία πρὸς νοσήματα ἔνια τῶν ἀπὸ φλέγματος συμφέρει; ἢ ὅτι περίττωμά τινός ἐστιν ἔξοδος· ὥστε συνεκκρίνει πολλὴ περίττωσις; τὸ δὲ φλέγμα, περίττωμα.

Cur venus immodica morbis pituitæ nonnullis accommoda eſt? An quoniam excrementi quidam exitus eſt, ita vt multum vacantis materiæ cum ſemine detrahi poſſit: pituitam autem excrementum eſſe, nulli dubium eſt.

Iterat problema II. ſectionis primæ, in quo etſi verba nonnulla immutentur, ratio tamen & ſenſus idem eſt: ideo conferre concubitum, morbis à pituita, quia in eo excernitur multum excrementi, pituita autem excrementum eſt: vnde materiæ morbificæ multa pars emittitur: Hæc ratio autem magis explicatur ſectione prima loco quem adduximus. Illud igitur nobis ſolùm in præſentia faciendum eſt, vt problematis verba fideliùs quàm Theodorus fecerit conuertamus hunc in modum: *Quam ob rem concubitus morbis nonnullis qui ſunt à pituita confert? An quoniam excrementi cuiuſdam exitus eſt, vnde multum excrementum ſimul excernitur: pituita autem excrementum eſt.*

XVIII.

Διὰ τί τὰ ἀφροδίσια τὴν κοιλίαν ψύχει καὶ ξηραίνει; ἢ ψύχει μὲν ὅτι ἐκκρίνεται τὸ θερμὸν ἐν τῇ μίξει; ξηραίνει δὲ καὶ ἡ μίξις, ἐξατμίζει γὰρ τὸ θερμὸν ἐξιόντος· ἐξέρχεται δὲ ψυχρόν· ἔτι καὶ ἡ θερμότης ἐν τῇ ὁμιλίᾳ ξηραίνει.

Cur res venerea ventrem refrigerat, & ſiccat? An refrigerat quoniam calor in concumbendo excernitur: & ſiccare quidem coitus venereus poteſt, quippe cùm euaporari, dum calor exit, neceſſe ſit: exit autem cùm refrigeratur. Adde etiam, quòd feruor coëundi ſiccare nimirum poteſt.

Cur Veneris vſus ventrem refrigeret, vnam affert rationẽ Ariſtoteles: cur exſiccet duas. Eſt autem refrigerationis cauſſa, caloris à corpore diſceſſio: in concumbendo enim ſemen excernitur, in quo calorem multum, multúmque ſpiritum contineri, ſæpius antea dictum eſt; abeunte autem calore, frigus inducitur. Siccitatis autem cauſſæ duæ ſunt. Altera quoniam dum calor exit, exit etiam humidum: fit enim euaporatio à venere, in qua ſimul vtraque abſcedunt: eſt enim humidum fundamentum caloris, vt habemus libro V. de generat. animalium his verbis: ἐκθλιβομένου γὰρ τοῦ θερμοῦ συνατμίζει τὸ ὑγρὸν, hoc eſt, *expreſſo calido ſimul humidum expirat.* Inde verò corpus exſuccatur, & exſiccatur. Altera cauſſa ſiccitatis ipſe calor eſt. Hic autem in concubitu gignitur ob motum & agitationem, quæ in eo accidunt: à calore autem ſiccitatem induci & foueri iam receptum eſt. Apparet igitur ex veneris vſu tum abire calorem, vnde refrigeratio ſequitur, quod paullò ante dictum eſt, tum induci ob motum, quod modò dicitur. Nec verò impoſſibilis aut abſona res eſt: abit enim ſpiritus & calor natiuus, qui in ſemine: inducitur calor ex motu, qui externus calor eſt. Vt igitur

coëuntes refrigerantur calore innato, ita caleſcũt alij hoc calore: eóſq; excalfieri alibi etiam dictum eſt, præſertim ſectione prima problemate 11. Incaleſcunt igitur quemadmodũ tempore æſtatis res accidit, & in febrientibus. Porrò autem quoniam problema hoc, optimè etiam fuit declaratum à Ioannitio, eiúſque verba ad hunc locum retulit etiam Aponenſis, illa mihi non fuerunt omittenda, ac ita leguntur: *Coitus hoc præſtat corpori: deſiccat corpus, & minuit naturalem virtutem: ideóque infrigidat; multotiens verò ex multa concuſſione corpus calefit: propter quod coitus amplius ventre infrigidat, & exſiccat aliis partibus: aut quoniam circa ventrem maximè continetur adeps, vel ſagimen recens; tenerrima, quæ propter motum & fricationem factam in coitu nata eſt, eliquari & diſſolui de facili: & meritò: quoniam motus & frictio vehemens in coitu fit circa partes ventris: qua quidem diſſoluta venter redditur frigidus & ſiccus, cùm ipſa ſit calida & humida: Et alia eſt cauſſa, quoniam partes ventris ſunt circa loca primæ digeſtionis, & etiam ſecundæ, quæ maximè læduntur, & maximè loca primæ digeſtionis, vt ſtomachus in coitu, & per conſequens ſecundæ digeſtionis, quibus læſis corpus infrigidatur, & deſiccatur, & maximè venter, cùm plus accipiat à digeſtionibus illis nutrimenti.* Hæc Ioannitius.

XIX.

Διὰ τί ὅσοις αἱ βλεφαρίδες ῥέουσι, λάγνοι; ἢ διὰ τὸ αὐτό, ἡ γὰρ ἀμφοῖν ἡ αὐτή· ἔστι γὰρ μόρια ἀμφω ταῦτα τοῦ αὐτοῦ· ἔστι δὲ τὸ αἴτιον· ὁπόσαι πρεσβυτέραι γίνονται, μὴ αὐξανόμενῃ τὰ συγγενικὰ τείχη, ἅπασαι τῶν πάχεσιν ἐν ταῖς λαγνείαις· κεφαλὴ γὰρ καὶ ὀφρῦς καὶ βλεφαρίδες συγγενικὰ τείχη· τὰ δὲ μόνον ἐνίοις αἱ ὀφρύες δασύνουσι πρεσβυτέροις γινομένοις· διὰ δὲ ἃ αἰτίαν, εἴρηται ἐν ἄλλοις· αἱ δὲ ἕτεραι δύο, ἀμφὶ τὸ αὐτὸ ἄμφω λείπουσιν· αἴτιον δέ, ὅτι καταψύχει τὰ ἄνω ἡ λαγνεία ὀλιγαιμα ὄντα· ὥστε ἃ πέπεικε τὸ τροφὴν ὃ τρέφει, ἃ λαμβάνουσι τὸ τροφὴν, ἐπιρρέουσιν αἱ τρίχες.

Cur ſalaces hi ſunt, quibus pili palpebrarum defluũt? An ob id ipſum quo etiam calui: ſunt enim hæc ambo partes rei eiuſdem. Quicúmque autem ex pilis congenitis ætate iam prouecta non creſcunt, hi omnes decidunt libidinis vſu immoderato. Capillus enim & ſupercilium, & cilium, genere congeniti pili continentur, exq; his ſupercilia tantùm nonnullis ætate prouectis obdenſantur. Quod cur ita ſit, alibi rationem attulimus. Reliqua autem vtráque genera, eadem illa de cauſſa deficiunt, quòd partes ſuperiores ſanguinis parum obtinentes libido refrigerat. Ita enim efficitur, vt locus hic alimentum concoquere non poſſit, cùm autem pili alimento caruerint, defluant neceſſe eſt.

Signum proponit Ariſtoteles, quod in illis apparet, qui venere nimia vtuntur: Eſt autem hoc pilorum caſus in palpebris exiſtentium: cuius rei eandem cauſſam eſſe tradit, ob quam etiam fit, vt iidem nimia venere vtentes caluеſcant: ſunt enim loca illa, tum vbi caluities accidit, qui ſinciput eſt, tum palpebræ, partes eiuſdem rei, nempe capitis, vt iure hac ratione idem effectus contingere poſſit. Verùm antequàm cætera vlteriùs perſequar, quoniam Græci codicis quem excuſum habemus à Latino quem tranſtulit Theodorus, diuerſa lectio eſt, è re eſſe putaui, iuxta Græcum exemplar, à quo non diſſentit Antiquus interpres, Latinè eam partem proponere, quæ ita habet: *Sunt enim hæc ambo partes rei eiuſdem. Cauſſa autem eſt. Quicúnque ex congenitis pilis prouectiori facto non augentur, omnes in immoderata venere hoc patiuntur: caput enim & ſupercilium, & palpebræ congeniti pili ſunt: & ex his ſola ſupercilia nonnullis ſenioribus factis denſeſcunt.* Nos in his poſtremis, *palpebras*, diximus, quod Theodorus, *cilium*, Græcè enim Ariſtoteles eandem vocem habet quam ſuperiùs βλεφαρίς, quam Theodorus ibidem reddit, *pilos palpebrarum*: ſatiùs autem, vt puto, eandem vocem retinuiſſet, quando immutatio bonum aliquod parere haud poterat. Dicit igitur Ariſtoteles palpebrarum pilos defluere, quemadmodum pilos ſincipitis: ſunt enim ex pilis congenitis: hi autem omnes nimio veneris vſu defluere ſolent. Interim autem docet Ariſtoteles qui ſint hi congeniti pili: nempe capilli capitis, ſupercilia, & palpebræ: hos autem deſcribens etiam paullò ante dixit, non augeri ætate prouecta, hoc eſt non eſſe ex illis qui augentur orti eo tempore, ſed nobis pueris congenitos eſſe, locáque propria iam tum conueſtire, minimè verò procedentibus annis, vel non augeri, non ſanè in longitudinem, quod de pilis capitis manifeſtè falſum eſt; ſed non multiplicari, aut denſari; quomodo videtur Ariſtoteles inter-

pretari illam vocem, cùm ſupercilia excipiens, illa denſari tradit. De his autem congenitis pilis,& de poſt genitis, quando vberiorem doctrinam tradit idem Ariſtoteles III. de hiſtor.animal.cap.III.poſſuntque illa totum hunc locum mirificè illuſtrare, nobis prætereunda non ſunt: ita autem Latinè leguntur interprete eodem Thodoro: *Pili in homine animalium omnium vno, partim ſimul, partim poſtea per ætates gignuntur.* Quod autem hîc reddit Theodorus, *partim ſimul gignuntur*, idem eſt ac ſi diceret, *congeniti ſunt*, eâdem enim voce vtitur Ariſtoteles, nimirum συγγενεῖς. Sequitur Ariſtoteles: *congeniti ſunt pili capitis, & ſuperciliorum, & palpebrarum: poſt geniti, pubis primùm, mox alarum, poſtremò menti. Loca enim quibus pili proueniant, totidem ſunt congenitis deputata, quot poſt genitis. Deficiunt ac defluunt maximè, primiq; per ætatem pili capitis, non tamen omnes: ſed tantùm priores: parte nanque poſteriore caluus nemo efficitur. Ergo capitis læuitatem, caluitium nuncupamus: quam rem in ſuperciliis ſalitium appellemus, quoad melius vocabulum inuenerimus. Neutrum eorum priùs quàm cœptus coitus venereus ſit, accidere nouimus.* Propoſitam de congenitis, & poſtgenitis pilis doctrinam habet etiam Galenus, tum II. de temperamentis capite V. tum etiam XI. de vſu partium capite X I V. adhibita quoque ſimilitudine, ita enim ait, vt vertit interpres: *Cæterùm pili qui in capite, ſuperciliis, & ciliis habentur, etiam pueris nobis innaſcuntur, ſi quidem generatio iis eſt, non qualis herbis, ſed qualis ſtirpibus, prima ratione à natura conditis, non temperamentum ex neceſsitate ſequentibus, ſicuti in libris de vſu particularum eſt monſtratum.* Quomodo autem illi ſtirpibus, hi herbis aſſimilentur, eleganter oſtendit Galenus, loco quem & ille, & nos paullò ante adduximus vndecimo de vſu partium. διʼ ὃ ἣν αἰτίαν εἴρηται ἐν ἄλλοις. *Quod cur ita ſit alibi rationem attulimus.* Paullò ante, inter congenitos excepit ſupercilia, quæ augentur: rationem modò ait ſe adduxiſſe in aliis libris. Sunt autem duo loca. Primus eſt tertio de hiſtoria capite X I. cuius verba ita leguntur, vt Latinè ſonant: *Nonnullis & ſupercilia per ſenectutem adeò hirſuta redduntur, vt tondendum ſit, quod propterea euenit, quia cohæſioni appoſita ſunt oſſium, quæ ſeneſcente ætate laxantur, & inde plus humoris tranſmitti patiuntur.* Alter eſt ſecundo de partibus capite XV. atque ita Latinè legitur: *ſupercilia in compage oſſium poſita ſunt, quam ob rem compluribus ſeneſcentibus adeò creſcunt vt tondendum ſit.* αἱ ἑτεραί δε, διὰ τὸ αὐτὸ ἀμφω λείπεσιν. *Reliqua autem vtraq; genera, eadem illa de cauſa deficiunt.* Cauſſam vtrique generi, hoc eſt caluitio,& palpebrarum nuditati,(quam cum Theodoro ſalitium appellarem, ſi aliquam appellationis huius viderem rationem) communem pro ſolutione adducit; nimirum refrigerationem partium ſuperiorum, quam nimius coitus facilè efficit. Nam cùm partes illæ parum ſanguinis obtineant, ſunt enim oſſeæ & neruoſæ, promptè refrigerantur vſu veneris, ex qua etiam refrigeratione exſiccationem induci ob euaporationem, proximo problemate dictum eſt: Inducta autem refrigeratione tollitur alimenti coctio; hæc enim fit beneficio caloris: deſtituti igitur pili alimento, quod tale non eſt, niſi cùm eſt coctum, iure ex palpebris, ſeu ex ciliis, vtrouis modo appellemus, defluunt. Hanc de frigiditate rationem videtur confirmare idem Ariſtoteles V. de generatione animalium capite tertio, vbi cùm caluitij cauſſam eſſe diceret inopiam humoris calidi, qui præcipuè pinguis eſt, ita ſcribit, vt idem Theodorus reddit: *Nemo ante quàm coire incipiat, caluescit; ſed à venereo coitu potiùs id euenit, ſcilicet iis qui ſua natura ſint eo propenſiores. Cùm enim cerebrum frigidiſsimum omnium corporis partium ſit, tum rei venereæ vſus refrigerat: caloris nanque ſinceri, naturalíſque ſecretio eſt.* Sanè autem quod pertinet ad id quod in problemate eſt propoſitum, de ſalacibus depilationem illam patientibus, habemus etiam duo eiuſdem Ariſtotelis loca: quæ ambo ſunt ſcripta tertio de hiſtoria animalium quem modò adduximus, priórque ita legitur: *Pili palpebrarum nunquam plus iuſto excreſcunt, defluunt rebus venereis incœptis, eoq; magis, quo vſus venereus fuerit amplior.* Quibus paullò poſt alterum ſubdit his verbis: *Libidinoſis pili congeniti maturiùs defluunt: poſt geniti celeriùs ſeſe promunt.*

XX.

Διὰ τί ἐρεπίοντες ὀ δύανται ἀφεδρισάζειν; ἢ ὅτι πλήρεις γίνονται οἱ πόροι; τὸ δὴ πλῆρες ὑγροῦ ὀ δέχεται ἄλλο ὑγρὸν.

Quam ob cauſſam qui mingendi deſiderio tenentur, concumbere nequeunt? An quòd meatus implentur. Quod autem plenum humoris eſt, id nullum præterea humorem poteſt ſuſcipere.

Quam ob rem qui mingendi deſiderio tenẽtur, lotioque veſicam plenam habent con-

cumbere

cumbere non poſſint, rationem illam tradit Ariſtoteles, quoniam meatus earum partium ſunt repleti; quod autem repletum eſt nihil aliud præterea recipere poteſt: non enim penetrare ſe inuicem queunt corpora. Loca ſanè vrinæ ab iis diuerſa ſunt, in quibus ſit & per quæ ſemen tranſit, ſi meatum vltimum excipias, ex quo vtrúmque ex illis prodit: quo loco cùm vrina eſt, iam non mingendi deſiderio teneatur, ſed mingat aliquis, vt ferme ſtultum ſit, ea de re quæſtionem proponere, & inquirere cur eo tempore non poſſit quiſpiam concumbere; quamuis hoc modo problema acceperit Aponenſis, ineptam antiqui interpretis tralationem ſecutus. Igitur ſunt loca ſeminis & vrinæ diuerſa, ſunt tamen admodum propinqua, aliáque aliis ſuperpoſita. Nam vas deferens variciforme ſub veſica fertur, & glandulæ paraſtatæ ad penis radicem, & veſicæ finem collocantur, vt anatomici docent. Cùm igitur veſica repleta lotio eſt, premit, atque ita replet loca ſeminis, vt ſubſideant, & non poſſint ſuſcipere id quod ad venerem exercendam neceſſarium eſt: atque ideo concubitus facultas tollitur. Moleſtum tamen eſt in hac expoſitione, quòd meatus illos plenos eſſe humoris, apparet dicere Ariſtotelem, vt non ſola ob compreſſionem ſubſidentia intelligi poſſit. Quare dicimus, problema accipi de eo qui cùm mingendi deſiderio teneatur, penem arrectum habet. Fit enim aliquando, præſertim poſt longum ſomnum, vt veſica lotio plena, arrectóque pene quiſpiam expergiſcatur: tunc enim quamquam ſtet penis, difficilis admodum eſt concubitus, quia loca illa omnia plena ſunt vaporibus, & humidis flatibus, qui ab vrina efferuntur: vnde vrina emiſſa flacceſcit omnino & detumeſcit penis: licèt eo arrecto difficulter etiam emittatur vrina, quod non diſſimili de cauſſa euenire exiſtimandum eſt.

XXI.

Διὰ τί αἱ ἰξίαι τὰς ἔχοντας κωλύουσι γεννᾶν ἢ ἄνθρωπος, κὴ τῶν ἄλλων ζώων ὅτι ἂν ἔχῃ; ἢ ὅτι ἰξία γίνεται, μεταστάντος πνεύματος; διὸ καὶ ὠφελεῖ πρὸς τὰ μελαγχολικά· ἔστι γὰρ ὁ ἀφροδισιασμὸς μετὰ πνεύματος ἰσχνοῦ· εἰ δὲ μὴ ὁδοποιεῖται ἡ ὁρμὴ γινομένη αὐτῷ, ἃ ποιεῖ ὀρμᾶν, τὸ σπέρμα, ἀλλὰ καταψύχεται· μαραίνει οὖν τὴν συντονίαν τοῦ αἰδοίου.

Cur gignendi facultas iis tollitur, qui à varicibus tenentur, ſiue homo, ſiue aliquid ex cæterorum animantium numero eſt? An quòd varix flatu tranſlato fieri ſolet, quocirca in vitiis atræ bilis accommoda eſt. Fit autem concubitus quoque cum flatus excurſu. Quamobrem ſi impetus ille agitur, cùm varix exercet, ſemen non inſuper excitatur, ſed refrigeratur. Fit igitur inde vt penis tentigo, emarceſcat.

De varicibus proponi quæſtionem, non de coxendicum morbo, aut iſchiade, ſicuti tranſtulit Antiquus interpres; aut vocis ſimilitudine, aut falſa potiùs codicis ſcriptura deceptus, conſtat tum ex Theodori tralatione, tum etiam magis ex ratione à ſpiritu, ſeu flatu deſumpta, quæ in problematis diſſolutione affertur. Mirandum autem eſt Aponenſem, cui vtérque ſenſus innotuerat, ſicuti ex commentariis apparet; falſum & adulterinum vero & germano prætuliſſe; Et ſanè obiectio ab eo allata, non magis aduersùs vnam, quàm aduersùs alteram opinionem facit. Si enim vidit plurimos varices patientes fœcundè generantes, vt ipſe ait: & plurimi viſuntur iſchiadem patientes, numeroſa filiorum prole abundantes. Problema autem hoc, quemadmodum & pleráque alia, non ita præcisè rem definiunt, vt aliter ſe habere non poſſint; ſed probabiliter maximam partem in eis res diſquiritur. Proponit igitur, cur generandi facultatem iis tollant varices, qui ab illis detinentur. Sunt autem varices, quæ *ἰξίαι* dicuntur hoc loco; & *κίρσοι* etiam aliter appellantur, teſte Iulio Polluce, venæ dilatatæ in coxis & cruribus, quæ ex craſſo & melancholico ſanguine ortum ducunt, vt habemus à Galeno ſexto aphoriſmorum XXI. Fiunt etiam in aliis corporis partibus, & præſertim in inguine, ac teſtibus, vt cùm ex aliis auctoribus, tum ex eodem Galeno patet, præcipuè tertio de articulis textu IV. Hoc autem loco de iis ab Ariſtotele hæc proponi puto, quæ in cruribus fiunt. Nam tertio de hiſtoria cap. XIX. & primo de generat. capite itidem XIX. eandem vocem *ἰξίας* ita vſurpat, vt teſtibus nullo pacto poſſit accommodari: cùm mulieribus paucis fieri *ἰξίας*, aut varices tradat. Magis propriè igitur, vſitatiúſque adeò quæ in cruribus, & coxis, quàm quæ in teſtibus dilatas venas, *ἰξίας* vocabulum ſignificare poteſt: ſed & ratio quam mox ſubdit Ariſtoteles, ſi rectè apprehendatur, idem etiam oſtendit. Ratio autem cur generationem varices impediant, hæc ab

Aristotele affertur, quia passio hæc fit translato spiritu, aut flatu: nimirum in ea flatus copia ab vno loco ad alium mouetur. Sanè varix ex omnium medicorum sententia, & Galeni præsertim, cuius locum vnum superiùs adduximus, & alios adducere possumus, fit ex sanguine melancholico: at sanguis siue succus melancholicus flatuosa res est, vnde etiam ægritudines, quæ à flatu oriuntur, ad melancholiam referunt medici, teste eodem Aristotele sectione xxx. problemate primo. Et varix ad melancholicos morbos facit, vt hîc dicitur, & ab Hippocrate vi. aphorismorum xxi. pellente nimirum natura ad partes ignobiliores, eam quæ morbum efficiebat materiam, quæ tum humor melancholicus, tum multus cum eo flatus est. Cum varice igitur multus flatus coniunctus est, & cum multi flatus transmutatione fit: fit itidem concubitus cum multo flatu, qui intus conclusus est, vt habuimus superiùs problemate xvi. & sectione tertia variis in locis. Verùm in concubitu ad penem vergit flatus, cuius auxilio arrigunt, vt ostendetur vberiùs problemate xxiv. in varicoso autem, ad crura cum humore melancholico itidem flatus declinat. Si igitur existente varice rei venereæ impetus aliquis fiat, non potest flatus ad illud opus semen adiuuare, vimque illi sufficere, quippe aliò distractus, & ad crura translatus: semen itaque calidi flatus destitutum auxilio, refrigeratur, pudendique vis & robur emarcessit, nec res venerea rectè peragi, aut liberi gigni possunt. Ad verba Aristotelis adhuc, & ad Theodori tralationem nonnulla adnoto: sed antea, illa quæ Theodorus reddit: *Quam ob rem si impetus ille agitur, cùm varix exercet, semen non insuper excitatur, sed refrigeratur:* ad verbum ita conuerto: *Si igitur viâ sibi munit impetus venereus, facto ipso, non impetum tribuit semini, sed refrigeratur.* Considerabam igitur verba illa, γινομένῳ αὐτῷ, *facto ipso*, quæ Theodorus de varice accepit, nósque similiter; non ita commodè & facilè ad eam referri posse, quæ fœminini generis sit: quare referenda fortasse ad illa superiora, μαζανίῳ ἐ πνεύματι, *flatu translato*; quod etiam cùm non sine vi fieret; subibat, ad flatum qui proximè memoratus erat, cuius exitu fieri concubitum dixerat, illa referri: atque hunc esse sensum: Quoniam igitur hic venereus impetus viam sibi munit facto spiritu, seu flatu, hoc est eo existente, illiusque adeò beneficio: illo enim adiuuante venus exercetur; iam in varicoso, eo aliò translato, beneficium illud desideratur, ac semen caret impetu, atque refrigeratur. Vniuersæ tamen rationis momentuum idem est vtróque modo.

XXII.

Διὰ τί οἱ ἀφροδισιάζοντες ἐκλύονται, καὶ ἀσθενέστεροι γίνονται ὡς ἐπὶ πολύ; πότερον ἀφ' ὅλου τοῦ πάντων ἔκκρισιν εἶναι τὸ σπέρμα· ὥστε οἷον οἰκοδομήματος αἱ ἁρμονίαι. ἐὰν ἐ στόμαχος ἔτω σεσηρυῖα συνθέσις ὄντι τοῦ ἀπελθεῖν· οἷον εἰ τὸ αἷμα ἐξέλθοι, ἢ πᾶν ὅ, τι ἄλλο μέρος, ἔστω σφόδρα ὀλίγον καὶ ἐξιόν ὄντι· ἐκ ὀλίγης γίνεται τροφῆς ὀλίγον, οἷον τὸ ἄμυλον ἐκ ἐ σεσηρυῖα.

Quare qui concumbunt, resolui atque languere magna ex parte solent? An' quòd semen omni ex parte corporis secretio est. Itaque vt ædificij constructio, sic corporis compactio quatitur, dum semen decedit, quasi sanguinis multum, aut aliqua pars alia decedat: ita quod exit per opportunum, & quod exiguum ex multo alimento conficiatur, quemadmodum amylum ex farina.

Quod Aristoteles ait, concumbentes magna ex parte resolui atque langueſcere, duobus modis exponi potest: vel eundem hominem ex concubitu sæpius ita affici, aliquando non ita: vt aduerbium ὡς ἐπὶ πολὺ temporis sit, quomodo apud illustres scriptores non rarò sumitur; vel ex hominibus plurimos ita affici dum concumbunt, aliquos non itidem. Si enim multo existente in corpore semine ad expulsionem parato, concumbat aliquis; expeditius & agilius inde corpus redditur, sicuti habemus à Galeno, ne dum langueſcat, & debilitetur. At quoniam sæpius fit, vt dulcedinis desiderio illecti homines, absque naturæ necessitate vlla hymenæum celebrent, languor & debilitas vt plurimùm consequitur. Ex quo etiam Lucretius lib. v.

--- Et Venus imminuit vires.

Cæterùm debilitatis & languoris causſam eam proponit Aristoteles, quæ iuxta aliorum potiùs placita, quàm propria locum habeat. Ideo enim imbecillitatem sequi dicit, quia semen ab omni parte deciditur: quam opinionem, vt diximus ad problema xv i. refutauit

libro primo de generat. animalium: eodem tamen problemate XVI. ad illius ſolutionem afferendã vſus eſt: quippe vt ante meminimus in his problematis res eorúmque cauſſæ non admodum ſubtiliter, & exactè diſquiruntur: ſed probabiliter tantummodo proponuntur. Igitur quia ſemen ex toto corpore decidit, corpus totum concutitur, atque ideo totum langueſcit. Sicuti enim problemate XVI. magna erat coitus ſuauitas, quia ex toto decidebatur ſemen, ita hoc loco imbecillitas magna, totóque corpore, quia ex toto ſemen eſt: hoc autem ſenſu, aptiùs fortaſſe in propoſitione problematis, aduerbium ὡς ὅπιπολύ, quod Theodorus conuertit, *magna ex parte*, ſicuti nos etiam accepimus, reddatur, *admodum*, ſeu *vehementer*: hanc enim ſignificationem ei ineſſe appoſitis exemplis Budæus teſtatur: erit enim ratio omnino reſpondens ei quæ problemate XVI. allata eſt; ideo magnam eſſe imbecillitatem, quia ex toto corpore ſemen eſt, ſicuti magna dulcedo, quia ex toto ſimiliter eſt. Rationem deinde ſimilitudine ſequitur Ariſtoteles ad cõfirmandum. Quemadmodum enim in fabricæ alicuius conſtructione, omnia ita collocantur, vt ſingula ſingulis reſpondeant, fundamentum parieti, paries tecto, & reliqua reliquis, quæ harmonia dicitur; ita in corpore res contingit. Eadem autem proportio attenditur in eiuſdem conſtructionis labefactatione; quemadmodũ enim ſecedente aliqua re magnopere opportuna, ſeu neceſſaria: ita enim interpretari licet hoc loco ὅπικαιερν, quamuis Theodorus reddiderit, *valde opportunum*, tota fabrica vehementer patitur, & labefactatur; ſic ſecedente ſemine totus homo exſoluitur. Porrò autẽ ablatione vnius, totum peruerti, pati, ac labefactari; eoque modo partes neceſſarias à non neceſſariis dignoſci, ſcriptum etiam reliquit idem Ariſtoteles in libro de Arte poëtica, vbi de fabulæ partibus agens, docebat internoſcere neceſſarias, ab illis quæ tales non ſunt: Hunc autem ſenſum, qui, niſi fallor, verus eſt, non omnino videtur expreſſiſſe Theodorus. Verùm, quoniam alia etiam ſunt, quæ aptiùs vt exiſtimo, & fideliùs verti poſſunt, iuxta quæ nos à Theodori tralatione diſcedentes, Ariſtotelis ſenſa exponimus, neceſſarium omnino arbitramur, vt expoſitionis noſtræ ratio conſtet, problema à nobis pingui minerua, ſed cum fide conuerſum proponere hunc in modum: *An quoniam ſemen excretio eſt ex omnibus partibus: quare quemadmodum & conſtructionis fabricæ proportiones extant, & corporis hominis, eodem modo concuſsio eſt in eorum compoſitione, quum ab iis aliquid recedit, vt ſi ſanguis abeat, aut omnino quæcunq; alia pars ita neceſſaria, ſi ipſa tollatur: & quod tale eſt, vt ex multo ipſum ortum ſit exiguum.* διον εἰ γὰρ αἷμα ἐξέλθοι ἢ πᾶν ὅ, τι ἄλλο ὁ μέρος. *Vt ſi ſanguis abeat, aut omnino quæcunq; alia pars.* Sequitur ad probandum ſimilitudinem propoſitam, rei alius peropportunæ, aut neceſſariæ exemplo, cuiuſmodi ſanguis eſt, aut alia pars huius conditionis, quæcúnque ſit: quemadmodum enim decedente ſanguine, aut alia re, ſeu parte huiuſmodi, totum vehementer patitur, ac labefactatur; ita etiam decedẽte ſemine. Rei autem illius peropportunæ conditionem quandam tradit, ſeu nota quadam eã inſignit, vt talis eſſe dignoſcatur, nimirum quæ talis eſt, vt ex multo quopiam exigua relicta ſit, cuiuſmodi ſemẽ eſt, vt habuimus etiam ſuperiùs problemate XIII. hîc autem exemplo etiam declarat, ita ſcribens: *quemadmodum amylum ex farina*, vt quidem vertit Theodorus, quem tamen legiſſe vt excuſi codices habent, οἷον τὸ ἄμυλον ἐκ φέατος, non auſim dicere. Sanè qui lexica conſarcinárunt, admonent φέαρ ſumi pro farina ſubacta ad panificium, ſeu pro paſta quam appellant, quod confirmant tum auctoritate illuſtrium ſcriptorum, tum etiam ex hoc eodem loco, addúntque φέαρ ſumi pro σαῖς, quæ vox farinam itidem ſubactam ſignificat: quæ ſi vera ſunt, non eſt vt pro φέατος legamus σαιτός, quomodo reſtituit Mercurialis variarum lectionum libro primo capite IX. quando eadem ſignificatio vtriq; voci inſit, nec Mercurialis eam rem adnotans quicquam noui ad eum locum attulit; nec cauſſa vlla erat, vt σαιτός, ex eodem Mercuriali, vt puto reciperet Caſaubonus: ſed enim nec φέατος, nec σαιτός ſatisfaciunt. Si enim σαῖς farina eſt aqua ſubacta, nimirum paſta, φέαρ itidem aut paſta, aut fermentum, non video quomodo ex multa, exiguum relinquatur amylum, quod ſcribit Ariſtoteles. In tritico id contingere, quum ex eo paratur, & conficitur amylum, id fortaſſe dicatur, furfures enim, aliáque excrementa abiiciuntur: at paſta ad conficiendum aut amylum, aut panem parata, iam quo pondere, aut alia menſura eſt, plus minus, amylum aut panis eadem eſt. Non poſſum igitur hanc ſententiam approbare, exiſtimóque potiùs locum eſſe corruptum. Illud Mercurialis ingenioſius eſt, quòd eodem loco ſcribit pro ἄμυλον legẽdum ὁ μυελός, hoc eſt, veluti medulla ex ſeuo, φέατος enim vox, frequentiùs etiam quàm farinæ ſubactæ aut paſtæ, ſeui ſignificationẽ obtinet: nimirum ex multo nutrimento exiguum relinqui ſemen, ſicuti ex multo ſeuo exigua medulla ſuccreſcit. At quando ſententia conſtat, de ſimilitudine non præterea laborabo. πᾶν ὅ, τι ἄλλο; Iuſtinianus, πᾶν εἴ τι, quod nolui omiſiſſe, indicat enim vt exiſtimo ſanguinis præſtantiam, & neceſſitatem, qua alia quæ in corpore ſunt excedit.

XXIII.

Διὰ τί οἱ ἀφροδισιάζοντες καὶ ἐρπτῶντες ἐντείνουσιν; ἢ ὅτι πληρεμβύων τὸ πόρων ὑγρότητι, τὸ σπέρμα ὑπεξιὸν ἐν ἐλάττονι τόπῳ, πλείονα τε ὄγκον ποιεῖ καὶ αἴρει; ἐπίκειται γὰρ τὸ αἰδοῖον ἐπὶ τοῖς πόροις.

Cur iis qui concumbunt, si desiderio mingendi tenentur, penis intendi vehementiùs potest? An quòd foramina plena redduntur humoris, semen per angusta se promens, molem efficit ampliorem, atque extollit: penis etenim ad ipsos meatus est positus.

Superiùs problemate vigesimo, eos dixit qui mingendi desiderio tenentur concumbere non posse, cuius rei rationem quoque attulit. Quomodo igitur eos hoc loco concumbere proponit? quippe iis qui concumbunt, si desiderio quoque mingendi teneantur, penem intendi vehementiùs ait. Respondeo: quòd mingendi desiderio captos non posse concumbere dixit, accipiendum quomodo hæc, & similia vulgò iactantur, quæ tunc fieri non posse dicuntur, quum vix & cum difficultate fiunt. Vesica igitur lotio plena difficulter concumbitur ob rationem propositam: at vbi fieri contingat, magis sanè quàm aliis, solet eo tempore penis intendi: cuius rei rationem illam tradit, quia meatibus vrinariis humiditate repletis, coarctantur vasa, & loca per quæ semen transire solet: sunt enim hæc adiacentia seminariis meatibus, sicuti etiam diximus problemate xx. semen igitur erupturum vi subiens loca angusta, & violentiùs obstantia propellens, multo spiritu quo repletum est, molem facit exteriùs ampliorem, & penem magis attollit. Quòd si per meatus ab Aristotele nominatos, intelligamus seminarios; vt problemati vigesimo hæc sint consona, dicamus illis repletis humiditate, hoc est, humidis vaporibus, qui ab vrina attolluntur, semen vi subiens loca repleta, idem operari quod modò propositum est. De penis autem arrectione, & amplificatione vberiùs problemate quod proximè sequitur.

XXIV.

Διὰ τί ἡ σύντασις γίνεται τῷ αἰδοίῳ, καὶ ἡ αὔξησις; ἢ διὰ δύο; διά τε τὸ βάρος ἐπιγίνεσθαι ἐν τῷ ὄπισθεν τῶν ὄρχεων, αἴρεσθαι; ὑπομόχλιον γὰρ οἱ ὄρχεις γίνονται διὰ τὸ πνεύματος πληροῦσθαι τὰς πόρους· ἢ τῷ ὑγρῷ αὐξανομένῳ, καὶ μεθισταμένῳ, ἢ ἐξ ὑγροῦ γινομένῳ, ὁ ὄγκος μείζων γίνεται; τὰ λίαν δὲ μεγάλα ἧττον αἴρεται, διὰ τὸ πορρώτερω τοῦ βάρους τοῦ ὑπομοχλίου γίνεσθαι.

Quam ob caussam tentigo, & amplificatio penis illa existere possit? An duplex caussa est, vna, quòd pondus vrgens post testes facit, vt penis erigatur, testes enim vicem fulcimenti vectorij capiunt. Altera, quòd foramina spiritu admisso implentur, ita vt genitale membrum intumescat, atque se erigat. An humor auctus, translatúsque facit vt moles amplior redundet: penis tamen, qui mensura insigni adoleuerit, minùs se patitur efferri: fit enim vt ita pondus à fulcimento vectis remotius maneat.

Primùm omnium, alia mihi problematis tralatio proponenda: nam Theodorus nec ita legisse videtur, vt habent excusi codices, & quæ eodem modo legit, tum obscurè, tum minùs rectè, vt existimo reddit; ita igitur conuerto: *Quamobrem penis fit arrectio, & amplificatio? an ob duo; & ob pondus quod fit, dum in parte posteriori testes attolluntur; fulcimentum enim vectis testes fiunt, quia spiritu replentur meatus: An potiùs humore aucto, & translato, seu ex humore facto tumor maior fit. Qui autem valde magni sunt, minùs attolluntur, quia pondus à fulcimento vectis longiùs abest.* Theodorus itáque qui vertit, *facit vt penis erigatur*, videtur legisse, καὶ ποιεῖν αἴρεσθαι. & καὶ διὰ τὸ πνεύματος qui vertit: *Altera quòd foramina*, & cætera. Verùm si hæc quæ à spiritu desumuntur, alteram caussam continent; cùm altera etiam fuerit ante proposita, ac tertia adhuc ab humore petita paullò post proponatur, iam tres, non duæ erunt caussæ. At hæc quæ leuiora, omittantur. Illud difficilius & molestius: si pondus testium penem erigit, cur non semper arrectus penis, cùm semper subsideant, subiiciantúrne testes? Tum, quod illud est Theodori, *pondus vrgens*, aut, *vergens* (vtróque enim modo legitur) *post testes?* At omitto Theodorum. Arrectionis penis duas esse dicit caussas Aristoteles: Altera est ab instrumento, qui testes sunt, altera ab efficiente, qui est spiritus, aut

flatus

flatus,ſeu humor quidã ſpiritu,aut flatu repletus;nõ tamẽ altera abſq; altera operi ſufficiat: ſed ambo iunctim nunquam non concurrunt. Teſtiũ põdus,dum in poſteriori parte attolluntur,quod euenit cùm ſpiritu eorũ meatus replentur,tunc enim contrahuntur,duríq;, & breues euadũt,penem erigunt:ſunt enim illius veluti fulcimentũ, cuius & vectis ope à mouenti virtute res faciliùs attolluntur,vt cõſtat ex mechanicis:nõ enim propriè,vt puto, poſſimus hoc loco accipere,pondus,fulcimentũ,& vectem,ſicuti in machinis;ſed ſimilitudine rem oſtendere. Vnde & pondus dicuntur hocloco teſtes,qui etiam fulcimẽtum:cùm pondus & fulcimentum diuerſa ſint. Si autem ſpiritu teſtes deſtituantur,iam non ſint fulcimentum, nec penis erigatur: quæ fuit dubitatio ſuperiùs aduersùs Theodorum propoſita, cuius ratione retinendam duxi antiquam lectionem, tum Baſilienſis, tum Aldini codicis, in quibus locus legitur abſque coniunctionis particula ἢ. nec quæ de ſpiritu dicuntur, referuntur ad alteram rationem, ſicuti facit Theodorus, ſed priori iunguntur. Atqui enimuero ſi eandem coniunctiuam particulam ἢ recipiamus locúſque ita reddatur: *fulcimentum enim teſtes fiunt, & quia ſpiritu replentur*, &c. non tamen ab ea alteram rationem exordiri dicendum eſt: ſed priorem perfici, cùm ex omnibus adhuc propoſitis vna ſolùm confletur ratio: hæc autem, vt puto, duo illa ſunt, quibus vnica ratione compræhenſis Ariſtoteles dicebat fieri arrectionem: nempe teſtium beneficium, & ſpiritus: cui priori rationi addit alteram, ea minimè antea enunciata, ſicuti ſæpe conſueuit. Eoſdem teſtes idem Ariſtoteles libro v. de generat. animalium cap. vii. pondus eſſe voluit appenſum, vt res contentior reddatur, non ſecus ac in textrinis lapides, aut aliquid huiuſmodi graue. Ibi enim cùm exciſis teſtibus,laxationem in viribus neruoſis fieri dixiſſet,hæc verba ſubdit, eodem Theodoro interprete: *laxatio verò ſimilis fit, vt ſi quis fides intendens adhibuerit pondus, quòd annexum reddat contentiores, quomodo textrices faciunt, quæ cùm ſtamina diſtenderint, annectunt quas leuas vocant. Ita enim natura quoque teſtium annexa meatibus ſeminalibus dependet.* Adhuc autem liquidiùs, primo eorundem de generatione librorum cap. iv. per hæc verba, vt idem Theodorus vertit: *Teſtes autem ad hanc rem emolita natura eſt. Motum enim excrementi genitalis, ſtabiliorem faciunt in viuiparis, vt equis, cæteríſque eiuſmodi, atq; etiam hominibus, cùm replicationem ſeruent: ſed quemadmodumſe habeant, petendum ex animalium hiſtorijs eſt. Nullam enim partem meatuum teſtes complent, ſed adiecti pendent eo modo, quo pondera textrices telis annectunt: his enim detractis, meatus intro ſe referunt. Quo fit ne exacta poſsint generare: nam niſi ita retraherentur, poſſent generare.* Nec verò diſpar ratio eſt. Sed enim hæc opinio exagitatur à medicis, qui ad generationem, teſtium vim multo ſublimiorem faciunt: ſed hac de re haud opportunum eſt in præſentia loqui: de flatu autem colem erigente, licet ea videre quæ habet idem Ariſtoteles problemate primo ſectionis trigeſimæ. ἢ τῷ ὑγρῷ ἀυξανομένῳ, ἢ μεθισταμένῳ. *An potiùs humore aucto, & tranſlato, ſeu ex humore facto tumor maior fit.* Alteram proponit rationem. Illa autem ἢ ἐξ ὑγροῦ γινομένῳ, *ſeu ex humore facto*, non agnoſcit Theodorus; & verò illis demptis nullum ſequitur incommodum. Fit arrectio penis, quoties ſeminalis humor, cui ſpiritus multus coniunctus eſt, augetur, & copioſus extat, atque ad loca illa transfertur,quæ inde intumeſcunt: illa enim ſpiritu replens, in molem eam extendit quam videmus. Porrò de cauſſis erectionis & amplificationis penis, ſicuti de ſubſtantia ex qua eſt compoſitum, admodum huic vſui idonea & accommodata, legere licet Galenum libro xv. de vſu partium capite primo & ſecundo;atque etiam Auicennam libro tertio fen xx. tractatu primo capite ſecundo, & ad hunc locum quæ eruditè ſcribit Ioannes Coſtæus, vtrum vis & appetitus quo intumeſcit coles, ad naturalem, an animalem, an vitalem ſit referenda? τὰ λίαν ἢ μεγάλα ἧττον αἴρει. *qui autem valde magni ſunt, minùs attolluntur.* Corollarium ab eadem ſimilitudine depromptum: quo aliud ſoluitur problema: cur penis qui inſigni menſura eſt minùs attollatur; Id enim fieri inquit Ariſtoteles, quia pondus à fulcimento longiùs diſtat: quo autem à fulcimento longiùs diſtat pondus,mouenti autem potentiæ fulcimentum proximius eſt,eò maior ad attollẽdum requiritur virtus, minor autem vbi fulcimento proximius eſt, fulcimentum autem à potentia magis diſtat: vbi autem maior ad attollendum requiritur virtus & potentia, elatio difficilior eſt, atque ideo minùs attolli contingit, quod grandi mentulæ accidit. Sanè autem quæ de pondere, fulcimento, & potentia adducta eſt propoſitio, habetur apud Ariſtotelem in libro Mechanicarum quæſtionum quæſtione tertia, probatúrque tum ab eo, tum dilucidiùs à recentioribus ad eum locum.

XXV.

Διὰ τί οἱ ἀφροδισιάζοντες ἢ οἱ τιθῶν δυσώδεις οἱ ὄρχεις ἔχουσιν, ἢ τῷ κνιζομένῳ τέφρα ὄζουσιν;

ἢ τῶν πνευμάτων (ὥσπερ εἴρηται) τὰ μὲν τῶν παιδίων, πέπτει τὸ ὑγρὸν, καὶ τὰς ἰδρῶτας· οἱ δὲ τῶν ἀνδρῶν, ἄπεπτοι.

Qua de cauſſa qui rem agunt veneream, aut qui ea ætate ſunt, quæ ſufficiat veneri, malè olent, virúſque hirci reddunt: pueri autem non ita olent: An ſpiritus puerorum vt dictum iam eſt, humorem, ſudorémque concoquere poteſt, virorum autem nequit.

Iteratur quę problemate XIII. fuêre propoſita, & copioſiùs explicata. Nobis autem vt eadem quæ ad locum illum attulimus iterentur, cauſſa nulla eſſe videtur. In textu pro ἢ οἱ τοιῦτοι, repoſuimus, ἢ οἱ τοιοῦτοι, ex Iuſtiniano, quomodo etiam legiſſe apparet Theodorum, & antiquum interpretem.

XXVI.

Διὰ τί ἐν τῷ θέρει οἱ μὲν ἄνδρες, ἧττον δύνανται ἀφροδισιάζειν· αἱ δὲ γυναῖκες, μᾶλλον; καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς Ἡσίοδος λέγει ὅτι τῷ κολύμῳ. μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρόταται δὲ τε ἄνδρες πότερον ὅτι οἱ ὄρχεις καθίενται μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ χειμῶνι; ἀνάγκη δὲ, εἰ μέλλει ἀφροδισιάζειν, ἀναπαῦσαι ἢ ὅτι αἱ θερμαὶ φύσεις ἐν τῷ θέρει συμπίπτουσιν, ὑπερβάλλουσι δὲ τῇ θερμῇ αἱ δὲ ψυχραὶ θάλπουσιν; ἔστι δὲ ὁ μὲν ἀνὴρ ξηρὸς καὶ θερμὸς, ἡ δὲ γυνὴ ψυχρὰ καὶ ὑγρὰ τῇ μὲν οὖν ἀνδρὸς ἡμιόλιον ἡ δύναμις, τῇ δὲ, θάλλει ἐπανισοῦται τῷ ἐναντίῳ.

Cur per æſtatem viri minùs, mulieres magis concumbere valeant? quod Heſiodus quoque Poeta inquit:

Fœmineo venus eſt vſu magis effera ſexu:
Mitior illa viris, & ſæpe accita relanguet.

Vtrum quòd teſtes eo tempore magis demittuntur & flaccent, quàm per hyemem, cùm qui concubiturus eſt, retrahat, ac ſuſcipiat illos, neceſſe ſit. An quoniam naturæ calidæ præ nimio calore æſtiui temporis æſtuant, collabuntúrque: frigidæ verò refouentur, & vigent. Eſt autem vir calidus & ſiccus, mulier frigida, humidáque: ergo virorum tunc vires infirmantur, mulierum corroborantur, & vigent per compenſationem qualitatis contrariæ.

Quod hoc problemate ait Ariſtoteles, per æſtatem viros minùs, mulieres magis poſſe concumbere, problemate ſequenti XXIX. dicit minùs appetere, quemadmodum etiam ſcripſit V. de hiſtoria capite VIII. his verbis: ὀργᾷ δὲ πρὸς τὴν ὁμιλίαν τὸ ἀνθρώπων τὸ μὲν ἄρρεν ἐν τῷ χειμῶνι μᾶλλον· τὸ δὲ θῆλυ ἐν τῷ θέρει. hoc eſt, vt idem Theodorus vertit: *Stimulatur ad venerem mas hominum magis tempore hyberno, fœmina æſtiuo*: Quod ſimiliter habemus apud Auicennam libro III. fen XX. tract. primo cap. XXV. ita ſcribentem: *Et virorum quidem deſiderium fortè fit in regionibus & aëribus, & temporibus frigidis, propterea quòd aggregatur illud ex virtutibus eorum: & diſpoſitio mulierum eſt è contrario, propterea quod ſpargit illud de virtutibus earum congelatis.* Verùm quando facultatem ſequatur appetitus, ſi modò naturæ lege excitetur, vixque alterum abſque altero reperiamus, non diſſimilis exiſtimari poteſt vtriúſque problematis propoſitio. Plinius libro X. cap. LXIII. cùm de appetitu eandem protuliſſet ſententiam, eam & ipſe Heſiodi auctoritate confirmauit. Sunt autem hæc Plinij verba: *Viros auidiores veneris hyeme, fœminas æſtate Heſiodus prodidit.* Heſiodi tamen verba propriè fœminarum appetitum, virorum autem imbecillitatem ſignificant. Ariſtoteles igitur hoc loco probat quod propoſuit auctoritate Heſiodi; cuius carmen affert ex libro ſecundo eorum qui inſcribuntur, ἔργα καὶ ἡμέραι hoc eſt, *Opera & dies.* Cùm enim de æſtatis tempore verba faceret Poëta ille, inter alia quæ per eos dies accidere dixit, hoc vnum fuit; mulieres eſſe ſalaciſſimas, viros autem imbecillimos: ita enim, nec plus ſonant quæ ab Ariſtotele Heſiodi afferuntur verba: alia autem quæ in Theodori tralatione leguntur, à Theodoro ad explenda carmina addita ſunt: quod tamen nec erat neceſſe; & vt rectè, atque ad rem appoſitè ſit factum dubito. Nam quod ait; *Mitior illa viris:* debilitatem eam non puto exprimere, quam Heſiodus ſuperlatiuo, vt aiunt, ἀφαυρότατον. Et quod ſubſequitur, *& ſæpe accita*, quod omnino de ſuo addit Theodorus, niſi cautè accipiatur de

incita

incitamento extrinsecus, iam appetitum viro inesse significet, quod negat Aristoteles problemate XIX. Melius omnino vt puto IOANNES BAPTISTA PINELLVS meus, & eleganter vt alia, vnico versu:

Fœmina & vsque salax furit, at vir languidus vsque est.

Porrò quod ante Hesiodi carmen in Græco textu legitur, ἐπὶ τῷ κολύμῳ, apud Antiquum interpretem est, *in coluro*, quæ vox quomodo explicetur ab Aponensi, licet ex illius commentariis videre: qui etiam addit, nonnullos legisse, *in columno*. Iustinianus nota compungit tres illas voculas ἐπὶ τῷ κολύμῳ, tamquam abessent ab exemplari, vnde lectionum varietatem describebat: nec Theodorus illas agnoscit. Ioannes Hartungus locorum memorabilium prima decuria capite secundo, putat legendum, ἐν κολύβῳ, hoc est, in *Rustico*, seu *Agricultura*, sicuti interpretatur, vt nomen sit libri, vnde carmen desumptum est: quam opinionem minimè probo. Liber enim ille, non solùm κόλυβος inscriptus nunquam est, aut eo nomine citatus quod sciam, nimirum *Rusticus*, aut *Agricultura*, ita enim vocem interpretatur Hartungus, sed ἔργα & ἡμέραι, hoc est, *opera, & dies*, scilicet quibus temporibus quæ opera sint exercenda, in rure sanè, non tamen titulo indice: sed nec titulo, qui ruris, aut agri colendi studium vllo modo denotet. Quid igitur Aristoteli venit in mentem, nõ solùm inscriptionem mutare: sed etiam tam diuersam proponere? Iam verò quod caput est, ipsa vox κόλυβος, nec ruris, nec agri, nec operationum quæ in agro fiunt, significationem vllam obtinet. Hesychius enim exponit κόλυβος, ἔπαυλις: at ἔπαυλις μάνδρα βοῶν, ἢ οἴκημα, ἢ αὐλή, ἢ στρατοπεδία, & ἡ ποιμενικὴ αὐλή, hoc est *stabulum, domicilium, caula boum, exercitus*, & *ouium cubile*; quorum nullum aut ruris, aut agri colendi studium denotat: sed vilem potiùs quandam animalium simul congregatorum, aut pauperum hominum habitationem, nobis Italis *capanne, estalle*; Qua ratione, villam nonnulli exposuerunt: villam intelligentes, casam, tugurium, aut gurgustium: nec dissimiliter pro tabernaculis vsus est ea Thucydides. Et verò etymon significationem ostendit; est enim κόλυβος vt καλυβός, à καλύβω, seu quod vsitatiùs est à καλύπτω, seu καλύσσω, quod *operio*, & *obduco* significat. Non igitur eo nomine aliud, quàm *cauerna*, *vmbraculum*, & *operimentum* denique, ad aëris arcendas iniurias significetur, cui cum agriculturæ operibus, de quibus Hesiodi liber, nihil rei est. Illa igitur vel expungantur, vel locus pro corrupto habeatur. Quemadmodum autem hæc expungenda dicimus, ita Hesiodi nomen ex Iustiniano addimus, quod habet etiam Theodorus: eo enim haud appositò, Poëtæ nomine simpliciter, Homerus per autonomasiam intelligatur. Cæterùm problematis solutiones duas affert Aristoteles. Prior, quia per æstatem testes magis demittuntur, & penduli sunt: qui verò concubiturus est, eos necesse est retrahat; ita enim duri sunt, rotundi, & breuiores, vtque penis fulcimentum, sicuti dictum est problemate XXIV. aliter autem penis non erigatur, nec fieri possit concubitus. ἢ ὅτι αἱ θερμαὶ φύσεις ἐν τῷ ἥρει συμπίπτουσι. *An quoniam naturæ calidæ, præ nimio calore æstiui temporis æstuant collabuntúrque.* Altera ratio quæ similiter affertur probl. XXIX. Viri sunt calidi & sicci, æstas itidē calida & sicca: additur igitur ignis igni, fitq; magnus caliditatis excessus: qualitatum autē singularū excessus, immoderataq; omnis intemperies vires dissoluit, etiam ex Galeni sentētia, ignisq; maior minorē extinguit, sicuti etiam dictum ab Aristotele superiùs est. Cōtra mulieres viris sunt frigidiores, & humidiores: quod similiter scribit idem Aristoteles probl. XXIX. & probat aduersùs antiquos Philosophos libr. I. de gen. animalium cap. primo, eorum refutatis argumentis, quæ etiam Galeni aperta est sententia tot locis, quot enumerare superuacaneum existimo. Auctor tamen librorum de morbis mulierum libro primo, antiquos illos Philosophos secutus, aut etiam fortasse ex illis vnus, contrarium sentire videtur. Plutarchus de eādem re disputat lib. III. sympos. quæstione quarta, variáque pro fœminarum caliditate maiori adducit argumenta, quæ tamen ab aduersario facilè aduersùs eundem retorquentur, sicuti licet apud illum Auctorem videre; nobis enim huc afferenda illa non sunt. Rata igitur apud medicos sententia, mulier frigida & humida cùm existat, æstatis calore fota, non autem nimiùm incensa, reducitur ab ea contraria qualitate ad mediocritatem quandam temperamenti, in qua actionum robur consistit; vnde fit vt veneris munia promptiùs ac meliùs viro possit eo tempore exercere. Et verò ad idem tendit Auicennæ ratio, quæ vult fœminæ virtutem aut facultatem à frigiditate, seu frigido humore congelatam vt ipse dicit, ab æstatis calore veluti liquefactam, dissolui & disgregari; enodatáque virtute, quæ erat implicata, ipsas fieri validiores. ἐπανισορρόπη τῷ ἐναντίῳ. *Per compensationem qualitatis contrariæ.* Græca multò meliùs sensum exprimunt; rationem aliquo modo significantes: quæ fortasse meliùs indicetur si ita conuertamus: *A contrario reductæ ad æqualitatem*. nimirum ad mediocritatem temperamenti, quam diximus.

XXVII.

Διὰ τί ἔνιοι ἀφροδισιαζόμενοι χαίρουσι καὶ οἱ μὲν, ἅμα δρῶντες οἱ δὲ δ; ἢ ὅτι ἔστιν ἑκάστῳ ὡρισμένον ὅπ Θ, εἰς ὃν πέφυκεν ἀποκενοῦσθαι κατὰ φύσιν καὶ πόνε γινομένε, τὸ πνεῦμα ὀξὺ ὂν ἀνοιδῶν ποιεῖ, καὶ συνεκκενοῖ αὐτῷ, οἷον τὸ μὲν ὄχεσιν, εἰς κύστιν· ἡ δ' ὀξυπαθοῦσα τροφὴ, εἰς κοιλίαν· τὸ δὲ δάκρυον, εἰς ὄμματα· μύξαν δ' εἰς μυκτῆρας· αἷμα δὲ εἰς φλέβας· ὁμοίως δὴ τούτοις καὶ ἡ γόνη εἰς ὄρχεις, καὶ αἰδοῖα οἷς δὲ οἱ πόροι μὴ κατὰ φύσιν ἔχουσιν, ἀλλ' ἢ διὰ ἀποτυφλωθῆναι τὰς εἰς τὸ αἰδοῖον (οἷον συμβαίνει τοῖς δύνεχροις καὶ δύνεχίαις) ἢ καὶ ἄλλως εἰς τὸν ὄσφυν συρρεῖ ἡ τοιαύτη ἰκμάς· καὶ γὰρ διεξέρχεται ταύτῃ· σημεῖον δ' ἐν τῇ συνουσίᾳ, ἡ συναγωγὴ ἧκιστα γίνεται· καὶ ἡ σωτηξις τῶν περὶ τὸν ὄσφυν. ἐὰν δὲ ὑποβάλλῃ τις τῇ λαγνείᾳ, τούτοις ἐνταῦθα συνέρχεται· ὥστε ὅταν ἡ ἐπιθυμία γένηται, τότ' ἐπιθυμεῖ τὸ τρίψεως εἰς ὃ συλλέγεται· ἡ δ' ἐπιθυμία, καὶ ἀπὸ τῶν σιτίων καὶ διανοίας γίνεται· ὅταν γὰρ κινηθῇ ὑφ' ὁτουοῦν, ἐνταῦθα τὸ πνεῦμα συντρέχει, καὶ τὸ τοιοῦτον περίττωμα συρρεῖ ἐπέφυκε· κἂν μὲν λεπτὴ ᾖ ἡ πνευματώδης, τότε ἐξελθόντ Θ, ὥσπερ αἱ συντάσεις τοῖς παισὶ καὶ τοῖς ἐν ἡλικίᾳ, ἐνίοτε δ' ἀθενὸς ὑγρᾶ ἐκκειθέντ Θ, παύονται, ὅταν ἡ καταπεφθῇ τὸ ὑγρὸν, ἐὰν ἡ μηδ' ἕτερον τούτων πάθῃ, ἐπιθυμεῖ ἕως ἄν τι τούτων συμβῇ· οἱ δὲ φύσει θηλυδρίαι, ἕτω συνεστᾶσιν, ὥστε ἐπεὶ μὴ ἐκκενοῦσθαι, ἢ ὀλίγιν, ἕως τοῖς ἔχουσι κατὰ φύσιν ἐκκενοῦται, εἰς ἃ τ' τόπον τὸν γ' αἴσιον ἦ, ὅτι πρὸς φύσιν συνεστᾶσιν. ἄρσενες γὰρ ὄντες, ἕτω διάκεινται, ὥστε ἀναγκη τ' τόπον τὸν πεπερασμένε αὐτῶν. πήρωσις ἢ ἡ μὴ, ὅλως ποιεῖ φθόρον· ἢ ἡ διαφθορὰ· ἐκείνη μὲν ἔν οἷς ἐστι· γυνὴ γὰρ αὖ ἐγίνετ. ἀνάγκη ἄρα παρεσπάσθαι, καὶ ἄλλοθί πως ὁρμᾶν τ' ἡδυκῆς ἐκκείσεως· διὸ καὶ ἄπλησοι ὥσπερ αἱ γυναῖκες· ὀλίγη γὰρ ἡ ἰκμὰς, καὶ ἀ βιάζεῖ ἐξιέναι, καὶ καταψύχεῖ ταχύ. καὶ ὅσοις μὲν θεῖ τὸν ἔδεραν, ἕτοι πάσχειν ἐπιθυμέσιν, ὅσοις ἢ ἐπ' ἀμφότερα, ἕτοι καὶ δρᾶν καὶ πάσχειν. ἐφ' ὁπότερα ἢ πλεῖον, τότε μᾶλλον ἐπιθυμέσιν· ἐνίοις ἢ γίνεται, ⊂ ἐξ ἕβης τὸ πάθ Θ τῆς· ὅσα γὰρ αὖ ποιῶσι, συμβαίνει αὐτοῖς χαίρειν, καὶ θεῖ τὸν γόνην ἕτως· ἐπιθυμέσιν ἐν ποιεῖν οἷς αὖ ταῦτα γίνεται· καὶ μᾶλλον τὸ ἐθ Θ ὥσπερ φύσις γίνεται· διὰ τοῦτο ὅσοι αὖ μὴ πρὸ ἥβης, ἀλλὰ πρὶν ἥβην ἐθιστῶσιν ἀφροδισιάζειν, διὰ τὸ γίνεσθ αὐτοῖς ἐν τῇ ἡδονῇ τὸν μνήμην, ἅμα ἢ τῇ μνήμῃ τὸν ἡδονὴν, διὰ τὸ ἔθος ὥσπερ πεφυκότες, ἐπιθυμέσιν πάσχειν, τὰ μὲν τοι πολλὰ, καὶ τὸ ἐθ Θ ὥσπερ πεφυκόσι γίνεται· ἐὰν δὲ τύχῃ λάγν Θ ὢν καὶ μαλακὸς, καὶ θᾶττον ἕκαστα τούτων συμβαίνει.

Cur nonnulli rem veneream cum voluptate patiantur, & alij vel ipsi agere cupiant, alij pati tantummodo gestiant? An quòd excrementis singulis locus determinatus à natura est, in quem instituto secerni naturali debēt, sollicitáque natura spiritus excurrens tumorem admouet, excrementúmque vnà extrudere solet. Verbi caussâ vrinam in vesicam, cibum consumptum in aluum, lacrymam in oculos, mucorem in nares, sanguinem in venas naturæ deduci placuit: his autem proximè genituram quoq; in testes, & penem deferri constitutum est. Quibus itáque meatus habitu suo naturali priuantur, vel quia obcœcati sunt, qui ad penem tendant (quod spadonibus hísque similibus euenit, vel etiam aliis de caussis) his talis humor in sedem confluit, quippe qui hâc transire are soleat: quod eius loci contractio in coëundo, & partium sedi appositarum consumptio indicant. Qui si admodum semine genitali abundant, excrementum illud largè in eum locum se colligit. Itáque cùm excitata cupiditas est, attritum pars ea desiderat, in quam confluit excrementum. Cupiditas autem excitari tum à cibo, tum ab imaginatione potest. Cùm enim alterutra de caussa libido commota est, spiritus eodem concurrit, & genus id excrementi confluit, quo secedere natum est. Et si tenue, spirituosúmue est, cùm dissipatum id fuerit, requiescunt: quemadmodū pueris & adolescentibus interdum nullo secreto humore cessare tētigines possunt. Sed si crassum, corpulentúmque est, nisi extruso quiescere nequeunt. Quòd si neutrum eorum accidit, cupiunt quousque alterutrum accidat. Quorum verò natura mollis, & fœminea est, ita ij cōstāt, vt genitura vel nulla, vel minima conueniat, quò illorū secernitur, qui præditi natura integra sunt, sed se in partem sedis diuertat: quod propterea euenit, quia præter naturæ normam constiterunt. Cùm enim mares crearentur, ita degenerârunt, vt partē virilem mancam, atque oblæsam habere cogerētur. Læsio autem alia rē omnino cor-

rumpit,

rũpit,alia peruertit & vitiat. At genus illud corrumpens,vt in his fit fieri non poteſt:ita enim mulieres,nõ viri crearentur.Ergo peruerti,citariq; aliorſum, quàm ſecernendum natura voluit, neceſſe eſt. Vnde fit vt inſatiabiles etiam ſint modo mulierum: humor enim ſolicitans ille exiguus eſt: nec quicquam ſe promere conatur, refrigeratúrque celeriter. Quibus itaque ſedem humor ex toto adiuit, ij pati tantummodo auent: quibus autem in vtranq; partem ſe ſe diſpertiit, ij & agere & pati concupiunt, ídque eo ampliùs, quo tandem pleniùs fluxerit. Sed ſunt, quibus vel ex conſuetudine affectus hic accidat. Fit enim vt tam geſtiant, quàm cùm agunt, vtque genituram nihilo minùs ita emittere valeant. Ergo agere cupiunt, quibus hæc ipſa vſu venerunt, & conſuetudo magis,velut in naturam idcirco illis euadit,quibus non ante pubem, ſed in ea vitium patiendi inualuit, quoniam his recordatio rei, cùm deſiderant, oritur. Vnà autem cum recordatione geſtiens exultat voluptas; deſiderant autem perinde ac nati ad patiendum. Magna igitur parte, vel ob conſuetudinem res exiſtit. Sed ſi accidat vt idem & ſalax, & mollis ſit, longè expeditiùs hæc omnia euenire poſſe putandum eſt:

Theodori tralatio minùs perfectè exprimit ſenſum totius rei,de qua Ariſtoteles, inquirendum proponit,niſi pro,*vel* conuertamus,*ſimul*,vt Græcè particulæ, ἅμα, reſpondeat,hoc modo: *& alij ſimul ipſi agere cupiant*: hoc eſt, & eorum qui cum voluptate patiuntur, alij quidem ſimul etiam agere cupiant, alij autem pati tantummodo. Quæſtionem autẽ longiori oratione diſſoluit Ariſtoteles, quippe nonnullis probationis gratiâ, aliis dilucidationis, aliis etiam obiter propoſitis. Nos ſummam rationis proponemus antea, tum partium ſingularium ſenſa explicabimus. Eſt igitur ſumma hæc: Cùm naturæ inſtituto ſingulis excrementis propria loca in corpore deſtinata ſint, ad quæ deferuntur,& quibus reſident,aliter laborem ac moleſtiam gignentia,nonnullos eſſe,qui ita à Natura efformati ſunt,vt cùm clauſos habeant meatus,quos apertos eſſe oporteret,non poſſint per eos excrementa ad loca propria deferri; ſic fieri vt quibus obcœcati ſunt meatus ad penem deferentes ſemen, colligatur ſemen ad ſedem,& ad nates,ibiq́ue poſitum, quoties cupiditas excitatur,efficiat vt fricari pars deſideret: ac ſi humor ille ex toto ſedem adit, illi pati ſolummodo auent; ſi verò in vtrámque partem ſe ſe diſpertit,illi & facere,& pati deſiderent. κ) φύσιν, *inſtituto naturali*. Vnicuiq́ue excremento propriam ſedem à natura fuiſſe conſtitutam,in quam ex ſingulis corporis partibus ſimul colligeretur, ad eum finem quem eadem Natura inſtituit, plurimis locis habemus apud Galenum:inſignis autem eſt primo de tuenda valetudine capite XII. vbi & alia propria de eâdem materia loca adducit ipſemet Galenus. Verba autem huius capitis, quando ad illud quod nobis primum inſtitutum eſt, hæc res non facit, huc non exiſtimaui neceſſarium afferre: locum citaſſe ſatis habui. Ita igitur vrina deſcendit in veſicam,cibus exſuctus, humoréque alimentario priuatus, hoc enim eſt quod ait Ariſtoteles ἐξιημασμένη,& Theodorus, *conſumptus*, in aluum, lacrymæ ad oculos: lachrymæ autem excrementum Ariſtoteli dicuntur, illæ enim problemate XXXV.ſectionis quintæ,ſudor quidam ſunt: at ſudor excrementum: fluunt autem lacrymæ ex anatomicorum ſententia à binis glandulis,quæ in oculis ſunt: ibi enim lacrymarum materia colligitur.Horum tamen excrementorum par vacuationis ratio non eſt exiſtimanda: ſed aliis alia. Cerebro quidem ſano exiſtente, non putem lacrymarum vſum eſſe: at ob fluxionem aliquam ab eo decumbentem illacrymare hominem,Galeni ſententia eſt Comment. primo in Prognoſtica Hippocratis tex.decimo,& in libro de catharticis Galeno aſcripto, per lacrymas oculos purgari traditur. Earum autem quæ mœrore affectis effunduntur,alia vt puto ratio eſt.His excrementis ſanguinem addit Ariſtoteles, cui in venis locus deſtinatus eſt. Appellat autem excrementum ſanguinem in venis exiſtentem, vel quia ibidem non generatur, ſed à corde tranſmiſſum ad venas propellitur: cor enim origo prima, & fons ſanguinis eſt ex Ariſtotelis ſententia libro III. de partibus animalium capite IV. Ex Galeni autem opinione excrementũ etiam eo quidem modo dicatur ſanguis, nam à iecoris carne, tanquam à primo inſtrumento confectum, inde ad venas deriuat: vt primarum illarum partium, à quibus propellitur ad alias excrementum quoddam dici poſſit, eo ſanè nomine latiori quadam ſignificatione accepto,quod facit Ariſtoteles. Poſſimus etiam dicere Ariſtotelem hoc loco non

intelligere vniuerſum ſanguinem, qui in omnibus venis exiſtit; ſed quendam tantummodo, qui verè excrementum eſt; ſeu potiùs excrementitius ſanguis, cuiuſmodi exempli gratiâ qui per mariſcas effunditur ex venis ad anum, aut per menſtruas purgationes, ex venis quæ ad vterum deſinunt. Hæc igitur excrementa, quoniam aliis locis diſperſa, laborem & moleſtiam intus gignerent, iámque fortaſſe aliquando gignunt, præſtò ſpiritus eſt, qui cum eiſdem excurrens; eſt enim ſpiritus præcipuum naturæ inſtrumentum, tumorem quendam facit, dum fluentibus excrementis immiſcetur, & vnumquódque ex illis ad propria loca detrudit: quod ſimiliter ſeminali excremento euenit, quod ad teſtes, & ad pudendum demittitur. Quòd ſi meatus illi per quos ſemen defertur, non ſecundùm naturam ſe habeant, ſed obcœcati ſint, vt eunuchis contingit, ſeu alia ratione illud eueniat, ſemen defertur ad ſedem: quippe locus proximus eſt, qua ſemen tranſeundo iter facit, vt facilè diuertere, & transferri poſſit, ſicuti habuimus etiam ſuperiùs problemate 11. ad finem. Probat autem ſeminis tranſitum per loca illa, ex coactione earundem partium, quæ in concubitu fit, ac etiam ex earundem conſumptione. Vbi notandum, ſuperiùs problemate 11. quod modò adduximus, extenuationem probâſſe ex ſeminis tranſitu per loca illa; hìc è conuerſo ſeminis tranſitum ex extenuatione: nec verò abſurda ſit res, præſertim in huiuſcemodi doctrinæ genere. Ἢ ὅτι τυφλωθῆναι. *vel quia obcœcati ſunt.* Expunximus negationis particulam, quæ erat in excuſis exemplaribus Græcis, Latinis conſentientibus, & Antiqui interpretis, & Theodori; tum etiam Iuſtiniano, qui eandem tanquam ablegandam compungit, potiſſimùm autem requirente ſenſu, qui ab ea appoſita redditur omnino contrarius: niſi aliquid immutetur: nec tamen mendi apud me vacat ſuſpicione locus. Illud enim ἄλλα, vel non habet cui innitatur, vel ſi innititur verbo συμβεῖ, imperfecta eſt reliqua oratio: aut ego conſtructionem non aſſequor. Εὐνόχοις & Εὐνοχίας. *ſpadonibus, hiſque ſimilibus.* Budæus annotat, idem eſſe Εὐνοῦχον; & Εὐνοχίαν, hoc tamen loco fuiſſe ab Ariſtotele poſitos, tamquam differentes: qua re verò differant, nihil addit. Ex Theodori tralatione, quæ habet, *ſpadonibus, hiſque ſimilibus*, coniiciebam, hunc interpretem fortaſſe voluiſſe illis verbis ab Ariſtotele comprehendi omnia genera eorum quicúnq; ſine teſtibus ſunt, aut inutilibus, cùm triplex horum genus ſit ex Matth. xix. cuius verba ita vertuntur à D. Hierony. *Sunt eunuchi qui de vtero matris ita nati ſunt, & ſunt eunuchi, qui ab hominibus eunuchizati ſunt, & ſunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum dei.* Atqui hiſce verbis Εὐνοῦχος ſemper, Εὐνοχίας nunquam dicitur: non piget tamen rem adnotâſſe. ἐὰν οὖν ὑπερβάλλῃ τις τῇ λαγνείᾳ. *Qui ſi admodum ſemine genitali abundant.* Putem meliùs conuerti: *Si igitur aliquis ſemine genitali admodum abundat*, colligens enim orationem denuò exorditur Ariſtoteles; & ita Græca verba ſonant. Mirum autem, huiuſmodi particulæ quantùm orationem illuſtrent, & ſenſa patefaciant, quod antea non ſemel admonuimus. λαγνείαν autem ſemen genitale ſignificare quomodo hìc ſumitur, ex Galeno patet in expoſitione vocum Hippocratis, qui pluribus locis illam vocem ea notione vſurpauit. Exordiens autem orationem Ariſtoteles, quæ dicta ſunt quodammodo contrahit: ſemen enim iis qui dicti ſunt, non omnibus in eum locum colligi tradit: ſed illis tantùm qui eo abundant: nam quod Theodorus habet, *largè* de ſuo addit, non ſine ſenſus deprauatione: opinionem enim facit, aliis etiam colligi, ſed non largè: quod ſanè non dicit Ariſtoteles; qui enim ſemen habent, ſed exiguum, illis quamquam obcœcatis meatibus, fortè non feratur ad ſedem; ſed reſoluatur; quippe via non ita facili exiguo ſemini, quemadmodum copioſo, præſertim ad ſedem, de qua hæc potiſſimùm dicuntur: non enim ſecundùm naturam ad eum locum via ſemini eſt: quibus igitur abundat, illis ad eum locum defertur: in quo vbi eſt, ſi excitetur cupiditas ob aliquam ex iis quas ſubdit occaſionibus, pruritúſque accendatur, frictionem pars deſiderat ad pruritum ſedandum, ſiue ea pars ſit pudendum, ſiue ſedes. Poſſit autem etiam abſque illis occaſionibus, fortè excitari cupiditas: atqui ex ipſis & faciliùs & magis commouetur. ἡ γὰρ ὀπτὴ ἐπιθυμία & ἀπὸ τῆς τροφῆς. *Cupiditas autem excitari tum à cibo.* Quæ hinc ſequuntur vſque ad ea, & ὅσοις μὲν οὖν ἐπὶ τοῦτο ἔδραμεν. hoc eſt, *quibus itáque ſedem humor ex toto adiuit*: quibus problematis concluſio ponitur, eorum pleráque obiter dicta ſunt: quoniam enim excitat a cupiditate, frictionem partem illam dixerat deſiderare, oſtendit quibus rebus excitetur cupiditas, tum ea excitata qui motus ſequantur, quæque excretiones, quarum beneficio quies ſuccedat: quoniam verò excretiones hæ, in aliquibus fiunt ſecundùm naturam commodè & facilè, in aliis, non item; hinc euenit vt alij facilè conquieſcant, alij non item, quibus ſecundùm naturam non poteſt fieri excretio, quia manci & oblæſi ſunt: iiſdémque humor ſedem adit, & pati cupiunt. Sed hæc ſigillatim expoſita, erunt omnia magis perſpicua. Cupiditatem itáque excitari dicit, tum à cibis, tum ab imaginatione, ſeu cogitatione, ita

enim ἀφροδίσια, bene etiam exprimatur: cibi enim flatulenti cuiuſmodi imprimis ſunt cæpæ, rapæ, raphani, & bulbi omnes, veneris libidinem excitant, ſicuti medicorum ſententia eſt. Vnde illud Martialis:

Cùm ſit anus coniunx, cùm ſint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.

De imaginatione autem ſeu cogitatione, quæ ab Ariſtotele dicuntur in libro de communi animalium motu capite VI. vbi motionis principium in animali eam proponit, ſicuti etiam appetitum, non eſt neceſſe huc afferre. Ab ea cupiditatem excitari, ſi quiſpiam non eſt expertus, diſcat ex illis ſuauiſſimis Lucretij verſibus, qui in quarto libro de rerum natura ita leguntur:

Nanque voluptatem præſagit multa cupido:
Hæc Venus eſt nobis: hinc autem eſt nomen amoris:
Hinc illæ primùm Veneris dulcedinis in cor
Stillauit gutta, & ſucceſſit frigida cura.
Nam ſi abeſt quod ames: præſtò ſimulacra tamen ſunt
Illius, & nomen dulce obuerſatur ad aureis.

Commotione igitur genita, ſeu ab hac, ſeu ab illa cauſſa, ſpiritus vnà cum excremento concurrit ad eum locum, ad quem natura tendit, quoque illi via naturalis eſt; nimirum ad pudendum, ſicuti etiam paullò ante dicebat, huc enim ſemini natura iter eſt: ſed enim hunc ſpiritus & excrementi ad eum locum concurſum, nouum eſſe & alium à priori, ac deinde genitum videri poſſit. Verùm ad rem parum intereſt, vtrum vnus an duo ab Ariſtotele intelligantur: eadem enim cauſſa, & idem accidentis modus eſt. Huiuſmodi autem excrementum quando magis tenue eſt, & ſpiritalis naturæ, ſicuti in pueris accidit, & adoleſcentibus, ſanè abſque illa humoris excretione ceſſant tentigines, excreto ſcilicet per illarum partium attritionem ſpiritu: quam rem habemus apud eundem Ariſtotelem libro primo de generatione animalium capite XX. his verbis: vt Latinè ſonant: *Voluptas autem quæ per coitum ſentitur, non ſolùm ſemine exeunte accidit, ſed etiam ſpiritu, ex quo conſiſtente ſemen emittitur. Quod patet tum in adoleſcentulis, qui nondum emittere queunt, propeq; ætate ſunt: tum in viris genitaræ expertibus; voluptas enim ijs omnibus ſcalpendo excitatur.* Nec non etiam ſectione XXX. problemate primo in hunc modum: *Atque etiam priùs quàm tempus promendi ſeminis ſit voluptas quædam geſtiens pueris adhuc oritur, cùm iam pubertati propinqui, teſticulos per libidinem ſcalpunt. Quod ſcilicet ob id ipſum fit, quia flatus per meatus tranſit, quá poſtea humor perfertur.* Aliquando autem humor craſſior, nec ita ſpiritalis eſt, qui excerni debeat: quod ſi accidit, quies fit: ſi verò ex illis neutrum excernatur, durat is appetitus, nec ceſſat ardor, donec alterutrum contingat. Ad hunc autem locum Theodorus multa de ſuo addit, non ſanè vt ſenſum corrumpat, præter tamen boni interpretis fidem vt exiſtimo. Ita autem penè ad verbum Græca ſonant: *Et ſi quidem tenue ſit, aut ſpiritale, hoc exeunte tentigines quemadmodum pueris, & adoleſcentibus aliquando nullo humore excreto ceſſant. Quando autem extingui humor debeat, ſi ex his alterutrum haud patiantur, deſiderant donec horum aliquid eueniat.* Puto autem Ariſtotelem ſtudiosè dixiſſe, *extingui*, quod, *extruſo*, conuertit Theodorus, vt præcedentē libidinis ardorem meliùs ſignificaret. Quod autē vertimus, *& adoleſcentulis*, ac Theodorus, *adoleſcentibus*, Græcè eſt, τοῖς ἐν ἡλικίᾳ. Pro eo autem, loco quem adduximus primo de generatione animalium dixit Ariſtoteles, ἐγγὺς δ' ἡλικίας ὄντων, id eſt *propè ætate ſunt*, vt ex Theodoro Latinè locum propoſuimus: quod etiam fortaſſe meliùs conuertamus, *propè pubertatem*, quomodo expreſsè loquitur Ariſtoteles problemate primo ſectionis XXX. ſeu adoleſcentes, vt vertit hoc loco Theodorus. Eandem autem ætatem vtróque loco intelligi ab Ariſtotele manifeſtum eſt. Quare quomodo hîc dicat idem Ariſtoteles, οἱ ἐν ἡλικίᾳ, de iis qui nondum puberes ſunt, conſiderandum eſt. Niſi dicamus comparatione puerorum, quos proximè nominauit, *ætatem habere*, ſeu, *in ætate eſſe*, dixiſſe Ariſtotelem eos, qui paullò adultiores ſunt, licèt nondum ſemen emittant: Aut locus ex primo de generatione corrigitur, ac ſcribamus, ἐγγὺς δ' ἡλικίας, quod melius puto; eſtque facilis lapſus. οἱ δὲ φύσει θηλυδρίαι. *Quorum verò natura mollis & fœminea eſt.* Qui ſint illi oſtendit, in quibus propoſitis venereus affectus apparet: Nam quoniam excretionum beneficio, quæ ſecundùm naturales & proprios meatus fiunt, libidinis ceſſat ardor, contingit vt ſi aliqui ita ſint à natura efformati, ſeu potiùs vitiati, vt ſemen vel nullum, vel exiguum iis ad locum proprium colligatur, quod euenit quibuſdam hominibus, qui

natura molli, & effœminata constant, in illis ad locum alium secedat, nimirum ad sedem: sunt autem illi præter naturæ leges & consuetudinem efformati, quippe qui locum eum, scilicet virilem partem mancam habeant,& oblæsam; non sanè ita vt corrupta omnino virilis natura sit; ita enim mulieres essent, quæ similiter dicuntur viri læsi, & imperfecti: sed vt aliò quàm in viris semen ipsum genitale diuertatur. Retinent tamen hoc etiam mulierum,vt insatiabiles sicuti ipsę sint,quod simili de caussa euenire putandum est:humor enim qui libidinem inducit, exiguus est, nec vt erumpat impetum facit, & citò refrigeratur;natura enim frigidiore sunt, non tamen ideo sedato ardore. Porrò autem muneri meo satisfeciſse me non existimo, si huius partis tralationem ad verbum non proponam. Theodorus enim nimiùm discedit à verbis, & necessaria etiam omittit aliquando. *Qui verò natura molles, & effœminati sunt, ita constiterunt, vt ibi quidem non excernatur, vel exigua, vbi ijs qui secundùm naturam se habent excernitur, sed in locum hunc. Caussa autem est, quoniam præter naturam consliterunt: mares enim cùm sint,ita tamen dispositi sunt, vt necesse sit hanc ipsorum partem læsam esse. Læsio autem, alia quidem omnino corruptionem facit, alia autem peruersionem:illa quidem* [in eis] *non est: facti enim fuissent mulieres. Necesse igitur peruersos fuisse, & aliò seminalem excretionem impetum facere.* De his autem quorum peruersa aut deprauata hunc in modum natura est, seu generatio, loquitur similiter Aristoteles, loco quem adduximus primo de generat. animal. capite xx. atque tradit iis solui aliquando aluum, eo quia illuc secedat excrementum, quod non possit concoqui, & fieri semen. ℭ ὅσοις μὲ ἐπὶ τὴν ἕδραν. *Quibus itaque sedem humor ex toto adiuit.* Iustinianus pro ἐπὶ habet πρὸς, & illa, *ex toto*, de suo addit Theodorus. Cæterùm Aristoteles concludit, rationémque problematis breuiter tradit: cur nonnulli solummodo pati desiderent, alij autem pati, & agere: exque his eisdem, cur alij magis hoc quàm illud,alij illud magis quàm hoc.Porrò in textu ex Iustiniano addidimus illa omnia à voce ὅσοις vsque ad verbũ ἐπιθυμοῦσιν, quæ desiderabantur in excusis:habuit tamen tum Antiquus interpres,tum Theodorus:qui tamen Theodorus postrema illa, ἐφ' ὁπότερα ἢ πλεῖον,τότε μᾶλλον ἐπιθυμοῦσιν,vel non ita scripta legit,vel in conuertendo lapsus est: ita enim reddenda sunt: *Vtram autem in partem plus illius humoris decumbat, ea parte magis concupiscunt.* Censet enim Aristoteles,si plus humoris ad anteriorem partem feratur,magis facere quàm pati, si plus ad posteriora, plus pati quàm facere, & si æquè ad vtráque, æquè & facerę & pati eos desiderare. ἐνίοις ἢ γίνεται ἐξ ἔθους τὸ πάθος τοῦτο. *Sed sunt quibus vel ex consuetudine affectus hic accidat.* Caussæ superiùs propositæ, quæ ducebatur ex naturæ vitio, seu ex mala corporis conformatione, alteram adiungit ex mala assuetudine:illa verò potissima existimari debet; nam cœcis etiam meatibus dictis, & ad sedem fluente semine, si turpitudinem ac scelus fugiat homo, nec ei assuescat, non erit sanè vt eo gaudeat: sicuti ex spadonio genere multis, quos in eum censum retulisse videtur Aristoteles,euenire apparet, qui castitatem obfirmatè tuentur & custodiunt. Igitur ex mala assuetudine, sunt qui scelesta illa fœditate gaudeant, vt tradit Aristoteles. Verùm ante quàm explicationis gratiâ, alia proponam, quoniam in toto hoc loco, Theodorus non parùm à verbis recessisse videtur, & aliter locum habuisse interpunctum quàm in excusis Græcis exemplaribus, necessarium existimaui, eum quomodo ad verbum Latinè sonat, proponere, hunc in modum: *Nonnullis autem etiam ex consuetudine fit huiusmodi affectus: quando enim faciant, contingit ipsis gaudere, & semen eodem modo emittere. Cupiunt igitur facere, quibus hæc eueniunt, magisque consuetudo veluti natura fit. Ob hoc quicúmque sanè non ante pubertatem, verùm circa ipsam assueuerunt venerem pati, quia igitur in ipsis vsus tempore memoria, vnà autem cum memoria voluptas; ob consuetudinem autem, quemadmodum qui ita nati sunt, pati desiderant: vt plurimùm quidem, & consuetudo fit sicuti illis qui ita nati sunt. Si autem accidat, vt salax idem existat, & mollis, celeriùs vtique singula horum contingunt.* Assuetudĩne igitur ducti; sunt qui venerem pati gaudeant: quum enim illud faciunt, nimirum venerem patiuntur, ita enim ποιῶσι, hoc loco accipio, contingit ipsis gaudere: quippe qui semen eo etiam modo emittant, vnde quibus id euenit, cupiunt facere, hoc est sicuti modò exposui, venerem pati. Theodorus autem non ita hoc verbum accipit, & fortasse legit ὡς ποιῶσι, aut, ὅσοι pro ὡς accepit, hoc sensu:Ex consuetudine sunt, qui dum venerem patiuntur, gaudent,quoniam eo modo semen emittunt, sicuti dum eam agentes exercent: verùm quod sequitur idem ποιεῖν hoc est facere, eo omnino quo dicebam modo necesse est accipere: desiderant igitur facere, hoc est, venerem pati, quibus illa ita eueniunt, eisque veluti in naturam transit consuetudo. De hac autem nonnullorum affectione, qui in venere patienda semen emittunt, loquitur etiam Auicennas libro III. fen xx. tractatu primo capite XLII. eiusque rei caussam aliquam proponit. Quæ post hæc sequuntur, coniungit Theodorus cum superio-

ribus,

ribus, vnúmque ſolum membrum ex omnibus efficit, vt ex illius tralatione apparet. At ſunt diſtincta, duóque membra in Græcis exemplaribus, vt apparet ex noſtra. Vtro autem modo accipiantur, corollarium eſſe videtur ex illis quæ dicta ſunt: in iis nimirum qui aſſueuerunt venerem pati non ante pubertatem, ſed in ea vel circa eam, cùm ſcilicet iam ſemen emitterent, magis conſuetudinem verti in naturam ob memoriam, nempe rei dulcis, & recentis, quæ memoria, cùm vſus poſtulat, ingruente cupiditate, haud ita fiat in iis qui aſſueuerunt ante pubertatem, eo enim tempore ſemen non emittebant, nec dulcedinem illam percipiebant: huc enim Ariſtotelis rationem ſpectare exiſtimo. ἐν τῇ χρείᾳ, *cùm deſiderant.* Ad verbum, *In vſu*, hoc eſt vt expoſui, cùm vſus, aut neceſſitas poſtulat, nimirum cùm ſemen pruriginem excitat, & excerni deſiderat.

XXVIII.

Διὰ τί μάλιστα αἰσχύνονται ὁμολογεῖν οἱ ἐπιθυμοῦντες ἀφροδισιάζεσθαι, ἀλλ' ὃ πιεῖν ἢ δεῖ φαγεῖν, ἢ δὲ ἄλλο τοιοῦτον ἐστίν; ἢ ὅτι τῶν μὲν πλείστων ἀναγκαίων αἱ ἐπιθυμίαι, ἔνια δὲ καὶ ἀναιρεῖ τοὺς μὴ τυγχάνοντας· ἡ δὲ τῶν ἀφροδισίων, ἐπὶ πλεῖστον ἐστί.

Cur homines rem agere veneream cupientes, confiteri ſe cupere maximè pudet: bibendi, aut edendi, aut aliquid eiuſmodi faciendi deſiderio cùm teneantur, confiteri non pudet? An quòd rerum plurimarum cupiditates neceſſariæ ſunt, & nonnullæ niſi expleantur interimunt. Rei autem venereæ libido ſuperfluit, & abundantiæ index eſt.

Qui cibi aut potus, aut alicuius ſimilis rei, vt ſomni cupiditate tenentur, eam rem confiteri nihil pudet; quos verò concumbendi tenet deſiderium, eos pudere maximè proferre dicit Ariſtoteles. Maximè autem hoc eſt potiſſimùm, ſeu imprimis, aut ſæpius, aut magis quàm priora, ita enim hanc vocem accipio: non enim qui ex concubitu, dummodo ille vetitus non ſit, debitíſque conditionibus fiat, dedecus oritur, huiuſmodi eſt, vt maximam verecundiam inferre debeat, quod meliùs ad finẽ expoſitionis problematis apparebit. Soluit autem quæſtionem Ariſtoteles ea ratione, quia cupiditates quæ fuêre propoſitæ diſſimiles atque adeò quodammodo contrariæ inter ſe ſunt, alteræ enim indigentiæ, & neceſſitatis, alteræ ſuperfluitatis, & exſuperantiæ argumento ſunt. Hæc autem indigentia, ſeu neceſſitas non vniuſmodi eſt: ſed maior & minor: quippe latitudinem obtinet. Eſt enim quædam huiuſmodi ac talium rerum, quibus ſi careat homo, ſtatim in vitæ incidat diſcrimen, atque adeò intereat, ſicuti cibi & potus, quæ paullò ante propoſita ſunt. Alia eſt earum rerum, quæ non ita neceſſariæ ſunt: ſed maximè vtiles, & proficuæ, atque etiam neceſſariæ, non tamen vt illæ, cuiuſmodi ſomnus, aut aliquid aliud. Horum igitur omnium, aut ſingulorum deſiderio teneri, non eſt vt quempiam fateri pudeat, quando ad vitam neceſſariæ, aut plùs, aut minùs ſunt. At cupiditas rei venereæ, non indigentiæ, ſed ſuperfluitatis eſt index: illos enim maximè ſolet corripere, qui delitiis dediti, ſplendidè & opiparè epulantur; multa enim in illis ſuperfluit ſeminis copia: qui autem ſobrio & frugali victu vtuntur, illis exigua colligitur, quæque & facilè abſumitur: vnde ſcitum illud: *ſine Cerere & Baccho friget Venus.* Pudet igitur fateri dedecora, tum præterita, quorum index libido eſt, tum futura, veneris enim illa actio cum turpitudine perficitur: verecundia autem ad vtráque hęc tempora pertinet, vt dicit Ariſtoteles libro ſecundo Rhetoricorum. Galenus ſanè VI de locis affectis capite V. tradit, ex ſeminis retentione praua in nonnullis oriri accidentia; vnde & celebre Diogenis refert exemplum, quem virum, alioqui vt idem Galenus tradit, continentiſſimum, non vt voluptati indulgeret, ſed vt noxam euitaret, veneri dediſſe operam ſcribit aliquando. Atqui ſanè vt negandum medico non eſt, concubitum poſſe aliquando, & alicui prodeſſe; quod etiam ex Ariſtotelis problemate XXX. ſequenti, & aliis locis apparet; ita ſemper ſuperfluitatis, plùs minùs argumento erit, turpitudinémq; aliquam ſemper coniunctam habebit. Et verò illis qui eo modo vexantur, maléq; habent quòd venere indigeant, liceat laboribus, exercitiis, victu frigidiore, & aliis ingeniis, quæ ſingulis magis ex vſu ſint, morbo aut moleſtiæ reſiſtere. Vnde & læſionem quam ex veneris abſtinentia proponit problemate XXX. in iis proponit, quos εὐτραφεῖς appellat, hoc eſt *bene nutritos*, vberiúſque alimentum capientes. Fortè verò etiamſi praua hæc omnino eueniant accidentia, nec euitari poſſint; iam nec turpe adeò ſit, nec quempiam ita pudeat veneris deſiderium fateri, quod faciebat Diogenes; vnde & palàm, ac in viis publicis, tanquam rem haud turpem,

eandem exercuisse legimus, quippe eo consilio quo diximus: seu vt hominem plantaret, sicuti ipse dicebat; malè tamen: si enim conceditur, non eo loco conceditur. Simili autem ratione mictio, fœcum egestio, crepitus ventris, ructus; alia cum maiori, alia cum minori verecundia sunt, pro vt superfluitatis vel maioris, vel minoris indicio sunt, & prout alia magis, alia minùs, vitæ saluti necessaria existimari possunt. Ructus enim, nimiùm se cibo ingurgitasse aliquem, & ventriculum nimiùm replêsse ostendit, quod turpe; at si debili stomacho, aut ægroto ex flatuum copia, illud accidat, iam non ita turpe sit: vt denique necessitas has omnes actiones metiatur, & dirigat. Vnde & Aristoteles libro 11. Rhetoricorum, loco quem adduximus, cùm actiones exponeret, ex quibus verecundia afficimur; concubitum dixit (ita enim exponunt eo loco συγγενεσθαι) qui fieret cum quibus nefas, vel vbi, vel quando nefas, non concubitum simpliciter. Quippe locorum & temporum conditiones, rem admodum euariare possunt; quando tamen per se actio illa turpitudinem seu obscœnitatem potiùs quandam continet superfluitatisque indicio est; illius desiderio teneri, non est qui sine rubore non fateatur.

XXIX.

Διὰ τί οἱ μὲν ἄνδρες τῷ χειμῶνι, αἱ δὲ γυναῖκες τῷ θέρει ὁρμητικώτεραι πρὸς τὰ ἀφροδίσια; ἢ ὅτι οἱ μὲν ἄνδρες, θερμοὶ μᾶλλον καὶ ξηροὶ τὰς φύσεις· αἱ δὲ γυναῖκες ὑγραὶ καὶ κατεψυγμέναι; τοῖς μὲν οὖν, τὸ ὑγρὸν καὶ τὸ θερμὸν ἄυταρκες πρὸς τὴν ὁρμὴν, ἐν χειμῶνι· (ἡ δὲ σπέρμα γένεσις, ἐκ τούτων) ταῖς δέ, τὸ θερμὸν ἔλαττον καὶ τὸ ὑγρὸν ὅτι πεπηγός, διὰ τὴν ἔνδειαν τοῦ πυρός· τοῦτο δὲ θέρει· ταῖς μὲν ὅτι σύμμετρον τὸ θερμόν· τοῖς δὲ πλέον τοῦ ἱκανοῦ τὸ δὲ ἄγαν, πολὺ ἐκλύει τὴν δυνάμεως· διὸ καὶ τὰ παιδία ἐν θέρει λεπτότερα· συμβαίνει γὰρ πῦρ ἐπὶ πῦρ φέρειν.

Cur viri per hyemem, mulieres per æstatem rei venereæ appetentiores sunt? An quòd viris calidior natura & siccior est, mulieribus autem humida, frigidáque. Quam ob rem illis humor, & calor satis cupiditatem veneris hyberno tempore accendere queunt, quibus rebus semen oriri certum est. Mulieribus autem & calor minor, & humor concretus propter caloris inopiam tunc est. At per æstatem contra mulieribus calor modicus, viris largior, quàm satis sit: minùs enim vires frangit, atque dissoluit. Quapropter pueri quoque per æstatem tenuiores redduntur; incidit enim, vt ignis igni coniungatur.

Cùm ea quæ ad præsens problema pertinent, fuerint superiùs problemate XXVI. satis copiosè explicata, in quo eadem, licèt non iisdem omnino verbis proponuntur, pauca erunt quæ hoc loco à nobis afferantur. τὸ ὑγρὸν καὶ τὸ θερμὸν, *humor & calor*. Humorem dicit, quamquam siccos appellauit viros, quia non sine humore siccitas illa est, & homo in vniuersum calidus & humidus est: præcipuè autem hîc viros dicit siccos, comparatione mulierum. ἄυταρκες πρὸς τὴν ὁρμὴν τοῦ χειμῶνος. *Satis cupiditatem hyberno tempore accendere*. In viris per hyemem, calor & humor ea copia est, qua sufficiat eo tempore ad veneris impetum concitandum; non item in fœminis, in quibus præ frigore concretus est & congelatus: quam rem Auicennas loco superiùs ad problema XXVI. à nobis adducto dixit, *congelatas virtutes*. τὸ μὲν σύμμετρον. Iustinianus expungit ἐν, quæ locum corrumpit, & reponit ἐστι hoc modo: ταῖς μὲν ὅτι σύμμετρον: quo modo nos etiam excudendum curauimus. διὸ καὶ τὰ παιδία. *Quapropter pueri quoque*. Corollarium; atque idem argumentum rei propositæ, æstatis nimirum calore, calorem animantium in quibus excedit, dissolui ac dissipari, quod in viris accidere dixerat. Pueri enim, quia ipsi quoque valde calidi sunt, quod & Hippocrates per illa enuntiauit: *qui crescunt, plurimum habent calidi innati*; per æstatem redduntur tenuiores, exhausto à calore ambientis eorum humido, quod facilè sanè contingit ob corporum illorum mollitiem, ac teneritudinem: quæ actioni caloris externi minimùm resistere potest.

XXX.

Διὰ τί ὅσοι θερμοὶ τὴν φύσιν, ἐὰν ἰσχνοὶ ὦσι καὶ αὐτερεφεῖς, ἐὰν μὴ ἀφροδισιάσωσι, χολή τε περίσσεται αὐτοῖς πολλάκις, καὶ ἔκπικρον ἀποχωρεῖ, καὶ φλέγμα ἁλμυρὸν γίνεται, καὶ ἀλλοχροΐσιν; ἢ ὅτι μὴ ἐν σπέρματι ἀεὶ περίττωμα συναπέρχεται; διὸ καὶ ἐνίοις τῶν περιπατικῶν, ἰχθύων πλωτὴν ὄζει ἡ γονή.

ἀφροδι

ἀφροδισιάζουσιν ᾗ ἔν τῷ συναπέρχεσθαι, ὡς ἐ λυπεῖ μὴ ἀποµφύσις ἢ ὀµιλίας, τὸ πεῖτωµα ἐκπικρᾶται, ἢ ἁλµυρὸν γίνεται.

Cur quibus natura calida eſt, ſi modò robuſti pleníque ſint, niſi concumbant, iis ſæpe bilis proſiſtit, & aluus amara ſecedit, & pituita ſalſa conficitur, & color corporis immutatur? An quòd ſemper cum ſemine vnà excrementi aliquid exit. Vnde etiam nonnullorum excrementis abundantium genitura lauamentum piſcium redolet: igitur excrementum quoque illud concumbenti decedit. Itaque nihil eſt, quod poſſit affligere: abſtinenti autem manet, & amarum ſalſúmve redditur.

Noxam proponit quæ ex veneris abſtinentia aliquibus contingit. Sunt autẽ hi, qui calidi natura exiſtentes, hoc etiam coniunctum habent, vt ſint robuſti, bene enutriti, & corpore ſucci pleno: caliditas enim ſola corpore debili, & exſucco, concubitum haud deſideret: qui verò propoſiti ſunt, niſi concumbant, illis ſæpe bilis, aut vomitu, aut ſeceſſu eiicitur, pituita gignitur ſalſa, & colore immutantur, vt pro viuido & florido, palleſcens aut citrimus, & fuſcus fiat. Cauſſam autem eſſe dicit, quoniam vnà cum ſemine ſemper excrementum aliquod exit: quam rem eo ſigno probat, quoniam ſemen nonnullorum, qui excrementis abundant, piſcium lauamentum redolet, quod nihil aliud eſt, quàm excrementum in eo contineri, quale hoc piſcium lauamentum eſt. Sanè eſſe excrementum ſemen, dixit etiam problemate LI. ad quem locum ex eodem Ariſtotele nos aliqua attulimus, quæ ibi videre licet: quibus ſi alia addenda ſunt, eſt etiam locus IV. de partibus animalium capite X. ita ſcriptus, vt Latinè reddituri, *genitura humor quidam excrementitius eſt.* Obſeruo tamen, in præſentia non dici ab Ariſtotele, ſemen excrementum eſt, ſed vnà cum ſemine excrementum exit: hæc autem illis verbis commodè puto declarari, quæ leguntur libro III. de generat. animal. capite primo in hunc modum: τὰ δ' ὑπάρχειν τὰ καταµηνιώδη, ἐ τὴ γονὴν πεῖτωµα ἔστι· διὰ δὲ ἐ ἡ πατέρων φύσις, ἐ ἡ ἐ σπέρµατος γίνεται ἐκ πεπτώσεως, ἀ δυνατὴ ἡ φύσις. quæ Theodorus ita vertit: *deceſſus autem menſtruorum & genitura excrementum ſunt; cùm igitur & pennarum natura & ſeminis, ex excremento gignatur, nequit natura: &c.* Aduertẽdum autem in Latinis nonnullis editionibus mendum eſſe in loco modò propoſito, quod magnopere facit ad ſenſum; & quòd verba Græca non legenti facilè poſſit imponere: ita enim ſcribitur: *& pennarum natura ex ſeminis excremento gignitur.* Si itaque ex excremento fit, natura, aut generatio ſeminis, excrementum ſanè ex quo conſtat, eo exeunte, egredi neceſſe eſt. Sed & ſecundo de generatione capite II. oſtendit Ariſtoteles, conſtare ſemen ex ſpiritu & aqua paruúmque etiam terrenæ portionis in eo contineri, ſicuti in pituita: hæc autem illa ſunt quorum ratione dicitur cum ſemine exire excrementum: Quæ iterum vberiùs afferuntur ab Ariſtotele eodem libro capite III. ibi enim cùm dixiſſet, *ſemen eſt excrementum alimenti mutati:* tum de eiuſdem ſeminis præſtantiſſima, & diuina parte, ac natura, nempe calore & ſpiritu, qui in eo continentur, auream doctrinam affert. Si igitur cum ſemine excrementum exit, iam non poſſit excrementum, in corpore moleſtiam aliquam creare: ſi verò intus retineatur ſemen, & cum illo excrementum ex quo eſt, eo ſanè interim corrupto, & putreſcente, atque calidiore effecto, illiúſque ratione aliis etiam corporis partibus incaleſcentibus, ſicuti iecore præſertim, multa bilis copia progignitur, quæ excedens πεῖσται, hoc eſt, *proſiſtit*, vt vertit Theodorus, ſcilicet obuia fit, in conſpectum prodit, aut per os, & per aluum emiſſa, aut linguam amarore inficiendo: Ad cutim etiam erumpit aliquando, & luridum creat colorem ſicuti diximus. Eodem autem calore aduritur etiam aliquando pituita, & fit ſalſa: ita enim huic humori acquiri ſalſedinem habemus ab Auicenna libro primo Fen prima doctrina IV. capite primo, cùm non omnino approbaret Galeni dictum, quod eſt II. de differentiis febrium capite VI. eandem ſalſedinem etiam fieri ob ſalſæ ſeroſæ humiditatis mixtionem, ad quam tamen rem nihil hoc loco dicendum nobis eſt. Ab eàdem autem corrupta, & putri laginoſa materia, aliquando ad cor, aliquando ad caput efferuntur vapores, ex quibus fiunt melancholiæ, animi deliquia, & alia grauia ſymptomata, de quibus Galenus libro VI. de locis affectis capite V. & alij etiam medicinæ auctores locis ſuis copioſè pertractant.

XXXI.

Διὰ τί ἀφροδισιασταὶ οἱ µελαγχολικοί; ἢ ὅτι πνευµατώδεις; τὸ γὰρ σπέρµα, πνεῦµά ἐστιν ἔξοδός ἐστιν

οἷς ἂν πολὺ γίγνῃ, ἀνάγκη πολλάκις ὀπιθυμεῖν τούτους ἀποκαθαίρεσθαι· καθίζονται γάρ.

Cur libidinoſi ſunt qui melancholici? An quòd flatu redundant. Semen autem deceſſio flatus eſt: ergo quibus id ipſum amplificatum, hos ſæpe purgari appetere neceſſe eſt: ſic enim efficitur, vt leuentur.

Galenus commentario tertio in VI. epidemiorum tex. XII. hoc Ariſtotelis problema ad verbum refert ita ſcribens, vt nos in præſentia conuertimus: *Ariſtoteles autem in Problematis cauſſam quærit, quam ob rem melancholicis libidinoſis eſſe contingat. Ait autem non paucum flatuoſum ſpiritum ipſis in hypochondriis colligi, ex quo flatuoſæ, & hypochondriacæ appellentur huiuſmodi affectiones. Diocles etiam & Pliſtonicus, & plerique ex medicis ſic nominari ipſa dicunt; non male autem fuerit quædam etiam ex illis, quæ ab Ariſtotele dicta ſunt referre, quæ ita habent. Cur melancholici libidinoſi ſunt? an quoniam flatulenti: ſemen enim flatus excretio eſt: quoniam igitur copioſus hic eſt, neceſſe eſt ſæpenumero appetant purgari, leuantur enim.* Hæc Galenus. Non puto autem longiori oratione diſputandum, quod facit Aponenſis, de quibus melancholicis, aduſtíſne an aliis, loquatur Ariſtoteles in præſentia; ſatis enim patere poteſt ex quæſtionis diſſolutione, quocúmque in melancholico humore, flatuum abundat copia, ibi hunc veneris impetum de quo loquitur adeſſe: & verò in omnibus ratio par, etſi alij calidiores, alij minùs calidi omnes enim calido natiuo exiguo prædíti ſunt: ex quo cruditas in omnibus magna, quam etiam melancholiæ plerunque principium eſſe dixit ex Rupho, & Galeno Ætius tetrabibli ſecundæ ſermone ſecundo. Caloris igitur debilitate in omnibus magna redundat flatuum copia: ab ea enim excitari flatus, ex Galeni doctrina variis in locis, medicis omnibus notum eſt. Ex hac igitur flatuum copia, veneris oritur appetitus & ſtimulus, quem vt tollant, flatúque vrgente purgentur venere vtantur neceſſe eſt: quamquam re vera impetum potiùs, & incitamentum quàm facultatem iis omnibus adeſſe exiſtimari poſſit; calore natiuo ſine quo omnia languent debilitato. Impetus tamen ille & ſtimulus eſt, cui ſi obtemperent, ea quidem re, quantum fieri poteſt leuantur: ſemen enim vt dicit Ariſtoteles, flatus excretio eſt, aut deceſſio vt vertit Theodorus. Re autem ſollicitante excreta, quid ni iuuentur? Porrò autem hoc dictum de ſemine, ſicuti etiam alia nonnulla, quæ ad hoc problema pertinent, non putem meliùs explicari poſſe, quàm verbis eiuſdem Ariſtotelis problem. primo ſectionis xxx. quæ ita leguntur, vt nos quidem vertimus; Theodorus enim in eorum tralatione alicubi fœdè lapſus eſt, ſicuti ego exiſtimo. *Succus autem & temperamentum atræ bilis flatulenta ſunt: quam ob rem affectiones flatuoſæ, & quæ hypochondriacæ dicuntur, ad melancholiam medici referunt.* Et paullò poſt. *Et melancholici maxima ex parte ſalaces ſunt. Concubitus enim res flatulenta eſt. Indicium penis, qui ex paruo celer adeò acquirit augmentum, quia inflatur: & adhuc priuſquàm poſſit emittere ſemen, fit quædam voluptas in pueris, cùm propinqui pubertati ſcalpunt per libidinem pudenda: manifeſtè nimirum ob hoc ipſum, quia ſpiritus exit per meatus, per quos poſtea fertur humor. Profuſionem etiam, & eiectionem ſeminis in concubitu, manifeſtum eſt fieri à ſpiritu impellente: vnde eſculentorum, & potulentorum illa meritò libidinem mouent, quæcunque pudendi locum flatu replent.*

XXXII.

Διὰ τί ἡ οἱ ὄρνιθες, καὶ οἱ δασεῖς ἄνθρωποι λάγνοι; πότερον ὅτι ὑγρότητα ἔχουσι πολλὴν; ἢ οὔ, (τὸ γὰρ θῆλυ, ὑγρὸν μέν, ἀλλ' οὐ δασύ) ἀλλ' ὅτι ἀμφότεραι αἱ φύσεις; πεπτικὴ ὑγρότητος πολλῆς διὰ θερμότητα; σημεῖον δὲ αἱ τρίχες ἢ τὰ πτερά· ἢ ὅτι πολὺ τὸ ὑγρὸν, ἡ κρατεῖ ὑπὸ θερμοῦ; ὅταν γὰρ ἂν μὴ πολλῆς ᾖσης τῆς ὑγρότητος. ὅταν μὴ κρατηθῇ, ἐξεφύετο τοῖς μέν, αἱ τρίχες, τοῖς δὲ, τὰ πτερά· τὸ δὲ σπέρμα γίνεται ἐν τοῖς γιάνοις πλεῖστον, καὶ τόποις, ἢ ὥραις, οἷον ἐν τῷ ἔαρι· ἡ γὰρ φύσις ἀυτὸ, ὑγρὰ καὶ θερμή. διὰ ταὐτὸ δὲ καὶ οἱ ὄρνιθες λάγνοι, ἢ οἱ χολοί· ἡ γὰρ τροφὴ ἀμφοτέρως, κάτω μέν, ὀλίγη, διὰ τὴν ἀναπηδίαν τῶν σκελῶν· εἰς δὲ τὰ ἄνω τόπον ἔρχεται, καὶ εἰς σπέρμα συγκρίνεται.

Cur aues & piloſi homines libidine vehementer aguntur? Vtrum quòd multum humoris continent, an non ea ratio eſt? Fœmina enim quæ humida eſt, pilis vacat; ſed potiùs quòd genus illud vtrúnque naturæ, multi humoris concoquens propter caloris copiam eſt. Indicio pilus eſt, atque penna. An quòd & multum ineſt humoris, & id à calore ſuperatur? Neque enim ſi multum non eſſet humoris, neque ſi non à calore vinceretur, pennæ auibus, pili

hominibus posſent vnquam oriri: ſemen autem vel loci, ac temporis [*portione, vel*] ratione creari plurimum poteſt, [*vt in aëre*] vt in vere: nam eius natura & calida, & humidà eſt. Fit etiam ratione communi, vt aues, & claudi homines ſalaces nimiùm ſint: alimentum enim vtriúſque, deorſum quidem exiguum profluit, propter vitium cruris: in ſublime verò affatim effertur, atque in ſemen conuertitur.

Hoc problema legitur etiam ſectione decima, & eſt illius ſectionis xxvi. hoc tamen vtriúque intereſt, quòd vox δασέας, *piloſi*, hîc quidem ante homines poſita eſt, ſectione autem x. poſt eandem vocem, & poſt, *aues*, vt ſenſus poſſit varius apparere. Hoc enim loco manifeſtè videtur proponi quæſtio de auibus & piloſis hominibus: verba enim ita ſonant: *Cur tum aues, tum piloſi homines luxurioſi?* Sectione autem decima de hominibus piloſis, & auibus itidem piloſis. Hanc autem diuerſitatem in tralatione non dicam attendiſſe, aut obſeruâſſe Theodorum: hoc enim loco de auibus, & piloſis hominibus, ſectione autem decima de piloſis hominibus, & auibus quæſtionem diſertè proponit Theodorus. Verùm ſectione decima vt poſſint eiuſdem Theodori verba ad ſenſum quem modò diximus trahi, ita tutiùs erat, vt puto, quemadmodum Græca ſonant, ita conuertere: *Cur homines & aues piloſi, luxurioſi ſunt?* His autem verbis neceſſarium videatur, adiectiuum, *piloſi*, ſeu, *hirti*, vt conuertit Theodorus, vtriſque tum auibus, tum hominibus cohærere, quæ neceſſitas in Theodori tralatione minimè apparet: hirtos autem ſeu piloſos & denſos dicit aues, quicúnque copioſiore pluma abundant: & de his, ſicuti de piloſis hominibus inquirit ſectione decima, cur luxurioſi ſint, illíſque adeò magis qui pennæ aut pili eâdem copia non abundant: hoc autem loco ſi ad eundem ſenſum problematis verba trahamus, nimia fortaſſe vis illis videatur inferri: nec tamen vt puto diſcedamus à veritate: ratio tamen problematis non diſſimiliter, vtro modo accipiamus verba, procedit. Sunt igitur, quas pro ſolutione affert, rationes tres, non alteræ ſanè, nec omnino diuerſæ inter ſe: ſed quarum prior poſteriorem, & inſequentem perficiat. Primùm igitur, libidinis propoſitæ cauſſam eſſe dicit humiditatis abundantiam, quæ piloſis hominibus & auibus ineſt. Hæc autem vniuerſalis quædam cauſſa, & ratio eſt: quæ niſi altera accedat, effectum minimè producat: vnde illam ipſam reiicit Ariſtoteles, eo argumento, quòd mulieres, quæ natura humidæ ſunt, ſicuti habuimus ſuperiùs problemate xxviii. minimè pilis veſtiuntur. Non videatur autem Ariſtoteles rectè concludere: non enim de pilis, ſed de libidine propoſitum probleblema eſt. Igitur de hac, non de pilis oppoſitio proponenda & inferenda. Nihil verò refert, & eadem res eſt, ſi eiuſdem Ariſtotelis doctrinam conſideremus tertio de generat. animalium capite primo, quæ per multas ſententias profertur; nimirum vtrorúmque generationem, pennarum & ſeminis, excremento conſtare, illúdque excrementum, cum vtríſque copiam ſuppeditet materiei, modò in vnam, modò in alteram partem conuerti. Quæ igitur carent pennis, ſeu pilis, hoc quidem indicio ſeu argumento, ſemine etiam carebunt, aut proportione res eueniet. Cùm igitur fœminæ humidæ ſint, & pilis vacent, ab humiditate non oriri pilos appareat; nec igitur ab eadem libidinis incitamentum. Adducit igitur alteram cauſſam Ariſtoteles, quæ priorem adiuuat, ſcilicet calorem concoquentem humiditatem. Quia enim vtræque illæ naturæ (quod Theodorus obſcuriùs vertit, *genus illud vtrumque naturæ*) nimirum aues, & homines piloſi, ob calorem quo præditæ vtræque ſunt, multam illam humiditatem concoquunt, quæ eo modo ſeminis materia eſt, prouenit illis libido: concoqui autem multam illam humiditatem ſigno probat: quia pili multi, & plumæ multæ oriuntur, quod non fieret niſi concoquerentur. Pili igitur ipſi, quorum ratione quæſtio propoſita eſt, indicio rei ipſi quæſitæ ſunt. Porrò pennas excremento naſci pluribus verbis habemus ab Ariſtotele, loco quem modò adduximus iii. de generatione animal. capite primo: pilorum itidem generationis materiam eodem conſtare qualéque ſit, & quomodo ab alio differat ſcribitur ſecundo eorundem librorum capite ſexto, & quinto, eorundem capite tertio, cùm de magnitudine aculeorum pelagici echini verba faceret: quæ loca adire licet, rem exquiſitiùs noſſe cupienti: nobis enim huc omnia afferenda non ſunt: & vel plura etiam quàm oporteat, afferimus aliquando. Galenus qui libro ſecundo de temperamentis capite vi. hirſutam maximè dixit intemperiem calidam & ſiccam, non tamen Ariſtoteli contraria propoſuiſſe exiſtimandus. Dicit enim ſiccitatem hanc intelligi, vt in hominum corpore, quæ humoris non eſt expers: non abſque hoc; in terra enim ſicca herbæ haud naſcuntur. Igitur ab humiditate tanquam à materia, verùm

remotiori, pili Galeno oriuntur: itidem ab humiditate Aristoteli. Humiditas verò absque calore id non efficiat: quod vtérque similiter asserit. Quo autem calor intensior, magis exsiccat, vt quidem licet in hominis corpore, atque excrementum, seu proximam pilorum materiam efficit ad eam rem aptiorem, vberiorem fieri pilorum prouentum, id scribit Galenus, nec negat Aristoteles. ἢ ὅτι πολὺ τὸ ὑγρὸν ἐκ κρατεῖται ὑπὸ θερμοῦ. *An quòd & multum ineſt humoris, & id à calore ſuperatur?* Tertia hæc ratio est, quam à secunda non video admodum diuersam: vt enim altera proponebat calorem concoquentem humiditatem; ita hæc eundem calorem superantem, & euincentem humiditatem; at coctio victoria est: nisi enim calor euincat, & superet humidum, coctio haud fiet. Diuerso quidem ordine, aliisque verbis: ratione enim seu respectu nescio an dicam, hæc ab Aristotele proposita fuisse video. In secunda enim ratione, proponebat naturas ob calorem multæ illius humiditatis concoctrices: hîc autem multum humidum superari à calore. Verùm hæc diuersitas adeò leuis & exigua est, illius vt me pudeat meminisse, ne dum tertiam aliam rationem constituat. An dicendum his perfici adhuc secundam rationem, quod & antea proposui? Ad libidinem enim excitandam, nec sola humiditas multa, nec multa humiditas à calore concocta sola sufficiat: nisi sub eiusdem caloris potestate ita sit multa illa humiditas, vt ab eo mota, & quasi manu ducta, beneficio spiritus ad loca generationis deferatur? Ostendit autem hoc caloris dominium aduersùs humiditatem Aristoteles, quia nisi hic humor multus, & à calore victus, eius adeò arbitrio regeretur, nec pennæ auibus, nec pili hominibus enascerentur: quippe ad eam partem à calore minimè deductus. Porrò eiusdem problematis solutionem breuiùs admodum ab vna excrementi abundantia desumptam, habemus apud eundem Aristotelem libro IV. de generatione animalium capite V. ad finem. Vbi cùm de lepore loqueretur, eiúsque fœcunditate, quippe quæ & superfœtet, & plura pariat, hæc subiicit, vt Latinè reddit Theodorus: *Semine etiam abundat, quod eius hirſutie ſignificatur: copia enim pili exſuperat: nam hoc vnum animal, pilos & ſub pedibus habet, & intra genas: pili autem abundantia, & hirſuties, copiam indicat excrementi: quam ob rem homines piloſi libidinoſiores, & feminis copioſiores ſunt, quàm læues.* τὸ δὲ σπέρμα γίνεται ἐν τοῖς τριάκοντα πλεῖον. *Semen autem vel loci ac temporis portione vel ratione.* Hæc in Latina Theodori tralatione fœdè corrupta sunt. Puto tamen librariorum, aut qui ea typis excuserunt, menda esse. Ita autem facilè conuertenda: *Semen autem in talibus ſiue locis, ſiue temporibus plurimum fit, quemadmodum in vere contingit: eius enim natura humida & calida eſt.* Ex verbis igitur illis Theodori, *portione vel ratione*, priores duas voces, *portione vel*, delendæ sunt, quæ ex margine vt existimo in contextum irrepserunt: & ex illis similiter, *vt in aere*, *vt in vere*, tres illas priores, *vt in aere*, quas non secus ex margine in contextum translatas fuisse arbitror. Nam cùm in aliquo exemplari scriptum esset, *in aere*, emendauit quispiam ad oram libri, *in vere*, librarius verò deinde exscribens, vtrúmque in textum assumpsit, & locum inquinauit. Rem igitur propositam liquidiùs adhuc explicat hoc loco Aristoteles: Nam quoniam dixit, multa in corpore humiditate existente, eáque à calore cocta, & pro arbitrio superata, ac mota libidinem excitari, id ea re fieri docet, quoniam quibus & quum eueniunt, tunc & illis semen plurimum fit: plurimo autem existente semine, excitatur libido. Ostendit autem ratione multæ humiditatis & caloris plurimum fieri semen, tum signo, nam in vere, quod tempus est calidum & humidum (hoc enim ita dicit hoc loco Aristoteles, sicuti & Hippocrates in primo libro de Natura humana, quamquam Galenus temperatum, neque est vt de ea re nunc disquiramus) multa gignitur seminis copia: tum ratione. Nam semen est naturæ calidæ & humidæ, quod & alibi traditum est. Facilè igitur & expeditè ab iisdem qualitatibus illius copia proueniet. Διὰ ταὐτὸ δὴ καὶ οἱ ὄρνιθες λάγνοι, καὶ οἱ χωλοὶ. *Fit enim ratione communi, vt aues, & claudi homines ſalaces nimiùm ſint.* Corollarium. Quoniam ratione multi excrementi, seu multæ humiditatis, seu multæ materiæ, non enim his locis omnibus excrementum sumitur pro re vitiosa omnino & corrupta; sed pro eo quod alicui parti supereſt, vt apparet ex Aristotelis loco, quem superiùs adduxi ex II. de generatione animalium caput VI. quum de alimento ex quo fiunt partes nobiliores: & excrementis, seu reliquiis, ex quibus reliquæ necessariæ, pulcherrima Aristoteles proponeret. Quoniam igitur ratione multæ materiæ ex qua multum semen est, propositum fuit libidinem excitari in hominibus piloſis, & auibus; eâdem ratione fieri subdit, vt tum aues, tum claudi homines libidinosi sint, quia multa materia vtrísque in semen transit: exigua enim materia, seu alimentum (alimentum enim dicit quod humiditatem paullò ante dixit, & excrementum etiam dicatur iuxta proposita) claudis defertur ad partes inferiores, hoc est, ad crura, ob eorundem vi-

tium;

tium; quippe quæ mutilata exiguo indigent alimento: & auibus ſimiliter ob naturalem eorundem crurium tenuitatem, quæ pauca deſiderat. Materia igitur illa, & illud alimentum fertur ad partes ſuperiores, & in ſemen ſecedit, ex quo ad libidinem impetus exoritur. Obſeruandum autem, appellare Ariſtotelem partes ſuperiores illas quæ ad ſemen pertinent, cùm ſæpius antea eaſdem inferiores dixerit, quia nimirum ratione & comparatione aliorum loquitur. Ita verò partes illas modò ſuperiores, modò inferiores appellari, nihil abſurdi ſit. Dicere etiam poſſimus, alimentum tendere ad partes ſuperiores, hoc eſt ad cerebrum, & inde deſcendens in ſemen tranſire, & ad genitalia ferri: ex cerebro enim magnam ſeminis partem gigni, pluries antea dictum eſt.

XXXIII.

Διὰ τί ἐὰν ἀφροδισιάζῃ ὁ ἄνθρωπος, οἱ ὀφθαλμοὶ ἀσθενέστερα μάλιστα; ἢ δῆλον ὅτι ἀπολείπουσιν τὸ ὑγρόν τοῦτο γίνεται; τεκμήριον δ' ὅτι ἡ γονὴ ψυχρά ἐστιν· ἡ δὲ γίνεται ὑγρὰ ἐὰν μὴ θερμανθῇ τὰ θερμά· ἐνδεῖται πήξεως· κέχυται γὰρ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ὥσπερ τὸ αἷμα.

Cur homini, cùm concumbit, oculi potiſſimùm infirmantur? An quòd humore deficiente id accidit. Argumentum verò, frigidam eſſe genituram, quòd humida nunquam redditur, niſi calefiat, nec vllam deſiderat liquefactionem: quandoquidem per vniuerſum corpus expreſſa eſt, quemadmodum ſanguis.

Iterat partem problematis ſecundi, quæ ad oculos pertinebat. Quamuis autem ibi copiosè fuerit explicata quæſtio, diligentem adhuc declarationis operam deſiderant Ariſtotelis verba: illorum enim ſenſus admodum difficilis eſt, nec ſatis apparet, quomodo ratio qua problematis ſolutio continetur, confirmetur ab Ariſtotele. Perſpicuè igitur dicit Ariſtoteles, concumbenti ideo oculos laborare, & debiles fieri, quoniam humidum deficit, nimirum per concubitum excretum: oculi autem, natura humidi ſunt, atque aquei: exſiccatio igitur illis multùm obeſſe poteſt. At rationem propoſitam non ita confirmat Ariſtoteles, verùm ait: τεκμήριον δ' ὅτι ἡ γονὴ ψυχρά ἐστιν, quæ Theodorus vertit: *argumentum verò, frigidam eſſe genituram, quòd humida nunquam redditur, niſi calefiat.* His autem non video confirmari, quod erat neceſſe, ob defectum humidi, qui ex concubitu aduenit, debilitari oculos: ſed oſtendi, obſcurè licet, frigidam eſſe genituram; id autem quid ad propoſitam rationem facit? Sanè vt facilè eſt videre, Theodorum fortaſſe lapſum eſſe in Ariſtotelis ſententia conuertenda, cuius verba ita ſonant: *Argumentum autem, quoniam genitura frigida eſt, non enim fit humida niſi excalfiat*; ita accommodatum ſenſum inde elicere, admodum arduum mihi quidem eſt. Primùm ſanè verba illa, τὰ θερμά, vel non agnouit Theodorus, vel legit τῷ θερμῷ; Quam lectionem non improbo: quod verò ait Ariſtoteles, τεκμήριον δ' ὅτι, *argumentum autem*, fortaſſe non ad ea quæ ſubſequuntur, quod facit Theodorus: ſed ad ea quæ præceſſerunt, referendum eſt, hoc ſenſu: Argumentum verò eorum quæ modò diximus, nempe ob humidi defectum concumbenti debilitari oculos, hoc eſt argumentum, quia genitura eſt frigida, nec fit humida niſi excalfiat: loquitur autem Ariſtoteles de genitura, ſeu de ſemine, hoc eſt, de materia ipſius quæ frigida eſt, & humida, nimirum aquea ſicuti cerebrum eſt, quemadmodum ſcribit libro ſecundo de generatione animalium capite ſeptimo, quem locum attulimus ad problema ſecundum: Pauca verò quædam neceſſe etiam vt puto hoc loco repetere, quæ ita leguntur vt Latinè vertit Theodorus: *Sedes oculorum maximè omnium locorum capitis, ſeminalis eſt, quod patet, cùm ſola ipſa per coitum venereum manifeſtè immutetur, & vſu immodico rei venereæ oculi apertè langueant, & ſubſideant: cauſa eſt quòd natura genituræ ſimilis cerebro eſt, aquoſa enim materia eius eſt.* Igitur hoc loco puto ad eundem ſcopum tendere rationem: genitura eſt frigida ſicuti cerebrum eſt, ſpiſſa & concreta, neque humida fit niſi accedente calore, ratione cuius diſſoluitur, & liqueſcit, ac fluit à cerebro per oculos ad genitalia: atque ita deficit humidum, & oculi exſiccantur. At enim quid locum ita expono, quamquam duce Aponenſi, ſi quæ ſequuntur manifeſtè reclamant? Non deſiderat, inquit Ariſtoteles liquefactionem: eſt enim diffuſa in homine vt ſanguis. At deſiderauit liquefactionem problemate ſecundo in quo habuimus: *quantum alimenti facilè liqueſcere poteſt, id preſſum extruditur.* Quomodo verò non deſideret liquefactionem, ſi nunquam redditur humida niſi calefiat?

lesiat? Adhuc si in homine, aut per vniuersum corpus, vt reddit Theodorus diffusa est, quomodo non ex toto corpore secedit? quam sententiam improbauit primo de generatione animalium capite decimo octauo. Molesta admodum hæc sunt, ísque locus mihi videtur, in quo malim aliorum audire sententias, quàm ipse meam proferre: quod enim dicam in præsentia aliud non habeo, præterquàm existimare me, locum esse corruptum.

***

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟ-

ΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Ε.

ὅσα περὶ κόπον.

ARISTOTELIS PROBLE-

MATVM SECTIO V.

De iis quæ ad laborem pertinent, THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII COMMENTARIVS.

I.

Δ

ΔΙΑ τί μακρὰ μὲν ὄντες οἱ περίπατοι ἐν τοῖς ὁμαλέσι, κοπιαρώτεροί εἰσι τῶν ἀνωμάλων· βραχεῖς δὲ ἀκοπώτεροι; ἢ ὅτι ἡ τε πολλὴ κίνησις ποιεῖ κόπον, καὶ ἡ ἰσχυρὰ τοιαύτη ἢ ἡ ἀσυμπαθής. πολλὴ δὲ ἡ συνεχής, ἢν μία· ἐν μὲν οὖν τοῖς ἀνάντεσιν, ἐὰν ᾖ μακρὰ, ἀνάπαυσις γίνεται ἡ μεταβολὴ, ἢν ἡ μακρὰ ἡ κίνησις, ἡ δὲ ἵππων αὐτῶν, διὰ τὴν μεταβολήν· ἐν ᾗ τοῖς ὁμαλέσιν, ἡ ὁμοιότης τὸ σχῆμα οὐ διαλαμβάνει, ἡ δὲ ἀναπαύει τὰ μέρη, ἀλλὰ συνεργάζεται πρὸς τὸ συνεχῆ εἶναι τὴν κίνησιν· ὅταν δὲ ᾖ βραχεῖα, διὰ μὲν τὸ πλῆθος τῆς κινήσεως, ἐν τοῖς ὄπισθεν ἂν γίνεται κόπος· ἐν ᾗ τοῖς ἀνάντεσιν, διὰ τὴν μεταβολὴν ἰσχυρὰν γίνεσθαι, καὶ ἐναντίαν, ὅτε μὲν ἄνω, ὁ τὲ ᾗ κάτω, ποιεῖ κόπον· τοιαύτη ᾗ (ὡς φαμὲν) ἐν, τοῖς ἀνάντεσιν· ἐν ᾗ τοῖς πεδινοῖς τοὐναντίον.

Cur ambulationes prolixæ quidem per plana, laborioſiores ſunt, quàm per incompta: breues autem leuiores? An quòd membra tum à multo, tum à vehemente motu frangantur. Eſt autem vehemens, qui paſſim per loca inæqualia agitur: multus verò, qui continens, vnuſque eſt. Locis igitur inæqualibus tametſi longa motio acta eſt, tamen requiem mutatio præſtat, facítque, vt longa non ſit, ne ipſorum quidem equorum propter mutationem. Planis autem habitus ſimilitudo, & paritas nihil interpellat, nec membris vllam præſtat quietem, ſed efficit, vt mouendi ratio continuetur. At verò ſi breuis ſit, nimietas quidem motus nulla in planis fatigabit: accliuibus autem, quoniam immutatio vehemens, & contraria corpus modò ſurſum, modò deorſum vexat, fatigetur, neceſſe eſt. Talis verò motus, vt dictum eſt, qui per ardua agitur: contrarius, qui per plana.

De labore quinta hæc ſectio eſt. Labor autem, qui Græcè κόπος, duobus modis ſumitur in præſentia; partim pro exercitatione, & motu vehementiori: partim pro moleſto illo ſenſu, qui ex vehementiori motu enaſcitur: ad vtrúmque enim pertinentia problemata traduntur. Primum ſanè quærit, cur ambulationes prolixæ & longæ per loca, plana, & æqualia laborioſiores ſint, quàm eædem prolixæ, & longæ per inæqualia, vt ſunt gibba, & conuexa loca, ſeu ſima: contrà ambulationes breues per plana, & æqualia minùs laborioſæ, quàm eædem breues per inæqualia. Sunt igitur duo membra, quorum prioris hoc ſit

exemplum. Si quiſpiam ſex horarum ſpatio milliaria decem per loca æqualia conficiat, totidémque ſimiliter eodem temporis ſpatio per loca inæqualia, exempli gratiâ, quattuor aſcendendo, quattuor deſcendendo, & duo locis æqualibus, itinere perfecto maiorem ille ſentiet laſſitudinem, quàm hic. Secundi hoc ſit exemplum: Ambulet quiſpiam ſtadia quattuor loco plano, eodem temporis ſpatio quattuor ſimiliter per loca inæqualia, modò aſcendendo, modò deſcendendo, vt in altero membro ponebatur, maiorem hic quàm ille perſentiet laſſitudinem. Ita quæſtionis huius ſenſum accipio: ambulationis autem nomine vtrum progreſſio & regreſſio intelligatur, vt conuerſio in ea conuerſioníſque, & flexionis motus neceſſariò contineatur: an proceſſus perpetuus abſque reditu, aliquid fortaſſe non interſit: quamquam cum reditu, & conuerſione accipi videtur problemate XXXIII. de hac enim materia eſt & illud problema; præter quod, & primum hoc, habemus etiam alia quinque, vt ſeptem omnino ſint de eadem ferè re hac ſectione, primum, decimum, duodecimum, vigeſimum tertium, trigeſimum tertium, trigeſimum octauum, ac trigeſimum nonum: ſingulis enim hiſce continetur comparatio ambulationis breuis, & longæ, æqualis, & inæqualis: quod ad laborem ex ea ortum pertinet: nec verò omnibus facilè conuenire videatur. Nos autem difficultatem proponemus ad problema decimum. Nunc autem, quod ab Ariſtotele ſcribitur explicemus. Igitur maioris illius laboris, qui in ambulationibus longis per æqualia, & breuibus per inæqualia, contingit, cauſſam eſſe tradit Ariſtoteles, multitudinem, & vehementiam motus, qui in quolibet eorum maior, quàm in oppoſito fit: hæc autem maioris propoſitionis locum habent, quam declarat Ariſtoteles, explicans qui motus ſit dicendus vehemens, & qui multus. Vehemens igitur ille eſt, ait Ariſtoteles, qui eſt σπασματώδης, nimirum, qui concutit, & diuellit partes; ille enim dolorem creat, qui ex continui ſolutione fit. Porrò autem σπασματώδης, non ἀπερματώδης, vt habent excuſi codices, legendum putauimus, Mercurialem ſequuti libro primo variarum lectionum capite IX. qui ex Theophraſto ita locum hunc emendauit: manifeſtè enim ita habet Theophraſtus in libello, ſeu fragmento de laſſitudinibus. Antiquus autem interpres, & Theodorus voce ea ἀπερματώδης, acceperunt, *loca plana*, neſcio vnde eruta ſignificatione: præter quàm quod abſurdum & nugatorium eſt, qui ſit vehemens motus explicanti, ea re explicare, de qua quærebatur. Quærebatur enim cur ambulationes prolixæ per æqualia magis laborioſæ ſint, reſpondebatur, quia motus ille magis laborioſus eſt qui multus eſt, & vehemens. At multum hunc & vehementem motum declarans iam proferat nugas, qui dicat, motus vehemens eſt, qui fit per loca æqualia: ita verò ex Theodori tralatione res habet. Vel igitur iuxta Mercurialem caſtigandus locus, vel alia reponenda vox, aut propoſita aliter interpretanda: manifeſtè enim per vocem πολλή ſignificari præcedentis termini ἰσχυρά declarationem, conſtat ex iis, quæ ſequuntur, πολλὴ δὲ. Non celârim lectorem, in codice Iuſtiniani haberi hoc loco particulam negationis ἐ, hoc modo, ἐ πολλὴ ἢ. Dicit igitur Ariſtoteles, eum eſſe vehementem motum, qui diuellit partem, multum, qui continens, & vnus eſt. Tota autem ratio ita poteſt conformari: motus ille laborioſior eſt, qui multitudine, & vehementia ſuperat. Ambulatio prolixa per loca plana, & æqualia multitudine, & vehementia motus ſuperat ambulationem per inæqualia: igitur ambulatio prolixa per loca plana, & æqualia laborioſior eſt ea, quæ fit per inæqualia, in qua vehemens ille & multus motus non ita contigit. Quæ ratio ſimiliter accommodetur alteri membro problematis, in quo comparat breues ambulationes per loca æqualia breuibus per inæqualia, illáſque minùs laborioſas eſſe dicit. Probat autem minorem propoſitionem, tangens vtrámque ambulationem, & primùm quæ fit per loca inæqualia, etſi illa in problemate fuerit primo loco poſita, ſicuti à nobis in minori propoſitione. Dicit autem in ambulatione per loca inæqualia, & ſi motus ſit longus, talis enim poſitus eſt, fieri tamen breuem, quia intercedit ceſſatio, & immutatio, cùm modò aſcendendo, & modò deſcendendo iter fiat; hæc autem mutatio quietem parit, vt paullò poſt meliùs apparebit: Quod autem proponitur, non ſolùm pedibus iter agenti, ſed equo etiam contingere dicit Ariſtoteles; ſimiliter enim eidem mutatio accidit: ita de equis hanc ſententiam accipio. Porrò cùm in Græcis exemplaribus legeretur ἐ μικρὰ, nos Theodorum ſequuti & Iuſtinianum putauimus legendum ἐ μακρὰ, & ita locum expoſuimus. Tum alteram partem, ſeu alteram ambulationem tangit Ariſtoteles. Qui enim per loca plana, & æquabilia iter facit, ille ſemper coniunctum habet motum, eſt enim ſemper eadem figura, nec habitus aliquis immutatur; ex quo partes & membra corporis, quiete nulla fruuntur; ea verò fruuntur, quoties mutatio fit; membra enim corporis non eadem ſemper mouentur nec eodem modo, id verò requies eſt; cùm verò partes requieſcunt, licèt

iter longum sit, breue euadit, quod dicebat paullò ante: nam quæ partes quiescunt illæ iter haud conficiunt, atque hoc modo, nec longus nec vehemens motus est: non enim vnus nec continuus, cùm intercedat quies, & cessatio. Theophrastus libello, seu fragmento quod extat de hac materia idem problema proponit, eadem similiter allata ratione. Ad initium autem libelli, quod ad eandem declarandam faciat ait, in eodem situ seu figura corporis permolestam pressionem esse. Esse enim veluti fractionem quandam, & contusionem. Porrò autem immutari motum partium, seu immutari partes, quæ mouentur immutata viæ figura, vel illud eiusdem Aristotelis sit argumentum, quod habetur problemate XIX. ascendentes genibus, descendentes autem femoribus laborare. ὅταν ᾖ ἡ βαχεῖα. *at verò si breuis sit*, explicat alterum membrum problematis. Si in locis campestribus, aut planis ambulatio sit breuis, iam motus non erit multus, nec ob multitudinem gignetur labor: ponitur enim ambulatio breuis: in accliuibus autem seu inæqualibus (cum accliuibus enim intelliguntur simul decliuia, vt patet ex iis, quæ sequuntur) labor fiet: quoniam motus ille vehemens est: nam mutatio vehemens; & contraria; quippe modò ascendendo, modò descendendo iter fit, quæ contraria sunt: huiusmodi autem contrarietas & mutatio, in viæ longitudine, vbi mediocritas quædam eiusdem mutationis existit solatio est, in breuitate labori, quippe ob nimietatem vehemens, non moderata, identidem sursum, & deorsum corpus trahens, atque vexans: nimirum toties ac tam frequenter repetita, iam mutatio iucunda non est: sed vexatio potiùs. Quòd si ambulationem intellexerimus cum regressu & motu, qui ex conuersione fit, vt problemate X. & XXXIII. libenter contrarietatem, & mutationem intelligerem, quæ est in conuersione, dum in reditu mutatur, & retrò conuertitur, qui ambulat: vt iam duplex ibi esset inæqualitas, alia à loco per quem ambulat, alia à conuersione, hæc autem illam superaret: quippe maiori molestia, ex adeò crebra mutatione ad contrarium orta, quàm iucunditate ex viæ inæqualitate. Verùm cùm dicat Aristoteles, mutationem fieri modò sursum, modò deorsum, videtur de loco eam accipere: ni fortè iterum respondeamus: ambulationem per inæqualia mutari ad contrarium sursum, & deorsum, hoc est conuerti sæpius tum cùm in accliui sursum, tum cùm in decliui deorsum est; vt denuò ad eandem inæqualitatem, quæ ex conuersione fit, redeamus. Atque hæc quidem ad problematis sententiam dicta sunt. Deinceps autem ad verba maioris perspicuitatis gratiâ addenda aliqua, τ ἀνωμάλων. *quam per incompta*, per *inæqualia*, melius: nimirum, vt exposuimus, *non plana*, sed *gibbera*, vel *accliuia*, seu *conuexa*, & *decliuia*. ἢ ὅτι ἡ τε πολλὴ κίνησις ποεῖ κόπον, & reliqua. *An quòd membra tum à multo, tum à vehemente motu franguntur, &c.* Hinc ad finem vsque problematis omnia mihi denuò conuersa proponere libuit: quãdo melius ita quidem Aristotelis sententia posse exprimi videatur, quàm à Theodoro factum fuerit, & expositionis nostræ ita melius constare vim, & rationem. *An quoniam tum multa motio facit laborem, tum vehemens, huiusmodi autem diuulsoria est: multa autem, quæ continua, & vna* [est]. *In locis igitur inæqualibus si longa sit, fit quies ipsa immutatio, nec motio longa* [est] *neque ipsorum equorum ob immutationem. In æqualibus autem similitudo figuræ minimè diuidit, neque requiem præstat membris, verùm adiuuat, vt motio continua sit: quum verò breuis est, in campestribus sanè ob motionis multitudinem non gignitur labor; in accliuibus autem, quia mutatio est vehemens, & contraria, modò sursum, modò deorsum laborem facit. Huiusmodi autem est sicuti diximus in accliuibus, in pedestribus autem è contrario.*

II.

Διὰ τί τοῖς λειποψυχοῦσι, & τοῖς ἐκ τῶν γυμνασίων ὀξαλυομένοις, ἐλάττως τε οἱ ὄγκοι, & ὀξύτεραι δοκοῦσιν εἶναι αἱ φοναί; ἢ ὅτι αἵ τε φοναὶ ἐλάττως φαινόμεναι, ὀξύτεραι φαίνονται· (σημεῖον δέ, ὅτι μιμοῦνται τὸν πόρρωθεν ὀξὺ φθέγγοντα) & οἱ ὄγκοι ἐλάττους.

Quam ob caussam, qui animo deficiunt, & qui præ nimio exercitandi labore dissoluuntur, mole corporis contractiore existunt, vocémque reddere acutiorem putantur? An quia voces minores mittuntur, ideo acutiores esse videntur. Argumentum, quòd qui clamantes à longè imitantur, acutè proferunt: moles autem corporum minores idcirco redduntur, quòd sanguis à summis corporis partibus seuocat ad imas.

De duobus subiectis idem quæritur prædicatum: quamquam illud complexum est, &

duas partes continet non parum diuersas:nimirum cur,& corporis moles minor fiat,& voces acutiores reddantur, cùm illis, qui animo linquuntur, tum qui ob exercitationes dissoluuntur: hæc autem exiguam sanè partem ad illam materiam spectare videntur, de qua hac sectione institutus est sermo. Nam quod de animo deficientibus proponitur, ei nihil est cum labore, nisi animi defectus à labore genitus intelligatur. Sic verò quomodo non idem sit, cum eo, quod sequitur de iis, qui dissoluuntur ob exercitationes? Locum sanè aptiorem habet vtráq; pars in segmento de voce quæ vndecima est; atque verò ibi non semel de ea re disquiritur, quando verò hoc loco etiam proposita est, non omnino à nobis omittenda: vberiùs tamen tractabitur sectione vndecima. Primo igitur acutioris vocis causſam reddit: atque ait, ideo voces apparere acutiores, quia minores, & exiliores sunt: quæ autem minores sunt, illæ acutiores apparent: cuius rei illud signum tradit; nam qui imitantur voces illorum qui à longè sunt, acutiori voce vti, ac sonare solent: quæ res pluribus pertractatur problemate VI.sectionis XI. quam diximus: minores autem esse voces eorum, qui tum animo linquuntur,tum ob exercitationes exsoluuntur,iam non probat,tamquam manifestum, cùm summopere debilitati, seu viribus potiùs exsoluti, nisi exiliter loqui non possint. Moles autem corporis, quæ altera est prædicati pars, cur minor eisdem fiat causſam non habemus in Græcis excusis exemplaribus traditam, in quibus post illa, Ἐλάττους οἱ ὄγκοι ἐλάττους, *moles autem corporum minores idcirco redduntur:* reliqua desiderantur, sicuti etiam in antiqua tralatione. Theodorus tamen videtur illa habuisse, qui subdit, quòd sanguis à summis corporis partibus seuocat ad imas. Nimirum in animi defectu sanguis, & spiritus à corporis superficie, & parte externa, ad interna viscera, & ad cor refugit: ex sanguine autem, & spiritu, quando efflorescebant, & extumescebant externæ corporis partes, meritò illis priuatæ concidunt,& minores redduntur.

III.

Διὰ τί ἡ γαστὴρ μόνον λεπύνεται τῶν γυμναζομένων; ἢ ὅτι πλείστη ἡ περὶ τὴν γαστέρα.

Cur venter tantummodo extenuatur eorum, qui se exercitationi dederunt? An quoniam venter pingue amplectitur plurimum.

Quod hoc loco de ventre proponitur, qui exercitationis vsu solus extenuatur, cùm reliquæ corporis partes ab ea id minimè patiantur, iterat Aristoteles problemate XIV. in quo tamen pro exercitatione frictionem ponit. Solutio autem quæ hîc breuissimè tangitur, & à pinguedine desumitur, qua venter refertus est, quæque ob motum facilè liquatur, copiosiùs habetur eo loco, qui omnino pro huius quæstionis exacta declaratione videndus est.

IV.

Διὰ τί τὸ πῖον τετηγμένον γίνεται τοῖς πονοῦσιν; ἢ διότι τὸ πῖον θερμαινόμενον· ἡ δὲ κίνησις θερμαίνει· ἡ δὲ σὰρξ οὐ τήκεται.

Cur pingue eorum absumitur, qui se laboribus dedunt: caro autem nullatenus emaceratur? An quoniam pingue concalfactum liquescit: quod carni non euenit. Motio autem concalfacit.

A superiori dependet tum hoc, tum subsequens problema quintum: in solutione enim superioris duo proposita sunt: pinguedinem à motu liquari,& ventrem pinguedine esse refertum: ea vt nota faciat, de vtróque rursus quærit,& primùm hoc loco cur motu pinguia liquentur: id autem fieri dicit, quia ob calorem, qui ex motu gignitur, pinguedo liquescit, non liquescit caro: hæc autem vberiùs pertractabuntur omnia ad problema XIV.& aliquæ obiectiones tollentur. Hîc interim sciendum, illa, *caro autem nullatenus emaceratur,* cùm in Græco contextu non adsint, addita fortasse à Theodoro ad sensum liquidiùs, & perfectiùs explicandum.

V.

Διὰ τί δὲ τὰ περὶ κοιλίαν πόται ἰσχνοῦσι; πότερον ὅτι ἐκ τῆς τροφῆς ἐν ὅσῳ ἂν τἆλλα παρ' ἐκείνης λαμβάνῃ, οὕτω πολλάκις λαμβάνει, ἢ ὅτι ἥκιστα πονεῖ κάμπτων τὸ σῶμα ἔχει.

Cur

Cur venter opimus admodum esse solet? Vtrum quòd cibo propinquus est: dúmque cætera membra ex ventre hauriunt, venter ipse sibi sæpius ingerit. An quoniam minimè venter laborat: flexibus enim hic nullis contorquetur.

Et hoc, vt dicebam, dependet à problemate tertio, quod etiam indicat particula ἢ quam apponit Aristoteles scribens, Διὰ τί δὲ, illa autem huiusmodi problematum nexum indicare solet, vt alibi obseruauimus. Non bene igitur fecit Theodorus, qui eam omisit: Conuertamus igitur in hunc modum: *Propter quid autem pingues admodum sunt partes circa ventrem?* duas igitur plurimæ huius pinguitudinis causas affert Aristoteles. Prima est, quia partes circa ventrem, seu venter, idem enim est dicere, cibo proximus est, quam rationem habemus etiam problemate x i v. cibus enim ex ore in ventriculum primò delabitur tum chyli nomine per meseraicas ad iecur defertur, vnde postmodum ad reliquas corporis partes distribuitur: illa autem loca ventri, eiúsque partibus proxima sunt. Quando igitur alia inde desumunt, quid ni ipse sæpius, & ad libitum saturetur? Tum alteram rationem affert Aristoteles, quia venter non laborat, caret enim omni articulo, atque etiam omni osse, cuius rei rationem reddit libro secundo de partibus capite i x. labor autem fit in articuli flexu, & attritione, dum inuicem se se ossa confricant: attritione autem hac caret venter: si igitur labore vacat, qui pinguedinem colliquat, & extenuat iure pingueſcit venter. Ad hanc rem habemus etiam alia quædam problemate decimo quarto.

V I.

Διὰ τί οἱ κόποι μᾶλλον πάυονται, ὅταν τις τῷ ἐλαίῳ ὕδωρ συμμίξας ἀνατρίψηται; ἢ ὅτι μᾶλλον εἰσδύεται τὸ ἔλαιον μὴ τοῦ ὕδατος; ἐὰν δ' αὐτὸ καθ' αὑτὸ ᾖ, οὐχ ὁμοίως παρεισδύνει, Διὰ τὸ ὑπολασικὸν εἶναι· μᾶλλον δ' ἂν μαλάττοι τὸ σῶμα εἰσδυόμενον· ἡ δὲ πρὸς τὸ ἔλαιον ὄντι φύσει θερμόν· ἔστι δὲ θερμὰ, καὶ ξηραίνει, καὶ σκληρύνει· ποιεῖ δὲ τοὺς κόπους, ἀξυμφορόν ἐστιν ἡ ξηρασία, ᾗ δ' ἡ σκληρότης· μᾶλλον δὲ τοῦ ὕδατος ἀναστρίφειν, ἧττον ξηραίνει.

Cur meliùs fatigationes tum cessant, cùm quis ex aqua oleo permixta se perfricuit? An quoniam oleum magis subire cum aqua potest, quàm si per se ipsum est: ducitur enim suapte natura, vt innatet, & fluitet. Vbi autem subiit, corpus subinde ampliùs emollitur. An quia oleum natura calidum est: calidum autem quodque, & siccat, & indurat. At membris fatigatis siccitas, & durities incommodæ omnino sunt, mistum igitur aquæ eò plus iuuat, quò minùs siccat.

Quæ hic à Theodoro fatigationes dicuntur, passim, & meliùs ab aliis Latinis dicuntur lassitudines, nimirum tristes quidam affectus, & sensationes, quæ post laborem in corporibus relinquuntur, aut etiam absque labore proueniunt, quæ spontaneæ lassitudines appellantur. De his autem copiosè Galenus libro tertio, & quarto de tuenda valetudine, sicuti diximus ad problema x l. primæ sectionis, quo loco similiter hanc lassitudinum medelam ex oleo, & aqua, non tamen mixtim proponebat. In præsentia igitur Aristoteles ad lassitudines tollendas cur aquæ, & olei mixtio magis approbanda sit, quàm singulorum separatim vsus, rationes duas reddit. Prima est, quoniam oleum aquæ immixtum poros faciliùs subit, altiúsque corpus ingreditur, quàm per se solum: oleum enim ea natura prædictum est, vt in superficie innatet, & in extremis resideat, minimè autem intima, & altiora ingrediatur. Eget itaque aliquo, quod viam muniat, & comitem se illi præbeat, alioquin non illuc se conferat: talem igitur, si illi præstemus aquam, corporis altiora subit, atque partes illas magis emollit, quàm faciat in summo fluitans; est autem emollitio lassitudini solatio, quippe siccitas, & durities incommoda, quod mox proponit Aristoteles: atque etiam Galenus pluribus in locis. Idem autem Galenus, cùm ad eandem lassitudinem tollendam aquæ, & olei hanc mixtionem summopere approbaret libro secundo de simplicium medicamentorũ facultatibus capite xxv. non eadem omnino ratione vsus est: satis tamen simili; vt enim hîc Aristoteles vult aquam oleo immisceri, quia oleum, si per se affricetur, non similiter potest subire corporis meatus, sicuti aquæ immixtum, quæ oleum intus ducit, ita Galenus oleum vult immisceri aquæ, quia aqua per se nõ inhæret corpori; sed facilè effluit,

tum quæ exteriùs corpori circumfunditur,tum ea,quæ interiùs subit : oleum autem ipsam detinet; totum locum attulimus ad problema XL. sectionis primæ:hîc autem ea tantùm afferemus,quæ ad præsentem rationem attinent, atque ita leguntur: *Si corporibus inhærere posset aqua, nec facilè defluere,ipsa quidem per se sufficeret. Atqui cum ea,quæ foris circumfunditur facilè defluat,& quæ in poros ingressa corporis nullam habet ansam, promptè effluat, in hoc sanè ipsum vtiliter miscetur oleum maximèque iuuat,si ex vtroq; quis diutius fricetur.* Et paullò post ad finem capitis : *Quippe contusa cum oleo aqua, quod hydrelæum vocant, magis auxilio est lassitudinibus, quàm si esset sola : non quidem quòd suæ vires intendantur, sed quòd quibus opus est,diutius inhæreat. An quia oleum natura calidum est.* Sequuti sumus lectionem Theodori, qui hîc agnoscit voculam ἢ, qua tamen carent tum excusi Græci codices, tum etiam antiqua tralatio, & hinc alteram exordimur problematis rationem : etsi enim absque ea aliquis sensus constaret, erat tamen violentus, & inconcinnus. Est igitur altera ratio, ideo oleum aquæ mixtum magis prodesse lassitudinibus, quia minùs exsiccat : lassitudini autem exsiccatio noxia est; oleum autem per se plus exsiccat, quàm lassitudini opus sit : aquæ autem immixtum non ita, aqua enim quia humectat, olei exsiccationẽ imminuit. Probat autem exsiccare oleum, quia calidum est : omnia autem calida exsiccant, & indurant; ex accensa enim caliditate, inflammataque nimiùm parte, euaporat humidum, atque pars dura, & sicca redditur. Oleum sanè calidum esse habuimus etiam problemate XL. sectionis primæ, de qua calefactione ad eum locum ex Galeno nonnulla adduximus. Siccum fuerunt etiam inter antiquos, qui dicerent oleum,vt constat ex Galeno libro secundo de simplicium medicamentorum facultatibus capite XX. inter illos fuisse Aristotelem non dixerim,disertè enim sectione XXXVIII. problemate tertio, oleum asserit esse humidum. Id verò non impedit, quin per accidens, & plùs quàm lassitudini par sit, exsiccare possit, si absque aqua corpori diutius affricetur, ratione scilicet nimiæ caliditatis excitatæ, vt dixit Aristoteles. Quod tamen dici iuxtà Galeni doctrinam si oleum sumamus, quale ab eo describitur libro secundo de simplicium medicamentorum facultatibus capite XVIII. non sanè affirmem : nisi frictio vehemens, & admodum longa sit. Sed & illud occurrit, quod scribit idem Galenus eodem capite, Archidamum ab olei frictione dixisse cutim aduri, quippe oleo iniecto sale ad partem roborandam : fortè igitur fieri possit, vt ex huiusmodi, aut alio simili oleo frictionem intelligeret Aristoteles,cui nisi adhiberetur aqua, exsiccationis immineret periculum.

VII.

Διὰ τί τοῖς κοπιῶσι προσλαμβάνειν ἐμεῖν ἐνίοις ὁ ἔμετος κοπῶδές ἐστιν; ἢ πότερον γίνεται, ὀστῶν θλωμένων, ἢ πιεζομένων, ἢ κοπωμένων; ταῦτα γὰρ ὑπό τ' ἐκτὸς πνεῦμα πάσχοι ἄν; ἢ τ' ἐν τῷ σώματι· καὶ τοῦτο διττῶς· ἢ γὰρ σαρκῶν ὑπερτεινόντων τὰ ὀστᾶ μιν αὐτῶν, ἢ σώματι πολυτρόπῳ συχνὰ τῷ ἄλλῳ σώματι, χώραν οἰκείαν οὐκ ἔχοντες, οἷα τὰ περιττώματα ἐστί· πάντα γὰρ τὰ ἐντὸς ἡμῖν περιττώματα ἐάρη κοπωδέστερα τῶν σώματός ἐστι μερῶν, κἂν τύχῃ σαθρωθέντα ἐλαφρότερα· σημεῖον δὲ τῶν εἰρημένων· οἱ γὰρ πλεῖστον βεβρωκότες καὶ πεπωκότες, ἐλαχίστου πονήσαντες ἢ νήστεις ὄντες, μᾶλλον κοπιῶσι, διὰ τὸ μὴ τὰ οἰκεῖα χώραν ἔχειν τὰ σιτία, ὅταν ἀπεπῇ· ἐπεὶ δὲ ὁ κόπος σωτηρίαν ποιεῖ. ἢ γὰρ σωτηρίας περίπτωμά ἐστι; τοῦτο δέ ἐστιν ὃ τὸν κόπον ἐν ἡμῖν ποιεῖ, πλανώμενον ἀτάκτως, καὶ προσπίπτον ὀστοῖς τε καὶ νεύροις, καὶ τοῖς ἐντὸς τῶν σαρκὸς λεπτοῖς ἐστι καὶ ἀνειλυμένοις· ὁ δὲν ἔμετος, ἐξάγων αὐτὸ, αἴτιον ὂν τοῦ κόπου, ἀκόπους εἰκότως ποιεῖ· λείπει γὰρ οἷον τὸ ἐν ληχῇ τῶν πόνων τὸ σῶμα· κοπῶδες δ' ἐστὶν ὁ ἔμετος, ὃ τῇ τῶν μυῶν ἐν αὐτῷ κινήσεως ὑπερβολῇ, ἀλλ' ὅταν συμβῇ μὴ καλῶς ἐξεμέσαι· ληφθέντων γὰρ πολλῶν σιτίων, καὶ περιττωμάτων τέχνις ἐόντων, ἢ τῶν ἐμέτου κόπον γίνεσθαι συμβαίνει, καθάπερ ἤδη τῶν πεπληθωμένων εἴρηται· εἰ δὲν μηδὲ ἐκείνοις ὁ πόνος ἐστὶ τῶν κόπου αἰτία, ἀλλὰ τὸ ἔντως ἔχοντας πονῆσαι, ἐπὶ ἂν τοῖς μὴ ἐξαιρέσι τὰ σιτία ὁ ἔμετος εἴη ἂν κόπου αἴτιος· ἐχρῆν γὰρ πᾶσι τοῖς ἐμοῦσι γίνεσθαι κόπον· γίνονται δὲ ἀκοπώτεροι πολλὰ ἐμέσαντες.

Cur lassis corporibus euömendum præcipitur, cùm tamen vomitus sit laboriosus? An quòd lassitudo collisis ossibus, aut pressatis, aut fatigatis consequi soleat : quos quidem affectus patiuntur extrinsecus, aut intrinsecus : idque bifariam : aut enim cùm copia carnis vires exuperauit ossium, aut cùm frequens corpus se cætero corpori miscuit,quo locum sibi obtinere aptè non possit : quale genus excrementorum est. Pondera enim quæquumq; extrinsecus corpori applicentur, laboriosiora sunt, quàm ipsa corporis membra,

etiamsi pondere leuiora, illis esse contigerit. Argumentum, quòd qui plus æquo, vel ederint, vel biberint, hi minùs quamuis laborârint, quàm ieiuni, grauiùs tamen fatigantur: quoniam cibus locum suum non obtinet, vtpote qui adhuc maneat crudus. Cùm autem fatigatio maceret, atque colliquefaciat, colliquamentum autem non nisi excrementum sit, hoc est, quod lassitudinem mouet, dum temerè vagatur, occursátque ossibus, & neruis, & intimis carnis: quæ rara, soluta, patefactáque substant. Vomitus igitur, cùm id extrudat, quod fatigationem inducit, meritò hominem recreat, liberátque à lassitudine: corpus enim, quale principio fuerit, tale restituit. Elaxat autem vomitus, non nimij motus ratione, sed si ita fuerit, vt non plenè agatur. Copia enim ciborum, quæ in ventriculo remanserit, & excrementa, quæ his incidant cibis, faciunt, vt lassitudo vomitum consequatur, quemadmodum in corporibus nimiùm impletis dictum iam est, quòd si nec illis caussam lassescendi labor inferat, sed cùm ita se se haberent, laborârint, nec iis, qui non totum cibum eiecerint, vomitus caussa foret lassescendi, nam si hoc esset, haud erat, quòd non omnibus euomentibus lassitudo incideret: nunc verò multi post, vbi euomuerunt, alacriores certè redduntur.

Illi, qui in labore positi sunt, indigent aliquo solatio, & recreatione: non autem alio labore cumulari; quid igitur lassitudine affectis, (idem autem est dicere laborantibus, eadémque voce vtitur Aristoteles) iniungitur vomitus, cùm vomitus laboriosa res sit? Soluit quæsitum Aristoteles: primùm autem ostendit, quomodo, & ex quibus caussis lassitudo oriatur: vnde quî illi vomitus conferat, mox explicat: tum verò obiectionem propositam de labore vomitus dissoluit. Dicit igitur, lassitudinem oriri ossibus collisis, oppressis, & fatigatis: quæ voces omnes, vt apparet afflictionem ossium significant, modò maiorem, modò minorem: præposuit autem maiorem Aristoteles; collidi enim, hoc est, tundi ossa, plùs est, quàm opprimi, & opprimi plùs, quàm fatigari: singulis tamen his dispositionibus inest, lassitudinem parere. Quamuis autem ossa tantùm hîc memorat, alias tamen etiam, præsertim solidas partes intelligit, vt neruos, & interiora carnis, quas nominat paullò post. Has autem partes afflictionem illam pati ostendit, à caussa modò externa, vt ictu, pondere, & plaga; modò interna, quæ rursus duplex est: vel enim quia carnes vincunt, & superant vim, & facultatem ossium, quod nimiùm auctæ illa aggrauant, & premunt, vt contingit nimiùm carnosis, & pinguibus, qui facilè in lassitudines incidũt, vel quia corpus aliquod, seu moles, & corpulentia humoris densa, & frequens miscuit se alij corpori, seu parti corporis eo in loco, in quo denso illi sedes propria non est, sed occupat locum alienum: cuius sanè generis excrementa sunt. Hæc autem magnopere aggrauant, & delassant corpus, quia extra propriũ locum sunt: quod probat simili quodam exemplo Aristoteles: onera enim, & pondera, quæcúmque exteriùs corpori inhærẽt, & appensa sunt, eidem corpori magis sunt laboriosa, quàm ipsius corporis partes, licèt ea onera partibus sint pondere leuiora, hæ autẽ grauiores, quam rem habemus etiam apud Lucretium suauibus hisce carminibus libro v. de rerum natura, quæ ita leguntur:

Vt sua cuique homini nullo sunt pondere membra:
Nec caput est oneri collo, nec denique totum
Corporis in pedibus pondus sentimus inesse.
At quæcúmque foris veniunt, impostáque nobis
Pondera sunt, lædunt permultò sæpe minora.

Nimirum partes corporis loco suo naturali sunt, pondera non sunt. Eandem autem rem rursus simili exemplo confirmat. Qui enim cibo, & potu repleti sunt, illi quamuis minùs exerceantur, & fatigentur, magis tamen lassitudinem percipiunt: Quippe cibus paullò ante ingestus, locum suum nondum obtinet, qui debeat concoqui, & conuerti in sanguinem, atque in venas transmeare: tunc autem crudus adhuc, naturæ quodammodo grauis, quæ in coctione aduersùs illum pugnat, vt expugnet, & in chylum primùm, tum in sanguinem conuertat, extra proprium locum, quodammodo dicitur esse: alioquin enim cibi in chy-

lum

lum conuertendi, ventriculus propria ſedes eſt. ὅτι ὁ κόπος σωτήριον ποιεῖ. *Cùm autem fatigatio maceret, atque colliquefaciat.* Hactenus oſtendit quomodo gignatur laſſitudo, & quibus ex cauſſis: inter has verò excrementa retulit. Docet igitur modò ab exercitatione immodica, ſeu à labore excrementa gigni, ex quibus cùm fiat laſsitudo, iure illi vomitum deberi conſtet, qui excrementa euacuat. Quamquam autem vtrobique vtitur voce κόπος Ariſtoteles, tum cùm à labore liquationem gigni tradit, tum cùm ab eiſdem excrementis laſſitudinem; primo tamen loco ſumitur pro exercitatione immodica, & motu; ſecundo autem pro laſsitudine, quæ ad motum illum ſequitur: vnde & Theodorus, primum, *fatigationem*; alterum *laßitudinem* tranſtulit. Ex labore igitur ait Ariſtoteles liquamentum fieri, labor enim attenuat, tenuia autem liquantur: hæc autem nihil aliud, quàm excremẽta ſunt. Porrò de liquamento, & excremento qui exactiora cupit, primum librum videat de generatione animalium capite XVIII. Huiuſmodi autem, quæ colliquata fuêre, inordinatè vagantia per corpus, & incidentia in loca oſſium, & neruorum, & in partes etiam muſculorum magis interiores propè oſſa collocatæ, quæ loca rara ſunt, & aperta eiuſdem laboris ratione, qui calorem creauit, & illa adaperta reddidit, cùm ſint extra propriam ſedem, alienam occupantia iure grauitatem, & laſſitudinem pariunt. Ita ſanè de laſſitudine Ariſtoteles. Cæterùm Galenus de hoc affectu pluribus in locis egit: præcipuè autem tertio de tuenda valetudine capite v. tres illius ſtatuit differentias, vlceroſam, phlegmonodem, ac tenſiuam, quarum vnicuique proprias cauſſas aſſignauit. Theophraſtus de eadem integrum libellum edidit, quod ſcripſit Galenus loco, quem modò adduximus; & extat etiamnum liber, quamquam ſatis corruptus, & lacer, præſertim ad finem. Nobis, quæ illi auctores dixerunt, non ſunt nunc afferenda: neque quæ conſentanea, aut diſſentanea Ariſtotelicis exactiùs diſtinguendum: non enim poſtulat locus. De liquatione Theophraſtus ad initium libelli non pauca, qui cùm laſſitudinis eam proponat cauſſam, abſque illa etiam, & abſque motu laſſitudinem fieri diſputat. Galenus, quam hic Ariſtoteles colliſionẽ, vt vertit Theodorus, ſeu contuſionem affert, ad illam differentiam reducit, quæ dicitur phlegmonodes; quæ ſi accidat tendonibus & neruis Græcè appellari ἐξόκηπον, quaſi dicas, *oßium dolorem*, Theophraſtus autem, ὀσάγμαν etiam nominat: nec verò plura horum virorum ad hunc locum afferamus: ſed Ariſtotelica proſequamur. ὁ ἂν ἔμετος ἐξάγων αὐτό. *vomitus igitur, cùm id extrudat.* Iam facilè quomodo laſſitudini proſit vomitus, & cur adhibendus oſtendit: quia enim euacuat, quæ laſsitudinum cauſſæ ſunt, meritò eandem tollit, hominémque in priorem ſtatum reducit, ab eóque onere ſubleuat, quod extra proprium locum exiſtens, illum ſummopere aggrauabat. Hîc autem πόνον dicit, quod adhuc κόπον nominauit. κοπώδης δ' ἔστιν ὁ ἔμετος. *Elaxat autem vomitus.* Soluit difficultatem de vomitus labore ad initium problematis allatam, iiſdem vſus verbis κοπώδης ἔστιν ὁ ἔμετος, *laborioſus autem vomitus eſt*: quare non bene feciſſe Theodorum exiſtimo, qui ea immutauit in, *elaxat autem vomitus*, tum quod à Græcorum ſignificatione magis diſcedit, tum quod ſenſum minùs bene exprimit. Dicit igitur Ariſtoteles, minimè eſſe verum vomitum per ſe, & ratione immoderati motus, qui in eo fiat, laborioſum eſſe: ſed id contingere, cùm non bene vomitur, ita enim ſonant, quæ Theodorus vertit, *non plenè agatur*, quod fit, quoties in ventriculo multi cibi retenti ſunt, & iis excrementa incidunt, ſimúlque miſcentur: tunc enim ex vomitu conſequi laborem dicit, non ſecus ac in illis, qui cibo, & potu repleti fatigantur, quod paullò ante dixit; De his enim puto hæc verba intelligi. Quemadmodum igitur ſi bene paſti mouentur, ac laborant, laſſitudinem percipiunt, ita qui in ventriculo cibi copiam habent, ſi per vomitum moueantur, ex vomitu laſſitudinem incurrunt, ac moleſtias: non enim excrementa bene euomi poſſunt immixta cibis, qui illis impedimento ſunt, ſed ibidem relinquuntur: vnde vomitus non perficitur, & hunc ſenſum, opinor, exprimere voluit Theodorus per illa, *vt non plenè agatur*, hoc eſt perfectè. Dubitat hoc loco Aponenſis, quomodo dicat Ariſtoteles, multis cibis aſſumptis non bene fieri vomitum, cùm auctores contrarium præcipiant. Auicenna enim primo canone Fen quarta, & libro quarto de Animalibus, vomendum eſſe dicit poſt cibi ſatietatem: ſoluit: vomitum eſſe duplicem, quendam vniuerſalem qui totum corpus euacuat, qui etiam fieri debet tempore vniuerſali, vt ipſe inquit, nempe vere, & autumno: ad cuius vomitus apparatum præcipit Damaſcenus in aphoriſmis per aliquot dies ante purgationem, humores eſſe commouendos, & diſſoluendos medicina cibali, & cibo medicinali, vt præparentur ad exitum: & poſtea cum abſtinentia præcedentis diei purgandos eſſe: & de huiuſmodi euacuatione per vomitum intellexiſſe Ariſtotelem, cùm enim ſuperfluitates multæ tali vomitu euacuantur à toto, ſi cibis quoque eſſet repletum, & potibus, periculum ſuffocationis immineret: alium eſſe vomitum parti-

cularem, qui fiat solùm ad euacuandum, quod est in stomacho; & tempore particulari, vt semel, aut bis in mense, sicuti præcepit Hippocrates, & de his loqui Auicennam, & Almansorem; hæc Aponensis: cuius distinctio de vomitu, seu vomitoriis pharmacis, vt vera est, & doctrinæ Galeni consentanea, ita quæ ex Damasceno affert, non bona fide affert: nec enim Damascenus in aphorismis, cùm per aliquot dies, humores commouendos esse ait, & deinde cum præsentis diei abstinentia purgandum, præsentis enim, non præcedentis, liber quidem meus habet, hoc inquam loco, qui est aphorismus LXI. non de vomitorio pharmaco agit Damascenus, sed de eo, quod aluum ducit, vt manifestè constat ex aphorismo LVIII. est autem hæc per inediam præparatio mihi admodum dubia. Hippocrates enim quarto aphorismorum cùm elleborum assumpturos præparat, facit id pluri cibo, atque quiete, cibus autem qualis esse debeat, ostendit Galenus in commentario, nempe cibum medicinalem: tum etiam idem Galenus commentario v. in sextum Epidemiorum textu XXIX. non solùm in superiori victus ratione, cibum maiori copia assumendum esse ait: sed eo tempore, quo helleborum homo deuorauit; igitur instante vomitu assumendus cibus est, minimè verò inedia, seu abstinentia, quod dicit Aponensis, imperanda: & verò, de quo loquimur vomitus, vniuersalis est, quippe ex helleboro, qui per illam regionem totum corpus euacuat: An dicendum, cibos in ventriculo vomituri eam creare molestiam, qua non sinant opus absolui, quod dicit Aristoteles; minuere autem imminens ex euacuatione periculum, quod dicunt medici? alia igitur ratione cibos noxios, & incommodos esse Aristoteli, alia commodos, & proficuos medicis. ἐὰν δὲ μηδ' ἐκείνοις ὁ πόνος ὅσι δ' ποτὲ αὖπος. *Quòd si nec illis causſam lassescendi labor inferat.* Perficit dubitationis solutionem ex simili, quod modò adduxit: quemadmodum enim illis, qui cibo repleti defatigantur, vbi lassitudine prehenduntur, causſa lassitudinis non extitit labor: sed quia ita habentes, nimirum quia cibo repleti laborauerunt; ita de illis dicendum, qui ventriculo haud vacuo cibis, vomitum arcessunt: illi enim non ex vomitu in laborem, & lassitudinem incidunt sed quia apparati ad illum minimè erant: aliter enim si ratione vomitus, quatenus vomitus est, lassitudo illa gigneretur, iam omnibus illa fieret, quod non videtur; sunt enim, qui postquàm multa euomuerunt alacriores redduntur. Lego autem libentiùs πολλὰ ἐμέσαντες, vt reponit Iustinianus, quàm πολλοὶ, vt habent excusi codices: hæc enim lectio allatam expositionem magis confirmat: laborem ad vomitum consequi, cùm exigua vomuntur, nec euacuatio perficitur; qui enim multa vomunt, alacriores redduntur. Sic igitur ista conuertantur: *Ita enim oportebat, omnibus vomentibus fieri laborem: sunt verò, qui postquàm multa euomuerunt, minùs lassitudinem sentiunt.*

VIII.

Διὰ τί κοπιαρώτερόν ἐστι τῷ βραχίονι τὸ ἀφὲ κενῆς, ῥίπτειν, ἢ λιθάζοντα; ἢ ὅτι ἀσθματωδέστερόν τὸ ἀφὲ κενῆς ἐστιν; ὃ γὰρ ἀπειρεσίᾳ πως ἐοίκεν, ὥσπερ ὁ βάλλων, πως τὸ ἐν χειρὶ βέλος· ὁμοίως δὴ τοῦτο καὶ ὁ πένταθλος, πως τὰς ἁλτῆρας· καὶ ὁ θέων ῥᾷδιον, πως τὰς χεῖρας· διὸ ὁ μὲν, μεῖζον ἄλλῃ ἔχων, ἢ μὴ ἔχων ἁλτῆρας ὁ δὲ, θᾶττον θᾶ ῥᾷδιον, ἢ μὴ ῥᾷδιον.

Cur laborioſiùs brachio est inanem iactâsse manum quàm cum lapide? An quòd inani iactura brachium quasi conuellitur vehementiùs: nulla enim in re nititur, quemadmodum cùm mittit missili obdito, fulcire se potest. Huic proximè saltans quoque ponduſculis ſuſceptis innititur. Et qui currit, manus obquatiens, se sustentat. Quamobrem ille plùs prosilit halteres tenens, quàm non tenens: hic velociùs currit, manus obquatiens, quàm non obquatiens.

Eadem habemus à Theophrasto paullò etiam faciliùs, & explicatiùs, in libro de lassitudine, cuius verba ita leguntur in excerptis ab Henr. Stephano editis: in editione enim Basilienſi hic locus, vt pleráque alia huius libelli, admodum est corruptus: sed in illis excerptis ita legitur: ὅτι κοπιαρώτερόν τῷ βραχίονι ἀφὲ κενῆς ῥίπτειν; ἢ λίθον, ἢ ἄλλο τι βάρος, διότι ἀσθματωδέστερόν, ὃ γὰρ ἀπειρεσίᾳ, καθάπερ ὁ βάλλων πως τὸν ἐν τῷ χειρὶ ὄγκον. hoc est. *Laborioſiùs est brachium inani motu iactâsse, quàm lapidem, aut graue quippiam tenentem, quoniam motus magis conuellens est: non enim innititur, sicut ille, qui iacit aliquid, ei ponderi, quod in manu habet.* Theodorus in problemate vertit, *iactare manum*, quippe manu vacua auras brachio

verberante, ipsa iaci videtur: eam tamen vocem non habet Aristoteles: sicuti nec Theophrastus, at sensus idem est. Rei propositæ rationem affert Aristoteles quæ ex Theophrasto modò adducta fuit; quia brachium inani manu iactatum conuellitur: fit autem conuulsio, aut diuulsio, vt habemus problemate XXXVII. cùm membrum in contrariam partem vehementi motu trahitur, ac mouetur: id autem contingit brachio, quia nulli rei innixum validiùs intorquetur, sicuti innititur, qui iacit manu aliquid continens, ei nimirum rei, quam iacit. Sanè Aristoteles cùm antea nominauerit lapidem, in præsentia dicit βέλος, hoc est *missile*, sententiam generaliorem efficiens, pro quo Theophrastus dixit ὄγκον, quod propriè sonat *tumorem*, aut *molem*, nimirum pondus aliquod, quod manum repleat: non enim leuis quælibet res, laborem illum brachio tollere possit. Rationem confirmat Aristoteles duobus similibus adductis: sic inniti dicens pentathlum ad halteras, & qui currit manus quatiens, ad manus, sicuti qui iacit, ad pondus iactum. Sanè, pentathlum, hoc loco Theodorus vertit, *saltantem*; rectè ad sententiam, de hoc enim locus intelligitur: erant autem pentathli qui Latinè *quinquertiones* dicebantur, qui non solùm saltu, sed vniuersis quinque celeberrimis certaminibus contendebant, aut victoriam reportabant, nimirum pugillatu, cursu, saltu, disco, & lucta: hîc autem ea voce intelligimus saltantem, quippe generis nomine speciem. Sicuti etiam libro de animalium incessu capite tertio, quo loco cùm huius problematis rationem liquidò tradat Aristoteles, atque etiam eadem similia adducat, operæ pretium putaui, totum locum huc transferre; qui ita legitur ex Leonici tralatione: *Animalium profectò quæcúmque loco mouentur, alia quidem toto simul corpore mouentur, vt illa quæ saltu locum mutant; alia verò per partes, vt quæcúmque progressibus vtuntur: in vtrisq; autem huiusmodi mutationibus semper mutatur id, quod mouetur, innisum ad id, quod illi subiacet. Quamobrē siue id citiùs dilabatur, quàm vt inniti possit, id quod super eum mouetur: siue nullum omnino motis præbeat firmamentum, nihil super illud se ipsum mouere poterit. Etenim, quod saltu mouetur, & ad se ipsum quod supra est innisum, & ad id, quod pedibus subiacet saltum planè facit: renisus enim quosdam ad se inuicem habent partes in ipsis flexuris, & omnino ad depressum id quod deprimit. Quamobrem pentathli plus saliunt si halteras habuerint, quàm si non habuerint: & qui currunt, citiùs currunt, si manus commouerint: nisus námque fit quidam in extensione ad manus, & articulos.* Manifestè igitur patet problematis ratio: si enim in omni animalium motu, innisus partium est necessarius; vbi sanè non fiat innisus, fieri non poterit motio, & vbi malè, & debiliter fiat, malè, & laboriosè fiet motus. Terrenis igitur animalibus tellus substernitur dura, & renitens; aquatilibus humida aquæ natura, volucribus aër: singula enim horum singulis tamquam rei firmæ innituntur: terrena verò quoties innatant, perpetuò & continenti motu, quo aquam apprehendunt, & impellunt, innixum eum sibi adquirunt, quo motu si priuentur statim labuntur; & verò aues eodem naturali artificio vti apparet. Firmitudinis rei huius, quæ substernitur exemplum affert Leonicus in commentario ad hunc locum dicens: *Rei veritas palàm esse potest, si in alto quispiam arenarum cumulo, aut in substratis milij, vel nucum aceruis progredi tentauerit: cùm enim citiùs dilabatur, & subterfugiat substrata illa materia, quàm illi inniti firmiter possit pes, aut difficulter admodum, aut nullo progredi poterit modo.* Igitur in omni motu extat innisus hic, etiam in saltu, vt disertè affirmat Aristoteles; etiam in iactatione brachij manu inani, nimirum ille quem partes ad se inuicem habent in ipsis flexuris, seu membrorum articulis, vlna enim innititur carpo, tibia talo, & ita in cæteris: denique ad depressum, quod ait Aristoteles, id quod deprimit innisum illum habet: quantò tamen nisus hic firmior est, & applicatior, inquit Leonicus, tantò vegetior erit motus, & expeditior; igitur ad rem nostram minùs laborioſus: firmior autem est manu plena iactanti brachium, quàm vacua, ibi enim non solùm est nisus ad inuicem partium brachij, sed etiam manus, ad rem quam continet: iure igitur erit minùs laborioſus, & minùs diuellens, articuli enim minùs distrahuntur, & disiunguntur brachio firmato, quàm suspenso. De halteribus pauca dicam, quid enim ea repetam, quæ à Mercuriali libro secundo, ac quinto de arte gymnastica, ex proposito hac de exercitatione tradenti, prodita sunt? Patent illa meliùs locis suis legere cupienti, & verò præter ea, quæ à Mercuriali habemus, alia sunt, quæ si chartas replere velimus, illa de re afferri possint. Atqui hoc loco id tantùm sufficiat: halteres pondera fuisse plumbea, aut ferrea, aut ex alia graui materia ad varias exercitationes vsurpata, vt apparet tum ex Galeno libro secundo, & sexto de tuenda valetudine, tum ex Antyllo apud Oribasium libro sexto collectaneorum, iis autem præcipuè exercebantur partes corporis superiores, & validæ, vt ex locis, quæ adduximus constat. Vtebantur etiam iisdem saltatores, sicuti patet ex his Aristotelis locis, & ex Theophrasto, quo nimirum plùs saltarent: hos autem non fuisse ita graues, ac

ſuperiores; quippe eo modo ſaltationibus ineptos, exiſtimare licet: quare &, *ponduſcula*, conuertit hoc loco Theodorus: iis nimirum ſaltatores innixi librabant ſe, ac ita minori cum labore ſaltabant, ex quo fiebat, vt plùs ſaltarent, & diutius ſaltando perdurarent, quippe minùs laborantes: eodem prorſus modo ac in funambulis memini vidiſſe, qui dum ſuper funes currunt, & in modum ac numerum ſaltant, ac tripudiant, expanſis brachiis longiorem baculum, vtráque manu apprehendentes, eóque ſe librantes & veluti innixi ſaltant, & tripudiant: quod ſi agilitatem, & artis peritiam oſtentantes baculum proiiciunt aliquando, quod nonnullos interdum feciſſe vidi, tunc verò eiſdem brachiis expanſis, & motitatis, librant ſe: ſed maiori admodum cum labore, ludi illi, & exercitationes tunc ab iiſdem obeuntur, & citò etiam deſiſtunt. Igitur halteribus innixi plùs ſaliunt, & manibus obquatientes citiùs currunt, ob reniſum, quem dicit Ariſtoteles tum hoc loco, tum etiam planiùs libro de Animalium inceſſu, quem paullò ante adduximus.

I X.

Διὰ τί ἡ ταχυδρομία, & ἐπ' ἀνθρώπε, & ὅλλ τ ἄλλων ζώων νοσηματικὲς ποιεῖ τὰ περὶ τὴν κεφαλήν; καί τι ὅλως ὁ δρόμος καταπτὰν δοκεῖ κάτω τὰ περιττώματα ὥσπερ ὁ περίπατος· διὸ & παχύνονται τὰ σκέλη οἱ πολλὰ περιπατοῦντες, ὅτι εἰς τὰ κάτω ὑπονοσεῖ ἄνωθεν & ἡ τροφὴ & τὰ περιττώματα· ἡ ἡ μῶ κίνησις ταύτην ποιεῖ· ἀλλ' ἡ ταχεῖα μᾶλλον τὴν συντηξίαν, & ἀπνευστίαν, ἐνθερμαίνει τὴν κεφαλήν, καὶ τὰς φλέβας ἐμφυσᾷ τὰς ἐν αὐτῇ, & ἀπασικὰς τ θύραθεν ποιεῖ δυνάμεων, οἷον ψύχους, & ἀλέας, ἢ τ ἐκ τε θώρακος· ὧν ἐκπόντων νοσεῖν ἀναγκαῖον τ τόπον δεῖ.

Quam ob cauſſam curſus velox tam in hominum genere, quàm in cæterorum animantium facit, vt capita à morbo tententur? Quanquam curſus vnuſquiſque detrahere ad ima genus omne excrementorum putatur, vt ambulatio: quapropter crura eorum implentur, qui nimiùm ambulant, quoniam de parte ſuperiore ad imam labitur & alimentum omne & excrementum. An motus quidem vbíque agere idem poteſt. Verùm motus velox, cùm vires intendit, & ſpiritum retinet caput concalfacit, eiúſque venas nimirum inflat, & attrahentes reddit facultatis externæ, vt frigoris, vt caloris: adde quæ in pectore continentur. Nam ea quoque attrahi, reſorberíque inde credendum eſt. Quibus remiſſis locum ægrotare illum, neceſſe eſt.

Noxam proponit, quæ tum hominibus, tum aliis etiam animalibus circa caput, eiúſq; partes, ex veloci curſu euenire ſolet, quæ partes ob eam rem in morbos ſæpenumerò incidunt. Velox autem curſus ille dicitur, per quem liberè & expeditè reſpirare animali non licet, ſed ægrè ſpiritus trahitur, vt ex ſolutione apparet. Affert autem inprimis Ariſtoteles obiectionem aduersùs rem propoſitam, eámque confirmat: tum omnia diſſoluit. Videri igitur præter rem poſſe ait, velocem curſum capitis partes morboſas reddere; cùm vniuerſim curſus videatur excrementa trahere deorſum, atque ita ſalubres potiùs reddere partes ſuperiores, quæ inde ab excrementis euadunt immunes, vnde morborum exiſtit origo. Illud autem probat Ariſtoteles ex ambulatione ipſa, in qua res ita habet: nam cùm vtræque ex ipſis ſint crurum actio & exercitatio, vt habemus à Galeno libro ſecundo de tuenda valetudine capite XI. & alibi; non abs re, quod in ambulatione contingit, in curſu etiam fieri debere poſſit exiſtimari, atque etiam quod ad rem præſentem pertinet, magis, quando ille, qui vehementior motus eſt, aptior ſit ad humores deorſum trahendos: in ambulatione autem ſic rem habere docet Ariſtoteles exemplo eorum, qui multùm ambulant, quibus craſſiora ſolent reddi crura, quippe impleta tum ab excrementis, tum à cibo; quæ de parte ſuperiori ex motu ambulationis ad inferiora regrediuntur. Dicit autem excrementa, & cibum, intelligens tum humorem, qui nutrit partes, qui cibus earundem eſt, tum ſuperfluitates, & excrementa, quæ ex coctionibus ſuperant, alendo inepta; vtrúmque enim delabi ſignificat: ex quo etiam appareat illam crurum craſſitiem morboſam eſſe, quippe ex excrementis. Si igitur id facit multa ambulatio, cur non idem efficiat velox curſus? Reſpondet Ariſtoteles, atque tum obiectionem diluit, tum quæſiti rationem reddit. Ait itáque motum ſanè, quâ ſimpliciter motus eſt, idem ſemper operari, nimirum deducere & trahere ad partes, quæ mouentur alimenta, & excrementa, ſicuti in obiectione

dicebatur: qui tamen motus velox est, qualis est cursus velox ille ratione alicuius accidentis (id autem statim proponitur ab Aristotele) non ad crura, & partes inferiores: sed ad superiora deducit, quoniam enim dum velox ille cursus peragitur, fit virium multa contentio & spiritus retinetur, non enim ita liberè possunt, qui velociter currunt, respirare: sed anhelant propter coactam respirationem, vt dicit Galenus commento secundo in tertium de morbis vulgaribus ægroto septimo, & alibi, ex eo contingit vt caput excalfiat: solet enim refrigerari ab aëre inspirato, quo auxilio magna ex parte eo tempore destituitur: venæ inde, quæ in capite sunt, ob eandem spiritus retentionem inflantur & tumidæ reddunrur, sicuti vidimus sectione secunda problemate primo, ita verò calefacto capite veníque calore repletis trahuntur ab eisdem facultates, & qualitates externæ, nimirum frigiditas, & caliditas, quæ in aëre sunt, vsque etiam à partibus internis corporis vapores & halitus in pectore existentes; illis igitur qualitatibus ac substantiis caput ingredientibus redditur intemperatum, modò ad calidius, modò ad frigidius vergens: diuersæ igitur illæ intemperies variè caput afficientes, eius robur debilitant, & morbis reddunt obnoxium. Apud Oribasium VI. collectaneorum capite XXII. ex Antyllo habemus cursum caput replere, & apud auctorem libri quarti de ratione victus in acutis textu LXV. ob cursum dolorem capitis creari: quibus similia ex aliis etiam auctoribus alia adduci possent: sed hac de re, qui plura cupit, Mercurialem adeat libro V. de arte gymnastica capite VII. cui de hac exercitatione erat instituta tractatio, nobis non itidem, sed sensuum Aristotelis, quæ in problematibus habentur, explicatio. Interim tamen quando maximè ad rem nostram facit, eandémque Aristotelis rationem in problemate allatam continet, & magis explicat, afferendum est problema Cassij, Iatrosophistæ, siue hic Cassius sit, quem memorat Celsus & ingeniosissimum appellat, quod non facilè dixerim, licèt ita existimet Mercurialis, siue alius ab eo, quod potiùs existimo: est autem problema illius libelli vigesimum sextum, & Latinè ita legitur ex tralatione Conr. Gesn. *Cur qui motu paullatim vtuntur, & si capita grauiera habuerint antea, alleuantur post motum: contrà qui currendo mouentur, quamuis priùs grauitatem non senserint, post motum capitibus grauantur? Dicendum est quòd in illis, qui motu paullatim vtuntur, materias sensim ad inferiores partes detrahi contingit, in his verò qui concitatiùs mouentur resultationes fiunt hoc est materiæ deorsum latæ denuò sursum feruntur, & resultant, vt rotunda corpora ad pauimentum deiecta, si quis enim ipsa molliter in pauimentum demiserit, manent loco, neque resiliunt, sin quis vehementius proiecerit, iterum repercutiuntur sursum, vt videre est in pilis seu sphæris, quibus ludunt. Hoc idem contingit etiam in currentibus, materia denuò cum repercussione sursum delata, quin & spiritus violento motu cohibetur, ac intenditur, vt vel hac de caussa caput aggrauetur.* Porrò illa in Theodori tralatione, *nam ea quoque attrahi, reforberique inde credendum est*, desiderantur in Græcis excusis exemplaribus, quæ ego quidem viderim: & verò sine illis locus integer est.

X.

Διὰ τί κοπιῶσι μᾶλλον ἓν ἐν τοῖς ὁμαλοῖς, ἢ ἐν τοῖς ἀνωμάλοις τόποις· θᾶττον ἢ βαδίζωσι τὴν ὁμαλῆ ὁδὸν, ἢ τὴν ἀνώμαλον; ἢ ὅτι ἀποπώτερον μὲν ὄζει, τὸ μὴ ἀεὶ ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι ποιεῖσθαι τὴν κίνησιν· ὃ συμβαίνει ἐν τῇ ἀνωμάλῳ πορείᾳ μᾶλλον; θᾶττον ἢ πορρώ(ν) ὅτι ἧττον ὠθεῖ φύσιν κινοῦ(σα)· ἐν μὲν οὖν τῇ ὁμαλῇ, μικρὰ ἡ ἄρσις, & θέσις καὶ πυκνή ἐστιν· ἐν ᾗ τῇ ἀνωμάλῳ τοὐναντίον· ἔστι ἢ τὸ αἴρειν, ὠθεῖ φύσιν· βία γὰρ ἐστι πᾶσα ἄρσις· τὸ ἢ παρ' ἑκάστην βάσιν γινόμενον μικρὸν, πολὺ γινό(μενον) ὠθεῖ πολλάς.

Cur locis æqualibus, quàm inæqualibus, magis fatigatur: ocyùs autem iter æquale, quàm inæquale conficitur? An minùs laboris tunc est, cùm motus non semper eodem habitu agitur: quod ingressu inæquali potiùs fit: ocyùs enim ingredimur, vbi minùs contra naturam mouemur. Ergo per locum æqualem parcè, atque frequenter, & ponitur, & attollitur: per inæqualem autem contra. Atqui ratio, attollendi contra naturam est: vi namque omnem attollendi vsum exequimur. Quod autem per singulos gradus paulum redditur, id multum per multos demum exultat.

Superiùs ad problema primum dixi, hunc locum de labore, qui sequitur deambulationes æquales, aut inæquales breues aut longas, tractatum fuisse hac sectione ab Aristotele

per

per ſeptem problemata, primum, decimum, duodecimum, vigeſimum tertium, trigeſimum tertium, trigeſimum octauum, & trigeſimum nonum; nec omnibus omnino videri conuenire inter ſe. Id autem in præſentia paullò diligentiùs conſiderandum eſt. Primùm ſanè dicimus, non eodem penitus modo, nec iiſdem terminis Ariſtotelem fuiſſe vſum. Modò enim ſimpliciter, & abſolutè propoſuit comparationem; vt hoc loco, & problemate XXIII. & XXXVIII. vbi ſimpliciter dixit, ambulationes inæquales eſſe laborioſiores æqualibus: problemate tamen XXXVIII. non ὁμαλοῖ, hoc eſt *æquales*, ſed εὐθείας dixit, hoc eſt *rectæ*; ſimpliciter etiam & abſolutè problemate XII. & XXXIII. comparauit breues longis, & breues dixit eſſe magis laborioſas. Problemate autem XXXVIII. comparauit ambulationes per loca σιμὰ, hoc eſt *ſima*, aut *repanda*, quæ Theodorus ſenſum ſequutus, vertit *ardua*, ſicuti problemate XXXVIII. ſectionis ſecundæ, *accliuia*, , iis quæ per talia non ſunt, illaſq; dixit, eſſe magis laborioſas; reliquum eſt primum, in quo non abſolutè æquales inæqualibus, nec longas breuibus contulit; ſed longas per vias æquales, longis per vias inæquales, vt vidimus, illaſque magis laborioſas eſſe dixit, & breues per vias æquales, breuibus per inæquales, illaſque minùs eſſe laborioſas, & leuiores; has autem laborioſas magis. De hiſce ambulationibus ita ſentit Ariſtoteles. Cæterùm H. Stephanus in adnotationibus ad excerpta quædam Theophraſti de laſſitudinibus, quæ vnà cum aliis quibuſdam edidit, occaſione loci Theophraſtæi, vbi itidem de hoc labore ex ambulationibus æqualibus, & inæqualibus agitur, problema XXIII. mendoſum exiſtimat, & Theodorum magnopere accuſat, difficultate non leui propoſita, quæ ad problema illud ita conuerſum, vt tranſtulit Theodorus, conſequatur: Etſi autem Henricus, præſens problema decimum non nominet, quia tamen eadem omnino eſt ſententia, iiſdémque penitus verbis ſcriptum eſt problema hoc, quibus vigeſimum tertium, præterquàm voce τόποις, qua vigeſimum tertium caret, cùm ibi tamen ſubaudiatur, nos eam difficultatem ad illud problema noluimus reiicere; ſed quando hoc, quod geminum, & illi planè idem eſt, præcedit, eam hoc loco afferre, atque Theodorum à calumnia liberare. Difficultas igitur ab Henrico propoſita vnum ex propoſitis membris conuellit, quod habetur tum hoc problemate, tum XXIII. tum etiam XXXVIII. inæqualibus locis nos minùs fatigari, quàm æqualibus: ratione cuius ſententiæ, ita à Theodoro tranſlatæ, & propoſitæ, quod facit tum hoc problemate, tum XXIII. (nam XXXVIII. habet non loca ſed ambulationes) eundem Theodorum non condonandi lapſus inculpat Henricus nimirum adeò falſum eſſe, ac ita rationi repugnare, ambulationes per loca æqualia, & plana magis fatigare, quàm per inæqualia aut gibboſa, vt licèt mendi etiam ſuſpectus locus eſſe non debuiſſet, ne vniuerſæ quidem ſimul Philoſophorum cohorti hoc dicenti, fides adhibenda fuerit: iſtud enim paradoxum, vel potiùs ἄλογον omnino eſſe: tum etiam quia ex ratione ab Ariſtotele reddita, illam non fuiſſe Ariſtotelis mentem pateat: poſtremùm quòd ſi conferatur hoc problema cum XXXIII. & XXXVIII. ſocordiæ ſit accuſandus Theodorus, ſi id ipſe fecit, & non vidit ex illis rem aliter ſe habere. Inprimis ſi locus mendoſus eſt, quomodo eum reſtituit Henricus? Si enim ideo ſe illum reſtituiſſe putat, quòd dicat ad initium adnotationis omiſſionem vocis ἐκβάσεις apud Ariſtotelem, quam habet Theophraſtus, impuliſſe in errorem Theodorum, errat ipſe, vt puto; quid enim ſenſum euariat aut ἐκβάσεις, aut τόποις, apud Ariſtotelem legere, aut neutro ex illis poſito alterutrum ſubaudire, vt problemate XXIII? An non ambulationes denominationem ſortiuntur à locis quibus fiunt? taléſque ab illis dicuntur? ac ſi loca ſunt inæqualia, nonne ambulationes inæquales, ac ſi per æqualia æquales? Quòd ſi aliter ambulationis æquales, & inæquales, accipit Henricus, næ ille iterum errat ſicuti exiſtimo: non enim inæquales ambulationes quiſpiam fortaſſe exiſtimet, quæ æquali loco factæ ex progreſſione, & regreſſione ſubinde conſtant, hæ enim contrariæ potiùs dicantur, niſi etiam fuerint in locis inæqualibus, tunc enim & contrariæ & inæquales ſimul eſſent. Negari ſanè haud poteſt, in huiuſmodi ambulationibus, quæ ex progreſſu, & regreſſu conſtant, adeſſe etiam inæqualitatem quandam, non tamen eam de qua his problematis X. XXIII. & XXXVIII. loquitur Ariſtoteles; ſed quæ ex crebra ſubſiſtendi mora dum flectimur oritur, cuius meminit Ariſtoteles problemate XII. quæ & ipſa reducitur ad contrarietatem, vt apparet ex eodem Ariſtotele eo loco: dum enim regredimur ſubſiſtere aliquantulùm eſt neceſſe non igitur æquabiliter ſemper ea in ambulatione mouemur; ex quo inæqualis appellatur ambulatio, ſcilicet ratione motus interpollati: quod itidem dici poſſit de ambulatione lõga, & continua quæ fieret modò ad dextrum, modò ad ſiniſtrum, ſeu de flexuoſa; etiam per mæandros & labyrinthæos errores, aut circulo; hæc enim omnes inæquales ſunt, eo modo quo dixi: laborioſæ etiam multùm ſunt, ob rationem ab Ariſtotele allatam problemate XII.

quia crebrò ſubſiſtimus, & de contrario ad contrarium crebrò mouemur: quod circulari etiam ambulationi omnium maximè euenit, in hac enim omnium maximè mutatio illa, etſi non ita appareat cõtingit, ídque eò magis, quò circulus fuerit breuior, vnde & vertiginem parit. Hanc autem inæqualitatem, vt dicebam, non intelligit hoc loco Ariſtoteles, ſed aliam, per quam immutari corpus vult, ſicut partes aliquæ, quæ antea laborabant, quieſcant, quod niſi immutata ſitus ratione in ambulatione non contingit: inæquales ambulationes ita etiam accepit Oriabaſius ex Antyllo libro ſexto collectaneorum, cùm ait, illas vtiles eſſe iis, qui citò deambulando fatigantur, quæ verò in campo fiunt hoc eſt, (vt accipio) æquales, ſeu in loco æquali magis laborioſas, quàm illas eſſe: qua voce vtatur Græcè Oribaſius, aut Antyllus non dicam: Græco enim Oribaſij codice deſtituor: igitur æqualitas, & inæqualitas hoc modo eſt accipienda, ſcilicet à loco, non ab interpellato motu ob conuerſionem, quo modo non valeat ratio ab Ariſtotele adducta de partium corporis mutua quiete. Non facilè dixerim ab Henrico ita accipi, apud Theophraſtum, & apud Ariſtotelem; cùm ad finem adnotationis dicit vocem ὁμαλὸν, & ἀνώμαλον, duobus modis eo loco vſurpari, nec enim duos illos modos apertiùs declarat, aut ſententiam ſuam ſatis explicat, homo alioquin verborum minimè auarus. Alterum autem, quod addit Henricus, ex ratione ab Ariſtotele reddita debuiſſe Theodorum cognoſcere, eam non fuiſſe Ariſtotelis mentem, æqualibus nimirum locis ambulãtes magis defatigari, quàm inæqualibus, id tale eſt, vt niſi & Henrici verba, & Ariſtotelis ſententiam diligenter conſideraſſem, ſingulàque accuratiùs expendiſſem, putarẽ me omni intelligentia priuatum, neutrius mentem percepiſſe; nam cùm Henricum plurimi faciam, virúmque doctum, & diligentem exiſtimem, & Ariſtotelis ratio admodum apertè mihi videatur omnino probare, quod proponit Theodorus, illíque omnino aduerſari, quod dicit Henricus, nihil præter meam ruditatem arguerem. At quando exactiſſimè, vt potui, re examinata, ita omnino apparuit, dicendum prorſus fuit, quod ſentiebam, quod etiam ex ſe ipſo, cuilibet, nec multùm animaduertenti, ſed tantummodo legenti, patere poſſit: ex ratione inquam ab Ariſtotele reddita, omnino comprobari rem ita ſe habere, ſicuti tranſtulit Theodorus, & ſicuti nos expoſuimus; ex eáque nos paullò ante, non ineptè, vt puto, refutauimus illam opinionem, ſi quiſpiam ambulationes æquales, & inæquales aliter acciperet: ex illa enim conſtat æqualitatem, & inæqualitatem ambulationum accipiendam eſſe de locis: & ambulationes inæquales ita acceptas minùs fatigare quàm æquales, cuius contrarium omnino vult Henricus. Ratio autem hæc problemate XXIII. ad quod hæc propoſuit Henricus in Græco exemplari corruptè, & deprauatè legitur; vt adnotat idem Henricus: at in præſenti x. integra & incorrupta habetur: miror autem Henricum, dum ei XXIII. ſuccurrere tentaret, non veniſſe in mentem huius x. à quo illi facilis erat medicina. Tertium quod proponebat Henricus, ſunt problemata XXXIII. & XXXVIII. ſanè de trigeſimo octauo dicam, quod de ratione Ariſtotelis paullò ante dicebam, vel me intelligentia prorſus carere, vel Henricum hoc loco ſomniaſſe. Quis enim non videat problemate XXXVIII. idem ab Ariſtotele proponi, quod in præſentia, & problemate XXIII. mutatis ſolummodo terminis? vt enim XXXVIII. dicit, ambulationes inæquales eſſe ἀνεπιτηδείας, id eſt *minùs laborioſas*, ita XXIII. & hoc decimo, in locis, & ambulationibus æqualibus magis laborare ambulantes: atque etiam eandem de corporis habitu rationem, qui idem perpetuò eſt in æqualibus ambulationibus, ſingulis hiſce locis affert: etſi problemate XXIII. in excuſis Græcis exemplaribus ſit corrupta, quæ tamen ex præſenti reſtitui poteſt, vt diximus, & reſtitutam tranſtulit Theodorus, aut integram habuit. Problema trigeſimum tertium, ſeu quæ in illo redditur ratio, maximum ſanè ad Henrici opinionem momentum facit; illi autem dum ſatisfacimus, eadem opera difficultatem tollemus. Quod enim tribus problematis decimo, vigeſimo tertio, & trigeſimo octauo ait Ariſtoteles, ambulationes inæquales, ſeu per loca inæqualia: eſſe minùs laborioſas, quàm per æqualia, intelligendum eſt iuxta primum problema? alioqui contraria aſſereret Philoſophus: & hæc erat difficultas, quæ proponi debuerat ab Henrico, & cuius ratione dixi ad initium expoſitionis præſentis problematis non omnibus hiſce de ambulationum labore problematibus conuenire. Primò enim dixit, ambulationes per loca inæqualia, ſi breues ſint, eſſe magis laborioſas: non igitur minùs: quod his tribus dicit: Reſpondetur: Si comparamus abſolutè breues longis, aut inæquales æqualibus id ex Ariſtotelis quidem ſententia dicendum, quod ſuperiùs attulimus, cùm membra illa omnia proponeremus, ſi verò breues locis inæqualibus, breuibus locis æqualibus, illas magis laborioſas eſſe, quod dicebat primo problemate: ſunt igitur hæc inter ſe diſtincta, nec ab vno ad aliud licet argumentari. Quòd ſi denuò arguatur ex ratione, quæ problemate XII. &

XXXIII. affertur, constare de inæqualitate id quod dicitur, nempe causſam esſe laboris; ideo enim breues esſe laborioſas, quod ait Aristoteles, quia inæquales; dicimus inæqualitatem ibi aliter accipi, nimirum, quæ pendet à motu interpellato, seu à ratione subsiſtendi, & à mutatione ad contrarium: & hæc facit laborem, sicuti proposui superiùs, cùm ambulationum varias species protuli, huiusmodi autem inæqualitas maximè apparet in ambulationibus breuibus, quia in illis sæpius subsiſtitur, & ad contrarium mutatur, atque inde labor maior, & hanc etiam inæqualitatem in ambulationibus breuibus locis inæqualibus puto me ad problema primum adnotâsſe. Hæc igitur inæqualitas laborem facit ratione contrarietatis, alia leuat ratione quietis, quam aliquibus partibus præstat. Atque ita non iam omnibus simul Philoſophis, sed vel vni Aristoteli adhiberi fides possit, aut ex ratione, quam affert nobis persuaderi, eo quidem modo quo res proponitur, ambulationes per loca inæqualia, seu ambulationes inæquales esſe minùs laborioſas: quod paradoxon esſe nemo dicat, vel mediocriter in medicinæ parte salubri, seu in gymnastica versatus, ad quam huiusmodi locus propriè attinet. Iam verò post adeò multa quæ nos dicere coëgit Henricus, quod reliquum est expositionis persequamur. Sunt igitur duo membra problematis, de quorum altero, quod primo loco ponitur, iam nimiùm multa diximus, locis æqualibus magis fatigari: quæ sententia, sicuti antea proposui, intelligenda est iuxta primum problema, in quo cùm eandem rem habemus propositam, tum eandem rationem de corporis habitu, qui idem perpetuò ea in ambulatione est, non itidem in inæquali, vt pleniùs eo loco ostendimus. Alterum autem membrum est, quod videtur primo opponi; atque ideo vsus est particulis, μᾶλλον & ἧττον, quas ad hanc rem solent boni scriptores sæpius vsurpare: vbi enim maior est fatigatio, ibi minùs confici itineris, atque ideo tardiùs idem spatium perambulari iure videatur. Si igitur æqualibus locis, & itineribus fatigatio maior est, tardiùs perambulari, concludi appareat: quam oppositionem nominatim expressit Theophrastus ita scribēs? ἀλλ' ἐκεῖνο ἐναντίων ὡς κοπιῶσι τε μᾶλλον οἱ ἐν τοῖς ὁμαλέσι χωρίοις ἢ θᾶττον βαδίζουσιν ἢ ἐν τοῖς ἀνωμάλοις, hoc est: *Neque illud aduersatur, quòd æqualibus locis magis defatigantur, ocyùs autem ingrediuntur, quàm inæqualibus.* Cæterùm Aristoteles dum huius partis solutionem affert, de accliuibus, seu arduis potissimùm loqui videtur: illáque præcipuè nominat, ac de his præcipuè valet ratio: eorum autem ratione de tota locorum inæqualitate res confirmatur, inæqualibus enim locis, & ambulationibus ardua, & sublimia necessariò continentur. Inprimis autem pro θᾶττον γὰρ, vt habet Basilienſis, & Aldina antiqua editio, & videtur legisſe Theodorus qui vertit, *ocyùs enim ingredimur*, audacter reponamus, θᾶττον ἧ, hoc est *ocyùs autem ingredimur*; hæc enim est ratio alterius membri problematis, & ita legitur problemate XXIII. & ita eo loco vertit Theodorus, ex quo miror hunc non fuisſe ab eodem Theodoro restitutum. Est autem huius secundi membri ratio hæc: vbi minùs contra naturam mouemur celeriùs mouemur, æqualibus locis minùs contra naturam mouemur, æqualibus igitur celeriùs mouemur. Minorem probat: nam locis æqualibus minor est attollentia, siue elatio, elatio autem est contra naturam: igitur contra naturam moueri minùs ineſt locis æqualibus, & magis inæqualibus. Quamquam autem non adeò magna est elatio æqualibus, est tamen crebrior, & frequentior, sæpius enim attolluntur, & deponuntur pedes, & crura, quæ corporis elatio est, inæqualibus autem rarior, sed maior: ex quo etiam maior celeritas: frequenter enim pedes attollere, & deponere, illud in ambulatione celeritatem parit: non parit autem ita lassitudinem elatio in æqualibus, licèt maior ob causſam iam propositā, quoniam corporis habitus immutatur, nec idem semper est, hanc autem causſam ad eam rem plùs posse, quàm alteram existimat Aristoteles. Porrò autem efferri, & attolli esſe contra naturam probat Aristoteles, quoniam est violentum, violenta autem contra naturam sunt: totus autem hic locus illustrior euadit ex iis, quæ habet Aristoteles problemate XLI. huius sectionis, nimirum omnem ingressum, seu ambulationem constare ex attolentia, & depositione, quibus deinde propositionem, seu æqualem positionem addit: ex quibus attollere sit præter naturam, ponere secundùm naturam, proponere medium tenere. Qui igitur per locum æqualem ambulat, non multùm attollit, quia quod mouetur non ita contra naturam mouetur, sicuti cùm ad ardua, & sublimia mouetur, quo tempore corpus suâ naturâ graue, ac deorsum tendens, vi sursum spiritui, & calori trahendum est, sicuti etiam dictum est problemate XXXVII. sectionis secundæ. Theophrastus, cùm hanc eandem rationem de frequentiori, & rariori, maiori, & minori elatione proponeret addidit, temporis æquale spatium, quod vtrobique idem esſet, sic enim scribit: θᾶττον δ' ἡ βάδισις ἡ ἐν τῷ ἴσῳ χρόνῳ ἐλάττω τ' ἀναφορὰν ἔχουσα· τοιαύτη δὴ ἐν τῷ ὁμάλῳ. hoc est: *Velocior autem inceſſus ille est, qui æquali tempore minorem elationem habet: huiusmodi autem est, quæ æquali loco fit.* Quam rem

habemus

habemus similiter problemate XXIII. τὸ ἢ παρ' ἑκάστην βάσιν γνώμονα μικρόν. *Quod autem per singulos gradus paullatim redditur.* Hæc vt puto non tantùm pertinent ad alterum hoc membrum, de minori velocitate per vias inæquales, sed ad alterum etiam: quin & ad alia multa accommodari sententia potest: est enim generale pronunciatum, medicis præcipuè cognitum: quod igitur dictum est, tum de labore maiore per æqualia, tum de tardiori itinere per inæqualia, licèt non ita perspicuè appareat per singulos passus præ exiguitate, per multos tamen liquidò cognoscitur, quod enim ex paucis multiplicatis redit, multum fit.

XI.

Διὰ τί τὰ ὀπίσθια κοπιαρώτερα ἐγκατακεῖσθαι τῶν κοίλων ὄντων; ἢ διὰ τὸ αὐτὸ καὶ τὰ κυρτὰ τῶν ὀπισθίων; ἐφ' ἕνα γὰρ τόπον συναθροιζόμενον τὸ βάρος ἐν τῇ καθέδρᾳ, ἢ κατακλίσει, τῇ θλίψει ποιᾷ πόνον· τὸ μὲν οὖν κυρτὸν, τῷ δύσεως τέτευχε, τὸ κοῖλον μᾶλλον γνώμονα ὄντα. τὸ γὰρ σῶμα ἡμῶν ὅτι σφαιροειδέστερον ἢ δυσειδέστερον τῶν γνωμόνων καὶ πλέον ἅπτεται τὰ ποιλα, ἢ τὰ ὀπίσθια· διὰ ταῦτα δὲ καὶ τὰ ἐνδιδόντα τῶν μὴ ἐνδιδόντων, ἀκοπώτερά ὅτι, καὶ ἐγκατακλιτικώτερα, καὶ ἐνέδρας.

Cur in planis laborioſiùs accubamus, quàm in concauis? An eadem ratio eſt, cur etiam in conuexis laborioſiùs, quàm planis? cùm enim pondus corporis ſe eundem in locum, in ſedendo accubandóve colligit, facit per afflictionem, vt laboretur: incuruum igitur, quàm rectum, idq; quàm concauum magis tale ſe exhibet. Noſtrũ etenim corpus in orbem ſe colligit potiùs, quàm dirigat in proceſſum, quæ autem eiuſmodi ſunt, hæc per plura attinguntur à concauis, quàm à planis. His eiſdem de cauſſis etiam fit, vt quæ cedunt, minùs, quàm dura, & renitentia, fatigent, & in accubando, & in ſedendo.

Difficiliùs, & maiori cum labore, ac moleſtia ſedere nos, ac iacere ſuper corpora, quæ ſuperficies planas habeant, quàm concauas, poteſt quilibet etiam incommodè experientia ipſa didiciſſe aliquando, aut ſedendo, aut dormiturus, dum recumbit. Rationem autem reddit Ariſtoteles, primùm quidem ſimili alio problemate adducto, cuius ratio, quæ eadem eſt, facilior apparere poterat, tum eandem liquidiùs explicans. Ait igitur, cauſſam eſſe eandem propter quam etiam fit, vt in gibbis, ſeu rotundis, vt in ſtrato, aut ſedili ſphæricæ figuræ laborioſiùs adhuc accubemus, quàm in planis. Quia nimirum quoties pondus totum ſimul vnum in locum ſe colligit, illíque innititur vniuerſum, locus ille, atque illa pars preſſionem, ac attritionem patitur, atque ſummè laborat: eam Theodorus appellat, *afflictionem*: gibba autem, ſeu incurua, vt dicit Theodorus, ſunt magis talia, quàm plana, & plana, quàm concaua, vt in iis ſcilicet onus vniuerſum vni parti incumbat; laborioſiora igitur primùm erunt gibba, tum plana, commodiora autem concaua. Rem autem adhuc liquidiùs explicat Ariſtoteles. Ait enim corpus noſtrum magis rotundum, quàm rectum eſſe, quod Theodorus dicit, *dirigere ſe in proceſſum*: nimirum corpus noſtrum teres eſt; maximè autem rotunditatem acquirit qua parte ſedet, dum ſedet: talia autem corpora à concauis meliùs admodum recipiuntur, quia per plura attinguntur, quælibet enim pars rotundæ figuræ tangitur ab ea parte concaui, quæ illis reſpondet, & in ea commodè recipitur. In ſella autem ſphærica per punctum ſolum à rotundo corpore fit tactus: & in planis generatim per pauciora, quàm in concauis. Partes autem, quæ non tanguntur, nec recipiuntur, illæ ſuſpenſæ remanent, deprimentes autem vnam illam, quæ tangitur, & reſidet, eandem opprimunt, & afflictionem, ac laborem maximum inferunt. Διὰ ταῦτα δὲ καὶ τὰ ἐνδιδόντα. *His eiſdem cauſsis etiam fit, vt quæ cedunt.* corollarium. Ob eandem cauſſam fit etiam, vt quæ cedunt, nec renituntur ſint minùs ad ſedendum, & recumbendum laborioſa duris, & renitentibus. Quæ enim cedunt, ea ob ceſſionem conformantur ea figura, qua commodè recipiant, quæ illis accumbunt: vt cùm ſuper ſedile, aut ſtratum plumeum ſedemus, aut iacemus, quod cauitatem ſtatim admittit, qua pars commodè recipitur. Theophraſtus cùm de huiuſmodi accubitus eadem Ariſtotelicis proponeret, paullò ante ſentẽtiam propoſuerat generaliorẽ, de ambulatione, curſu, accubatione, & ſeſſione, ita ſcribens: τὰ δ' αὐτόπτα, ἢ σκληρὰ, μᾶλλον ποιεῖ κόπον, καὶ ἐν πορείᾳ, καὶ ἐν δρόμῳ, καὶ ἐν κατακλίσει, καὶ ἐν καθέδρᾳ, διὰ τὸ μᾶλλον ποιεῖν πλησμὸν, καὶ ὀλίθησιν· τάχα δ' ἴσως καὶ τῷ συμπίπτειν πλέω κοπιαρώτερον δ' ἂν τοῦτο δόξειεν. hoc eſt: *Renitentia autem, & dura magis laſſitudinem*

inferunt

inferunt, & ambulatione, & curſu, & accubitu, & ſeßione, quia maiorem ictum, & percuſßionem faciunt: atque adeò ſanè maiorem habent contentionem, quæ laborem magis afferre ſolent. De his autem quæ cedunt proponit mox dubitationem Theophraſtus, vt ſi non illico poſtea tamen, non ſecus ac dura, & renitentia laborioſa ſint ad accumbendum: eam verò ſtatim diluit: ſed tum hæc, tum alia ad eandem materiam pertinentia, quæ non habet in problematis Ariſtoteles, præſtat videre apud ipſum Theophraſtum.

XII.

Διὰ τί οἱ βραχεῖς περίπατοι κοπώδεις εἰσίν; ἢ ὅτι ἀνώμαλοί εἰσι; πολλάκις γὰρ ἴσασι ποιοῦσι· τὸ γὰρ ἐν τῇ ἐναντίᾳ εἰς τὸ ἐναντίον μεταβάλλειν, κοπῶδες ὅτι σωτήριαν γὰρ ἑτέρῳ ποιεῖ, ὃ ὀκνεῖν ἄκοπον· ἀμφοῖν δ' ἅμα οὐκ ἐνδέχεται σωτηρίαν γίνεσθαι.

Cur breues deambulationes fatigationem mouere ampliùs ſoleant? An quia euariant, incomptæq; ſunt: faciunt enim, vt ſæpe ſubſiſtatur. De contrario autem in contrarium frequenter mutari, laborioſum eſt: neutri namq; aſſueſcere ſinit. Quæ quidem aſſueſcendi ratio vacat fatigatione: vtríque autem ſimul vt aſſueſcas, fieri non poteſt.

Ad problema decimum pleráque attuliſſe putamus magnopere pertinentia ad hunc locum, vt paucis omnino hîc agendum ſit. Ambulationem intelligi hoc loco cum progreſſione, & regreſſione identidem repetita, diximus ad problema primum. Quod autem Theodorus vertit, *quòd euariant, incomptæq; ſunt*, ad verbum breuiter eſt, *quia inæquales ſunt*. Diximus autem, hanc inæqualitatem non eandem eſſe de qua problemate decimo; illa enim ratione locorum erat, hæc ratione repetitæ conuerſionis, & ratione motus, qui contrarius eſt, dum progrediendo, & regrediendo fit ambulatio, vnde & contrarium dicit illum Ariſtoteles hoc loco. In huiuſmodi igitur breuibus ambulationibus, ipſum ſubſiſtere, dum fit conuerſio, ſeu mora, & pauſa, quæ eo tempore euenit, non eſt ambulantibus ſolatio, ſicuti erat in altera inæqualitate, tum quia in illa quæ eſt à loco, ob inæqualitatem partes aliquæ, quæ antea laborabant, quieſcunt, quod non ita in hac fit (quin ſtare magis laborioſum ex ſententia Galeni) tum etiam, quia licèt concederetur ex illa ſubſiſtendi ratione, & pauſa aliquam accedere ambulantibus recreationem debere, eſt adeò frequens mutatio, vt omne ſolatium tollatur: aſſiduè enim inter duo contraria verſantur ambulantes, ex altero ad alterum ſubinde immutati: nec requie vlla alicubi gaudent: quippe nullibi adeò immorántur, vt ex eo iucunditas aliqua percipiatur, quæ non oritur, niſi fiat aſſuetudo aliqua: quæ niſi aliqua mora fit; hîc autem tam frequens eſt mutatio, vt antequàm altero ex aſſuetudine gaudeas, alterum excipiat, vtríque autem ſimul vt aſſueſcas, fieri non poteſt; ſunt enim contraria, contraria autem ſe inuicem deſtruunt.

XIII.

Διὰ τί ὅταν τὰ ἵππων ὀχήματα, ὅσῳ ἂν μᾶλλον θέῃ ὁ ἵππος, τοσούτῳ μᾶλλον δακρύουσι τὰ ὄμματα; πότερον διὰ τὸ ψυχρότερον εἶναι τὸ ἀεὶ προσπίπτοντα ἄερα, ὅσῳ ἂν ἐλάττω χρόνον ἅπτηται τοῦ σώματος· ὅσῳ δὲ καὶ τὰ γυμνῶν θεόντων συμβαίνει· τὸ γὰρ ψῦχος δάκρυον ποιεῖ· ἢ διὰ τοὐναντίον; καὶ γὰρ τὸ θερμὸν ποιεῖ δακρύειν οἷον ὁ ἥλιος· ἢ ἡ κίνησις θερμότητα ποιεῖ· ἢ διὰ τὸν ὑπὸ τοῦ ἄερος πληγήν· ὡς γὰρ οἱ ἄνεμοι ταράττουσι οἱ ἐξ ἐναντίας τὰ ὄμματα, οὕτως ὁ ἀὴρ προσπίπτων, ὅσῳ ἂν θᾶττον ἐλαύνῃ, τοσούτῳ μᾶλλον ποιεῖ πληγὴν μᾶλλον.

Cur qui equo vehuntur, quò longiùs equus decurrerit, eò magis emittere lacrymas ſolent? vtrum quoniam aër, qui ſe obiectat, ſubinde eò frigidior eſt, quò minus temporis corpus attigerit. Quod iis etiam euenit, qui curſum nudo corpore agunt: frigus autem mouere lacrymam poteſt. An contra. Res enim calida lacrymam ciet, veluti Sol. Motus autem nimirum calorem efficere poteſt. An propter ictum illatum ab aëre illud accidit; quo modo enim venti aduerſi oculos perturbant: ſic aër occurſans eò magis ferire poteſt, quò equus velociùs agitatur.

Hoc problema iteratur hac eadem sectione proximè post xxxiv. sunt tamen quædam leuia & exigua, quæ ex altero possis ad alterum transferre, quæ nos hîc adnotabimus, vt ad xxxv. omni expositioni possimus supersedere. Quod proponitur admodum conspicuum est: pro eo autem quod hîc dicitur, μᾶλλον θεῖ, quod Theodorus vertit, *quò longiùs equus decurrerit*, problemate xxxv. scribitur θᾶττον θεῖ, hoc est, *velociùs cucurrerit*. Et Theodorus ibidem, *contentiùs cursum arripit*: ita verò hoc loco accipienda etiam est particula μᾶλλον, vt patet ex problemate ad finem, ὅσῳ ἂν θᾶττον ἐλαύνῃ, *quò celeriùs equum impulerit*. Igitur meliùs putem transferri hoc loco, *quò velociùs, aut celeriùs equus cucurrerit*. Non enim cum longitudine cursus, necessariò iungitur velocitas: at immutatio aëris, ex qua prima ratio pendet, ex velocitate desumitur. Si enim vel longissimè currat equus, at lentè, non ita idem aër immutatur, nec gignitur effectus de quo problema. Tres igitur rationes affert Aristoteles, quamobrem qui equis vehuntur, atque etiam pedibus currendo iter faciunt, sicuti addit problemate xxxv. quò velocior cursus extiterit, eò magis illorum oculi illacrymare soleant. Prima est à frigore: quo enim velocior cursus est, eò minori tempore idem aër corpori occurrat, illudque attingit, quo autem minori tempore corpus ab aëre attingitur, eo plùs corpus refrigeratur: aër enim qui corpus attingit, calefit ab eius calore; qui verò nouus subinde incidit, ille corpus refrigerat antequàm à calore corporis incalescat, quod habemus etiam problemate xxxiv. & apud Alexandrum libro primo, problemate cxiii. æstate etiam patet, cùm flabellis aëra subinde à facie amouemus, nouum qui frigidus sit, subinde excipientes, etsi in aqua calida res contrario modo contingat: illa enim si mouetur, calidior redditur, vt dicit ibidem Alexander. Nam qui in aquam descendit calidam, si se non mouerit, minùs vritur: sed si agitatu suo aquam mouerit, maiorem sentit calorem, & totiens aqua vrit ampliùs, quotiens nouus ei motus accesserit. Quæ Macrobij sunt verba libro vii. saturnal. quæstionem propositam meliùs declarantia. Plutarchus tamen in quæstionibus naturalibus de eadem aqua rem aliter proposuit, quærens: Cur cùm alij humores dum commouentur, & versantur fiant frigidiores, mare videamus dum fluctibus exagitatur incalescere? Atqui propositæ rei sensum, cùm aliter accipiat Plutarchus quàm illi auctores fecerint, vt satis constat; diuersa atque adeò contraria ab eo proponi, nil mirum sit. Sanè autem de humore vel aqua solutio, vtrouis modo res accipiatur, satis apud illos auctores patet. In aëre res eo modo contingit, quo diximus. Plùs igitur refrigeratur qui velociùs currit; sæpius enim aëra mutat: quod in iis etiam patere potest, (quod ait hoc loco Aristoteles, omittit autem problemate xxxv.) qui nudi cursum arripiunt, illos enim etiam magis refrigerari, quò velociùs currunt; quæ sunt intelligenda ratione aëris, antequàm motus, qui ex cursu est calorem internum excitet, & foras trahat; nimirum dum aëris frigiditas potentior est, & in corpore dominatur: procedente enim diutius cursu, calorem corporis internum egredi contingit, & extima calefieri, vt iam non frigus, sed calor dominetur. Ratione autem aëris res ita habet: & velociùs currentes magis refrigerantur: frigus autem lachrymas mouet: cuius rei caussam hîc omittit Aristoteles, affert autem problemate xxxv. quia scilicet contrahens, & adstringens carnem, humorem exprimit. Altera ratio est à contrario, nimirum à calore: nec verò absurdum à contrariis caussis eundem deducere effectum, dum per accidens, non per se aliqua ex illis sit. Dicit igitur Aristoteles cursum velociorem magis caliditatem parere; quippe si motus parit caliditatem, quod hîc dicitur & vberiùs libro secundo de cœlo (de modo ad rixas disputant Philosophi) velocior motus maiorem caliditatem pariet, calor autem lacrymas mouet: maior igitur magis mouebit: à calore moueri probat ex Sole, qui enim Soli caput exponunt, illis oculi illachrymant, quippe à Solis calore attenuata materia effluit. Problemate xxxv. ratio itidem à calore deducitur, sed alio modo. Calor elicit sudorem, lachryma quidam sudor est, calor igitur lachrymam educit: at calor ex motu est. Lachrymam sudorem esse quendam, aut illi similem, seu ex illo genere duobus signis confirmat: vtráque enim mouentur à calore, & vtráque salsa sunt. Lachrymam sanè à calore moueri habemus etiam apud Plutarchum libro quæstionum naturalium quæstione xx. vbi quærit, cur syluestris suis dulcis lachryma sit, cerui salsa, & nitrosa; scribit enim eo loco, ob excandescentiam lachrymas exprimi, excandescentia autem calor est. Eodem modo etiam dicendum iuxta Empedoclis sententiam qui de sudoris, & lachrymarum origine idem existimauit scribens, vt legitur in libro de historia philosophica Galeno attributo, sudores, & lachrymas attenuato, & eliquato sanguine manare, quæ res ex loco Plutarchi, quem modò attulimus de lachrymis etiam colligi videatur. Galenus tamen libro quarto de simplicium medicamentorum facultatibus capite secundo, in frigiditatem, lachrymarum emanationem contulit

dicens, frigidum, quæcumque contingit, eorum & contrahere ſubſtantiam, & condenſare, ac conſtringere, tenuéſque tum excerni humiditates, ſicuti ex oculis lachrymas. De ſalſedine autem earundem lachrymarum, locus idem eſt Plutarchi modò citatus; Nec verò, aut de illa, aut de ſalſedine ſudorum plura, vt afferamus locus poſtulat. Tertia ratio eſt, non à frigore, neque à calore aëris, ſed ab actione eiuſdem in oculos deſumpta: nimirum, quia inter currendum aër oculum verberat, non ſecus ac venti, qui ex aduerſo ſpirant, eo autem plùs, quò velocior curſus eſt, ideo oculi magis illachrymant; ſunt enim ictus aëris tum crebriores, tum validiores: quicúmque enim aër immutatur, ille recens oculos ferit, & plagam facit, ſed mollem, vt dicit Ariſtoteles, quam vocem, etſi Theodorus, aut non habuit, aut diſſimulauit hoc loco, problemate enim xxxv. eam ſimiliter habet Theodorus, ideo puto Ariſtotelem adieciſſe, vt tacitè obiectionem tolleret. Quid enim dicimus percuti oculos, ſi plagam non percipimus? illa verò non percipitur, quia plaga mollis eſt: eſt autem mollis ob mollitiem tum partis recipientis ictum, tum inferentis, vtráque enim cedunt: atque ideo plaga mollis fit problemate xxxv. modum præterea addidit, quo aër verberans lachrymas excutit, dicens ideo fieri, quia ob plagam illam relaxantur, & rarefiunt meatus oculorum, per quos lachrymis exitus eſt: omnis enim plaga, ſeu ictus, aut rarefacit, & relaxat, aut rumpit partem, cui incidit; in præſentia autem non rumpit partem, eſt enim ictus, vt dictum eſt, mollis; ſed rarefacit tantummodo. Hæc ita accipienda ſunt eo problemate. Theodorum autem hunc ſenſum non puto fuiſſe aſſequutum, quare illa non ita fideliter tranſtulit: *Quo igitur quis contentiùs equum agitat, aut ipſe currit, eò magis ictu quodam molli obuerberat, & ferit: quo fit, vt ſe lachrymæ promant, ſcilicet meatibus oculorum relaxatis appulſu eiuſmodi. Omnis etenim ictus, vim aut ſecandi habet, aut collidendi, & contundendi.* Ita autem fideliter & ad verbum tranſtuliſſe meliùs ſit. *Quò igitur celeriùs quis* [equum] *impellit, aut ipſe currit, tanto magis plagam facit mollem, ob quam oritur lachryma, rarefactis ex plaga oculi meatibus. Omnis enim plaga, aut diducendi, aut rumpendi vim habet.*

XIV.

Διὰ τί τὰ μὲν ἄλλα περιόμενα σαρκωθέντα μέρη, ἡ δὲ γαστὴρ λεπτοτέρα γίνεται; ἢ διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ σαγωγῆς, ἀλλὰ σφοδροτέρα· διὰ μὲν γὰρ ἀλλ' οὐχ ὁμοίως γε ἡ σάρξ. διὸ καὶ τὸ πεφθὲν ὑγρὸν ὅλως διὰ τῶν γυμνασίων καὶ πόνους, καὶ μάλιστα λεπτύνει ἡ γαστήρ· αἴτιον δ' ὅτι τὰ πίονα θερμαινόμενα τήκεται, καὶ τὰ φύσει τάσιν ἔχοντα, μᾶλλον· τὸ δὲ πέμμα ὄζει φύσει ἔχον τάσιν· ἀλλὰ διὰ τὸ παίνεσθαι τάχιστα, ἀεί τινα ἕξιν πιότητος, ἐὰν μὴ κάμνῃ τινὶ νόσῳ· αἴτιον δὲ τούτου, ὅτι ἐγγύς ὄζει τῆς τροφῆς· ὅλως δὲ ἡ μὲν μελὴ οὐκ ἔστι φύσει, ἀλλ' ἐπίκτητον, καὶ ὃ τῶν ἀναγκαίων μερῶν, ὥσπερ καὶ ἡ σάρξ, καὶ ἡ τῶν γυμνασίων κίνησις, καὶ ἡ τῆς τρίψεως, θερμαίνουσα, τήκουσιν αὐτὸν καὶ τὴν τροφὴν ἐκπλεονάζουσαν νέμουσι τοῖς ἄλλοις μορίοις· διὸ αἱ μὲν καθέδραι, τὴν κοιλίαν παίνουσι, τὸ δ' ἄλλο σῶμα λεπύνουσιν· αἱ δὲ κινήσεις, καὶ αἱ τρίψεις τὴν μὲν κοιλίαν λεπύνουσι, τὸ δ' ἄλλο σῶμα παχύνουσι.

Cur cætera membra, cùm perfricantur, pleniora euadant: venter autem ſoleat extenuari? An perfrictione protinus vehementiore extenuatur, cùm is etiam impleri ſoleat illa fricandi ratione, quam paullatim amplificando admouemus, ſed non æquè proficit, atque caro; qua de re quæritur: quippe cùm omnino in exercitando, laborandóque, venter præcipuè extenuetur. Ratio igitur, quòd opima quæq; concalfacta liqueſcunt, & ea magis, quæ intenſa ſuapte natura ſunt: venter autem cuteus eſt, cutis verò ſua natura tenſionem habet. Sed enim, quòd venter celerrimè opimatur, ideo & pingue aliquid ſemper obtinet, niſi morbo laboret. Cuius rei cauſſam dixerim, quòd cibo ex vicino poſitus eſt. Cùm igitur omnino pingue res propria naturæ non ſit, ſed aduentitium, nec ita neceſſarium, vt caro adhæreat: ideo & exercitandi, & perfricandi agitatio ventrem concalfaciens, liquefacit, & macerat, alimentúmque quod inde redundet, membris cæteris diſpertit: quamobrem ſedile ventrem opimat; reliquum corpus extenuat. Motiones verò, perfrictionéſque ventrem extenuant, reliquum corpus implent, & augent.

Vberiùs diſquiritur, quod problemate tertio fuerat etiam propoſitum, de ventris extenuatione, quæ ab exercitio ſeu frictione illi euenit, non itidem aliis corporis partibus.

Porrò autem frictionis vſu augeri corpora, & carne repleri, copiosè habemus apud Galenum lib.11.de tuenda valetudine, vbi illam Hippocratis ſententiã diligenter examinat, quæ libro κατ' ἰητρεῖον his verbis effertur: ἀνάτειψις δυὼν) λύσαι, δῆσαι, σαρκῶσαι, μινυθῆσαι, ἢ σκληρὴ δῆσαι, ἢ μαλακὴ λύσαι, ἢ πολλὴ μινυθῆσαι, ἢ μετρίη παχύναι. hoc eſt. *Frictio poteſt ſoluere, ligare, carnem augere, minuere, dura ligare, mollis ſoluere, multa minuere, moderata craſſefacere.* Verùm ſi multa Hippocrati carnem minuit, quomodo abſolutè Ariſtoteli præter ventrem reliqua auget? ac ſi eidem Hippocrati moderata carnem auget, quomodo Ariſtoteli abſolutè ventrem extenuat? An de moderata accipiendus Ariſtotelis locus? quippe vſitatior, tamquam media, extrema enim non ita in vſum veniunt. Sanè autem & de ventris extenuatione ex moderata, obiectionem videtur Ariſtoteles vidiſſe, ac de propoſitæ rei veritate dubitaſſe: quare & mox corrigit quodammodo, & coarctat quod propoſuerat: dicit autem. An verò haud eſt abſolutè dicendum, ventrẽ extenuari à frictione quæ fiat ἐκ προσαγωγῆς, nimirum, quæ ritè, & rectè adhibetur ab exigua ad maiorem aſcendendo: ſed illius vſu, carne etiam venter augetur: hoc enim eſt, quod dicit σιφνότερα; aut σιφρότερα, aut συχνότερα, vt nonnulli habent, nimirum ſpiſſior, & vegetior venter fit. Heſychius enim vocem σιφρὸς, exponit πυκνὸς, δύσθαλὴς. Hunc ſenſum, qui Ariſtotelis verus eſt, ſicuti exiſtimo, bene ſanè expreſſit Theodorus: ſed paraphraſtes potiùs, quàm interpretis munere fungens, illa extrinſecus de ſuo addit: *Perfrictione protinus vehementiore extenuatur*; liber autem breuiùs ſed fideliter locum lectori proponere, vt quod dixi, etiam Græcè neſcientes poſſint facilè videre: *Cur cætera quidem membra perfricata carne replentur, venter autem tenuior fit? An neque ille* [venter] (hunc enim neceſſariò refert ἀυτὴ) *ex frictione paullatim augeſcendo facta* [attenuatur] *ſed ſpiſſior fit?* Corrigens igitur & coarctans propoſitionem Ariſtoteles, ſubiicit: id verò licèt concedatur, nempe ex huiuſmodi frictione denſari ventrem, non imminui; non tamen ſimiliter atque caro. Ita enim ad verbum ſonant, quæ Thodorus vertit: *Sed non æquè proficit, atque caro:* nempe vtrobique rem non eodem modo ſe habere. Igitur problemati adhuc locus eſt; idque eſt, quod quærimus ait Ariſtoteles: cur omnino, & in vniuerſum ex eadem exercitatione, & eodem labore maximè extenuetur venter, hoc eſt promptiùs & expeditiùs, quàm aliæ partes. Diuerſitatis autem cauſſam refert in pinguedinem, qua præditus venter eſt; illa enim ob frictionis calorem liquata, extenuatur venter: pinguedo enim, ſi calefiat, liqueſcit: & eò magis ſi ſit in partibus, quæ natura tenduntur, id eſt in partibus, quæ oſſe careant: illarum enim cutis tenditur, & laxatur, ſicuti in ventre: quod factum eſt tum ratione alimenti, quod partem illam eleuat, ne tumori impedimento ſit; tum verò in fœminis præcipuè ratione fœtus, ne illius incremento obſtet, quemadmodum docet idem Ariſtoteles ſecundo de partibus animalium capite 1 x. quæ autem tenduntur eorum pinguedo faciliùs, & promptiùs liqueſcit, quoniam ob frequentem tenſionis & laxationis motum, non ita poteſt affigi & adhærere, ſicuti aliis partibus, quarum ſubſtantiam magis ingreditur. Pinguedine igitur liquata, extenuatur venter: aliarum autem partium caro non ita promptè liqueſcit, ſed calori, qui ex frictione gignitur, magis reſiſtere poteſt. atque ideo potiùs augetur, vt mox patebit. Illa porrò, quæ Theodorus vertit, *quæ intenſa ſuapte natura ſunt*, meliùs, & fideliùs, vt puto conuertamus, *quæ natura intentionem habent*, id eſt, quæ à natura ita conſtructa ſunt, vt tendi, & laxari poſſint: Græcè enim eſt τὰ φύσῃ τάσιν ἔχοντα. Illa etiam, *venter autem cuteus eſt*, deſiderantur in Græcis vulgatis exemplaribus, nec habet antiquus interpres. Vtrum de ſuo addiderit Theodorus ad ſenſum magis explicandum, aut legerit in exemplari, quo vtebatur, non eſt facilè diuinare: ἀλλὰ διὰ τὸ παίνεσθαι τάχιστα. *Sed enim, quòd venter celerrimè opimatur.* His verbis puto Ariſtotelem obiectioni occurrere. Si enim ita facilè, vt dictum eſt, colliquatur, & abſumitur ventris pinguedo, quid ita venter ſemper pinguius reperitur? reſpondet id fieri, quia celerrimè etiam impinguatur; licèt igitur, quæ in ventre eſt pinguedo liqueſcat, alia tamen ſubinde noua celerrimè generatur, atque ita pinguedine nunquam vacare perſpicitur, niſi aliquo tabifico morbo laboret. Quòd verò adeò celeriter, & promptè pingueſcat venter, cauſſa eſt propinquitas alimenti, ſicuti habuimus etiam ſuperiùs problemate quinto. ὅτι ἂν ὅλως ἡ πιμελὴ οὐκ ἔστι φύσει. *Cùm igitur omnino pingue res propriæ naturæ non ſit.* Particula, ἄν, *igitur*, ſumitur tranſitiuè: ſi enim illatiuè, aut collectiuè accipiatur, difficile eſt videre, vbi id, quod de pinguedine dicitur, non eſſe à natura, fuerit ſuperiùs poſitum. At tranſitiuè iam manifeſtò eſt noua ratio: vtro autem modo ſumatur, eadem dicuntur, idémque rationis eſt momentum. Cùm pinguedo, inquit, non ſit omnino à natura; dicit autem omnino, quippe naturalis res eſt pinguedo, ſcilicet à natura formata, non tamen omnino, quia haud neceſſaria ad corporis perfectionem, ita enim in præſentia eam vocem accipit: cùm igitur à natura minimè ſit pin-

guedo : ſed res aduentitia, cui facilè; vel abſque corporis detrimento accedere, & recedere licet, iure fit, vt ita à natura non cuſtodiatur, ſicuti aliarum partium caro, de qua hæc illo modo dicere non poſſumus; vnde ob motiones, exercitationes, ac frictiones, quæ calorem inducunt, liqueſcit; & inde aliis partibus diſtribuitur alimentum. Aliæ enim partes, quæ ſolidiores ſunt, calefactæ meliùs attrahunt: quod igitur illis demitur, his apponitur, ex quo hæ pingueſcunt, illæ extenuantur. *διὸ αἱ μὴ καθέδραι. quam ob rem ſedile.* Corollarium. Cùm propter motus, & frictiones, ea ratione quæ dicta eſt, extenuetur venter, cætera autem membra pingueſcunt, meritò fit, vt ſedile è contrario ventrem ſaginet: quippe ex vicinia alimenti, quod ad illas primùm aſſiduè defertur, diutiúſque moratur, niſi motione aliò trahatur; reliquæ autem corporis partes extenuantur, quia defectu motionis ad eas minimè redundat alimentum, ſed ad ventrem mouetur, vt dictum eſt. Verùm de ſedili, & hoc eius impinguandi effectu, proprium proponit problema initio ſectionis ſextæ.

XV.

Διὰ τί ὅτι τῶν σφοδρῶν καὶ μακρῶν ὁδῶν ἢ δρόμων, ὅταν στῇ τις ἐπ' ἄκρων τῶν δακτύλων, σείονται τῶν ποδῶν αἱ πέρναι, καὶ ἀπὸ κάτω φέρωνται; ἢ διὰ τὴν συνέχειαν καὶ σφοδρότητα τῆς κινήσεως, οὐκ ἀναπαύεται ὁ σεισμὸς τῷ ἀνθεφόπῳ τῶν νεύρων; τὸ μὲν γὰρ ὅλον σῶμα κρατεῖ ἡ ψυχὴ πολλάκις, μορίων δὲ ἕ, ὁπόταν πῶς κινηθῇ, οἷον καὶ καρδίας, μὴ αἰδοῖ· αἴτιον δὲ ὅτι πνεῦμα πολὺ φέρεται τὰ νεῦρα ἐκπαίει), ὁ δὲ ἅμα ἐκψύχει· στάντι· τοῦτο οὖν σεῖον ὥσπερ ὑποσπῶν τὴν κίνησιν, καταπαύει), καὶ τὸ φορρωτάτω ἥκιστα ποιεῖ κρατεῖν· τοιοῦτον ἢ αἱ πέρναι, οἷον τοῖς ὀργιζομένοις τὸ κάτω χεῖλος.

Cur peracto longo itinere, aut curſu, ſi quis ſe ſuper ſummos conſtituerit digitos, calces pedum conquatiuntur, proníque deorſum labuntur? An propter continuatum, vehementémque motum concitati nerui, nondum requieſcunt. Fit enim ſæpe, vt animus euincere corpus totum poſſit: membra autem ſingula inhibere non poſſit, vbi ſe quendam in modum commouêre. Non enim cor, non penem, excitum, reſidere animus cogere poteſt. Ratio autem rei, quam quærimus eſt, quòd multum ſpiritus circa neruos deuritur, quod non ſimul ac ſubſtiteris, refrigeſcere poteſt. Is igitur ſpiritus concutiens, veluti ſubtrahendo ſuo motu deducit, facítque vt pars remotiſſima minimè contineatur. Itaque calces tremiſcunt, quemadmodum imum labrum hominis irati.

De quodam effectu inquirit, qui poſt longum peractum iter, aut curſum ambulantibus euenire ſolet. Si enim longa quiſpiam emenſus itinera, non diu pòſt, perfecto curſu ſuper extremos pedum digitos ſe conſtituerit, illíſque totus fuerit innixus, erigens ſe, is iam ita erectus minimè conſiſtere poſſit: ſed trementibus, & concuſſis calcaneis præceps deorſum trahatur, ſic vt toti plantæ æqualiter niti neceſſe habeat: huiúſque cauſſam inquirit Ariſtoteles. Quod verò Theodorus *ἀπὸ ταῦ κάτω φέρωνται*, aut *φέρεται*, vt reponit Iuſtinianus, reddit: *proni deorſum labuntur*: minùs fideliter facit; quid enim ſi ſupinè labantur? nec Ariſtoteles dicit labi, ſed trahi, hoc eſt vi ad inferiora moueri. Quòd ſi, *labi*, quo Theodorus vtitur, accipiamus non pro eo, quod eſt, in terram decidere ſed ſuper totam plantam, ſicuti nos expoſuimus, iam illud, *proni*, non poſſit hoc loco admitti, ad alteram enim partem potiùs inclinantur, qui ita labi intelliguntur. *ἢ διὰ τὴν συνέχειαν, καὶ σφοδρότητα τῆς κινήσεως. An propter continuatum, vehementémque motum.* Cauſſam reddit: dicit autem eam eſſe, quia ob motum, ſeu impetum vehemens, & continuatum impreſſum neruis, & muſculis ab anima ſeu animæ virtute, dum concitatè mouentur, licèt quieuerit anima, non tamen quieſcit pars illa: ſed quatitur adhuc, & conuulſionem patitur: res enim mira contingit, vt cùm ſæpenumero totum corpus regat, & contineat anima, non poſſit tamen interdum partes aliquas continere, cùm certo quodam modo commotæ ſunt, ſicuti cor, & penem: fit enim, vt graui aliquo periculo imminente velit audax animus reſiſtere timori, nec pauere: nec tamen cordis ſaltum, aut tremorem inhibere poſſit: & ceſſante periculo, menteque prouidente nullum ampliùs adeſſe, tremit tamen adhuc, vel anima inuita cor. Pulchræ itidem, & laſciuæ puellæ conſpectu erigitur nobis, vel inuitis penis: quod euenit quia motus illi voluntarij ſunt. Cauſſam autem hanc liquidiùs adhuc explicat Ariſtote

ſtoteles : atque ait, rem ita habere & concuſſionem illam fieri ratione ſpirituum. Nimirum inter currendum multi ſpiritus ad neruos, & muſculos, partéſque mouentes confluxerunt, ibique accenſi, & inflammati ſunt. Hi igitur licèt à motu quieuerit, ſubſtiterítque ambulans, non tamen ſimul refrigeſcunt, ſed adhuc in motu exiſtentes quatiunt partem & veluti furtim deorſum trahunt, eo enim tempore ſpiritus minimè ſe accommodat, aut conſentit animæ dominanti, quæ iam quieuit. Aponenſis, vt rem hanc adhuc manifeſtiorem faceret, ad hunc locum ſimilitudinem adduxit ex Ariſtotele libro de communi animalium motu, vbi ſpiritum hunc animæ præcipuum eſſe inſtrumentum, aut miniſtrum ad ſingulas animæ partes mouendas, cùm anima ipſa in corde reſideat, nec ſingulis ipſa interſit ea ſimilitudine docebat. Præſtat autem ipſa Ariſtotelis verba ex Leonici tralatione proponere, quæ ita habent: *Et exiſtimandum profectò eſt, conſtare animal, vt ciuitatem bene legibus inſtitutam, in hac etenim poſtquàm ſemel ordo conſtiterit, nihil opus eſt ſecreto duce, quem ſingulis, quæ geruntur intereſſe oporteat, ſed quiſque vt mandatum eſt, quod ad ſe pertinet, agit, & aliud poſt aliud conſuetudine efficitur. In animalibus autem hoc ipſum natura efficitur, & quoniam vnumquódque ſic conſtitutorum, ad ſua exequenda munia natum eſt, vt nihil opus ſit vnicuique animam intereſſe, ſed cùm illa in certo corporis conſiſtat principio, alia quidem viuere, quia ſunt annexa, proprium autem opus efficere per naturam.* His autem verbis nihil aliud oſtendere voluit Ariſtoteles, quàm ſpiritum, de quo loquebatur inſtrumentum eſſe animæ, aut miniſtrum, vt dicebam, qui ſpiritus ad ſingulas corporis partes demandatus, illas mouet, anima ipſa in cordis arce (vt Leonici eiuſdem vtar verbis in commentario ad hunc locum) tamquàm in peculiari regia, motrice manente, & reſidente, quæ tamen, vt res poſtulat, virtutem omnibus, facultatémque affatim ſuggerit, & diſpenſat. Igitur nihil faciebant ad id oſtendendum, quod proponit Ariſtoteles hoc loco, inuita anima, moueri partem aliquam. Id cùm videret Aponenſis, ſimilitudinem Ariſtotelicam adauxit, & de ſuo, re minimè ſignificata, malos ciues adiecit, principis imperio haud parentes, cuiuſmodi ſunt fures, & homicidæ, quos aſſimilâſſe partibus quæ inuita anima mouentur, viſus eſt: verùm nos, ſicuti Aponenſi debere fatemur pro iis, quæ de ſuo dat; ita quod pro Ariſtotelicis, quæ Ariſtotelis non ſunt, proponit, nolim Philoſophorum magiſtro eam largitatem fieri, nec eo modo propriis rebus auctoritatem conciliari. Sed Aponenſem dimittamus. De inuoluntario cordis, & penis motu habemus apud eundem Ariſtotelem libro, quem adduximus de communi animalium motu ad finem: vbi inter omnes alias animalis partes, cur eæ duæ præcipuè huiuſmodi inuoluntarios motus conſpicuè edant, cauſſam dicit eſſe, quòd vtrúmque ipſorum, tamquam ſeiunctum, & per ſe animal eſt, vt ibi oſtendit: quam ſententiam depromptam eſſe à Timæo Platonis, vbi non ſolùm de virili, ſed etiam de muliebri pudendo idem affirmatur, adnotauit etiam Leonicus in commentario ad hunc locum. *συκαίεῖ). deuritur.* Meliùs fortaſſe: *inflammatur*, ſiue *accenditur. ὥσπερ ὑπαγαγὼν τῇ κινήσει καθαιρεῖ). veluti ſubtrahendo ſuo motu deducit.* Qui ſpiritus dum quatit partem, eo motu illam reuellens deorſum trahit. ἕως τὸ πορρωτάτω ἥκιστα ποιεῖ κραδαίνεσθαι. *facítque, vt pars remotiſsima minimè contineatur.* Roborat adhuc rationem, ſeu cauſſam propoſitam; nam cùm calcaneum ſit pars remotiſſima à ſede, & domicilio animæ, quod eſt cor; quæque pars à cordis virtute vltimo moueatur, nullum alium præterea mouens, non ſit mirum, partem adeò longè poſitam, non conſentire principio, & moueri eo non ampliùs moto; quam rem liceret etiam ſimilitudine confirmare in externis machinis, ita adaptatis, vt primum moueret alterum, hoc tertium, & ſic deinceps; quam rem manifeſtiſſimè proponit Galenus libro de differentiis ſymptomatum ad initium: ibi enim primo ceſſante & quieſcente, videmus adhuc alia moueri: ſed & quieſcente ſagittatore mouetur adhuc ſagitta. Simile verò aliud adducit Ariſtoteles, quo problematis rationem concludit. Tale ſanè, inquit, calcanei patiuntur in hoc affectu, quale labrum inferius in iratis: hoc enim etiam ob ſimilem cauſſam inuitis hominibus quatitur, & tremiſcit: confluente ſcilicet ad eam partem multo ſpiritu, talem enim cauſſam hoc loco ſignificat, qui ſpiritus non tamen quieſcit, anima etiam quieſcente, ac pacata: id nimirum euenit, quod mari à ventis agitato: ceſſante enim vento, aliquandiu perdurant adhuc fluctus à vento commoti. Quod autem Theodorus vertit: *itaque calces*: libentiùs dixerim, *calces autem*, vel, *calces ſanè*, non enim colligit, aut deducit aliquid Ariſtoteles: ſed nouum ſimile proponit: & Græcè eſt, ἢ, niſi reſpexerit Theodorus diſtantiam calcaneorum à corde, quam modò Ariſtoteles memorauit, qua re conuenire illis cum labro videtur, vt ex eo ſimilitudo fuerit deducta. De motione autem inferioris labri eiuſque cauſa in iis qui timore affecti ſunt, habemus probl. VII. ſect. XXXVII. & de eadem re tum in eiſdem tum in iratis proximè antecedens ſextũ, quo loco cùm videatur Ariſtoteles in refrigeratio-

nem potiùs & caloris defectum cauſam reiicere, nos ad eum locũ quæ occurrent dicemus.

XVI.

Διὰ τί οἱ μὴ σφόδρα σωτόνως τρέχοντες, ἐν τῷ ῥυθμῷ ἀναπνέουσιν; πότερον ὅτι πᾶς ῥυθμὸς, ὡς ἐμφὺν μετρεῖται κινήσει; τοιαύτη, δ' ἔστιν ἡ δι' ἴσα ἴσα, ὥστε οἱ τρεχάζοντες ποιοῦσιν· ἅμα ἓν δεχόμενοι τρεχάζειν, ἀναπνέουσιν· ὥστε τῷ ἀναπνοῷ δι' ἴσα ῥυομένῳ. Διὰ τὸ τῇ ἴσῃ κινήσει μετρεῖσθαι, ῥυθμὸν ποιεῖν· ἢ ὅτι πᾶσα μὲ ἁπλῶς ἀναπνοὴ, δι' ἴσα γίνεται τοῖς κατὰ φύσιν αὐτῇ χρωμένοις, ἐὰν μὴ κατέχωσι, καθημένοις μὲν ἓν ἐὰν βαδίζωσι, μετρίας ἔσης τῆς τοῦ σώματος κινήσεως, οὐκ ἂν ὅλως ὁ ῥυθμὸς γίνοιτο· σωτόνως δὲ τρέχωσιν, ἐὰ διαλειφθείσης τῆς κινήσεως ἡ αἰσθήσεως, ἐὰ δι' ἀμυδρὰν σωτοεῖν τὴν ἀναπνοῆς ῥυθμόν· ἐν ᾧ τῷ μετρίως τρεχάζειν, μέτεστιν ἡ κίνησις αἰσθητὴν τὴν ἀναπνοῆς ποιοῦσα, τὸν ῥυθμὸν δηλοῖ.

Qua de cauſſa qui nõ concitatè admodum currunt, numerosè reſpirant? Vtrum quòd numerus omnis menſuram certo recipit motu. Talis autem motus eſt, qui per æquas agitur portiones, quemadmodum agunt, qui currunt leuiter. Ergo ſimul atque agere curſum inceperint, reſpirant ita, vt cùm ſpiratio per compares vices propter parem metiendi motum reddatur, numerum ſiue ambulationem poſſit continuare. An quòd omnis ſpirandi ratio compari viciſſitudine confici ſoleat, modò quis non retineat, ſed tenori trahendi à natura determinato vtatur. Igitur cùm ſedemus, aut ambulamus, quòd motus corporis mediocris eſt, numerus palàm non fieri poteſt: cùm item curſum concitatè agimus, quòd ſenſus conſequi motum nequeat, numerum percipere reſpirandi haud quaquam valemus. At cùm mediocriter nos ipſi concitemus, motus ipſe mediocris modum reſpirandi ſenſibilẽ præſtans, explicare numerum poteſt.

Quare inter currendum, dum reſpiramus, modò curſus ſit moderatus, nec ſumma adhibita contentione fiat, percipiatur rhythmus quidam, & cõcentus ipſius reſpirationis, inquirit hoc loco Ariſtoteles. Duas autem affert ſolutiones, quarum primam ſatis facili argumentatione concludit ex quadam rhythmi deſcriptione; tum alteram proponit. Ait igitur omnem rhythmũ menſurari ex motu determinato, ſeu definito, hoc eſt menſuram recipere, & acquirere ex tali, ac tali motu: nõ enim quilibet motus rhythmum efficit. Sed qui hac, aut illa proportione eſt ordinatus. Rhythmus igitur eſt ordo menſuram accipiens ex motu ita atque ita habente; hoc eſt talem velocitatem, aut tarditatem. Huiuſmodi autem ordo motus in reſpiratione ex moderato curſu exiſtit, in eadem igitur iure erit rhythmus. Sanè de rhythmo, eo inquam, qui in pulſu eſt, multa habemus apud Galenum in libris de pulſibus: reſpirationum autem eandem huic habere ſpeculationem, traditur ab eodem Galeno in libro de difficultate reſpirationis capite x x i. Nos in præſentia vnum tantùm, aut alterum eiuſdem locum afferemus, qui faciũt ad rhythmi definitionem: quibus Ariſtoteli conſentanea proponuntur. Primus igitur eſt in libro de differentiis pulſuum capite v i i. in Latinis, qui ita in eiſdem legitur: *Comparato autem ictus tempore cum tempore quietis, gignitur rhythmus, quæ proportio temporis eſt ictus ad tempus quietis. Huius etiam admonuimus nihil apud hos differre* [medicos, quorum ſententiam referebat] *ictum vel diſtentionem, vel motum dicere: nec quietem vel interuallum, vel contractionem. Et verò etiam pro hoc: proportionem temporis diſtenſionis ad contractionis tempus rhythmum eſſe, quidam ordinem dixerunt: alij conuenientiam duorum eſſe temporum inter ſe ſe ictus cum interualli.* Alter autem locus apud eundem Galenum ita legitur: *Rhythmus eſt motus determinatum quendam ordinem in temporibus obtinens.* Hic igitur ordinatus motus apparet in illis, qui moderatè currunt, tum in curſu, tum in reſpiratione, eſt enim hic motus rhythmus, vt ita dicã, qui δι' ἴσα fit, hoc eſt, vt vertit Theodorus, *per æquas portiones:* per æquas autem portiones, ſeu ex æquo, aut æquali factus, hoc eſt, qui rationem parem, & æqualem ad ſe inuicem habet, & cuius vna pars alteram longitudine aut breuitate non ſuperat, extare autem in moderatè currentibus ex eo oſtendit, quoniam incipientes currere reſpirant, ſeu reſpirare incipiunt, ita vt reſpiratio ex æquo reſpondeat motui menſuretúrque æquali eo motu, vnde rhythmũ, aut numerum efficit: hæc autem æqualitas quod ad reſpirationis motum pertinet, conſideratur in inſpiratione, & exſpiratione, ex quibus reſpiratio ipſa conſtat: materiam autem, quæ eſt pulmonis humiditas, quæ attenua-

tur, &

tur,& in vapores diſſoluitur, non eſt neceſſe huc afferre: quod facit Aponenſis non enim facit ad Ariſtotelici loci explanationem: cùm materia illa formã acquirat à motu, in quam rhythmi cauſſam omnem refert Ariſtoteles. Sanè autem rhythmum, ſeu numerum apparet hoc loco ab Ariſtotele in reſpiratione eum intelligi, qui fiat per portiones æquas, cùm rhythmus tamen etiam per alias habitudines,& portiones conſtet, prout rei, in qua conſideratur, ratio poſtulat, ἢ ὅτι πᾶσα μὲν ἁπλῶς ἀναπνοὴ. *An quòd omnis ſpirandi ratio compari viciſſitudine.* Alia problematis diſſolutio, qua nulla noua ratio afferri videtur: ſed hoc tantùm proponi, rhythmum ideo in mediocriter currentibus diu extare, quod cùm alibi celetur, hîc appareat. Ait igitur quoties fiat reſpiratio ſecundùm naturam, nec ab aliquo ita retineatur ſpiritus, vt naturæ curſui ſit impedimentum, fieri illam ſimiliter δι' ἴσου, qualis in mediocriter currentibus poſita eſt, nimirum per æquales portiones: ſed non percipi, quẽadmodum contingit in ſedentibus, & ambulantibus, atque etiam in illis qui ſumma contentione adhibita currunt. Nimirum haud percipitur in extremis: ſed in mediocriter currentibus, quod eſt medium inter illa. In ſedentibus igitur, & ambulantibus, quia motus eſt leuior, in vehementer currentibus, quia validior, & celerior, quàm vt ſenſus poſſit illum conſequi. Motus igitur ille numeroſus, qui ibidem fit, & ex cuius mutua habitudine reſultat rhythmus, non percipitur à ſenſu noſtro: occultus igitur etiam rhythmus eſt. At in illis, qui moderatè currunt, cùm motus talis ſit, vt efficiat reſpirationis menſuram ſenſibilem, rhythmum etiam reddit manifeſtum. δι' ἴσου. *Compari viciſſitudine.* Mirè gaudet Theodorus dicendi copia,& varietate: cùm tamen præ ea, quam ſeruare debet interpres, fide nihil, vt ego quidem exiſtimo, minùs illi debeat eſſe cordi: in illis præſertim partibus, in quibus rationum momenta conſiſtunt, vt hoc loco; nam cùm hac proportione, quæ ſemper ab Ariſtotele expreſſa eſt per voces δι' ἴσου, rhythmus in reſpiratione conſiſtat, & manifeſtetur, Theodorus tamen, illas primùm reddidit, *per æquas portiones*, tum *per compares vires*: hîc autem, *compari viciſſitudine.* μετρίας ἕσης τῆ τοῦ σώματος κινήσεως. *quòd motus corporis mediocris eſt.* Quod dicitur de mediocritate, aut moderatione motus, intelligendum eſt de tali termino mediocritatis, aut moderationis, in qua nondum rhythmus poſſit manifeſtari; cuiuſmodi eſt ſeſſio, aut ambulatio: alioquin enim in mediis diximus rhythmum percipi, non in extremis. Ariſtoteles quidem ſuperiùs numquam illum definiit nomine mediocritatis ſed vel nobis intelligendum reliquit, in verbo τροχάζοντες, vel per remotionem contrarij, intelligi voluit, vt in propoſitione problematis, cùm dixit, *non valde concitatè currentes*; ea autem voce mediocritatis, vtitur paullò poſt, terminum motus definiens, & reponens non in motu moderato, ſed in curſu moderato, dicit enim: *Si autem mediocriter curramus, motus efficiens reſpirationis menſuram ſenſibilem, reddit rhythmum manifeſtum.* Sed problema ipſum totum, quando non ſolùm in loco, quem ſuperiùs adnotaui, verùm in aliis etiam, eleganter quidem; ſed parum fideliter à Theodoro conuerſum fuiſſe exiſtimo, vt Ariſtotelis ſententia lucidiùs appareret, vt nos quidem putamus; & expoſitionis noſtræ ratio meliùs conſtaret, craſſiori minerua, ſed maiori fide tranſlatum, ita proponere libuit: *Vtrum quoniam omnis rhythmus determinato menſuram recipit à motu: talis autem motus ille eſt, qui æquali proportione fit, ſicuti faciunt qui* [moderatè] *currunt. Simul igitur incipientes currere reſpirant, ita vt reſpiratio æquali proportione facta, eo quòd æquali motu menſuretur, rhythmum producat. An quoniam omnis ſanè reſpiratio ſimpliciter, ex æquali proportione fit illis, qui ſecundùm naturam ea vtuntur, & eandem non cohibent: ſedentibus igitur & ambulantibus mediocri exiſtente corporis motu, rhythmus non redditur manifeſtus: in concitatè autem currentibus, cùm non aſſequatur ſenſus motum ipſum, non poſſumus ſimul comprehendere reſpirationis rhythmum: ſi autem mediocriter curramus, motus efficiens reſpirationis menſuram ſenſibilem, reddit rhythmum manifeſtum.*

XVII.

Διὰ τί ἐν τῷ τροχάζειν ἐκπνεύματος δοκεῖ ἡμῖν ὁ ἀὴρ; πότερον ὅτι κινέμενοι, διὰ τὸ τροχάζειν τὸ συνεχῆ τοῖς στόμασιν ἡμῶν ἄερα κινέμεν, ὅ ἐστι πνεῦμα; διόπερ δοκεῖ μόνον· ἀλλὰ καὶ κατ' ἀλήθειαν ἐκπνεύματός ἐστιν ὁ ἀὴρ· ἢ διότι τροχάζοντες προσκόπτομεν τῷ ἀέρι; τοῦτο δὲ συμβαίνοντος, μᾶλλον αἰσθησιν λαμβάνομεν τοῦ ἀέρος διὰ τὴν κίνησιν. εἰκότως δὲν ἡμῖν ἐκπνεύματος δοκεῖ τοῦτο δὲ συμβαίνῃ, διὰ τὸν φοβόν.

Quare inter currendum aër in flatum conuerti nobis videatur? Vtrum quoniam dum per curſum agitamur, aërem corporibus noſtris continentem excitamus, quod non niſi flatum mouere profectò eſt: quocirca non

ſolùm videtur ſed etiam vero in flatum aër conuertitur. An quòd in currendo aërem impetu noſtro violemus: quo facto ſenſu aëris per motum magis afficiamur. Ergo rectè in flatum aër ſe conuertere videatur: hoc enim ratione impetus poteſt euenire.

Cur inter currendum videatur nobis aër ventus fieri, (quippe ab eo tamquam à vento inter currendum percutimur) inquirit Ariſtoteles hoc loco: duas autem affert ſolutiones; quarum prima ex aliorum Philoſophorum ſententia tradita, talis eſt: quia ſcilicet dum currendo mouemur, aërem itidem mouemus, qui proximus, & continuus eſt noſtris corporibus, illum enim ſcindimus, & diuidimus: hic verò ventus eſt: quippe ventus aër commotus eſt. Apparet igitur nobis, quod verè eſt: verè enim aër in ventum euadit. Hæc autem ſicuti dicebam proponuntur ex aliorum Philoſophorum opinione, quam reprobat libro ſecundo Meteorologicorum idem Ariſtoteles, vbi ſubtiliùs, & ex propoſito de venti natura diſſerebat, recipit autem hoc loco, vbi rudiùs, & probabiliter, quod illi ſatis eſt, ſententias proponit. Tum verò alio modo ſoluit, quia nimirum dum currimus impingimus cum velocitate in aërem, qui nobis circumfuſus eſt, ille verò violentiùs percuſſus, magis à nobis percipitur, magíſque ſenſum noſtrum afficit, quàm ſi placidè à nobis tangatur, & diuidatur, reflectitur enim etiam in nos violentiùs. Iure igitur fit, vt videatur conuerti in ventum, cùm ob impetum illum, quo in aërem ferimur, & quo aër in nos fertur, illud accidat. Nec verò hîc etiam, quamquam ratio non ſit eadem omnino, videtur Ariſtoteles à propoſita antiquorum de vento opinione, mihi quidem diſcedere. εἰκότως ἂν ἡμῖν ἐμπνεύμασθαι δοκεῖ. *Ergo rectè in flatum aër ſe conuertere videatur*, non *videatur*, ſed *videtur*, τοῦτο γὰρ συμβαίνει διὰ τὴν φοράν, *hoc enim ratione impetus poteſt euenire*, ad verbum, *hoc enim contingit ob impetum.*

XVIII.

Διὰ τί μᾶλλον θέοντες ἢ βαδίζοντες, πίπτομεν; ἢ ὅτι μᾶλλον πρὶν κινηθῆναι αἴρεσιν; τὸ γὰρ θέειν, ἢ βαδίζειν τούτῳ διαφέρει.

Quamobrem currentes potiùs cadimus, quàm ambulantes? An quòd magis, quàm moueamur, attollimus: hoc enim inter curſum, & ambulationem intereſt.

De hac eadem re, habemus etiam problema XXIX. ſed ratio non eadem vtrobique affertur. Primùm autem hoc loco ſciendum eſt, in Theodori tralatione omitti, quæ in Græco textu, ac in tralatione antiqua habetur particula πρὶν, qua totius rationis momentum mihi quidem niti videtur. Ita igitur ex illa ſcriptura locus conuertendus eſt: *An quòniam magis priùs quàm moueantur attollunt?* totus autem hic locus, problematíſque ſolutio facilè declaratur ex modo, quo progreſſiuus motus fit, quẽ explicat Ariſt. in lib. de animal. inceſſu c. 3. his verbis Leonico interprete: *Animaliũ profectò quæcunque loco mouentur, alia quidem toto ſimul corpore mouentur, vt illa, quæ ſaltu locũ mutant, alia verò per partes, vt quæcumq; progreſſibus vtuntur; in vtríſque autem huiuſmodi mutationibus, ſemper mutatur id, quod mouetur inniſum ad id, quod illi ſubiacet. Quamobrem ſiue id citiùs dilabatur, quàm vt inniti poſſit id, quod ſuper eum mouetur, ſiue nullum omnino motus præbeat firmamentum, nihil ſuper illud ſe ipſum mouere poterit.* Si igitur, quod mouetur progreſſiuo motu, moueri neceſſe eſt inniſum alicui, quo regitur, ne cadat, hic verò niſus minùs ineſt currentibus, quàm ambulantibus, iure fit, vt currentes magis cadant: niſus autem ille minùs ineſt currentibus: nam in eo, qui currit, priùs quàm pes vnus moueatur, qui non debet moueri niſi inniſus ſit, alter tollitur, ac eleuatur: vnde veluti in aëre ſuſpenſus pendet, qui currit, non ita, qui ambulat; ille enim priùs, quàm moueatur, ſeu alterum pedem moueat, alteri bene innititur, nec priùs alterum eleuat: quod enim hîc dicitur; *priùs quàm moueatur*, idem eſt, ac priùs quàm niſus fuerit, non enim fit progreſſio niſi hoc niſu mediante; hac igitur re dicit differre curſum ab ambulatione: in curſu nimirum alterum pedem tolli, priùs quàm alter fixus ſit (ne mora interueniat, & celerior ſit motus) non ita in ambulatione: ſeu magis in curſu, quàm in ambulatione illud contingere, & hinc fieri, vt cadant magis. Theodorus, qui non agnoſcit particulam πρὶν, & vertit, *magis quàm moueantur, attollunt*, niſi mendum ſit in codicibus Latinis omnibus, non aſſequor, quomodo locum acceperit. Poſſet equidẽ, ſi locus ea particula careret, alter

ſenſus afferri ex problemate XXIX. eandem rationem huic loco accommodando: ſed verba huiuſce problematis aliter, quàm fecerit Theodorus, neceſſe eſſet interpretari: ita verò ille cùm verterit locum, & codices Græci, ac antiqua tralatio, eam particulam habeant, facili, & expedita via, quid ſalebras quærimus? Aponenſis præter Ariſtotelis rationem duas alias affert: quæ autem poſteriori loco adducitur, mihi eadem videtur huic Ariſtotelicæ: quomodo igitur Ariſtotelicam acceperit, videat ſi cui Aponenſis dicta curæ ſunt.

XIX.

Διὰ τί ποτὲ ἀναβαίνοντες μὲν, τὰ γόνατα πονοῦμεν· καταβαίνοντες δὲ, τοὺς μηρούς; ἢ ὅτι ὅταν μὲν ἀναβαίνωμεν, ἀναῤῥιπτοῦμεν ἄνω τὸ σῶμα, ἡ δὲ ἀπόσις πολλὴ ἐν τῷ σώματί ἐστιν, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν γονάτων γίνεται· διὸ πονοῦμεν τὰ γόνατα· ἐν δὲ τοῖς κατάντεσι, διὰ τὸ ὑποφέρεσθαι τοῖς σκέλεσι τοὺς μηρούς, ἀποσπειζόμενοι πονοῦμεν αὐτούς· εἶτ' ἆπαν τὸ παρὰ φύσιν γινόμενον, πόνον καὶ λύπην παρασκευάζει· ὅτι δὲ τὸ κατὰ φύσιν, τοῖς μὲν γόνασιν, ἡ εἰς τὸ πρόσθεν κλάσις· τοῖς δὲ μηροῖς, ἡ εἰς τὰπισθεν· ἐν μὲν τοῖς ἀνάντεσι, τὰ γόνατα κλᾶται εἰς τὰπισθεν, διὰ τὸ σπεύδεσθαι βέλεσθαι· ἐν τοῖς κατάντεσι δὲ οἱ μηροὶ εἰς τὰμπροσθεν κλῶνται, διὰ τὸ φέρεσθαι ἡμᾶς εἰς τὸ σῶμα.

Cur aſcendentes genibus, deſcendentes femoribus elaboramus? An quoniam dum aſcendimus, corpus ſurſum iactamus, diſtenſionémque corporis, genuúmque mouemus, ex quo genibus laborandum eſt. Procliuis autem locis, eò femoribus laboratur, quòd iis ipſis enixi crura ſubmouemus. Ad hæc omne quod præter naturam fit, laborem, dolorémque mouet. Eſt autem ſecundùm naturam genibus, vt ante flectantur: femoribus autem, vt retrò. At locis accliuis genua retrò flectuntur, nam inniti, firmaríque volumus: procliuis autem femora ante coguntur: corpus enim ſe pronum, propenſúmque ita defert.

Quod hîc dicitur, aſcendentes laborare *genibus*, problemate XXIV. dicitur, *tibijs*; nimirum tota pars, quæ eſt à genu ad pedem, non ſolùm articulationis pars laborat: ac tibias etiam dicit Theophraſtus, cùm hunc eundem locum tractat. Videntur autem ex Theodori tralatione, problematis ſolutiones duæ: vnam verò tantùm ſi dicamus eſſe, quæ confirmetur ad illa verba, εἶτ' ἆπαν τὸ παρὰ φύσιν, quæ Theodorus vertit: *ad hæc omne, quod præter naturam fit*, fortaſſe non erremus. Laborant igitur in aſcendendo genua, & tibiæ: in deſcendendo femora, aut coxæ: nam in aſcendendo, corpus ſurſum vi iacimus, & eleuamus: illud autem natura graue deorſum labitur, fit igitur ob violēti motus contrarietatem multa corporis diſtractio, & diuulſio, facultate erigente ſurſum, pondere ferente deorſum: hæc autem diſtractio, & diuulſio circa genua potiſſimùm contingit: illa enim ſunt, quæ totam molem ſuſtinent, & ſurſum ferunt, quibúſque reliqua omnia innituntur: diſtractio autem, & diuulſio eſt cauſſa doloris, & laboris: à continui enim ſolutione ille fit. Qua parte igitur maximè diuulſio contingit, ea maximè laboratur. Porrò Theodorum puto legiſſe non ἀπόσις, ſed τάσις, qui vertit, *diſtenſionémque*, ita verò ſi legamus, meliùs ſit eam vocem reddere, *intentionem*. Surſum enim dum vi iacimus corpus, multa vt fiat corporis intentio, ſeu contenſio, aut rigiditas, vt ita dicam, vt corpus rectum maneat, nec relabatur, neceſſe eſt, quæ niſi cum multo labore fit: hic verò labor ſimiliter ob propoſitam rationem circa genua eſt. Exiſtimo tamen eundem locum in Latinis codicibus eſſe corruptum, in quibus legitur, *diſtenſionémque corporis, genuúmque mouemus*. Quid enim profectò ſit, mouere diſtenſionem? fortaſſe autem legendum: *diſtenſionémque corporis, genuúmque mouemur*, nimirum in mouendo patimur diſtenſionem corporis, & genuum. Meliùs tamen etiam hoc modo reddamus: *intentionéque corporis*. ad verbum autem locus ita ſonat: *Et diſtractio* [ſeu intentio] *multa corporis, & à genibus, fit. ἐν δὲ τοῖς κατάντεσι διὰ τὸ ὑποφέρεσθαι. procliuis autem locus, eò femoribus laboratur.* Alterum membrum explicat. In locis decliuibus, in quibus deſcendendo gradimur, quia geſtamur à cruribus innixi femoribus, ideo femora laborant: pars enim illa in motu præcipuè laborat, cui altera innititur: ſemper enim quod mouetur, duabus ad minùs organicis vtens partibus mutationem efficit, vt altera quaſi comprimat, altera verò comprimatur, ſicuti dicit Ariſtoteles in libro de animalium inceſſu capite tertio; quod igitur comprimitur in deſcendendo, femora ſunt: hæc autem ratio liquidiùs apparet problemate XXIV. illud antea adnoto, putare me legiſſe Theodorum non τοὺς μηροὺς, vt ha-

bent

bent omnes vulgati codices, ſed τοῖς μηροῖς, ſicuti manifeſtè apparet legiſſe antiquum interpretem, & ſicuti reponit Iuſtinianus: & ita legendum puto: atque ad verbum locum ita eſſe reddendum: *In decliuibus autem, quia ſubmouemur à cruribus, femoribus innixi, ideo his laboramus.* Nomine autem crurium, ſeu potiùs τοῖς σκέλεσι, non intelliguntur, quæ tibiæ modò dictæ ſunt, ſed coxæ, & tibiæ ſimul, hoc eſt, quod ab oſſe coxendicis vſque ad pedem eſt: ita enim declaratur hæc vox ab Ariſtotele in primo de hiſtoria, capite xv. & libro, cui titulus εἰσαγωγὴ ἢ ἰατρὸς, hoc eſt. *Introductio, vel Medicus:* quod igitur ait ὑποφέρεσθε τοῖς σκέλεσι, ac Theodorus vertit, *crura ſubmouemus*, eſt ac ſi diceret, mouemus corpus, ſeu nos ipſos mouemus deſcendendo: quo tempore innitimur femoribus; ſeu tibiæ, quæ dictæ ſunt, innituntur femoribus, ex quo femora ipſa magis laborant. ἐπὶ ἅπαν τὸ παρὰ φύσιν. *ad hæc omne quod præter naturam fit.* Nouam rationem dicebam his verbis non afferri, ſed allatam confirmari: particulam igitur ἔτι, quam vertit Theodorus. *ad hæc*; ſi, vt dixi, locum accipimus, poſſit non malè reddi, *ita*, quæ enim de motu contra naturam femorum, & genuum dicuntur, illa confirmant rationem propoſitam. Fit enim hic motus contra naturam ex quo labor eſt, quia corporis moles geſtatur, modò innixa magis femoribus, modò magis cruribus, quæ prima ratio fuit, atque ita ad eandem hæc recidit. Verùm aut noua ſit, aut propoſita confirmetur huiuſmodi eſt. Quod præter naturam fit, dolorem, & laborem creat; dum aſcendimus, genibus accidit motus præter naturam, iure igitur aſcendendo fiet illis labor: accidit autem motus præter naturam genibus, quoniam genua ſecundùm naaturam flectuntur ad anteriora, ſicuti fit in pedibus anterioribus quadrupedum: in aſcendendo autem, quoniam corpus totum eiſdem innixum fulcitur, vt poſſit erigi, meliúſque firmari, nec relabatur, flectuntur ad poſteriora; ita enim corpus intentum magis perſiſtit & erectum: femora ſimiliter ſecundùm naturam in partem poſteriorem flectuntur, cuiuſmodi curuatio eſt crurium auium; in deſcendendo autem eadem femora contra naturam curuantur in partem anteriorem: nam cùm in deſcendendo corpus pronum, & propenſum ad terram ſit, niſi femora flecterentur in anteriora, corpus ſuper illa haud poſſet ſuſtineri erectum, ſed facilè prolaberetur: fulcitur autem, & bene nititur ita flexis femoribus. De hac crurum flexione ad anteriora, aut poſteriora, ſeu ad curuum, & concauum habemus apud eundem Ariſtotelem libro de animalium inceſſu capite duodecimo.

XX.

Διὰ τί ποτε ἐν τοῖς ὁδοῖς τὸ μηρῶν τὸ μέσον μάλιστα πονεῖται; ἢ ὅτι παντὸς μακροῦ καὶ ἑνὸς ὄντος, ἐστηριγμένου δὲ, τὸ μέσον ὁ πόνος μάλιστα γίνεται· διὸ καὶ καμπτοῦ μάλιστα συντεῦθεν· ὁ δὲ μηρός ἐστι τοιοῦτον· διὸ καὶ τὸ μέσον αὐτοῦ μάλιστα πονεῖται.

Cur in itinere media femoris parte potiſſimùm fatigari ſolemus? An quòd longi cuiúſque, atque continui pars potiſſimùm media laborat, cùm ſcilicet ſtabilitum, fixúmque manet: quamobrem hæc præcipuè rumpitur, femur autem tale eſt, ergo partem potiſſimùm mediam eius fatigare meritò ſolemus.

Superiori problemate de femoribus illud ſingulatim proponebatur, cur in deſcendendo maximè laborarent: hîc autem alia ratione diſſoluendum, generatim, & in vniuerſum proponit, cur in omni ambulatione, ſeu aſcendendo, ſeu deſcendendo, ſeu per plana, femoris media pars potiſſimùm laboret: cùm enim variè laboret femur ipſum pro viarum conditione, ſemper media pars iuxta illam rationem plùs aliis partibus laborat: facili autem ratione quæſtionem ſoluit; dicens cuiúſque longæ, & vnius, aut continuæ quantitatis, cui aliquid innitatur, quæque aliquam rem ſuſtineat, aut regat, mediam partem potiſſimùm laborare: quod probat à ſigno, nam huiuſmodi fulcimentorum media pars potiſſimùm rumpi ſolet, vt in femoribus ipſis, ac tibiis ſæpenumero accidere videmus, quippe parte illa præ maiori labore magis debilitata. Poſſit autem hoc etiam corollarium eſſe, quomodo hiſce in problematis multæ ſententiæ efferuntur: femora igitur ſunt tale quidpiam adiicit Ariſtoteles pro minori propoſitione, femorum igitur media pars potiſſimùm laborabit: eſſe verò femora continuum quiddam & longum iam ſenſui conſtat, & partem habemus problemate XXIV. in ambulatione verò iis fulciri corpus, modò magis, modò minùs, vidimus ſuperiùs. Cur autem pars media longi, & vnius exiſtentis plùs laboret reliquis partibus, non ſanè videtur omnino exprimere Ariſtoteles: at ſignificat tamen illis

verbis, ἐσπερμῶσθ᾽ ἢ, quæ Theodorus vertit, *cùm scilicet ſtabilitum, fixúmque manet*, fortaſſe autem non malè, *quo tamen aliquid firmetur, & ſtabiliatur*: particula enim ἢ, omnino per, *tamen*, exprimenda eſt. Oſtendit nimirum Ariſtoteles cùm longum aliquod, & continuum corpus alicui firmamento eſt, laborem potiſſimùm fulcimenti in mediam eius partem incumbere: ad eam enim tamquam ad centrum vndique onus irruit: in breuiori verò quantitate, ſeu corpore, res non ita videtur: quippe medium non ita diſtat, & omnia ſunt viciniora veluti centro, ac oneris partem ferunt. Quod autem dicitur de femoribus, putem etiam dici poſſe de tibiis, quarum partem mediam plùs aliis laborare, eadem ratione dicendum ſit. Aponenſis, hanc Ariſtotelis rationem ita accepit, tamquam ille diceret, femoris medium ita laborare, quia medium coxæ, vt ipſe loquitur, in corpore hominis menſurati, ſit medium vniuerſalis longitudinis, & vnius exiſtentis in ipſo, atque hanc longitudinem ſolam eſſe in homine medium: menſuratum autem hominem dicit Aponenſis, vt puto, qui Græcè σύμμετρον, verba autem, quæ ipſe Latinè reddita habuit, non ita ad viuum ſenſum Ariſtotelis exprimentia, eum in hunc errorem deduxerunt: nam cùm Græcè facilis admodum, ac expedita ſit verborum Ariſtotelis ratio, quam nos propoſuimus: tum verò hominis corpus dici vnum, ſeu cõtinuum, ſi huius continuitatis femur ſtatuatur pars, mediaq; femoris pars media totius cõtinui; minùs rectè & propriè fieri exiſtimo: ſed & medium hominis ſymmetri, non media pars coxæ eſt, verùm vmbilicus ipſe, qui pro centro ponitur.

XXI.

Διὰ τί οἱ ὑγροὶ ταχὺ σπνίγονῆ πονήσαντες, ἢ ὑπὸ τοῦ καύματος; ἢ ὅτι ἐκθερμαινόμενον ὑγρὸν, ἀὴρ γίνεῆ, καὶ κρεῖττον μᾶλλον τὸ πλέον; ὅταν οὖν μὴ δύνηῆ ὑπεξάγειν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ τὸ πλῆθος, ἃ γίνεῆ καταψύξις· ὥστε ταχὺ ἐκπυρεῖῆ ὑπὸ τοῦ συμφύτου ἢ ἐπικτήτου θερμοῦ· διὸ καὶ οἱ γυμνασιῶται ἱδρῶτες τοῖς μεγαλοσωμοις, καὶ ὅλως τοῖς πονοῦσι, καὶ ἡ τοῦ πνεύματος ἔξοδος, ὠφέλιμον· ἐγκενουμένου γὰρ καὶ λεπτυνομένου τοῦ ὑγροῦ, πνεῦμα γίνεῆ.

Quam ob cauſſam, qui humida conſtant natura, facilè à labore, æſtúque ſtrangulantur? An quòd humor concalfactus tranſit in aëra, itaque aërius vrit. Ergo cùm ob nimietatem facultas ſubmouendi non datur, refrigeratio nulla ſubſequitur, atque ita celeriter homo calore inſito, & aduentitio exardeſcit. Quapropter ſudor, ſpiritúſque receſſio eos iuuant, qui ſe exercent, qui denique laboribus ſe dederunt, cùm enim humor diſcernitur, atque extenuatur, ſpiritum inde enaſci, neceſſarium eſt.

Duas cauſſas proponit ſuffocationis, aut ſtrangulationis in corporibus humidis, nimirum æſtum, & laborem, eorúmque rationem inquirit. Proponit autem particulatim corpora humida, quoniam de iis magis dubitari poterat, cùm ſuffocatio oriatur à calore, calor autem in corpore ſicco efficaciùs operetur, quàm in humido. Sunt autem, quas proponit, cauſſæ duæ diuiſæ & diſtinctæ: nam tum à labore, cùm vehemens eſt, abſque æſtu: tum ab æſtu, cùm ſummus, abſque eo, quod laboret quiſpiam, ſuffocatio fit. Dicit autem Ariſtoteles cauſſam eſſe, quoniam humor ille, quo ij abundare dicti ſunt, ob calorem, ſeu ex labore, ſeu ex æſtu genitum, in aëra, ſeu ſubſtantiam aëri ſimilem tranſit, fitque maiori copia, quàm antea eſſet, attenuatur enim à calore, maioríque adeò copia excreſcit: ex aqua enim aërem fieri habemus apud Ariſtotelem libris de elementis, & de generatione, & corruptione: & ex vno pugillo aquæ fieri decem aëris Philoſophorum ſententia eſt, ex ſecundo de generatione, & corruptione: aucta igitur calida illa ſubſtantia magis adurit. In Theodori tralatione omittitur hoc loco vocula, quæ omittenda non eſt, quippe magni momenti, πλέον, *plùs*: dicit enim Ariſtoteles humor excalfactus aër fit, & adurit magis, plùs exiſtens & maiori copia, quàm antea; ex tranſmutatione enim augetur ſicuti diximus. Hic igitur cùm tranſmutatus, & auctus eſt, nec ob copiam poteſt à natura expelli, quæ magnæ adeò multitudini haud dominari poteſt, diffunditur, & loca omnia corporis, ac præſertim partes ſpirituales replet, vnde clauſis viis reſpirationis, nulla ſequitur cordis refrigeratio, quæ per reſpirationem fit: ex eo autem euenit, vt celeriter homo exardeſcat: duos enim intus calores continet, naturalem, qui refrigerio priuatur ob defectum reſpirationis, & acrior euadit, aſcititium ex labore, aut æſtu ortum. Quattuor autem calores ad hunc locum inducere, quod facit Aponenſis, ſuperfluè curioſum arbitror; ad eorum enim alteru-

trum,

trum, quos nominauit Aristoteles cæteros omnes quicúmque à nobis fingi possunt, palàm est reduci: particulares autem diuersis rationibus, vel adeò plures fingi possunt. Ex dictis corollarium infert Aristoteles. Cùm aër ille, seu spiritus ex humore genitus tantam possit sua copia inferre noxam respirationi, fit vt in iis, qui exercitationibus vtuntur, & generatim in omnibus, qui laborant, multam vtilitatem afferat sudoris excretio, & exitus spiritus: fit enim sudor, dissoluto, & attenuato humore illo, qui morbum afferebat; eodémque dissoluto & attenuato fit spiritus, quibus è corpore recedentibus, iam cessat morbi caussa, nec suffocationis imminet periculum, refrigerato corde, & vndique ventilato calore.

XXII.

Διὰ τί τὰ σύμμετρα τῶν σωμάτων κάμνει τε πολλάκις, καὶ ἀπαλλάττει ῥᾷον; ἢ διὰ ταὐτὸ ἄμφω, ὁμαλόν, γάρ ἐστι, τὸ σύμμετρον· τὸ δὲ ὁμαλόν, ὁμοπαθέστερον· ἐὰν οὖν τι πονήσῃ μέρος, εὐθὺς συμπονεῖ τὸ ὅλον· τὸ δὲ ἀσύμμετρον, ἅτε μᾶλλον ἀπηρτημένον, ἐὰν σωσταπολαύει τῶν μερῶν· κάμνει μὲν οὖν πολλάκις διὰ τοῦτο· ῥᾷον δὲ ἀπαλλάττει, ὅτι πᾶν κοινωνεῖ τὸ σῶμα· εἰς πλείω δὲ διανεμόμενον τὸ πάθος, γίνεται ἀσθενέστερον· ὥστε δυσαπαλλακτότερον· τὸ δὲ ἀσύμμετρον, ἅτε ἀκοινώνητον τοῖς μέρεσιν, ἐλαττονάκις μὲν κάμνει, χαλεπώτερον δὲ ἀπαλλάττει· σφοδρὸν γὰρ τὸ πάθος.

Quare corpora, quæ modicè constant, temperatáque sunt, in morbum sæpius incidunt, & facilius curantur? An vtrúmque eadem de caussa euenit. Est enim æquabile, quod modicum est. Quod autem æquabile, id compatibilius est. Quamobrem si qua eius pars laborauit, protinus totum collaborat: immodicum autem contrà, vtpote quod seiunctius sit partium suarum vitia minùs haurit, minúsque consentiens est. Ergo sæpius id in morbum hac de caussa incidit: facilius autem curatur, quoniam malum partium commune omnium est. Eò námque debilius redditur, quò se in plura digesserit: itaque curabilius est. Immodicum verò illud, vt quod rem communem cum partibus non habeat, minùs quidem ægrotat, sed difficiliùs curatur, quoniam malum vehementius vrget.

Quod Theodorus dicit, *corpora quæ modicè constant, temperatáque sunt*, Græcè vno verbo est σύμμετρα; corpora autem symmetra dici, quæ & εὔκρατα, hoc est, *bene temperata* sunt, & media aliquo in genere, aut specie; habemus apud Galenum secundo de temperamentis his verbis, vt Trincauellius reddit: *Vnumquódque secundùm genus, vel speciem non modò calidum, frigidum, humidum, siccúmve: sed etiam magnum, paruum, celere, tardum, aliáque id genus, tunc nominari, cùm supra mediocre, mediúmque sit: verbi gratia, animal calidum, cùm supra medium temperie sit animal equum calidum, cùm supra medium temperie sit equum. Porrò in quoque genere, speciéue media sunt ea, quæ symmetra dicuntur: quippe à summis in eo genere & specie finibus æqualiter distant. Ac genus quidem est animal: species equus, bos, canis, medium temperie in toto animalium genere homo est: id enim in sequentibus demonstrabitur. Medium verò, vt in hominum specie est, quem Græcè eusarcon, & eucraton vocant* [Latinè puto quadratum]: *is porrò est, quem nec gracilem dicere, nec crassum possis, sed nec calidum, nec frigidum, nec alio quouis nomine ex ijs, quæ excessum, defectúmve indicant, appellare. Quisquis super hunc fuerit, is prorsus calidior, frigidior, humidior, siccióre est.* Adnotandum autem ad illa verba: *id eusarcon vocant*, addidisse nos, *& eucraton*, ita enim puto corrigendum etiam in Græcis exemplaribus Galeni locum, sicuti in codice, qui eiusdem Iustiniani fuit ex antiquo exemplari correctum habeo. In Latinis autem codicibus, qui ex Iunctarum officina prodierunt, à margine similiter pro *eusarcos*, legendum esse *eucratos* admonemur. Non tamen ego putem, *eusarcos*, delendum, & *eucratos*, solum retinendum: nam cùm vtrúmque videam retineri in codice, quem modò citaui, & eusarcos, alij codices habeant, cur alterum deleamus, caussa nulla est; cum eusarcos dictas esse habitudines, quæ sunt in medio extremorum, & debitam partium symmetriam, speciémque inculpatam obtinent, ac sequuntur mediterica, & nulli vitio obnoxia temperamenta, habeamus apud Galenum libro 1. de sanit. tuenda cap. v. ad finem, symmetrum igitur dicitur, quod in medio positum æqualiter ab extremis recedit. Hoc autem quod de vniuersali temperamento effertur, ratione singularum partium euenit: nam ex temperatione cuiúsque singularis membri, totius resultat temperatio. Tunc

enim temperatus dicitur Ioannes: cùm caput,cor, iecur, ventriculus, & cæteræ partes bene erunt iuxta qualitatem, quæ cuíque debetur, temperatæ. Itidem enim, quod dictum eſt de vniuerſali temperamento, intelligendum etiam eſt de ſingulis partibus: pars enim illa dicitur temperata, quæ eſt media eo in genere, ſeu ſpecie: vt caput, quod inter capita qualitates illas moderatè habet, quæ capiti debentur: vt iam poſitum dicatur in exceſſu, aut defectu, quod aliqua qualitate ab eo deficit, aut illud excedit. Hæc autem mediocritas, íſque modus varius eſt in ſingulis partibus, alius enim alij parti requiritur pro varietate functionum, quæ parti obeundæ ſunt: caput enim etiam temperatum frigidius, & humidius eſt, cor calidius, & ſiccius: illud autem temperatum caput eſt, quod in frigiditate & humiditate mediocritatem habet,dicuntúrque hæc temperata ad iuſtitiam: temperamentum quippe nacta,quale earundem naturæ pro ſuis actionibus, vt dicebam iure debitum eſt. Ita ſanè corpora ſymmetra accipit Galenus; nec verò aliter Ariſtoteles hoc loco,ſicuti exiſtimo, cui corpus ſymmetrum ὁμαλὸν eſt,hoc eſt *æquabile*. Sanè quod Theodorus vertit, *æquabile quod modicum eſt*: clariùs reddatur: *æquabile quod eſt temperatum*: aut Græcam etiam vocem retinendo,Latinis auribus non inuſitatam, *ſymmetrum*. Æquabile igitur Ariſtoteli eſt corpus, quod ſymmetrum dicit, & cuius partes omnes, ſingulæ ſingulis ita reſpondent, vt cùm temperie ad inuicem ſimiles, & æquales ſint omnes, quippe omnes temperatæ, nulla ſit excedens: quomodo enim temperatum caput eſt ſuo in genere, temperatum itidem in ſuo cor,& ventriculus: ex quo totum corpus vniuersè ſymmetrum, & temperatum: ac æquabile; in medio enim poſitum æqualiter diſtat ab extremis, ſiue ſpectes totius vniuerſale temperamentum, ſiue ſingularium partium ſingularia, quomodo paullò ante diximus. De tali igitur corpore,ac ita temperato duo inquirit hoc problemate Ariſtoteles, tum cur ſæpius laborare, & in morbos incidere, tum cur faciliùs ab iiſdem remoueri ſoleat. Eſt autem quod proponitur valde dubium. Galenus enim in libello de optima noſtri corporis conſtitutione capite ſecundo, corpus temperatum,aut ſymmetrum optimè ad vnamquanque ſe habere actionem, & difficiliùs quàm cætera omnia corpora morbis ſuperari dicit: quam rem ſequenti capite pluribus oſtendit, vt apud ipſum videre eſt. Non enim totus liber, qui nulla alia de re eſt, huc nobis eſt transferendus. Aponenſis dubitationem eandem proponit, non tamen ex Galeno; ei, quam ſolutionem ipſe afferat, apud eundem videre licet: mihi ſanè eius ſolutio multas difficultates pati videtur; ſed illa nobis excutienda non ſunt: proponenda autem, quæ ad dubitationem occurrunt. Primùm, ſi dicamus hac in re diſſentire Galenum ab Ariſtotele,iam nobis diſſolutus, aut diſiectus ſit nodus: nec verò ita loqui religio ſit. Tum quod ait Ariſtoteles, κάμνει τε πολλάκις, an fortaſſe non de ægritudinibus, ſed de labore, vel potiùs de laſſitudine intelligendum verbum eſt? Sanè enim hanc notionem eidem verbo ineſſe pluribus exemplis vulgaria lexica docent: ſed enim reſponſionem, hanc tollit Galenus, qui eiuſdem libelli capite tertio, vt in Latinis codicibus ille diuiditur,corpora temperata minimè à laſſitudine lædi ſcriptum reliquit Græcè his verbis: ἐμοὶ μὲν ἀλλὰ καὶ ὅτι μὴ δι' ἣν καλῶς ἐνεργεῖν, δεῖς ἂν ἐπὶ πλεῖστον ὠφελούμενον εἰς δυσπαθείαν ἥκειν κάμνοντος ἁλισκόμενον. hoc eſt, vt vertit interpres: *Præterea ob actionum præſtantiam, cùm minimè à laſſitudine lædatur, erit morbis ipſis difficillimè obnoxium.* Quod igitur de morbis,idem de laſſitudine ſentit Galenus. Concedit verò temperatum corpus,ſeu medium aliqua re vinci ab intemperato, quod magis ad alterum ex extremis vergit, cùm ita ſcribit ad finem libri, vt quidem vertunt Latinè: *Sed quæ paullò plùs iuſto fuerint calidiora: non tamen multò: frigidiora etiam, humidiora, ac ſicciora moderatè,partémue aliquam minùs rectè etiam formatam habuerint, omnia hæc excedere interdum moderatum corpus,& plùs poſſe videntur. Verbi gratia, quæ moderato duriora ſunt, ab omnibus quidem exterioribus cauſsis,molliora verò ab interioribus: pari modo,& quæ denſiora ab extrinſecis, quæ rariora ab intrinſecis, difficiliùs lædentur.* Et paullò poſt eodem interprete: *Etenim ſi ad excrementa reſpicias, rariora corpora ſalubriora ſunt, denſiora verò morboſiora: rurſúſque rariora à cunctis externis cauſsis faciliùs affici, denſiora difficiliùs poſſunt. Quamobrem præter alia bona moderatum corpus, neque rarum, aut denſum dici debet: ſed ſicuti inter alios, ſic quoque inter hos exceſſus medium conſtituendum eſt. Excedentium verò vtrúmque aliqua in re plùs poſſe videtur: denſius namque à cauſsis externis, rarius verò ab internis minùs lædetur: quod autem ab vtráque cauſſa tutum omnino, illæſúmque ſit, deprehendi non poteſt. Quod verò medium inter exuperantias omnes poſsidet mediocriter reſiſtit: idémque inter vniuerſa corpora ſaluberrimum cenſemus. Similiter & humectantes cauſſæ omnes, quod ſiccius eſt moderato corpore: ſiccantes verò quod humidius, ægrè admodum corripient. Quapropter (ſicuti à nobis paullò ſuperiùs explicatum eſt) quod medium dicitur, haud ſanè videtur plùs omnino, quàm cætera corpora morborum offenſis aduerſari: ſed ſingulis quidem corporibus aliqua in re inferius eſt, ante omnia tamen potiſsimùm deli-*

gendum. Hæc ita Galenus: non tamen ex his id colligere, aut deducere licet, quod expresè habet in præsentia Aristoteles: temperata intemperatis faciliùs morbis laborare: etsi enim quod ad vnum contrarium pertinet, intemperata validiùs resistant, vt excedentia frigore morbo calido, reliquis omnibus resistunt minùs quàm temperata, & minùs quàm mediocriter, quomodo resistere temperata dictum est. Si igitur plura sunt, quibus temperata resistunt, quàm quibus intemperata, quæ vni solo contrario; iam frequentiùs laborabunt intemperata: Quibus enim cum pluribus & fortioribus negotium est, sæpius labi, & vinci par est. Intemperata autem, cùm vnum tantùm hostem imbecillum habeant, oppositum scilicet contrarium à quo non ita timent, reliquos omnes habent præpotentes: iam igitur dubitationis crescit difficultas; ad quam priùs quàm aliquid dicam, ipsum Aristotelis problema libet explicare, ex eo enim fortasse aliqua conciliationis spes exorietur. ἢ διὰ ταὐτὸ ἀμφω. *An vtrúmque eadem de caussa euenit.* Vtriúsque partis problematis caussam eandem esse dicit, tum quòd facilè morbis laborent temperata, tum quòd iisdem facilè releuentur: hæc autem caussa, æquabilitas est totius corporis: nam cùm partes omnes sint eodem tenore, iustéque temperatæ, nec aliqua excedat, fit mutuus partium consensus, vnde aliqua parte laborante, aut affectionem aliquam sentiente, reliquæ statim simul afficiuntur, ac ita totum corpus simul afficitur: mutui enim consensus ea est vis, vt alterationes, non solùm partibus vnius eiusdem inuicem communicentur: sed vel etiam distantibus eodem modo temperatis. Vnisono enim in cithara tacto, inquit Fracastorius, moueri, & aliud vnisonum videmus, quod ne propè etiam sit. Igitur in re præsenti, consensus ratione, latiùs, & vniuersè per corpus propagato malo, iam totum laborat. Quod malum in parte solùm corporis existens, nec ad alias distributum, non ita vniuersale percipiatur, vt ea ratione corpus laborare dicatur: quoniam autem partes multæ sunt, multis in locis fit, vt affectio contingere possit, & ex illis ratione eiusdem consensus ad alias propagari, vnde multiplici existente occasione, qua totum ipsum corpus laborare possit, multoties etiam laborare solet. In intemperato res non ita habet: nam quoniam inter partes non adest mutuus ille consensus; quippe illæ dissimiles, & inæquales temperamento sunt: nec dissimiles dico, aut inæquales, quod altera calidior, altera frigidior sit, id enim necessarium esse paullò ante proposui: sed quod suo in genere tales sunt: hæc profectò dissimilitudo caussa est, vt non respondeant sibi inuicem partes, quippe veluti seiunctæ, & semotæ, quod aliis fiat nihil aliæ sentiunt. Rem, si opus est, declarare liceat exemplo Reipublicæ, aut alius societatis; qua bene constituta, patrúmque, & plebis, aut aliarum alio nomine partium consensu ad libertatem, aut publicum bonum defendendum conspirante, si externus hostis aliquam partem tentet, iam reliqua, aut reliquæ timore percelluntur, ac si alicui detrimentum contingit, aliæ pariter eodē se affici existimant, & verò afficiuntur. Non sic in discordi, ac dissentiente: patres enim tentari, cùm ab iis dissidet plebs, nihil plebem moueat. Iam verò ad propositam dubitationem quid respondemus? Respondemus, quòd dicitur corpora à caussis lædentibus magis affici, seu caussis morbificis minùs resistere, dupliciter intelligi posse, hoc est, vt vulgò in scholis loquuntur, intensiuè aut extensiuè: possunt enim corpora intensè, & validè, ac vehementer ab affectione aliqua prehendi, quæ intimiùs eorum etiam substantiam penetrando, eandem labefactet: possunt etiam ita prehendi, vt cùm per summa tantùm, sed latè extendatur affectio, leuiter corpora attingantur, non autem penitus substantia immutetur: illo modo morbificis caussis resistere corpora temperata dixit Galenus in libro de optima corporis constitutione: hoc autem eadem corpora sæpius laborare dicit in præsentia Aristoteles: nimirum bene temperata non sæpe vincuntur: sed sæpe leuiter afficiuntur. Dixerim id ex Galeni mente: eodem enim in libro, ita de optima illa constitutione locutus est, ad initium scribens: ἢ μὴ ῥᾳδίως ὑπὸ τ νοσωδῶν αἰτίων νικᾶσθ. quæ ad verbum ita sonant: *Et non facile à morbificis caussis vinci.* Interpres autem illa reddit: *caussisq; morborum haud facilè obnoxias.* Eo autem modo intelligēda etiam illa sunt paullò post τὸ μὴ ῥᾳδίως ἁλίσκεσθ νόσοις, hoc est, *& difficiliùs morbis corripi:* corripi enim morbis ex loco superiori est vinci, & superari: atque etiam, quæ deinde voces ad hanc rem significandam de eodem corpore non semel vsurpantur, δυσπαθέστερ, δυσάλωτον, & ἄλλα τοιαῦτα σημαινόμενα εἰς δυσπαθειαν. Quæ ad eundem sensum trahendæ sunt: nec enim repugnant: sed potiùs coadiuuant. Concedamus igitur corpus temperatum sæpe, & facilè attingi, & alterari, hoc est leuiter immutari, quod κάμνειν in præsentia dicit Aristoteles, (nec tamen sit hæc lassitudo) ob caussam ab Aristotele allatam ex mutuo partium consensu: pati autem à morbis, hoc est, vinci, & superari, difficile; quod ob actionum præstantiam fieri dicit Galenus. Vtrum autem huiusmodi exiguus, & leuis motus dici morbus possit, alia quæstio sit. Nec verò

Aristoteles morbum nominat; quòd si initio problematis Theodorum ita interpretantem κάμνειν, sustinuimus,& nos ita etiam loquuti sumus, morbum non ita propriè, & præcisè, vt à Galeno definitur, accipiendum putauimus: Et vt faciliùs incidere in morbos corpus temperatum,quàm intemperatum dicens feratur,ita faciliùs superari non feratur: ad concordiam hæc ita adduxi: firmiter quærat aliquis. Vix adduxi,& tantum non deleui sæpius: afferendum tamen aliquid erat, donec doctiorum prodirent opiniones.

XXIII.

Διὰ τί κοπιῶσι μᾶλλον ἐν τοῖς ὁμαλοῖς ἢ ἐν τοῖς ἀνωμάλοις; θᾶττον δὲ βαδίζουσι μὲν ὁμαλῶ, ἢ τῷ ἀνώμαλον; ἢ ὅτι ἀκοπώτατον μὲν τὸ μὴ ἀεὶ ἐν τῇ ἀνωμάλῳ πορείᾳ μᾶλλον; θᾶττον δὲ πορεύονται, ὅπου ἐν τῷ ἴσῳ χρόνῳ ἡ ἀναφορὰ ἐλάττων· ἐν μὲν οὖν τῷ ὁμαλῷ, μικρὰ ἡ ἄρσις καὶ πυκνὴ· ἐν δὲ τῷ ἀνωμάλῳ, τοὐναντίον· τὸ δὲ παρ' ἑκάστου βάσιν γινόμενον, πολὺ γίνεται πολλῷ καὶ πολλάς.

Cur æqualibus, quàm inæqualibus locis, magis fatigari solemus, ocyùs autem iter æquale, quàm inæquale, expedimus? An quòd minùs laboris tum est, cùm non assiduè habitu eodem mouemur: quemadmodum in gressu æquali potiùs agitur: ocyùs verò ingredimur, vbi minùs pari tempore attolimus. Ergo per locum æqualem vsus attollendi exiguus est, atque frequens: per inæqualem autem è contrario. Quod verò per singulos gradus paullum redditur, multum id per multos demum exultat.

Hoc problema idem omnino est cum decimo,illíque planè geminum: in Græco tamen textu, vt quidam habent excusi codices hîc nonnulla desiderantur, quæ ex decimo supplenda sunt. Theodorus sanè vel integrum habuit, vel ex decimo suppletum integrè transtulit, sicuti ad decimum adnotabamus: quo loco cùm eiusdem Theodori tralationem aduersùs Henricum Stephanum, dilutis obiectionibus defenderimus, quæ aduersùs hoc vigesimum tertium proposita erant; non est, vt alia addam, præterquàm, pro eodem Theodoro, vt admoneam lectorem (id enim ad decimum fuerat omissum) quod Henricus Stephanus Theodoro obiicit, verba illa, quæ hîc habentur: *quemadmodum in gressu æquabili potiùs agitur*: quæ sibi esse αἰνιγματώδη dicit Henricus Stephanus, iam vel Tiresiæ perspicua futura, si Typographi erratum emendetur, & pro *æquabili*, legatur *inæquabili*. Typographi autem erratum cùm odoratus esset Henricus:cur piguit eum problematis decimi tralationem relegere,ex qua,& Theodorum culpa liberare, & loci sensum poterat facillimè assequi? Qui sanè vel adeò, etiam absque decimi problematis auxilio paullulùm consideranti obuius est, vt scripturæ mendum quilibet, vel minùs perspicax facilè agnosceret: ne dum Henricus in eiusmodi negotio adeò oculatus, & linceus. Accedit quod cùm in Græco exemplari, illa hoc loco desiderarentur, quibus Theodori Latina respondent rationem omnem postulasse, vt sensu dubio ad decimum, quo Græcè sententia continebatur maioris perspicuitatis gratiâ accederetur: quod cùm semper faciendum sit, tum verò præcipuè, cùm ea de re doctos viros coarguimus.

XXIV.

Διὰ τί καταβαίνοντες μὲν τοὺς καμπτῆρας, τοὺς μηροὺς μάλιστα πονοῦμεν· ἀναβαίνοντες δὲ τοὺς κνήμας; ἢ ὅτι ἀναβαίνοντες μὲν, τῷ αἴρειν τὸ σῶμα; ἅπαν γὰρ γίνεται φορτίον τὸ σῶμα· ᾧ οὖν ἅπαν ἐπίκειται, καὶ ᾧ αἴρομεν, τοῦτο μάλιστα πονεῖ· ἡ δὲ κνήμη τοῦτο· ἔχαρν γάρ, μῆκος ἔχον· ἡ δὲ οὐχ ὥσαυτως ὁ μὲν πλάτος ἔχει· διὸ σαλεύει· ὥστε οἷον τῷ ὤμῳ τὰ βάρη κινοῦμεν; καὶ ὅτι τοῦτο ἔχομεν· τοιγαροῦν ἡ πονοῦμεν τὸν ὦμον μάλιστα· καταβαίνοντες δὲ τῷ ἐμπίπτειν τὸ σῶμα κάτω, ἡ φερομένη πρὸς φύσιν, ὁ πόνος ἐστίν· ὥστε ᾧ μάλιστα ἐκπίπτει καὶ σαλεύει, τοῦτο παρέχει τὸν πόνον· ἡ μὲν οὖν κνήμη, μένει· τὸ δὲ βάρος, ὁ ἀφαιρεῖ γίνεται· ὁ δὲ μηρὸς, δέχεταί τε, ἡ σαλεύει, διὰ τὸ μῆκος τε ἔχειν, ἡ στρέφεσθαι ἄνωθεν, ἢ ὁ ἀφαιρεῖ ἐκπίπτει.

Cur femora in descendendo, tibiæ in ascendendo laborant? An labor in ascendendo est,quà corpus attollitur. Fit enim vt totum corpus nobis oneri sit. Itaque cui totum incumbit, & quo totum attollitur, id præcipuè premitur, atque laborat, hoc autem tibia est. Postremam enim hæc longitudi-

nem tenet, nec modò pedis latitudinem aliquam sortitur. Vnde fit, vt hoc minùs se valeat stabilire. Itaque vt humeris, ita tibiis pondus sustinemus, laborémque ob eam rem, quo humerus maximè affici solet, tibia quoque patiatur necesse est. At in descendo, quoniam corpus deorsum se defert, propellítque contra naturam, hinc labor, & vexandi ratio prouenit. Itaque laborem huic præcipuè admouet, cui incumbit, quodque vexat: atque tibia manet, thorax ponderi est, femur sustinet, atque vacillat, eò quòd & porrectum in longitudinem est, & supernè versatur, quâ scilicet thorax procumbit.

Iterat, quæ fuêre proposita problemate decimo nono. Quæ autem pro solutione afferuntur, quamquam multa illis eadem sunt, omnia non sunt: fundamenta quidem eadem: sed rationes aliter deductæ. Expositione igitur indiget problema, sed breui: omnino enim etiam XIX. videndum est. Antequàm autem rationem proponat hoc loco Aristoteles, cur ascendendo maximè laborent tibiæ, pro fundamento, magis vniuersè ostendit priùs, vnde ascendentibus labor fiat, vt ex eo rationem colligat, quare tibiæ in illo motu maximè laborent. Ascendendo, inquit, fit labor, quoniam sursum corpus attollitur, estque corpus totum eo tempore oneri, seu potiùs onus quoddam non ita in descendendo cùm eo tempore pondus ipsum nostri corporis iuuat potiùs vt pronius deferatur, quippe graue, quemadmodum dicit similiter Alexander lib. I. problem. LXII. dum eandem quæstionem pertractat. Mox autem ita argumentatur: Quæ partes onus ferunt, quibúsque onus incumbit, totúmque corpus sursum tollitur, illæ maximè laborant, tibiæ huiusmodi sunt, tibiæ igitur maximè laborant. Probat minorem propositionem: tibiæ enim postremæ partes sunt, quæ longitudine præditæ moueantur; puto autem significari id, quod ex libro de animalium incessu ad XIX. diximus, quod mouetur duobus ad minus organicis partibus vtens moueri, quarum altera quasi comprimat, altera comprimatur, ascendentibus autem tibia comprimitur, quippe illi innititur femur, nec alia post illam longitudine prædita, atque ideo maximè laborat. Problemate XIX. vsus est eodem fundamento, non ad hoc membrum: sed ad alterum, quod sequitur de labore femorum inter descendendum: variare autem fundamenta locis dum opportuna sint, quid ad rem interest? Tum confirmat Aristoteles eundem laborem, & vexationem tibiarum, eò quòd destituantur auxilio, quod ad sustinendum corporis onus habent pedes; non enim sicuti latitudinem habent tibiæ, eius beneficio possint firmari, & fulciri. Quæ enim latiora sunt, cùm meliùs stabiliantur, pluribúsque partibus innitantur, minùs laborant: vnde non secus, ac pondus impositum humeri, inter ascendendum tibia regit corpus. Problemate XIX. ratio fuit, genua magis laborare, quia illic fieret maior distractio, aut contentio: hæc autem etsi ab eodem fundamento, non omnino idem sunt. καταβαίνοντές δε τῷ ἐμπίπτειν. *at in descendendo:* explicat alteram partem problematis. Docet autem & hîc similiter antea magis vniuersè, vnde in descendendo fiat labor, vt ex eo femora maximè laborare iure ostendat. In descendendo inquit labor fit, quoniam corpus incidit ad inferiora, hoc est, labitur super partes, quæ inferiùs positæ sunt, & plus, quàm natura ferat, vltra propellitur: illæ partes igitur ad quas fit prolapsus, & quæ ob prolapsum agitantur, & quatiuntur, sunt quibus laborem præbet corpus incidens, & prolabens: hæc autem femora sunt. Hæc autem ratio non ita omnino deducenda videatur, si Theophrasti verba, quibus hunc eundem locum tractat, consideremus: quia verò fortasse non admodum interfit, & Aristotelis verba commodè sic exponi videntur; ita à nobis sit illa proposita. Theophrastæa autem proponentur paullò post. Sanè autem ratio hæc ex illis etiam vim habet, quæ problemate XIX. & superiùs diximus ex Aristotele; illud, cui aliquid innititur magis laborare: quæ adhuc declarantur ab Aristotele, cùm subdit, *tibia manet, femur suscipit*, idem ostendentia illis, quæ eodem libro de animalium incessu leguntur in hunc modum: τὸ μὲν μένον θλίβεῖ, διὰ τὸ φέρειν· τὸ δὲ ἀνεσόμενον τείνεῖ τῷ φέροντι τὸ φορτίον, hoc est: *quod enim manet, comprimitur, quoniam fert: quod autem attollitur, tenditur ad id, quod pondus sustinet.* Thorax autem, inquit Aristoteles, onus est: sed magis femori, quàm tibiæ; illi quippe parti magis incidit. De femore autem eandem proponit longitudinem, tamquam ad laborem adiuuantem causſam quam de tibia etiam proposuerat. Porrò autem quoniam Theodorus hoc secundum membrum liberiùs vertit, & nonnulla sic, vt expositionem nostram vix recipiant, necessarium existimaui,

alteram maiori fide tralationem proponere, hunc in modum: *In descendendo autem quoniam corpus incidit deorsum versùs, & propellitur præter naturam, ideo labor fit: quare cui maximè incidit, & quod concutitur, huic laborem affert.* Non omiserim etiam in propositione problematis adiiciendam particulam, *maximè*, quam non habet Theodori tralatio, sed habet Græcus codex, ac ita legendum: *femora in descendendo, tibiæ in ascendendo maximè laborant.* Theophrasti locus, quem paullò ante citaui, ita legitur in Basilienſi editione, in qua vberior aliquantisper habetur, quàm in excerptis Henr. Stephani, ex quibus tamen hæc eadem duobus, aut tribus locis emendauimus, sicuti etiam emendanda esse docet præsens problema: ita igitur legitur: διὸτι ἢ καταβαίνοντες μεν κατάντη, τὰς μηρὰς μάλιστα πονοῦσιν· ἀναβαίνοντες δε, τὰς κνήμας, ὅτι κεῖται μὲν τὸν ἀναβασιν ὁ πόνος τοῦ αἴρειν τὸ σῶμα· φορτίον γὰρ γίνεται· ὧ ἱκανόν οὖν ἅπαν ἐπίκειται τὸ βάρος, καὶ ὡς αἴρομεν, τότε μάλιστ' ὁ πόνος· ἡ δὲ κνήμη γίνεται· ἔχατον γὰρ ἔχον μῆκος, καὶ ἔχ ὥσπερ ὁ πὺς πλάτος· διόπερ σαλεύεται· καθάπερ οὖν ὑπὸ τοῦ βάρους τὸ ὦμον μάλιστα πονοῦσιν, ὥστε ὅπου τοῦτο ἔχουσι τὸ βάρος ὁμοίως καὶ τὰς κνήμας· ἐν ᾧ τοῦ καταβαίνειν ὁ πόνος τοῦ ὀπίπτειν τὸ σῶμα καὶ παρεκτὸς παρὰ φύσιν· ὥστε καὶ ᾧ μάλιστα ὀπίπτει, καὶ σαλεύει, τούτῳ μάλιστα καὶ ποιεῖ τὸν πόνον· ὡς οὖν ἡ κνήμη ἐν τῷ ἀναβαίνειν κακοπαθεῖ ὅτως ὁ μηρὸς ἐν τῷ καταβαίνειν ἐξαίφνης τὸ σῶμα ὅλον· ἁπλῶς τὰ βάρη κάτω φέρει· ὥστε χαλεπώτερον τὸ ἀναβαίνειν τοῦ καταβαίνειν. hoc est: *quare autem descendentibus per loca declivia, femora maximè fatigentur, ascendentibus autem tibiæ: causſa est, quoniam in ascendendo, labor fit, attollendo corpore: hoc enim onus est. Cui igitur totum imponitur onus, & quo attollimus, eiusdem labor est; tibia autem ea est: postremam enim obtinens longitudinem, non autem latitudinem, sicuti pes, ideo concutitur. Quemadmodum igitur ex onere, humero maximè laboramus, quia super eum onus gestamus; similiter tibiæ accidit. In descendendo autem labor est, quia corpus decidit, & propellit se præter naturam, quare qua parte etiam maximè decidit, & agitatur, ea etiam maximè facit laborem. Quemadmodum igitur in ascendendo patitur tibia, sic femur in descendendo, attollens corpus vniuersum. Simpliciter, grauia deorsum feruntur, quare difficilius est ascendere, quàm descendere.* Hæc Theophrastus.

XXV.

Διὰ τί πλεῖον δοκεῖ ἡ ὁδὸς εἶναι ὅταν μὴ εἰδότες βαδίζωμεν πόση τις, ἢ ὅταν εἰδότες, ἐὰν τἄλλα ὁμοίως ἔχοντες τύχωμεν; ἢ ὅτι τὸ εἰδέναι πόση, τὸ εἰδέναι ὅτι τὸ ἀριθμὸν αὐτῆς· καὶ πλεῖον ἀεὶ τὸ ἀόριστον τοῦ ὡρισμένου· ὥσπερ οὖν εἰ ἤδει ὅτι τοσήδε, πεπερασμένην ἂν ἀνάγκη εἶναι· ὅτω δὲ μὴ εἰ μὴ οἶδεν, ὡς ἀπείρου ὄντος, ἀλόγιστος ἡ ψυχὴ, καὶ φαίνεται εἶναι ἄπειρος ἐπὶ τὸ πολύ, ὡρισμένον δὲ τὸ ὡρισμένον, πολὺ· ὅταν γένωμεν μὴ φαίνηται ὡρισμένον, ὥσπερ ἄπειρον φαίνεται εἶναι, διὰ τὸ τοιοῦτος ὡρίσθαι, ἐὰν μὴ ᾖ ὡρισμένον, ἄπειρον εἶναι· ὥστε καὶ τὸ φαινόμενον μὴ ὡρίσθαι, φαίνεσθαι ἀνάγκη πως ἀπέραντον.

Cur iter longius tum esse videtur, cùm ignari quantum sit ambulamus, quàm cùm gnari, si modò res cæteræ pares adsint? An quòd nosse quantum sit, non nisi nosse eius numerum est, rémque non determinatam pluris, quàm determinatam esse perspectum est. Ergo quemadmodum, si nosti quantum sit, finitum id esse necesse est: sic etiam si ignoras, quasi reciprocetur, animus cauillatus oberrat, infinitúmque id esse videtur, quod finitum est. Quamobrem si quantum quodlibet determinatum non esse putetur, veluti infinitum id esse videbitur, eò quòd aptum est, vt sit determinatum. At si determinatum non sit, infinitum est. Ergo id quoque infinitum quodam modo videri necesse est, quod determinatum esse nequaquam videtur.

Qui ignorat, quantum viæ sibi peragendum sit aliquò tendenti, ei cur longius iter videatur, quàm eiusdem viæ quantitatem notam habenti, inquirit in præsentia Aristoteles. Notitia autem hæc, quoniam, & magis, & minùs distinctè haberi potest; magis, & minùs ad eundem effectum valet. Si enim itineris spatium sit nobis vsu ipso notum, qui sæpius illud emensi fuerimus, iam assuetudine ipsa breuius admodum apparet, quod & ipsa experientia docet; ab alio verò edoctum, absolutè nosse Genuam eunti triginta millia passuum exempli gratia conficienda, recreet quidem aliquantisper magis, quàm si omnino incerto, & ignoto itineris spatio, eodem pergamus: non tamen ita ac si triginta illa millia passuum conficienda, ita sint distincta, vt singulis quibúsque passuum millibus exempli gratia peractis, subinde se ea perfeciſſe viator intelligat: ita enim acquiescit animus: cuius rei, distinctionisque gratiâ lapides nonnullis in locis figebant antiqui: ita enim finitionem, & terminum, quod dicit Aristoteles meliùs animo accipimus. Reliqua porrò

omnia ea in comparatione paria esse debere, inquit Aristoteles,tum quæ pertinent ad viam ipsam, eiusque conditiones, æqualitatem, & inæqualitatem,amœnitatem, asperitatem, puluerem, lutum,saxa: tum quæ ad viatorem, robur, agilitatem, & alia, quæ rem possunt diuersam reddere: hæc enim paria omnia supponuntur, sola notitia,aut ignoratione quantitatis viæ excepta. ἢ ὅτι τὸ ἀδέναι πόσον. *An quòd nosse quantum sit.* Reddit effectus rationem, atque ait: Qui nouit quantum viæ sit peragendum, ille numerum passuum, aut milliariorum nouit, & rem nouit determinatam, vt puta decem millia passus, aut plus, aut minus. Qui verò ignorat, ille circa indeterminatum, & indefinitum versatur; indeterminatum, autem, & indefinitum plus est, quàm definitum: id verò quomodo contingat, planiùs docet Aristoteles quemadmodum enim si nouit quispiam, quanta determinatè via sit peragenda, necesse est illud viæ spatium determinatum esse, & finitum: alioquin enim quomodo illud sciat? ita è contrario si non nouit, (tanquam conuertatur) esse infinitum: non quòd ita res se habeat: non enim si verò sciam, quantum sit viæ, ideóque spatium sit finitum, ideo conuertitur, si nescíam, esse infinitum: sed anima paralogizat, vt Latinè etiam hoc verbo vtar, hoc est, *falsò ratiocinatur*, eique illud infinitum videtur esse quod non est, quia nimirum non est definitum, & determinatum ad certam metam, cognitámque mensuram; atque ideo plus apparet definito, & determinato. ὅταν τίνων μὴ φαίνηται ὡρισμένον. *Quamobrem si quantum quodlibet determinatum non esse putetur.* Theodorus non agnoscit,quæ proximè ante hæc in Græcis omnibus excusis exemplaribus leguntur, & ab antiquo etiam interprete redduntur. ἔτι τὸ ποσὸν ὡρισμένον καὶ τὸ ὡρισμένον ποσὸν, id est: *præterea quantum omne determinatum est, & determinatum quantum est.* Videntur autem ex vi particulæ ἔτι, *præterea*, nouæ rationis esse initium: at ex Theodori tralatione,quæ proximè sequuntur superioribus cohærent: & sanè non diuersum à superioribus videtur rationis fundamentum; possumúsque illis sine detrimento carere: eundem autem Theodorum ante illa etiam, ἐὰν μὴ ᾖ ὡρισμένον, apparet punctum adhibuisse, & legisse ἐὰν ᾖ, vt quidem locum reddit:sed quoniam hæc eadem proximè habuimus, videntúrque hîc posita ἐκ παραλλήλου, de iis non ampliùs quæram,aut laborabo: locum tamen totum,quoniam Theodori tralatio tum non omnino fidelis, tum etiam aliquantisper obscurior mihi visa est, aliter conuersum proponere placuit. *An quoniam nosse quantum est,numerum ipsius nosse est, & plus semper est indeterminatum, quàm determinatum. Quemadmodum igitur si nouerat, quòd via tanta est, finitam esse necesse est,sic si ignorat,tamquam conuertatur anima in ratiocinando decipitur, & videtur* [via] *infinita esse. Præterea quantum omne est determinatum, & determinatum est quantum. Si igitur non videatur esse determinatum; tamquam infinitum videatur esse quia aptum sit, vt determinetur: si autem non sit determinatum, esse infinitum: quare cùm appareat, non determinari,necesse apparere aliquo modo infinitum.*

XXVI.

Διὰ τί τὰς μηρὰς μᾶλλον ἢ τὰς κνήμας κοπιῶσι; πότερον ὅτι ἐγγὺς τοῦ τόπου τοῦ ἔχοντος τὸ περίττωμα· ὥστε ἂν ῥαφάλλῃ διὰ τὴν κίνησιν τὴν θερμότητι συναπῶσιν οἱ μηροὶ μᾶλλον καὶ πλεῖον ἢ αἱ κνῆμαι; ἢ διὰ τὸ συμφυὲς μᾶλλον εἶναι τὰς μηρὰς; μάλιστα γὰρ πονεῖσι τὴν διασυνεχῆ διάτασιν· καὶ γὰρ ἂν μηδὲν ἔχοντες περίττωμα, κοπιάσειαν, ὅμως τὰς μηρὰς καὶ τὸ ὀσφὺν πονεῖσι μᾶλλον· ἢ ὅτι καθάπερ οἱ βεβῶνες γίνονται πληθύτες; διὰ τὴν συναίρτησιν τῶν φλεβῶν, καὶ νοσερὸν, ἅτε καὶ ὂν; ἐγγύτερον γὰρ ἡ ἀρχῆς ὁ μηρὸς. ἢ διότι μᾶλλον ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι ὁ μηρὸς τῆς κνήμης; τοῦτο γὰρ κοπιαρώτερον· ἢ ὅτι σαρκώδης· ὥστε πολὺ τὸ κατὰ φύσιν ἔχων ἐν αὐτῷ.

Cur femora magis,quàm tibiæ fatigantur? Vtrum quòd propè absunt ab ea parte, quæ excrementum continet: itaque vbi ea pars agitata nimiùm recaluerit, femora expeditiùs, ac pleniùs attrahere possunt, quàm tibiæ. An quòd femora continentiore constant natura: laboratur enim præcipuè propter continui distractionem: quippe cùm etsi nullo excremento substante fessi sumus, tamen femoribus,ac lumbis acriùs laboramus. An quomodo inguina per ictum oriri nouimus, propter venarum, & neruorum societatem: ita etiam lassitudo potiùs in femur incumbit, quod quidem ab initio propiùs abest. An quòd femur eadem habitus ratione fungitur suo munere magis, quàm tibia: quæ quidem res laboriosior est. An quòd femora carnis copiam sustinent. Itaque res affatim in his in est, quam naturæ rationi tribuimus.

Superiùs problemate XIX. & XXIV. laborem, qui variè sustineretur à femoribus, ac tibiis ascendendo, & descendendo considerauit, & quid de eo ipse sentiret, ostendit: Nunc autem generatim & absolutè earundem partium laborem tractat, nulla ascensus, aut descensus habita ratione: sed in omni motu, ac etiam stando; cùm & ille quoque non leuis labor sit. Nec tamen ea quæ hîc generatim dicuntur, illa de medio tollunt, quæ magis secundùm partem de labore in ascendendo, & descendendo superiùs proposita sunt. Igitur absolutè & generatim proponit hoc loco femora magis laborare, quàm tibias, eiúsque rei quinque affert rationes, quarum prima hæc est: Femora sunt viciniora partibus, in quibus excrementa continentur, nimirum thoraci, ventri, vesicæ, vtero, & mesenterio: quoties igitur ob motum incalescunt, faciliùs & magis expeditè præ vicinia possunt ab illis trahere, quàm tibiæ, caloris enim vi attractionem fieri iam notum est: repleta igitur, & onerata femora illis superfluitatibus, magis laborant. ἢ διὰ τὸ συμφυὲς μᾶλλον εἶναι τὰς μηρούς. *An quòd femora continentiore constant natura.* Altera ratio. Dolor fit ob continui diuisionem, aut separationem: at hæc magis locum habet in femoribus, quàm in tibiis, iure igitur magis laborant. Minorem propositionem probat, quia τὸ συμφυὲς, id est, *connatum esse simul*, seu partium continuitas, magis accidit femoribus. Quoties igitur diuisio, aut separatio contingit, necesse est, vt maior sit, cùm maior esset continuitas. Id Theodorus reddit: *femora continentiore constant natura.* Sentire igitur videtur Aristoteles femora habere partes magis continuas, & vnitas, quàm tibias. Id quomodo fiat, ego quidem non video; carnosas enim, & membranosas partes ita continuas, & vnitas in tibiis existimo, ac in femoribus. An de ossium articulatione intelligendus locus est? nimirum arctiorem esse articulationem femoris cum ischyo seu coxendice, quam ad enarthrosim illam, quæ diarthrosis species est, referunt anatomici, quàm femoris cum tibia, quam ad gynglimon? At contrà ab eisdem anatomicis discimus, laxissimam esse articulationem ischyj, quippe omnibus motibus manifestè moueri, & quoquò versùs circumagi vt Galenus XII. de vsu partium capite V. non igitur id sensisse Aristotelem, aut Theophrastum, qui de eadem re non dissimiliter scripsit facilè existimemus. Sanè tamen quid aliud afferam non habeo, & aliorum potiùs expecto sententiam: non omiserim Iustinianum reponere, εἰς τὰς μηρούς. Ostendit autem hanc rationem magis esse efficacem priori, quamuis enim nulla adsint in femoribus excrementa, vnde superior ratio petebatur, adhuc tamen vnà cum lumbis videmus ea magis, quàm crura laborare. ἢ ὅτι καθάπερ οἱ βουβῶνες γίνονται πληγέντες. *An quomodo inguina per ictum oriri nouimus.* Tertia ratio. Si quispiam percussus fuerit aliquem pedis digitum, oritur ei in inguine tumor, qui bubo dicitur, quemadmodum si digitum manus in ala, idem tumor accidit: sicuti vberiùs explicat Galenus libro XIII. methodi, & secundo de differentiis febrium. Id autem fit, quoniam partibus illis quæ percussæ fuerunt, præ dolore qui ab ictu oritur ad se trahentibus excrementa per venas, & neruos, nimirum per vasa deferendo apta; inguina aut alæ, quæ in medio positæ sunt, percussisque partibus sociatæ, annexæ, & alligatæ; id enim propriè significat vox συναίρεσιν, quam pro ἄρσιν ex Iustiniano reposuimus, per eadem communia vasa fluxionem illam recipiunt; quod ab earum imbecillitate nascitur, sunt enim alæ, & inguina partes glanduloſæ, glandulæ autem, vim maximè imbecillem possident, ita, dicit Aristoteles, fit in præsentia. Nimirum plùs laborant femora, quorum partes inguina sunt, quàm crura, quoniam sunt proximiora sociatáque principio, hoc est, partibus principibus, ex quibus excrementa descendunt, vt est cerebrum, hepar, ventriculus, & aliæ. ἢ διότι μᾶλλον ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι. *An quòd femur eadem habitus ratione.* Quarta ratio femora in ambulando eadem figura magis manent, quàm crura, quæ figurationibus, & posituris magis variis mouentur: ita enim videtur significare Aristoteles: at hoc minùs laborioſum est, illud magis, vt patuit problemate decimo. Variatio tamen illa figuræ, quo modo magis in crure, quàm in femore accidat non facilè intelligo: nam quod de laxitate iuncturarum, & de duobus cruribus affert Aponensis, non video de cruribus magis, quàm de femoribus dici posse, aut magis altera quàm altera ab ea re adiuuari. ἢ ὅτι σαρκώδης. *An quòd femora carnis copiam sustinent.* Vltima ratio. Ideo femora magis laborare, quia carnosa sunt: quomodo verò hęc res laborẽ afferat, paucis, sed obscuris verbis significat scribens. ὥστε πολὺ τὸ κατὰ φύσιν, quæ Theodorus ita vertit: *itaque res affatim in his inest, quã naturæ rationi tribuimus.* Verùm quãdo à verbis adeò recedebat, sententiã saltim planã reddidisset. Æquè enim obscura Latina, ac Græca: ad verbum hæc est interpretatio: *quare multum illius, quod secũdùm naturam se habet in ipsis est.* Fortasse sensit Aristoteles, cùm femora multam carnẽ possideant, quam à natura sortita sunt, quęq; in ipsis secundùm naturã se habet, ita enim à natura cõstituta femora sunt: quoties ob motus maiores, quàm par sit,

quique

quique eam à ſtatu naturali deducant,accidit labor,eum maiorem fieri in eis, quàm in cruribus,quia in re maiori dimotio fit,cùm maior ſit carnis copia : qua ratione etiam homines carnoſiores in motibus magis laborare videmus,quàm tenuiores,& graciliores.Non eſt autem hæc ratio eadem illi, quæ ſecundo loco eſt adducta; illa enim à maiori partium continuitate,& ex eo,quòd illæ ſimul magis eſſent vnitæ ducebatur, hæc autem à maiore copia, ſeu mole earundem partium. Aponenſis hanc rationem explicans tria adducit, ratione quorum fémur magis laboret, quàm crus.Femur eſt carnoſum, non autem crus, ſed oſſuoſum, quod autem carnoſum eſt, faciliùs læditur propter eius debilem compoſitionẽ. Item eſt magis ſenſitiuum: propter quod dolor accidit.Tertiò : quod eſt carnoſum, plures colligit ſuperfluitates.Nam cùm à membro carnoſo multùm reſoluatur, multo eidem opus eſt nutrimento, ad quod multa conſequuntur excrementa, quæ dolorem,& laborem creant. Hæc autem vt vera omnia eſſe poſſint, ita quod maximè optaſſem, non video illis Ariſtotelis ſententiam explicari : Theophraſtus,cùm hunc eundem locum tractaret,ex his rationibus primam, & ſecundam attulit, quas & miſcuiſſe viſus eſt, ita ſcribens : διότι ἢ τὰς μηρὰς ἢ τὰς κνήμας μᾶλλον κοπιῶσιν, ὅτι μάλιστ' ὁ πόνος τὴν τ' σωνεχῆ διάστασιν σωνελκύσας ἢ καὶ συμφύσας ὁ μηρὸς· ἅμα ἢ καὶ ἡ τ' νάρκωσις διάστασις· καὶ ἐν τούτῳ καὶ ἐγγυτέρω δ' τόπου τ' ἔχοντος τὸ περίττωμα· διόπερ ἂν ἐκφαίλλῃ τῇ θερμότητι διὰ τ' κίνησιν τε μᾶλλον & πλέον· ὅτι δ' ἡ ἀνάρτησις ποιεῖ τὴν συμπάθειαν τ' νάρκης, καὶ φλεβῶν, καὶ ὅτι τ' βουβώνων δῆλον· πληγώτων γὰρ τ' κάτωθεν, ἐνταῦθα βουβῶνες. Id eſt : *Quòd autem femora, magis quàm tibiæ fatigentur, cauſſa eſt, quoniam dolor corporis continui maximè diuiſio eſt : femur autem magis continuum, & natura magis vnitum eſt. Simul autem & neruorum ſolutio, quæ fit tum in hoc, tum in loco illi proximiore, qui excrementum continet. Quapropter vbi ob motum, & agitationem plùs creuerit ibi calor : magis & plus* [femora attrahent.] *Quòd autem neruorum, & venarum ſocietas, atque connexio ſympathiam gignat,* [hoc eſt, partes efficiat mutuò, & ad inuicem pati] *ex bubonibus manifeſtum fit : percuſſis enim partibus inferioribus, in inguinibus, nihilominùs tumores fiunt.*

XXVII.

Διὰ τί ἐνίοις ὅταν πονήσωσιν, ἕλκη ἐκφύσιν; ἢ ὅταν τὸ σῶμα ἀκάθαρτον ᾖ, ἡ κίνησις θερμαίνουσα, καὶ ἄλλα περιττώματα συνεξικμάζει μετ' ἰδρῶτος; παχέα ἢ ὄντα, καὶ χυμὸς ἔχοντα μοχθηρὸς, ἐξεῖς καὶ πικρὸς & ἁλμυρὸς, τὰ περιττώματα ἐκκεῖνα μὴ δύνανται, διὰ πάχος, ἐξαίρεται ἢ διὰ τ' σαρκὸς, & ἐξελκοῖ διὰ πικρότητα τ' χυμοῦ.

Quam ob cauſſam tubercula, & vlcera nonnullis ex labore proueniunt? An corpore impuro motus concalfaciens, excrementa alia etiam cum ſudore vaporatim deſtringit, quæ craſſa, & humore prauo, hoc eſt, acuto, aut amaro, aut ſalſo contenta ſecerni penitus ſuam ob concretionem non queunt. Itaque per carnem intumeſcunt, atque exulcerantur propter amari humoris violentiam.

Quod Ariſtoteles hoc loco proponit de vlceribus ex labore, aut exercitatione impuro corpore prouenientibus, fuerat etiam antea ſcriptum ab Hippocrate, & à Galeno confirmatum tertio aphoriſmorum xx. quem locum adducit etiam Apponenſis.Hippocratis autem verba leguntur commentario quinto v 1. Epidemiorum in hunc modum : ἕλκεα ἐκφύσιν ὦν ἀκάθαρτον ἐὼν πονήσῃ, hoc eſt : *Vlcera exoriuntur, ſi non purgatus laboret.* Ad quem locum ita Galenus Latinè : *In laboribus hoc eſt exercitationibus, calorem auctum ex profundo ad cutim ſuccos euocare ; atque diſcutere, alibi didicimus. Quando igitur priùs in corpore hi vitioſi contracti ſunt, acrimonia cutem erodunt, atque vlcera efficiunt : quemadmodum, cùm craſſi, glutinoſiq; humores ſunt, iecur, renéſque obſtruunt, in cute autem affectus cum tumore excitant.* Idem autem Galenus ad xx. aphoriſmum tertij libri, quo loco Hippocrates non ἕλκεα, *vlcera*, ſed ἐξανθήσεις ἑλκώδεις, hoc eſt, *effloreſcentiæ vlceroſæ* habet, quod genus affectus verno tempori adſcribit,in commentariis hæc habet : *Tale quiddam vere contingit, quale in exercitationibus euenire videmus. Etenim hæ quoque ſunt ſaluberrimæ. Verùm ſi hominem vel pituita, vel flaua bile, vel atra, vel ipſo etiam ſanguine plenum, volueris ad exercitationem perducere : aut ei morbum comitialem, aut apoplexiam efficies exercitatione : aut ſi hæc mala non euenient, periculum imminet, ne rupto aliquo in pulmone vaſe, in morbum incidat inſanabilem. Multi verò cùm febricitare cæpiſſent: propter exercitationes acutiſſimis morbis fuêre correpti. Quibus verò vicẽ purgationis*

humorum, qui ſunt in profundo corporis exercitatio ſuppleuerit, ad cutem euocans vitioſos humores: his & vlcera, & ſcabies inde generantur. Et hoc innuens dicebat Hippocrates; ſi impurgatus laboraueris, vlcera erumpent. Hæc ita Galenus: quæ ideo adſcripſi omnia, vt de tota re quam tractat Ariſtoteles, liquidiùs conſtaret: vberiora enim ſunt, quàm Ariſtotelica, & rem magis diſtinctè docent: & quamquam non eadem penitus Ariſtotelicis, non ita tamen diſſidentia, vt non facilè illis conuenire poſſint. Rem igitur ita explicat Ariſtoteles: ſi laboret quiſpiam corpore impuro, hoc eſt, excrementis abundante (de puro enim non eſt, vt loquatur, cùm nihil præter naturam in eo motus excitet) at ſi impuro fiat motus gignitur in eo ex motu caliditas, ac fit ſudor, qui extra corpus effluit: cum eo autem humore, per vapores etiam, & per halitus multa excrementa reſoluuntur; illa nimirum, quæ magis tenuia ſunt. At quæ ſunt craſſiora & continent in ſe humiditates prauas, & vitioſas, cuiuſmodi ſunt acutæ; & ſalſæ, ſicuti vitioſæ pituitæ genera, & amaræ, ſicuti bilis craſſioris quædam ſpecies: huiuſmodi cùm ob craſſitiem in halitus, & ſudores reſolui non poſſint, per carnes impetu facto attolluntur, atque ob prauas qualitates, quibus præditæ ſunt, amariciem, acutiem, & ſalſedinem; quamquam amaritiem ſolummodo nominet Ariſtoteles, quippe communiorem, cutim erodunt, & vlcera gignunt. Atque hic quidem Ariſtotelis verborum, facilis, & obuius ſenſus: ex Theodori autem tralatione non ita: non enim tenuium excrementorum à craſſis apparet in ea diſtinctio: illàque, *vaporatim deſtringit*, mihi quidem non omnino arridet. Sic igitur cum fide, & penè ad verbum reddo: *Cur nonnullis poſtquàm laborauerint, vlcera enaſcuntur? An quoniam vbi corpus impurgatum extiterit, motus excalfaciens alia quidem excrementa vnà cum ſudore ſimul in vaporem reſoluit: quæ autem craſſa excrementa ſunt, & ſuccos obtinent vitioſos, acutos, amaros, & ſalſos, excerni quidem ob craſſitiem non poſſunt, attolluntur autem per carnes, & vlcera gignunt ob amaritiem humoris.*

XXVIII.

Διὰ τί τοῖς ἐπὶ τ γυμνασίων, κὴ φαρμακοποσιῶν οὐκ εὐθὺς προσφερόσι τροφὴν; ἢ διότι καθαρὸν μὲν τὸ σῶμα ἔτι, ἐὰν οὐκ ἀναπέπαυ) πονῶν κὴ ἀποκέκει) τὰ περιττώματα.

Cur non protinus ab exercitatione, aut medicamento epoto cibus aſſumi debeat? An quòd adhuc corpus purgatur, nec dum à labore quieſcit, excrementa excita redundant?

Quod proponit Ariſtoteles hoc loco de cibo, quem minimè offerendum eſſe ait ſtatim ab exercitatione, habemus itidem apud Galenum ſexto Epidemiorum commentario tertio, textu ſecundo; quo loco, Eraſiſtrati etiam, & aliorum medicorum qui de tuenda valetudine libros conſcripſerunt, auctoritatem affert: verba autem Latinè in hunc modum leguntur: *Poteſt autem & poſt exercitationes quietem ſcripſiſſe* [Hippocrates] *de ſingulorum dierum exercitationibus, quietéque ipſis ſuccedente ſermonem faciens, ne exercitati cibaria (vt moris eſt) illicò aſſumant; in corpore adhuc ab exercitatione calorem ſeruantes: ſed poſtquàm exactè refrigerati ſunt: nam & hoc in libris ſalubribus, & ab alijs, & ab Eraſiſtrato rectè dictum didiciſtis.* Et paullò poſt ad eandem ſententiam, obſcura Hippocratis verba trahens: *Si quis verò hanc nos explanare cogat, quietem poſt exercitationes multam interponi debere, ipſum præcipuè dicemus.* Cæterùm Ariſtoteles huius rei illam affert rationem, quoniam etſi quieuerit ab exercitatione quiſpiam, nondum tamen ceſſat labor & agitatio, quæ in corpore fit: ſed remanet adhuc: ſpiritus enim, qui calefactus eſt, non ſimul ac ſubſtiteris, refrigeſcere poteſt, ſicuti dicitur problemate xv. laborat igitur, etſi non appareat, homo & vi eiuſdem caloris adhuc vigentis, fit adhuc excretio, & purgatio ſuperfluitatum per apertos meatus: tempore autem, quo purgatio fit, & corpus laborat, ac agitatur, offerendus cibus non eſt, ſed tempore quietis; vnde Aponenſis ad hanc rem faciẽtem Damaſceni aphoriſmum citat his verbis: *In nimio exercitio poſitis, ante cibum parum quieſcere oportet: in otio verò parum vti exercitio ante; vt vtriúſque calor ſit fortis, & circa locum digeſtionis contentus.* Hæc de cibo poſt exercitationes: Sed & alterum, non ita expeditum de eodem ſimul propoſuit Ariſtoteles: quippe neque ἐπὶ τ φαρμακοποσιῶν, illum ſtatim offerendum: id Theodorus vertit, *medicamento epoto.* Illud autem ſicuti medicorum libri, & omnium vſus docet; præſertim cùm exhibita medicamenta valida ſunt; nam de ptiſſana; quam ſtatim exhibito pharmaco dat Hippocrates ſecundo de ratione victus in acutis XII. non eſt, vt loquamur: illam enim cibi gratiâ haud exhibet, ſed abſterſionis cauſsâ, & ad ea commoda quæ in commentario

affert Galenus. Igitur epoto medicamento ſicuti cibum non ſtatim exhibent medici, ſic rationes, quas hoc loco videtur Ariſtoteles afferre, ad eam rem minùs videntur facere: quid enim ſtatim epoto medicamento à cibo abſtinendum eſſe dicamus, quòd adhuc purgetur corpus, ſi nondum incepit purgatio, ne dum alicui videri poſſit perfecta: Quæ autem ſubiiciuntur, *nec dum à labore quieſcit, & excrementa euacuantur*, illa ſenſum ſequuntur præcedentem. Si enim purgatio perfecta non eſt; nondum ſucceſſerit quies, atque excrementa adhuc educantur. An fortè non de tempore, quod illicò ſuccedit medicamenti aſſumptioni, intelligendus locus eſt, ſed cùm ex aſſumpto medicamento, purgatio perfecta videtur? non enim ad offerendum cibum præproperi eſſe debemus: quippe nondum fortaſſe omnino perfecta purgatio eſt, quæ perfecta videtur, & nobis haud exiſtimantibus, aliquid naturæ remanet expellendum: quin & intus, ex purgatione durat adhuc motus, & agitatio; cibus autem quieſcentibus offerendus eſt: iam verò ſi locum ita exponamus per vocem φαρμακοποσιῶν, non *medicamenti potionem*, ſicuti tranſtulit Theodorus, & vox videtur ſignificare; ſed ex ipſa potione, quæ ſequitur purgatio erit accipienda, poſtquàm non ſtatim offerendum eſſe cibum, ob rationes, quæ dictæ de exercitatione ſunt, & ad purgationem ſunt transferendæ, docuit hoc problemate Ariſtoteles.

XXIX.

Διὰ τί χαλεπώτερον θεῖν ἢ βαδίζειν; ἢ ὅτι πλεῖον φορτίον φέρει ὁ θέων; ὅταν γὰρ ᾖ μετέωρος, ἅπαν ἐφ' αὑτῷ ἔχει· ὁ δὲ βαδίζων, οἷον ἅπτει τοῖς τείχεσι ἀναπαυόμενος, ὥσπερ ἐπὶ τῷ ἠρεμοῦντι.

Quam ob rem currere, quàm ambulare difficilius eſt? An quòd plus oneris fert, qui currit: is enim elatus, ac pendens onus ſuper ſe totum ſuſtinet; at qui ambulat, parte inſiſtente viciſſim ſuſtentatur, quaſi parieti admotus requieſcat.

Solutio huius problematis, ſatis facilè ex iis patet, quæ ex Ariſtotelis libro de animalium inceſſu ſuperiùs etiam ad problema XIX. & XXIV. propoſita fuiſſe puto: ſemper in motu mutari id quod mouetur innixum ad id, quod illi ſubiacet: & qui minùs innititur eundem magis laborare, quod facit ille qui currit; hic enim non ita humi nititur, ac ambulans: laborat autem magis, qui fert plus oneris, vt inquit Ariſtoteles: nam qui innititur, & cuius pedes humi firmantur, ille à re, cui innititur adiuuatur ad ſuſtinendum. Eſt autem corpus onus quoddam; nam cùm natura ſua graue ſit, & pronum ad labendum deorſum, à ſpiritu per vim ſuſtinetur erectum: id autem grauius, & difficilius fit inter currendum, quoniam ſpiritus minùs adiuuatur à fulcimento: qui enim currit ſæpius pedes attollit, eo autem tempore onus totum ipſi incumbit, cùm non fulciatur ab aliqua re. Igitur tum longiori tempore onus fert, quippe diutius elatis pedibus, & minori tempore humi firmatis, tum etiam plus oneris, & ponderis, quippe eiſdem pedibus minùs firmatis, (leuiter enim figunt veſtigia quo tempore figunt currentes) minus habet fulcimentum; qui autem ambulat, dum alterum, pedem eleuat, alterum firmiter humi figit, eidémque tamquam parieti innititur: firmatur enim pes ille, & immotus interea tantiſper manet, vt niſus commodè fieri poſſit; hoc verò progreſſionis cauſſa deinde moto firmatur alter eodem modo, eidémque ſimiliter tamquam parieti rurſus innititur ambulans, & ſic ſucceſſiuè progrediendo fit. Semper igitur fulcimentum aliquod ſtabile toti corpori ſubiacet: non ita in currente, vbi ob motionis celeritatem, & frequentiam, non ita firmiter figitur pes: ſed leuibus inſiſtens veſtigiis, maiori ex parte corpus ſublime & pendens eſt: atque ex eo grauitas, atque onus toti incumbit, & maior fit labor, atque difficultas.

XXX.

Διὰ τί ἐκ τῶν γυμνασίων ἐθέλομεν ἐσθίειν εὐθύς; πότερον διὰ τὴν ὑπόλειψιν τῆς σωτήξεως, ἕως ἀνιπεφθῇ; ἢ διὰ τὸ πνεῦμα ὃ ποιεῖ ὁ πόνος ἐκ τοῦ ὑγροῦ; ἢ διὰ τὴν δίψαν ἢ γίνεται πέφυκε ἐκ τῶν θερμαινομένων πόνους· πάντα γὰρ συμβαίνει.

Cur non protinus ab exercitatione eſurire incipimus? Vtrum propter colliquefactionis reſidua, dum penitus concoquantur? An propter ſpiritum, quem labor ex humore ſubdito mouet? An propter ſitim, quam laboris calor inducit: hæc enim accidunt omnia.

Theodorum non πίνεσιν, per ι, sed πεῖνσιν per ει legisse manifestum est: *esurire*, enim, quod reddit, πεᾶνειν est, non πίνειν: πίνσιν tamen legisse antiquum interpretem ex illius tralatione apparet, qui de potu locum interpretatur, de quo etiam eundem, licèt satis insulsè vt sæpe consueuit, exponit Aponensis: mihi autem Theodori tralatio magis arridet, cùm rationes, quas pro dissolutione adducit Aristoteles, quamquam satis obscuræ, breues, & concisæ sint, ei magis conuenire videantur: immò quæ postremo loco adducitur, vix lectionem antiqui interpretis, ac ne vix quidem ferre potest; duæ autem priores eam ferunt, sicuti ostendemus. Cur igitur non protinus ab exercitatione, hoc est, ab exercitatione peracta, non incepta; finem enim, non initium exercitationis intelligit, sicuti problemate XXVIII. cùm de exercitatione, & medicamenti haustu eandem quæstionem proponeret, licèt vtrobique rationes aliæ atque aliæ sint: cur inquam non protinus perfecta exercitatione esuriant, aut sitiant (quod enim dicitur, bibant, idem hoc loco) tres reddit rationes, quarum prima hæc est: Dum exercitatio fit, seu dum labor corpus exercet, colliquatio fit, id est singularum nostri corporis partium humiditates commouentur, & liquescunt: qua exercitatione cessante, nondum tamen cessat eorundem colliquatio: ac supersunt adhuc colliquationis residua aliqua, quibus cùm veluti cibo vescatur nostri corporis calor, eique illa sint alimento, quam rem proposuimus etiam problemate quinto primæ sectionis, non fit cibi indigentia, nec in ventriculi ore suctio; quare nec esuritio oritur, donec reliquiæ illæ sint concoctæ: tunc enim non existente ampliùs in corpore cibo, quippe qui ob coctionem in sanguinem sit conuersus, alimentum requirunt partes, & illinc esuritio fit. Si autem de potu locus accipiatur, dicendum erit, humida illa colliquamenta cùm per singulas corporis partes dilabantur, & fluant, peruenire ad os ventriculi, ab eisdémque illud irrigari, & humectari, cùm salsa, aut amara, aut id generis non sunt, atque ideo sitim minimè fieri, absumptis autem humidis colliquamentis, iam sitim fieri. Altera ratio est: Inter laborandum ex humiditatibus corporis gignitur spiritus, quemadmodum latissimè vidimus in sectione de sudoribus: spiritus autem hic replens os ventriculi impedit suctionem, qua media fit esuritio; aut sensum eiusdem hebetat, atque ideo non esurimus, vel non sitimus. Tertia autem, & vltima ratio, si de fame locum intelligamus, hæc esse potest: In laborantibus fit sitis, quia in eis mouetur caliditas, quæ sitim gignit: cum siti autem non coniungitur fames, vt experientia constat, & ratione probatur, nam sitis est appetitus frigidi, & humidi, vt dicitur secundo de anima textu XXVIII. fames autem calidi, & sicci, quæ contraria inter se sunt, contraria autem in eodem subiecto simul esse non possunt; ab assumpto tamen cibo statim sitimus quia cibus caliditatem gignit. Videtur igitur hæc argumentatio: ab exercitatione fit sitis, non igitur fames. Si autem de potu accipiatur locus, iam talis expositio non solùm absona, sed aduersa omnino sit, ponit enim sitim fieri, quæ negetur in propositione, & verò quid afferam, vt de potu etiam procedat hæc ratio, sicuti antea significaui non habeo. Nam quod facilè dicit Aponensis: ideo non bibi protinus ab exercitatione, quoniam laborantes bibunt propter sitim, quæ fit à caliditate; statim autem circa principium laboris, aut exercitij nondum aduenisse caliditatem, qua ad potum incitentur, recipi non potest, sibique contraria dicit Aponensis: iam enim non de initio laboris, & exercitationis, problema tum ille accepit, tum nos etiam similiter accepimus: fit igitur vt lectionem, & tralationem Theodori magis approbem.

XXXI.

Διὰ τί ἐξονειρωκτικοὶ εἰσιν οἱ κοπιῶντες, ἢ φθισιῶντες; ἢ ὅτι ὅλως ἐξονειρωκτικοὶ οἱ θερμοὶ, καὶ ὑγροί; τὸ γὰρ σπέρμα τοιοῦτόν ὄστι τῆ φύσιν. τὸ τοιοῦτο δ', ἐξ ὅτου ἀγακεκριμένον μάλιστα γίνεται· ὅταν δὲ ἡ ὑπὸ τοῦ ὕπνου θερμότης κατασχεθῆ, μικρὰς ῥοπῆς τὰ σώματα λείπει, καὶ ταύτης ἔσωθεν, ἀλλ' οὐκ ἔξωθεν· οἱ δὲ φθισικοὶ καὶ κοπιῶντες, ἕτω διάκεινται; οἱ μὲν γὰρ κοπιῶντες, διὰ τὸ κόπον καὶ τὴν κίνησιν, σεσυτηγμένοι καὶ θερμῆς πλήρεις εἰσίν· οἱ δὲ φθισικοὶ, διὰ τὴν καταῤῥοιαν, καὶ τὴν ὑγρομιξίαν θέρμην ὑπὸ τοῦ φλέγματος.

Cur genitura in somnis iis profluere solet, qui aut labore lassescunt, aut tabe consumuntur? An quòd omnino ita continentes sunt, qui natura calida, & humida constant: semen enim tale natura est. Quod autem tale est, ex iis qui tali habitu sunt potissimùm profluit, cùm calor somni accessit: quippe cùm corpora tantisper exiguum momentum desiderent, idq; intrinsecus,

non

non extrinsecus. Lassi autem, & tabescentes ita adfecti sunt: redundant enim, & elassati colliquamentis calidis propter fatigationem, & motum, & tabefacti propter destillationem, & calorem quem inflammatio mouet.

Duo hominum genera proponit, quibus sæpe, & facilè in somnis genitura effluere solet: qui delassati sunt, & qui phthisi, aut tabe ob destillationem in pectus, & pulmonem correpti. Caussam autem totam reiicit Aristoteles in duas qualitates, quibus duo illa hominum genera prædita sunt, caliditatem, & humiditatem. Ita autem ratiocinationem proponit. Illis maximè in somnis contingit seminis excretio, qui sunt calidi, & humidi, phthisici autem, atque delassati tales sunt, phthisicis igitur, & delassatis maximè illa eueniet. Maiore propositione posità, illam pluribus probat, antequàm minorem adducat, quod facit ad illa verba. οἱ δὲ φθισικοὶ & κοπιῶντες, quæ Theodorus vertit: *Lassi autem, & tabescentes.* Adnotandum autem in Latina Theodori tralatione varietatem esse statim ad prima illa verba, quæ maioris propositionis subiectum continent: *An quòd omnino ita continentes sunt.* Alij enim legunt: *incontinentes:* alij adhuc emendant: *in nocte polluuntur*; & ita legendum est: iis enim redditur Græcum ὀξονειρωκτικοὶ, quod illud valet. Illi igitur maximè in somnis pollui solent, inquit Aristoteles, qui sunt calidi, & humidi: Dixit autem & sectione quarta problemate v. corpus, quod concubiturum est, calidum intus, atque humidum esse debere: sed & illud probat hoc loco Aristoteles: nam semen tale est: habuimus, id tum superiùs, tum constat ex libro secundo de generatione animalium capite secundo. Ratione igitur similitudinis, simile enim à simili facilè prouenit, cùm à calido, & humido habitu promptè effluat genitura, exiguo ad eum effectum, & leui momento indigebunt huiusmodi corpora: vnde non ex tactu extrinsecus, vt adueniat pollutio, necesse erit, sed vel accessio caloris ex somno intrinsecus facta, commodè ad eam sufficiet: in somnis autem intus augeri caliditatem, iam & sectionis quartæ problemate quinto, & alibi vidimus. Tum probat minorem propositionem Aristoteles: & quoniam illa duas partes habet, phthisicos, quos Theodorus vertit, *tabescentes* & *delassatos*, vtrámque seorsim probat. Delassati enim, ratione motus, & laboris qui colliquationem mouent, sicuti antea vidimus, tali habitu redduntur; sunt enim colliquamenta calida, atque etiam humida; phthisici etiam similiter calidi, & humidi sunt: humidi ob humorem distillantem in pectus, & in pulmonem, calidi ob calorem, qui mouetur ex accensione eiusdē humoris, qui motu incalescit: quod Theodorus dicit, *ob calorem, quem inflammatio mouet*, ratione cuius etiam fit, vt fabriculæ assiduè laborent. Superiùs sectione quarta problemate I x. cùm de eadem seminis profusione in morientibus, atque iis, qui timore percelluntur, inquireret Aristoteles, eiusdem caussam similiter ad caloris incrementum interiùs retulit. Nos autem ad finem commentarij, retentricis etiam facultatis imbecillitatem proposuimus, quod & hîc facere licet, præsertim, quod ad phthisicos attinet, maximè iam morti proximos: seminis acrimoniam si addamus, non discedemus ab Aristotelicis fundamentis, hæc enim etiam ab incremento caloris est. Apud Theophrastum, quod pertinet ad defatigatos habemus eandem de genitura sententiam, corruptè quidem, & imperfectè in Basilienſi editione, emendatè autem, & integrè in excerptis Hen. Stephani, apud quem ita legimus. ὅτι ὀξονειρωκτικοὶ οἱ κοπιῶντες, διότι θερμὰ, καὶ κάθυγρα τὰ σώματα γίνεται, διὰ τὴν σῴτησιν, ἡ δὲ τοιαύτη διάθεσις σπερματική, hoc est: *Qui fatigati sunt, in somnis genitura pollui solent, eò quòd corpora calida, & humida fiunt ob colliquationem: talis autem habitus seu affectio seminifera est.* His autem in editione Basilienſi alia, subiicitur ratio per hæc verba: κατάκεινται δὲ ὕπτιοι διὰ τὴν ἔκλυσιν· ἐν τούτῳ δὲ τῷ σχήματι μάλιστ' ἄνισον, pro ζήματι enim quod corruptè legitur, σχήματι legendum, hoc est: *accubant autem supini ob virium dissolutionem, in hac autem figura aut situ maximè inæqualitas est, adiuuátque illa simul genituræ fluxum.*

XXXII.

Διὰ τί τὸ δεξιὸν σκέλος χαλεπώτερον τρίβεσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ πολλῷ χρόνον, ἢ τὸ δεξιόν; ἢ ὅτι τοῖς δεξιοῖς πονεῖν δυνάμεθα; ἐν τοῖς δὲ παρὰ φύσιν ἢ τῷ δεξιρᾷ σκέλει τρίψις ἐξεταμμένως γίνεται· τὰ δὲ παρὰ φύσιν ἀνόμοια, χαλεπά· τῇ δὲ δεξιρᾷ τὰ δεξιὰ ἄθην ὅτι δῆλον, διὰ τὸ μηδετέρως ἰσχύειν.

Quam ob caussam crus suum sinistrum diutius perfricare, cuíque difficilius est quàm dextrum? An quòd parte dextra laborare valemus: rebus autem præter naturam proficiscentibus, annumeranda cruris sinistri frictio

eſt. Fit enim dextra tranſuerſa in partem obiectam : quæ autem præter naturam fiunt, hæc factu ſunt difficilia : ſiniſtra verò manu partem perfricando dextram, nil tale percipimus: quoniam hæc neutram in partem apta, potènſque eſt.

Comparat, quod ad frictionem pertinet crus ſtniſtrum dextro, atque inquirit, ſi diutius frictio duret: quare in ſiniſtri frictione maior difficultas,& labor contingat,quàm in dextri. Difficilè tamen eſt videre, quomodo frictionem hanc accipiat : vtrum crus immotum fricari ab alio, an ab eodem quod moueatur fricari aliud intelligat, quod affricari dicimus: tum ſi immotum fricetur ab alio, quæ ſit pars fricans,vtrum manus, an crus; vtrum dextra, an ſiniſtra : ſi autem idem crus, quod moueatur, affricetur alij rei, iam erit aut externa, lapis puta, aut lignum : aut ex eodem corpore, vt manus itidem,aut alterum crus ? His enim modis omnibus videatur poſſe intelligi, quod proponitur. Si Theodori tralationem attendimus ad illa verba : *fit enim dextra tranſuerſa in partem obiectam*, videtur ſatis manifeſtè oſtendi, fricari manu dextra crus ſiniſtrum, eóque in motu & frictione affirmari maiorem laborem contingere, quàm ſi crus dextrum fricetur : ſenſus autem hic expeditus non eſt : à quo enim dextrum crus fricari intelligitur, vt ſiniſtri frictioni comparetur ; ſeu vt labores vtríque comparentur ad inuicem ? Adhuc autem, quod magis refert, non id ſonant illa verba, quod Latinè proponit Theodorus, licentioſiùs enim illa conuertit, cùm alium ſenſum recipiant ; & quem illis tribuit Theodorus, cum ab Ariſtotele reddita ratio non admittit, ſicuti oſtendemus. Primùm autem neceſſarium puto, fideliter, & penè ad verbum problema proponere, tum quæ occurrunt ſubiicere,ita igitur reddo: *Quam ob rem ſiniſtrum crus difficiliùs à ſe ipſo diutius perfricari poteſt, quàm dextrum ? An quoniam dextris laborare poſſumus ? Rerum autem præter naturalium eſt ſiniſtri cruris frictio inuerſo ordine facta, quæ autem præter naturam fiunt, difficilia ſunt : à ſiniſtra autem ad ea, quæ dextra ſunt, nihil tale apparet, quoniam neutram in partem valet.* Enimuero illa, ἐφ' ὡτοῦ, Theodorus reddit, *ſuum*, quid autem vetet, ſicuti antiquus interpres, *à ſe ipſo*, vti etiam nos fecimus ? vt poſſint referri non ſolum ad illum, cuius eſt crus, ſed ad crus ipſum, hoc ſenſu : quam ob rem difficiliùs eſt vt crus ſiniſtrum à ſe ipſo fricetur, nimirum alicui alij membro, aut etiam rei externæ affrictum, quàm dextrum ? Hic ſanè ſenſus, qui à Græcis verbis recipitur, vix à Latina Theodori huius partis tralatione recipiatur : nullo autem modo recipiatur ab illis, quæ mox habet idem Theodorus, dum quæſtionem explicat, paullò ante à nobis propoſita, *fit enim dextra tranſuerſa in partem obiectam.* At hæc nos aliter conuertimus,eo autem modo ſenſum,quem diximus recipi haud negant. Et verò huiuſmodi ſenſus omnium maximè fortaſſe locum habeat : ita enim ſumpta frictio magis laborioſa eſt:quippe ita ſiniſtrum crus mouetur, & laborat : omnino enim ratione laboris ſoluit quæſtionem Ariſtoteles : atque ait, nos parte dextra laborare poſſe, non ita ſiniſtra : quippe dextra magis valida, & robuſta ad agendum à natura eſt effecta : ſiniſtræ autem partes omnes imbecilliores ſunt, ſicuti habemus apud eundem Ariſtotelem variis in locis, primo de hiſtoria capite xv. tertio de partibus capite ix. quarto eorundem capite viii.& libro de inceſſu animalium capite quarto,vbi eadem ratione, dextrum mouere,ſiniſtrum autem moueri dicit, natum eſſe : atque etiam in hiſce problematis non ſemel : ſicuti etiam apud alios auctores. Plato tamen libro vii.de legibus, à natura ita rem eſſe in omnibus corporis partibus haud concedere videtur.Idémque Ariſtoteles ſectione xxxi.problemate xii.& xiii.per exercitationem, vſum,atque conſuetudinem dextras tales eſſe affirmat. Verùm conſuetudo natura quædam dicitur. Igitur cùm ſiniſtra pars laborat, nimirum in agendo ; nam ad patiendum eſt magis apta,minúſque ea in re laborat, quàm dextra, vt patet ex nonnullis eorum locorum, quos adduximus : ſed cùm laborat in agendo res quædam fit præter naturam: laborat autem dum affricatur: atqui res præter naturam,difficiles,moleſtæ,& laborioſæ ſunt: illa igitur frictio difficilis, & moleſta erit. Non ita in dextro crure contingit, quod poſſit diutius affricari abſque eodem labore,& moleſtia. Quod igitur, ait Ariſtoteles, ἐξεσταμμένως, & nos interpretati ſumus, *inuerſo ordine*, Theodorus autem pluribus verbis, *dextra tranſuerſa in rem obiectam*, illo putamus idem ſignificari, ſeu explanari illud quod dixit παρὰ φύσιν, *præter naturam.* Hunc autem ſenſum non recipit Theodori tralatio, quæ manum dextram facit laborantem ; etſi dextræ nulla in Ariſtotelis verbis mentio ſit. At verò quomodo Ariſtotelis ratio ita quidem valeat, ego aſſequi non poſſum ; nec tamen iis, vel mediocriter acquieſco,quæ à me propoſita ſunt ; video enim rationem allatam eſſe admodum generalem, & longinquam, nec minùs cruri ſiniſtro quàm brachio, aut alij cuilibet

ſiniſtræ parti conuenire. Quid igitur de crure ſiniſtro ſolummodo proponitur, non verò generatim de omni ſiniſtra parte illud idem quæritur? ſubit quidem non ſemel aliàs hoc eodem in libro huiuſmodi rationes fuiſſe adductas: id verò difficultatem haud tollit, aut ſcrupulum de animo euellit: ſed & illa non minùs torquent, quæ ſubdit Ariſtoteles, τῇ δ' ἀριστερᾷ τὰ δεξιὰ οὐθὲν φαίνεται. *Siniſtra verò manu partem perfricando dextram nil tale percipimus.* Si enim hæc ita vertenda ſunt, quemadmodum Theodorus facit, & verba non ſunt abſona; videatur penè confirmari ſenſus de frictione ſiniſtri cruris à manu dextra, quem ſupra expreſſit Theodorus; nos autem reiecimus, nam & particula, ἢ, aduerſarium quidpiam priori ſententiæ videtur innuere, & verba ipſa illud videntur ſignificare, quæ ita ſonant: *A ſiniſtra autem manu in dextras partes nihil manifeſtum eſt:* tamquam à dextra in ſiniſtras fuerit illud antea manifeſtum. Verùm ratio, quæ ſubiicitur non videtur eundem ſenſum adiuuare: & obſcuriſſima illa eſt: quid enim, *neutram in partem valere ſiniſtram*, ad probationem facit? aut verò quid eſt, *neutram in partem?* an fortaſſe, nec ad fricandas dextras, nec ſiniſtras, quippe ob naturalem impotentiam ad vtrúmque ineptam? quomodo autem iam à ſiniſtra in dextras partes nihil tale appareat? Si enim æquè impotens ad vtrúmque, iam in frictione, ſeu ex ſiniſtra in dextrã, ſeu etiam ex dextra in ſiniſtram appareat; cùm dextra talis non ſit; Aponenſis locum exponit de ambidextris; fieri aliquando dicens, vt hoc ſiniſtræ à dextra diſcrimen non appareat: quippe æquè facilè frictionem vtrinque contingere: quibus & alia etiam pro explicatione rationis ab Ariſtotele propoſitæ adiicit, omnino huic loco abſona: neque enim Ariſtoteles habet, *aliquando*, ſed abſolutè loquitur: quamquam autem illud aduerbium non habeat antiqua tralatio, qua vſus eſt antiquus interpres: ſunt tamen cætera, quæ rationem continent verba, ita reddita, vt Græcarum litterarum ignarum diuinâſſe omnino opus fuerit: at diuinantem talia proferre nihil mirum. Adhuc autem vt mihi dubitaſſe facilè fuit, ita certi aliquid, aut non omnino ambigui afferre, mihi quidem non licet: nec alium ſenſum diu cogitans his verbis reperire potui: ſcripturam autem variare abſque codicum auxilio, niſi admodum facilè fiat, nimis audax, atque temerarium exiſtimo.

XXXIII.

Διὰ τί κοπώδεις οἱ βραχεῖς τῶν περιπάτων; ἢ ὅτι πολλάκις στρέφει, καὶ οὐχ ὁμαλῶς κινοῦσι περὶ τὰς κάμπας; τοῦτο γὰρ κοπῶδες.

Cur breues deambulationes laboriosiores ſunt? An quòd crebrò ſubſiſtimus, neque æquabili inceſſu mouemur, cùm flectimus, quod certè laboriosum eſt.

Hoc problema idem eſt duodecimo, ſuperiùs hac eadem ſectione ab Ariſtotele propoſito: quo loco etiam fuit ab eodem vberiùs explicatum. Nos autem illud in præſentia iterauimus ſequuti exemplaria omnia tum Græca, tum Latina; & quòd verba nonnulla, cùm eadem non omnino eſſent, ſicuti adnotaſſe me puto ad problema XII. licèt eædem eſſent rationes; erant illa apponenda, vt eo varietatis fructú minimè lector fraudaretur.

XXXIV.

Διὰ τί ἑστηκότες ἐν τῷ ἡλίῳ μᾶλλον θερμαίνομεν, ἢ κινούμενοι; καὶ ταῦτα δὲ κινήσεως θερμαντικῆς ἔσης; ἢ οὐ πᾶσα κίνησις θερμαίνει, ἀλλ' ἐνία ψύχει; οἷον καὶ ὅλη τὰς χύτρας τὰς ἐψημένας φυσῶντων καὶ κινούντων συμβαίνει· εἰ οὖν ἑστηκὸς μᾶλλον θερμοῦσι τὸ θερμόν, περιπατοῦν ἂν μᾶλλον θερμαίνει ἢ κινούμενον· (ἀεὶ γὰρ τὸ σῶμα ἡμῶν, ἴδιον ἀτμίδα τινὰ χλιαρὰν ἀφίησιν ἀφ' ἑαυτοῦ, ἡ θερμαίνει τὸν ἐγγὺς ἀέρα, ὥσπερ δαλὸς παρὸν) ἠρεμούντων μᾶλλον ἡμῶν, θερμὸς γίνεται ὁ περιέχων ἡμᾶς ἀήρ, διὰ τὰ εἰρημένα· κινουμένων δέ, πνεῦμα γίνεται ὃ καταψύχει ἡμᾶς πᾶν γὰρ πνεῦμα ψυχρόν ἐστιν.

Cur in Sole cùm ſtamus, ampliùs recaleſcimus, quàm cùm mouemur, cùm tamen motus omnis vim calefactoriam habeat? An non omne mouendi genus calfacit, ſed eſt etiam quod refrigeret, quod etiam in ollis feruentibus patet, quoties eas afflamus, aut verſamus. An quia cùm ſtamus calor permanet: is autem cùm permanet, ampliùs calfacit, quàm cùm mouetur.

Corpus etenim noſtrum vaporem de ſe quendam mittit aſſiduè tepidum, qui proximum aërem tepefacit, quemadmodum titio. Cùm igitur quieſcimus aër nos circumfundens, calidus ob prædictam cauſam redditur. At cùm mouemur, flatus excitatur, qui refrigerare nos poteſt, flatus enim quiſque frigidus eſt.

Ex motu igni calorem non ſemel vidimus ſuperiùs in hiſce problematis, eaque de re vberrimè Philoſophi ad lib. 11. Ariſt. de cœlo: vbi docebat Philoſophus, motu natum eſſe ignire ligna, lapides, & ferrum, atque confirmabat exemplo plumbearum ſagittarum, quę ex motu adeò incaleſcunt, vt liquefiant: quam rem elegantiſſimè vt alia, expreſſit etiam Lucretius lib. vi. per hæc carmina:

----- Omnia motu
Percalefacta vides ardeſcere: plumbea verò
Glans etiam longo curſu voluenda liqueſcit.

Et paullò poſt eodem libro.

Non alia longè ratione ac plumbea ſæpe
Feruida fit glans in curſu, cùm multa rigoris
Corpora dimittens, ignem concepit in auris.

Cùm igitur motus hæc ſit natura, caloremque gignere ſoleat, iure quærit in præſentia Ariſtoteles, cur, ſi expoſiti radiis Solis ſtemus, id eſt quieſcamus immoti, maiorem percipiamus calorem, quàm ſi ambulemus. Nam cùm ambulantibus duplex adſit caloris cauſſa; ex motu, & ex Sole, iure maiorem fieri debere calefactionem videretur: Atqui res contra ſe habet. Soluit quæſitum infirmando quod aſſumptum erat, motum calefacere: id enim vſquequáque verum non eſſe oſtendit: ſed eum potiùs refrigerare aliquando, vt conſtat illorum exemplo, qui in ollas calidis obſoniis plenas inſufflant, vt homo ille Æſopicus cum Satyro epulans, eaſdémque dimouent, vt obſoniis refrigeratio inducatur. Qua de re etiam apud eundem Ariſtotelem habemus problema ſeptimum ſection. xxxiii. & apud Alexandrum lxv. libr. 1. Porrò autem quæſtio hæc de motu, vtrum is ſemper calorem excitet, an non, hoc loco non eſt nobis longiùs examinanda: pluribus verbis alibi à doctiſſimis viris excuſſa: illud autem in præſentia ſufficiat; motum aliquando, vt exemplis allatis patet, & dicitur ab Ariſtotele, ſiuè id fiat per accidens, ſiuè alio nomine, frigus inducere aliquando. εἰ οὖν ἑστηκότι μὴ θερμαίνει. *An quia cùm ſtamus calor permanet.* Theodorum manifeſtum eſt legiſſe, non εἰ οὖν, *ſi igitur*, ſed ἢ ὅτι, *An quia*, & hinc alteram incipere rationem. At iuxta lectionem antiqui interpretis, & Græcorũ codicũ, qui excuſi ſunt, prima videatur abſolui. Poteſt autem vtráque lectio tolerari, vt vel duæ ſint rationes, altera communior, quæ iam propoſita eſt, altera proximior quæ nunc affertur, vel vna tantùm, cuius fundamentum modò eſt poſitum, cùm illud, quod erat aduerſum infirmatum eſt: Cætera autem hinc abſoluuntur. Cùm enim oſtenderit, verum non eſſe omnem motum ſemper calefacere, eſt enim re vera cùm refrigeret, oſtendit modò qua ratione in ambulante is effectus contingat, & quo modo ille idem beneficio motus refrigerationem accipiat. Ait igitur Ariſtoteles: dum aliquis in Sole quieſcit; calidus etiam aër, ſeu calor qui in aëre ineſt circa corpus quieſcentis, quieſcit & ipſe: dum autem mouetur, calidus etiam aër mouetur: quieſcens autem aër magis excalfacit, quàm dum mouetur: quam rem probat, modum oſtendens, quo quieſcens calor magis corpora excalfaciat, quàm ſi moueatur: nam corpora noſtra tepidum quendam ſemper vaporem per meatus, & foramina ex ſe emittunt, qui proximum aërem non ſecus ac titio quidam excalfacit dum igitur nos quieſcimus, ambiens etiam nos aër ſimul quieſcens, magis ſubinde à vapore illo, qui extra mittitur, excalfit; & nos ab eo aëre: ſi verò moueamur, mouetur & aër calidus, ventúſque in eo excitatur, qui nos refrigerat: vidimus enim ſuperiùs problemate xvii. inter currendum aërem motum, ventum fieri: quilibet autem flatus, aut ventus frigidus eſt: Hinc par eſt, quod ſuperiùs itidem problemate xiii. habuimus: aëra, qui ſe obiectat corpori, ſubinde eò frigidiorem eſſe, quò minus temporis corpus attigerit: ambulantibus autem quia ſubinde immutatur, minus temporis attingit, quàm quieſcentibus: Non igitur qui in Sole ambulant, ſed potiùs, qui manent, & quieſcunt, illi plures habent incaleſcendi cauſſas, & iure magis incaleſcunt. Porrò autem de eo, quod dictum eſt ab Ariſtotele omnem flatum, ſeu ventum frigidum eſſe, pluribus quæſtio hoc loco tractanda non eſt. Copiosè de eadem Ariſtoteles ſe-

ctione propria de ventis vigesima sexta, probl. L. & aliis: illud in præsentia satis sit, omnem ventum, si non natura, saltem eo modo refrigerare qui proximè indicatus est, nimirum abigendo aëra calidum, qui propè corpus existit, cui frigidior alter subinde succedit, sicuti etiam fuit dictum ad problema decimum tertium.

XXXV.

Διὰ τί οἱ ἐπὶ τῶν ἵππων ὀχούμενοι, ὅσῳ ἂν θᾶττον ᾖ ὁ ἵππος, τοσούτῳ μᾶλλον δακρύουσι τὰ ὄμματα· καὶ οἱ πεζοὶ ὅσῳ ἂν μᾶλλον τείνωσι; πότερον διὰ τὸ ψυχρὸν εἶναι τὸ προσπῖπτον ἀέρα; τὸ γὰρ ψῦχος δακρύειν ποιεῖ· συστέλλον γὰρ καὶ πυκνοῖ τὴν σάρκα, ἐκκαθαίρει τὸ ὑγρόν· ἢ διὰ τοὐναντίον; τὸ γὰρ θερμὸν ποιεῖ ἱδρῶτας· τὸ δὲ δάκρυον, ἱδρώς τίς ἐστι· διὸ καὶ γίνονται, ὑπὸ θερμασίας ἄμφω ταῦτα, καὶ ἁλυκά ἐστιν ὁμοίως· ἡ δὲ κίνησις θερμότητα ποιεῖ· ἢ διὰ τὴν ὑπὸ τοῦ ἀέρος πληγήν; ὡς γὰρ οἱ ἄνεμοι ταράττουσιν οἱ ἐξ ἐναντίας καὶ ὄμματα ἵστασι καὶ ὁ ἀὴρ ὁ προσπῖπτων, ὅσῳ ἂν θᾶττον ἐλαύνῃ ἢ αὐτὸς τρέχῃ, τοσούτῳ μᾶλλον ποιεῖ πληγὴν μαλακὴν, δι' ἣν γίνεται δακρύειν, ἀραιωμένων τῶν τοῦ ὀφθαλμοῦ πόρων ὑπὸ τῆς πληγῆς· πᾶσα γὰρ πληγὴ, διαιρετικόν ἐστιν ἢ θλαστικόν.

Quam ob caussam, qui equo currunt, quò contentiùs cursum arripit equus, eò magis lacrymas mittunt: & qui pedibus, eò magis, quò intenderint vehementiùs? Vtrum quoniam aër occursans frigidus est: frigus enim lacrymas mouet, quippe, quòd contrahendo, condensandóque carnem, humorem exprimat. An potiùs contra, calor enim sudorem elicit: lacryma autem sudor quidam est. Quapropter à concalfactione vtrúnque mouetur, & sudor & lacryma, salsáque pariter ambo sentiuntur: calorem autem efficere motus potest. An propter aëris ictum, quomodo enim flatus aduersi oculos perturbant, ita etiam aër, qui se obiectat. Quo igitur quis contentiùs equum agitat, aut ipse currit, eò magis ictu quodam molli obuerberat, & ferit: quo fit, vt se lacrymæ promant, scilicet meatibus oculorum relaxatis appulsu eiusmodi. Omnis etenim ictus, vim, aut secandi habet, aut collidendi, & contundendi.

Iterat problema XIII. de iis, qui equo currentes, lacrymas emittunt, quibus tamen hoc loco adiicit currentes pedibus; quod eadem solutione continetur, eandem enim affert solutionem, pauculis quibusdam additis. *συστέλλον γὰρ καὶ πυκνοῖ. quippe quòd contrahendo.* Ostendit quod omiserat problemate XIII. quomodo frigidum lacrymas moueat, nimirum partibus densatis, & expressis. *ἢ διὰ τοὐναντίον. An potiùs contra* idem est cum eo, quod dicebatur problemate XIII. sed alio modo deducitur probatio, assumpto sudore, de quo illic nulla mentio. *πᾶσα γὰρ πληγὴ, διαιρετικόν ἐστιν ἢ θλαστικόν. Omnis etenim ictus vim, aut secandi, habet, aut collidendi, & contundendi.* Ad hæc vide quæ diximus ad problema XIII. vbi locum fideliùs, quàm Theodorus fecerit, puto me transtulisse.

XXXVI.

Διὰ τί οἱ θέοντες εὐτόνως, μάλιστα σπάσμασίν εἰσιν, ὅταν τις θέσιν αὐτοῖς ὑποσῇ; ἢ ὅτι ταῦτα μάλιστα διαστάται, ἃ εἰς τοὐναντίον τε καὶ ἰσχυρῶς ἔλκει καὶ κινεῖται; ὅταν δὲ θέοντι καὶ σφοδρῶς ὠθισθῶσιν ἢ μείωσιν εἰς τὸ πρόσθεν ὑποσκῇ τις, συμβαίνει ἅμα ἀνισπᾶν εἰς τοὐναντίον, ἐπὶ φερομένων εἰς τὰ πρόσθεν· ὥστε ἡ ἀπόσις ῥᾴστῳ ἰσχυρότερα γίνεται, ὅσῳ ἂν θέωσι σφοδρότερον.

Quam ob rem, qui cursum concitatè agunt, conuulsis maximè corripiantur, vbi quis inter currendum eis substiterit? An quòd ea potissimùm diuelluntur, quæ in partem contrariam vehementer trahimus, atque mouemus. Cùm igitur homini currenti vehementérque membra vltra propellenti, quis obuiam factus obstiterit, accidit, vt in partem retorqueantur contrariam, quæ adhuc ante pertendunt, atque proripiunt. Itaque diuulsio eò vehementior incidit, quò cursus contentiùs agitur.

De affectione inquirit, quæ Græcè spasma dicitur, cur ea corripiantur, quibus inter

currendum aliquis obuiam factus reſtiterit: ſpaſma autem Theodorus reddit, *conuulſum*, quod facit etiam Ruellius apud Dioſcoridem. Plinius vertit, *conuulſionem*. Fit autem ſpaſma auctore Paullo Ægineta libro quarto capite xxxi. διαστομένων τινῶν ἰνῶν, id eſt, *fibris nonnullis, aut filamentis diſtractis, aut diuulſis*, quod iis contingit, qui concitatè admodum currunt, ſi quiſpiam illis obuius factus, in medio curſu repentè obſtiterit: diſrumpuntur enim eis partium quarundam, vt pectoris, aut dorſi, aut alius partis, in quam motionis vehemens impetus magis inciderit, fibræ, aut filamenta; cuius rei cauſſam reddit Ariſtoteles. Illa, inquit, maximè diuelluntur, aut diſrumpuntur, quæ in partes contrarias eodem tempore cum vehementi motu trahuntur; illo enim vehementi motu abſcinditur, & diſſoluitur vnitas, & continuitas, non ſecus ac ſi funiculum alter ex vna, alter ex altera parte per vim traheret: & hæc eſt maior ſyllogiſmi propoſitio: cui minorem ſubdit: huiuſcemodi motus contingit in caſu propoſito; ſi homini velociſſimè currenti quiſpiam obuiam factus reſiſtat: nam cùm partes, ſeu membra currentis maximo impetu moueantur versùs loca anteriora, illo eodem tempore ob repentinum reſiſtentis occurſum, diſtrahuntur ſimul ad contraria loca, nempe ad ea, quæ retro ſunt: nam cùm ferrentur ad anteriora, adeò concitatè repentè ſiſti, dum in valido motu ſunt, eſt diſtrahi ad contraria: ob validos igitur motus contrarios ruptio fit, ſeu conuulſio: eò autem maior eſt diſtractio, quò velocior eſt currendi impetus: ex impetu enim diſtractio fit.

XXXVII.

Διὰ τί δεῖ τὰς μὲ θερινὰς κόπους λυτρᾶσθαι ἐλαίῳ, τὰς δὲ χειμερινὰς ἀλείμμασι; ἢ τέτοις μὲ διὰ τὰς φύσεις, ἃς τὰς γινομένας μεταβολὰς θερμῷ δεῖ λύειν, ὃ ποιησαι ἀλεαίνειν· τὸ δ' ἔλαιον θερμόν) ἐν ᾧ τῷ θέρει καθυγραίνειν· ἡ γὰρ ὥρα ξηρὰ, καὶ ἐ γίνονται φύσεις διὰ τ ἀλέαν· ὀλιγοσιτία δὲ καὶ κωθωνισμὸς θέρους· τὸ μὲ ὅλως· τὸ δὲ μᾶλλον· ὁ μὲ πότος, θέρους ὅλως, διὰ τ ξηρότητα· ἡ δὲ ὀλιγοσιτία, κοινὸν μὲ, μᾶλλον δὲ θέρους· ἐκθερμαίνεται γὰρ μᾶλλον διὰ τ ὥραν ὑπὸ τ σιτίων.

Cur æſtiuis laſſitudinibus balneo, hybernis vnctione mederi conueniat? An hybernis vnctio datur propter horrores, mutationéſque vrgentes: per calorem enim laxandum eſt, qui membra tepeſcere faciat: oleum verò calidum eſt. At in æſtate humefaciendum cenſetur, quoniam tempus id ſiccum eſt, nec metus interpellit horroris, eò quòd ſtatus temporis ad teporem ingenuè vergit: hinc etiam cibus parcus, potio liberalis per æſtatem admittitur, ille magis, hæc omnino: potioni námque per æſtatem ob temporum ſiccitatem indulgendum ex toto eſt: parſimonia verò cibi communis temporum omnium eſt, ſed magis æſtati conuenit, ne ob habitum temporis feruentem, corpus cibo immodico preſſum exæſtuet.

Hoc problema habuimus etiam ſuperiùs ſectione prima quadrageſimum: ibique à nobis fuit copiosè expoſitum: hoc loco illud iterauimus ob duo. Primùm vt de eadem re adſcriberem Theophraſti verba, quæ ſectione prima fuerant omiſſa, quod faciam mox; tum vt admonerem lectorem, cùm in Græcis omnibus excuſis codicibus hoc problema repetatur, non repeti in Latinis omnibus Theodori tralationem. Quippe ſicuti exiſtimo, non habuit illud hoc loco exemplar, quo Theodorus dum in Latinum conuerteret, vtebatur: ſed in nonnullos codices ex prima ſectione ab iis, qui typis poſtea hæc problemata excuſerunt, illud tranſlatum eſt. Theodorus igitur in Latinum conuertit quadrageſimum primæ ſectionis, quod manifeſtè apparet ab exigua varietate ad illa verba: ἐν δὲ γίνονται φύσεις διὰ τ ἀλέαν, quæ quadrageſimo primæ ſectionis leguntur, hunc in modum: Ἐν δὲ φοβεραὶ φύσεις διὰ τ εἰς ἀλέαν ἔκκλισιν: perſpicuè enim hæc ſunt quæ conuertit in Latinum Theodorus, non autem quæ leguntur hac ſectione quinta: atque ideo factum eſt, vt in nonnullis editionibus hoc loco illud minimè repeteretur, ſicuti in ea, quæ habet Aponenſis commentarius, licèt antiqui interpretis tralationem eadem contineat; & in nonnullis aliis. Illud autem omnium maximè animaduertendum eſt, (quod miror à nemine eorum, qui Græcè problema hoc loco iterauerunt, fuiſſe obſeruatum) inſigne mendum in Græco contextu ad illa verba, θερμῷ δὲ δεῖ λύειν, ſeu, λύειν. Quis enim modò ſenſum aduertens non illico videat negatiuam particulam δὲ, delendam eſſe, quæ ſectione prima non habetur &

ſenſum.

ſenſum omnino contrarium reddit. λέειν autem, vel λύειν legamus, non multùm puto interesse. Theodorus ſanè videtur legisse λύειν, λέειν tamen habet Basilienſis editio. Iam verò Theophrasti verba adscribo, quæ ita leguntur: κελεύουσι δή τινες τὰς μὲν χειμερινὰς ἀλύμματι, τὰς δὲ θερινὰς λιτρῷ θεραπεύειν τὰς μὲν διὰ τὰς μεταβολὰς καὶ φρίκας, τὰς δὲ διὰ τὴν ξηρότητα τοῦ ὥρας καθυγραίνειν· διὸ καὶ τοῖς ποτοῖς δὲ θέρους μᾶλλον, ἡ δὲ ὀλιγοσιτία, κοινὸν μέν, οἰκειοτέρου δὲ τῷ θέρει. διὰ γὰρ τὴν ὥραν ὑπὸ τοῦ σιτίων θερμαίνει). hoc est: *Præcipiunt autem nonnulli hyemales quidem* [labores] *vnctione, æstiuos autem balneo curari. Illos quidem ob mutationes, & horrores: hos autem propter siccitatem temporis humectari: quare & potibus per æstatem magis* [vtendum est] *cibi autem parcitas, commune quidem* [vtrique.] *Sed æstati magis propria: temporis enim ratione à cibis* [corpora] *incalescunt.*

XXXVIII.

Διὰ τί τὰ φορτικὰ τῶν περιπάτων οἱ καὶ τὰς ὁδὰς ἀκοπώτεροί εἰσιν, οἱ ἀνώμαλοι τῶν λείων; ἢ διὰ τὸ τὴν φορὰν ὀρθὴν εἶναι καὶ φύσιν παντὶ τῷ σώματι; οἱ μὲν ἐν τοῖς ὁμαλοῖς, τὰ ἀνωμάλου κοπωδέστεροι· τοῖς γὰρ αὐτοῖς μέρεσι τὰς πόνους παρέχουσιν· οἱ δὲ ἐν τοῖς ἀνωμάλοις, διαμερίζουσι μᾶλλον εἰς ἅπαν τὸ σῶμα· αἱ δὲ ἀλέαι μᾶλλον ἰσχναίνουσι τὰ ἐν τοῖς ψύχεσι. τοῖς γὰρ ἔξω μέρεσι, πλείονα τὸν πόνον παρέχον)· διὸ καὶ τὰς ἰδρῶτας ἐμποιοῦντες, ἰσχναίνουσιν· οἱ δὲ ἐν τοῖς ψύχεσι σκληροτέραν τὴν σάρκα ποιοῦσι, καὶ τὰ σιτίων ὀλιγοδυμπεπτικωτέρους· τοῖς γὰρ ἔσω μέρεσι μὴ αὔξησιν τὴν θερμὴν ποιοῦνται· καὶ δυσκινήτων γινομένων ὑπὸ τῶν ψύχους, τὴν μὴ ἔσω τόπον καθαίρουσι, τὴν θερμασίαν αὐξανόντες ἐν αὐτῷ· τὴν δὲ σάρκα, στερεὰν ποιοῦσιν, ὑπὸ διωλάμψου· κρατεῖν διὰ πάσης αὐτῆς· ὁμοίως οἱ ἀνάντης τῶν κατάντων ὀλιγονώτεροι, καὶ ἰσχναντικώτεροι· οἱ μὲν γὰρ ἀνάντης, τὴν ὀσφὺν μάλιστα ποιοῦσι πονεῖν· οἱ δὲ κατάντες, τὰς μηρὰς· τοῖς γὰρ μηροῖς, τὸ βάρος πᾶν ἐμπίπτον, κάτω ἐιωθε παρέχειν· ἄνω γὰρ διὰ φύσιν ὑπὸ τῆς θερμῆς βίας φερομένου, ἐκθερμαίνει· διὸ τὰς τε ἰδρῶτας ἐμποιοῦσι· καὶ τὸ πνεῦμα μετεωρίζοντες, ἰσχναίνουσι, καὶ τὴν ὀσφὺν ὀδυνῶσι· τὸ γὰρ σκελη χαλεπῶς ἀναχόμενα τὴν ὀσφὺν κάμπτουσί τε καὶ ἀναστρέφουσιν· ὑφ' ὧν ἀναγκάζονται πονεῖν μάλιστα· οἱ δὲ ἐν ἀντίτυποις περιπάτοι, τοῖς τε μυσὶ καὶ τοῖς τεταμένοις τῶν σκελῶν παρέχουσι κόπους· σωτάσεις γὰρ ἐμποιοῦσι τοῖς νεύροις καὶ τοῖς μυσὶ, βιαίας γιγνομένης τῆς ἀπερείσεως αὐτοῖς· οἱ δὲ ἐν τοῖς μαλακοῖς, τοῖς ἄρθροις κοπώδεις εἰσί. τὰ γὰρ ἄρθρων πυκνὰς τὰς κάμψεις ποιοῦσιν. ἅτε ἐνδιδόσης τῆς βάσεως· τὸ δὲ αὐτὸ ἔστι πρόβλημα.

Cur ambulationes minùs laborioſæ ſunt, quæ inæquales, quàm quæ rectæ aguntur? An quòd elatio erecta ſecundùm naturam corporis vniuerſi eſt. Ideo ambulationes, quas loca æquabilia præſtant, laborioſiores, quàm inæquabiles ſunt, quòd in eaſdem partes laborem admouent, quod inæquales illæ non faciunt: diſpertiunt enim magis in omnes corporis partes. Calidis verò temporibus actæ ambulationes plùs valent, quàm frigidis, quippe quæ partibus externis laboris plus adferant, & quidem ſudorem ob eam rem euocando extenuent. Frigidis contra carnem reddunt conſtantiorem, & ſtomachum excitant, ciborúmque faciunt auidiorem. Partibus enim internis calorem augent, membríſque ad frigoris appulſum torpentibus locum intimum calore amplificato efficaciùs purgant. Carnem verò ſolidiorem efficiunt, vt quæ per eam vniuerſam nequeant ſuperare. Accliues etiam ambulationes laborioſiores ſunt, quàm decliues, vt femora. Pondus enim totum femoribus incumbens grauiſſimè premit: quod item, cùm præter naturam ſurſum efferri à calore cogatur, maiorem in modum calefacit. Itaque efficitur, vt arduum ambulandi genus ſudores moueat, ſpiritum ſuſpendendo extenuet, lumbis dolorem infligat: crura enim magna cum difficultate ſe in ſublime recipiunt, lumbos inflectunt, frangunt, euellunt: quibus de cauſſis labor præcipuus ſequatur, neceſſe eſt. Locis autem duris, ac renitentibus habitæ ambulationes muſculos, & neruos crurium effatigant, quippe quæ contentiones tam neruis, quàm muſculis moueant, cùm enixu agantur violento. Mollibus verò, & cedentibus locis facta ambulatione, articuli potiſſimùm ſentiunt. Flexus enim articulorum percrebreſcit, cùm ſolùm ſuccumbat, dilabatur, & cedat. Eadem autem quæſtio eſt.

Hoc problema centonem potiùs quendam esse existimo ex variis problematis ab aliquo conflatum,quàm vnũ per se ab Aristotele propositum.Quispiã nimirũ diuersa quæ de ambulatione variis locis erant dicta, vnum in locum sibi ad memoriam congessit,quod postea vnà cum aliis problematis nobis alij proposuerunt. Sunt autem in problemate quattuor ambulationum genera, aut differentiæ, inter se admodum diuersæ, de quibus quæritur in præsentia; æquales, & rectæ, seu æquales, & inæquales, calidæ, & frigidæ,accliues, & decliues, duris locis, & mollibus. Rediculum autem est, quòd Aponensis ad ambulationis genus illud quod primo loco propositum est, omnia, quæcumque mox afferuntur conatur reducere,tanquam de illa princeps institutus esset sermo,cętera autem omnia veluti exempla, aut similitudines ad primum declarandum essent allata: cùm appareat, res esse omnino dissimiles, nec alteras alteris conuenire,singulas igitur illas aut differentias, aut genera ambulationum persequitur Aristototeles: & primùm de inæqualibus, & rectis quærit, cur inæquales minùs laborioſæ sint, quàm rectæ: hac autem de re iam nimiùm multa à me dicta esse puto, tum ad problema primum, tum etiam ad decimum, neque hoc loco noui quicquam ad hanc rem afferri video, præter obscuritatem ad illa verba: *An quòd elatio erecta secundùm naturam corporis vniuersi est:* nam absque illis sit ratio perfecta,atque eadem quam non semel antea habuimus de corporis situ, atque habitu qui iis æqualibus semper idem est, nec vnquam immutatur: cùm inæqualibus immutetur; quod enim alterum ex terminis variet Aristoteles, & cùm inquisierit de ambulationibus inæqualibus, & rectis, mox rationem concludat de æqualibus, & inæqualibus, referat nihil: rectas enim pro æqualibus sumi nihil vetat, sunt enim nimirum eodem viæ habitu peractæ, seu per plana, seu per accliuia, seu per decliuia continenter, in qua ambulatione habitus, aut situs corporis partium haud immutatur: non autem modò ascendendo,& modò descendendo,atque etiam modò per plana, in qua ambulatione mutatio illa contingit, sicuti vberiùs ostenditur ad problema decimum. Puto tamen per illa: *an quòd elatio erecta secundùm naturam corporis vniuersi est*: fundamentum quoddam significari, ex quo ratio meliùs deducatur, in hunc modum: Quia corpus nostrum naturâ sua rectum ferri debet, ita enim hominis conditio fert, sequitur in viis inæqualibus laborem diuidi, nec eisdem semper partibus admoueri: ostensum enim est problemate XIX. & XXIV. vt corpus rectum permaneat, & feratur, ascendendo magis laborare genua, descendendo autem magis femora, ob rationem ibi allatam: in viis autem, & ambulationibus æqualibus labor pro sustinendo corpore eóque recto ferendo, semper iisdem partibus incumbit. αἱ δ' ἀλέαι μᾶλλον ἰσχύσι τὰ ἐν τοῖς ψύχεσι. *Calidis verò temporibus actæ ambulationes plùs valent.* Alteram ambulationis differentiam tractat. Theodorus autem manifestè legit ἰσχύσι, qui vertit, *plùs valent*. quo modo etiam reponit Iustinianus. At interpres antiquus & vulgata exemplaria habent, ἰσχνέσι, hoc est *attenuant*, quod mihi quidem magis arridet, tum quia hic sensus iteratur mox cũ eodem verbo ἰσχνέσι, tum etiã quia non video ostẽdi magis valere ambulationes per calores,quàm per frigora; sed effectus ex vtrísque proponi. Admonendus autem est lector Græcarum litterarum ignarus, quod vertit Theodorus, *calidis verò temporibus actæ ambulationes* (quod enim Latini fermè omnes codices habent, *auctæ*, typographi erratum est) Græcè vnico verbo proponi, αἱ δ' ἀλέαι, hoc est *calores*, nimirum ambulationes, quæ cum calore sunt; seu ratione temporis, vt vertit Theodorus, seu etiam loci, magis attenuant, quàm actæ per frigora: quoniam actæ per calores inferunt maiorem laborem partibus corporis externis, & carnibus,quippe aër calidus illas vndequáque attingens, & dissoluens labefactat, & sudorem ideo prouocat, ex quo partium fit attenuatio. Frigus autem, seu ambulationes per frigora, densando carnem efficiunt solidiorem, & homines reddunt cibi appetentiores: quippe intus augent calorem cùm aliis partibus, tum ventriculo, qui facilè, & promptè cibos concoquens alios celeriter appetit;& cùm membra externa ob frigus,quo corripiuntur, torpida reddantur, víxque moueri possint: quippe calore, quem continebant,ad intima loca profecto, ex eóque illo amplificato qui ibidem erat, intima eadem loca ab excrementis omnibus repurgantur, vnde caro gignitur consistens atque solida ex bono nimirum sanguine, atque excrementis vacuo: nec possunt ambulationes illæ per frigora actæ, eandem carnem ex motu dissoluere, quippe vniuersè illi non potentes dominari, cùm frigoris ratione sint adstricti meatus: nec adeò vehementer motus per vniuersum valeat se insinuare. Porrò de ambulationibus, quæ fiunt ἐν ἀλέῃ, hoc est, *in calore*, aut *in tepore*, vt ibidem vertit interpres, agit Hippocrates libro tertio de diæta: quas esse vsurpandas ab æquinoctio autumnali ad hyemem ibidem scribit. ὁμοίως οἱ αἰώντες τὰ κατάντεον ὀπισθονώτεροι. *Accliues etiam ambulationes laborioſiores sunt.* Tractat tertium membrum: atque

compa

comparat ambulationes accliues decliuibus: hoc verò idem non eſt, atque comparare inæquales æqualibus, ſeu rectis. Inæquales enim duas ſaltim viæ differentias continent, cùm tum aſcendendo, tum deſcendendo fiant, atque etiamſi libet per plana; accliues autem vnam tantùm: nimirum per illas ſolùm aſcendimus: ſicuti etiam decliues per quas ſolummodo deſcendimus: in neutra verò ex ipſis illa mutatio euenit, quam propoſuit fieri in viis inæqualibus: ſed eodem partium corporis habitu, & ſitu, in vtráque ſemper iter conficitur. Has igitur ambulationes inuicem comparat abſolutè, ac vniuerſim, & quod ad totius corporis laborem pertinet: quod adhuc non fecit: problemate enim XIX. & XXIV. ſecundùm partem ratione genuum, & femorum ſolummodo comparationem propoſuit. Dicit igitur ambulationes accliues eſſe magis laborioſas decliuibus, atque magis extenuare: quippe faciunt accliues vt laborent lumbi, decliues vt femora, cùm femoribus in deſcendendo totum corpus incumbat, ſicuti pleniùs oſtenſum eſt probl. XIX. & XXIV. Non tamen hinc ſequi video, maiorem fieri in accliuibus, quàm in decliuibus laborem, niſi ſubiiciamus, maiorem eſſe, qui lumbis, quàm, qui femoribus admouetur labor: quod non ſubiicit Ariſtoteles. Sed & illud adhuc moleſtius, quòd ea, quæ deinceps proponit de corpore, *quod vi ſurſum à calore attollitur*, de ſudore excreto, & de ſpiritu ſublimi, illa videntur continuari ſuperioribus, ad oſtendendum laborem, qui euenit femoribus, & qui fit in decliuibus ambulationibus: atqui velimus, nolimus, referenda ſunt ad laborem lumborum, & qui euenit in accliuibus: ita enim poſtulat ſenſus, & apparet ex illis, τὼ ὀσφὺ κάμπτουσιν, *lumbos inflectunt*, quibus eadem vox ſuperiùs poſita iteratur: quod enim dicit etiam: *crura enim magna cum difficultate ſe in ſublime recipiunt*, non minùs de vna quàm de altera parte accipi poteſt; ſed æquè de lumbis, & ſpina, ac de femoribus. σκέλη enim, qua voce vtitur, etiam partem illam attingunt, ſicuti problemate XIX. oſtenſum eſt. Niſi dicamus hæc quæ ſequuntur omnia, ſiue pertineant ad femur, ſiue ad lumbos, aut etiam ad tibias, referri ad laborem, qui fit in accliuibus, qua in ambulatione omnes hæ partes laborant, non item in ea, quæ fit per decliuia: res tamen liquidò, & diſtinctè non exprimitur: & vereor, vt locus ſit bene ſanus. Qualiſcumque autem ſit; quoniam Theodorus conſueta ipſi aliquando libertate, ne dicam licentia, vſus, nimiùm in transferendo diſceſſit à verbis, in eorum gratiam, qui penitus Græca ignorant, vt & ipſis de vero ſenſu cogitandi exhibeatur facultas, faciendum mihi putaui, vt locum totum ad verbum tranſlatum proponerem hunc in modum: *Accliues enim lumbos maximè laborare faciunt: decliues autem femora: femoribus enim totum onus incumbens, laborem inferre conſueuit. Dum enim ſurſum vi à calore attollitur, excalfacit; quare & ſudores promouent, & ſpiritum ſuſpendendo extenuant, & lumbis laborem inferunt. Crura enim difficilè ſurſum lata lumbos inflectunt & diuellunt: qua ex re maximè laborare coguntur.* Porrò autem quid ſit πνεῦμα μεθέωρον, ſeu *ſpiritus ſuſpenſus*, & *ſublimis*, cuius meminit etiam Hippocrates libro ſecundo Epidemiorum ſectione ſecunda ad finem, habemus apud Galenum comment. primo in primum prorrheticorum XXIV. per hæc verba. *μεθέωρον verò ſiue ſublime vocauit, quoniam, qui ita reſpirant, ſublimes thoracis partes mouere videntur.* οἱ δὲ ἐν ὠτειτύποις τρίβατοι, *locis autem duris, ac renitentibus habitæ ambulationes.* Poſtremam ambulationis differentiam tractat à nobis propoſitam: Et primùm quod pertinet ad ambulationes per loca dura, & renitentia, quas ait laborem inferre neruis, & muſculis cruris, tum per mollia, quæ laborem inferunt articulis. Quod igitur ad primum attinet: cùm in omni ambulatione neceſſe ſit pedem niti, & firmari alicubi, in ea autem, quæ fit per loca dura, & minimè cedentia, nixus ille fiat per vim, quippe reſiſtente ſoli qualitate; quod non facilè & promptè veſtigium accipit, fit vt muſculi, & nerui cruris, quippe qui eo opere ob reſiſtentiam nimiùm tendantur, laborent, & moleſtiam percipiant, *contentiones* autem *moueant*, quod ait Theodorus, hoc eſt, *tenſionem inducant*. Iuſtinianus, pro βιαίας reponit βίας. In ambulationibus autem per loca mollia, vt ſi per arenam quiſpiam ambularet, articuli maximè laborant & læduntur; nam cùm è contrario nimiùm cedat ſolum, nec pedem firmare homo poſſit, articulos frequentiùs flecti neceſſe eſt: flectuntur enim crebriùs & huc illuc dimouentur, niſi habeant quo commodè niti poſſint: cedat igitur ſolum; ſed moderatè; quæ enim cedunt minùs quàm dura, & renitentia fatigant, vt ſcribitur problemate XI. non tamen nimiùm, vt hoc loco: verùm hac de re vberiùs habemus apud Theophraſtum; ſicuti ad problema XI. adnotauimus. τὸ δ' αὐτό ἐστι πρόβλημα. *eadem autem quæſtio eſt.* Hæc verba habuimus etiam ſuperiùs ſectione tertia ad finem problematis XXII. quo loco dixi vſurpata illa fuiſſe, ad ſignificandum eandem rem fuiſſe antea tractatam problemate tertio; méque exiſtimare non Ariſtotelis, ſed alicuius eſſe verba, qui cùm meminiſſet

idem fuisse antea propositum, quippe iteratum eo in exemplari, quo ille veteretur, adnotasset ad oram libri, ex quo describentes alij, in Aristotelis contextum traxerunt: quod itidem ad hunc locum dicendum puto. Quæcumque enim de ambulationibus hoc problemate collecta sunt, de iisdem pertractatum superiùs vidimus; præter quàm de calidis, & frigidis, de quibus fortasse locutus etiam erat: sed interierunt, quod multis aliis problematis accidisse scimus. Et verò etiam hæc fortasse referenda sunt ad problema quod deinceps sequitur, iisque significatur de eadem materia verba fieri subsequenti problemate, de qua proximè superiori pertractatum est: ac si diceret qui illa scripsit, eadem autem quæstio est, quæ sequitur: *cur locis arduis difficiliùs ambulemus?*

XXXIX.

Διὰ τί ποτὲ τὰ σιμὰ χαλεπῶς βαδίζομεν; ἢ διότι πᾶσα πορεία ἐξ ἄρσεως καὶ θέσεως συμπλέκεται· τὸ μὲν οὖν ἆραι, παρὰ φύσιν τὸ ἢ θεῖναι, κατὰ φύσιν, τὸ δὲ προσθεῖναι, μεσότης ἐν ἢ τῷ ποτὲ τὰ σιμὰ βαδίζειν, πολὺ γε παρὰ φύσιν.

Cur locis arduis difficiliùs ambulemus? An quoniam omnis ingressus attollentia, & positione conficitur: attollere igitur præter naturam est, ponere secundùm naturam, proponere medium tenet. In ambulando autem locis arduis, multum sortis illius auersæ à natura procul dubio est.

Dicebam modò proponi idem in præsenti problemate, quod proximè superiori etiam tractatum est: quod enim ait *σιμὰ*, idem est, ac *ἀνάντει*, hoc est *accliuia*, vt apparet ex problemate xxxvii. sectionis secundæ, quo loco de eiusdem vocis significatione verba fecimus. Vt igitur doceat Aristoteles, quare cum difficultate ad accliuia, & loca, quæ sursum sunt progrediamur, docet quomodo incessus fiat. Dicit igitur in omni incessu seu ambulatione necesse esse pedes modò attollere, modò deponere, quibus duobus, quæ contraria sunt, tertium, seu medium quoddam est, cùm nec attolli, nec deponi intelliguntur, sed proponuntur, hoc est nec eleuantur, sicuti cùm eos sursum retrahimus, nec deponuntur, sicuti cùm humi figuntur deorsum: sed prorsum iactantur, vt si pendulos eos quispiam huc, & illuc dimoueret. Sunt autem hi motus qualitate, & conditione varij: nam attollere est præter naturam, cùm corpus sua natura graue tendat deorsum: ponere autem secundùm naturam, ratione grauitatis eiusdem corporis, vt dictum est; proponere autem medium quiddam: non adeò præter naturam, vt attollere, nec ita secundùm naturam, vt deponere: Hic autem triplex, & varius motus in omni ambulatione fit: non tamen in omni locorum genere aut æquè ineſt, aut æquè cõspicitur. In ambulatione enim per plana, etsi & attollantur, & deponantur pedes: maximè tamen apparet medius ille, multumque ille ibi ineſt: ac in eo qui fit ad ardua, seu accliuia, multum potiùs illius, qui contra naturam est, quo elatio, seu attolentia constat. Cruribus enim magis sustentari corpus necesse est, vt sursum feratur: quippe aliter, graue cùm sit deorsum identidem collaberetur. De hac re videri etiam potest problema xxxvii. secundæ sectionis, & quę ad illud nos diximus.

XL.

Διὰ τί οἱ ἀφ' ἵππων ἧττον πίπτουσιν; ἢ διὰ τὸ φοβεῖσθαι, φυλάττονται μᾶλλον;

Quare qui cursum ex equo arripiunt, minùs decidunt? An quòd magis cauent, quàm timent.

Cur magis decidant, qui vehuntur equis, aut ex iisdem cursum arripiunt, sicuti transfert Theodorus: Græcè enim verbum non exprimitur; ac si Italicè diceremus: *Ond' auien che da' caualli meno si cade?* Rationem tradit Aristoteles satis generalem, & quæ non minùs in equitatione, quàm in qualibet alia re, vnde periculum immineat, locum habeat. Ideo enim minùs cadere dicit, quia cùm maiore cadendi metu detineantur, magis ne id accidat, cauent; summa in rebus singulis adhibita diligentia, quæ à casu ipsos custodire valeat: vt crura arctiùs equo admouendo, habenas cautiùs regendo, propriæ denique saluti vndique circumspiciendo. Nullam igitur aliam causſam præterquàm sedulitatem & animaduersionem affert Aristoteles, quæ maior ad equos, quàm ad alia animalia, quibus

equitare

equitare homines ſoleant,adhiberi conſueuit: id verò cur fiat, non dicit. Exiſtimare autem poſſumus cauſſam eſſe: quia equus animal eſt admodum velox, promptum, & ferox, vnde facilè excuteretur ſeſſor niſi diligenter caueret:aſinus autem vt tardum,& pacificum animal eſt, ita ob varias cauſſas, quæ minimè opinari, & minimè timenti extrinſecus occurrere poſſunt, facilè ex eo fit, vt cadant equitantes.Muli hac ratione ſit itidem equitatio, quàm aſini minùs periculoſa:ille enim,etſi non adeò velox, promptus, & agilis, vt equus (quippe natis, vt ait Columella plus inhæret ſocordiæ paternæ, quàm vigoris materni:hæc enim ex matre equa, & genitore aſino frequentior fœtura fit)eſt tamen natura ſæpius contumax, & minùs obediens, vnde magis cauendum apparet. Quamquam igitur ex animalium ipſorum natura, & conditione plus à mulo, & plus ab equo immineat periculum, quàm ab aſino; quoniam tamen eorundem naturæ cognitæ magis, vel minùs reddunt homines ſibi prouidentes, & cautos, res aliter contingit: atque fit, vt vnde per ſe, atque ex natura maius periculum imminet inde meritò diligentiæ, atque animi attentionis, minùs incommodi, ac detrimenti oriatur; à quo autem minus ex eo ob ſupinitatem, & negligentiam magis lædamur. Porrò quod antea in Theodori tralatione legebatur: *An quòd magis cauent, quàm timent*:putaui mendum eſſe typographi ad particulam *quàm*, & legendum, *qui timent*, ſicut etiam excudendum curaui: ſiue vt ad marginem nonnullorum impreſſorum vidi emendatum: *An quòd timent,magis cauent*: ita enim Græca ſonant.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟ-ΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Ζ.

ὅΣΑ ἐΚ ΤΟΥ̃ ΠΩ̃Σ ΚΕΙ̃ΣΤΑΙ ΚΑῚ ἐΧΗΜΑΤΊΑΣ ΣΥΜΒΑΙΝΕΙ̨.

ARISTOTELIS PROBLEMATVM SECTIO VI.

De ijs quæ ad certum corporis ſitum & configurationem pertinent, THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII COMMENTARIVS.

I.

ΔΙὰ τί ἡ καθέδρα τοὺς μὲν παχύνει τὸν ἀνθρώπων, τοὺς δὲ ἰσχναίνει; πότερον ὅτι αἱ ἕξεις διαφέρουσιν; οἱ μὲν γὰρ, θερμοί εἰσιν· οἱ δὲ ψυχροὶ· οἷς μὲν ἂν θερμοὶ, παχύνονται· (κρατεῖ γὰρ τὸ σῶμα τῆς τροφῆς διὰ τὴν θερμασίαν) οἱ δ' ἐψυχωμένοι, διὰ τὸ δεῖσθαι ἐπεισάκτου θερμότητος, καὶ τοῦτο πάσχειν μάλιστα τὸ σῶμα ὑπὸ τῆς κινήσεως· ἃ γὰρ δύνανται πέττειν ἠρεμοῦντες· ἢ ὅτι οἱ μὲν, περιττωματικοί εἰσι, καὶ δέονται κινήσεως, ἢ ἀναλώσαι ταῦτα· οἱ δὲ.

Cur ſedile alios impleat, alios extenuet? Vtrum habitus corporum diſtent inter ſe ſe, vt alij calidi, alij frigidi ſint? Ergo ſi ita eſt, calidi implentur: cibum enim corpus vi ſui caloris exuperat: frigidi autem, quòd aduentitium calorem deſiderant, quem ex mouendi ratione potiſſimùm corpus acquirit, concoquere nequirent, dum quieſcunt. An quòd alij excrementis redundant, & ob eam rem motum, qui ea conſumat, deſiderant, alij non?

In ſuperiori ſectione problemate XIV. videri potuit Ariſtoteles contraria his propoſuiſſe, cùm diceret, ſedile opimare ventrem, reliquum autem corpus extenuare: ex hoc autem loco eſt, cùm ſedile ventrem attenuet, eſt etiam cùm reliquas partes impleat: Dicimus in ſuperiori ſectione ventrem comparari reliquis corporis partibus, hîc abſolutè rem proponi: ſedile igitur abſolutè eſt, cùm totum corpus implere dicatur, eſt cùm totum extenuare, ob rationes, quæ afferuntur: at quo tempore totum impletur, venter plus quàm cætera impletur: cùm totum extenuatur, venter minùs, quàm reliqua extenuatur: & hoc ſenſu problematis XXIV. verba ſunt accipienda: illæ enim partes extenuari dicuntur, quæ minùs pingueſcunt: & quoniam alimenti portio ex aliis partibus ad ventrem proficiſcitur, ideo illæ dicuntur extenuari: at cùm abſolutè, copioſum ſit alimentum, quod otioſis redundat, abſolutè dicuntur hoc loco pingueſcere: Duas igitur rationes ad quæſtionem ſoluendam affert hoc loco Ariſtoteles: alteram ſumptam ab habitu, hoc eſt temperamento, id enim ſignificat hoc loco ἕξεις, vt apparet; altera à modo, quo corpus eſt diſpoſitum circa excrementa, vtriúſque tamen idem eſt fundamentum: alteráque ab altera pendet ſicuti exiſtimo. Ait igitur Ariſtoteles ex hominibus alios eſſe præditos habitu, ſeu temperamento calido, alios frigido: calidi igitur ex ſedili implentur, frigidi non item: nam cùm illi ob caloris vim perfectè cibum ſuperent, nimirum optimè concoquant, id enim eſt cibum ſuperari,

& vinci, optima ſequitur nutritio: illi enim non indigent exercitio, quo calor augeatur, cùm plurimo abundent: quin ipſis exercitium potiùs noceret, ſicuti habemus ab Hippocrate VI. Epidemiorum, cuius verba adducit Galenus quinto de tuenda valetudine capite XI. cùm hunc eundem locum de exercitatione tractat. Frigidis autem, quia non ea ſuppetit caloris naturalis copia, quæ pro bona coctione, corporiſque nutritione neceſſaria eſt, motu adhuc calorem eundem excitante, atque, vt ita dicam viuificante indigent: alioquin enim per otium, & ſedile torpido calore reddito, & ab alimento victo, ſuffocatóque imperfectéque coctione celebrata, non poteſt fieri bona nutritio, ex quo partes extenuantur, ἢ ὅτι οἱ μὲ περιττωματικοί εἰσι. *An quòd alij excrementis redundant.* Altera ratio. Sunt ex hominibus, qui excrementis redundent, ſunt qui illis vacent. Qui igitur redundant, illi motu indigent, ex quo aucto calore excrementa abſumuntur, atque hi niſi exerceantur, ſed in otio, ac ſedili degant, ab excrementorum copia ſuffocato calore, nec elaborato cibo, nec nutritione ſequente, extenuantur: contra qui excrementis non redundant, illi vegeto calore præditi, etſi otioſi degant, optimè concoquunt, & bene nutriuntur, atque hi ex ſedili pingueſcunt. Eſt igitur vtraque ratio vti dicebam ab eodem fundamento ſcilicet à bona, vel praua coctione qui igitur valido calore præditi ſunt, illi vt cibum perfectè concoquunt, ita excrementis non redundant: qui autem debilem, illi & imperfectè coquunt, & multis ſcatent excrementis. Porrò Theodorus ad initium ſolutionis problematis non videtur agnoſcere ὅτι, quam tamen particulam habent nonnulla exemplaria. Ad verbum autem ita reddere poſſumus: *Vtrum quoniam habitus differunt ad inuicem, alia enim calidi alij frigidi ſunt: calidi igitur pingueſcunt: corpus enim ob caliditatem cibum ſuperat. Frigidi autem:* & reliqua.

I I.

Διὰ τί δεῖ ποιεῖν διάτασιν τ̃ μερ̃ῶν, ὃ ποιεῖ ὁ γυμναζόμεν̃ος; ἢ ὅτι δεῖ τῷ οἰκείῳ πνεύματι καθαίρεσθ τὰς πόρους.

Cur partes corporis diſtendendæ ſint? quod qui ſe exercitant, facere conſueuerunt? An quòd meatus ſpiritu ſuo perpurgari oporteat.

Quem vſum præſtet diſtenſio partium aut membrorum corporis inquirit hoc loco, & oſtendit Ariſtoteles. Fit autem hæc partium, ſeu membrorum diſtenſio, cùm illa contrahuntur, ac tenduntur, atque mox remittuntur, ac relaxantur: ſicuti in pandiculatione contingit. Hanc porrò diſtenſionem adhibere, & præmittere conſueuiſſe illos, qui exercitationis aliquod genus erant obituri, ex hoc loco patet: quo nimirum corporis membra agiliora, magiſque mobilia, & flexuoſa, eius merito redderentur, ad quam rem frictionibus etiam vtebantur. Nam ſicuti ait Ariſtoteles, dum vſum huius motionis declarat, eius beneficio pori aut meatus purgantur ſpiritu qui illis proprius, & domeſticus eſt, nimirum vaporoſo illo ſpiritu, qui in eiſdem identidem generatur, quem purgari neceſſe eſt. Quam rem habemus etiam apud Galenum, tum alibi, tum præcipuè libro ſecundo de ſymptomatum cauſſis capite v. in quo cùm de huiuſcemodi effectibus verba faceret, ita ſcribit ex Linacri verſione: *Atque in omnibus huiuſmodi ſymptomatis tum inæqualitatem quandam ſentire, ſe aiunt, tum pandiculantur, tum omnes corporis particulas diſtendunt, naturæ quodam inſtinctu:* hunc autem effectum maximè contingere poſt ſomnum mox declarat ſubdens: *Maximè autem diſtenduntur poſt ſomnum, cùm in carne halituoſum excrementum ſentiunt: quod & ex confectione nutrimenti, & per ceſſationem ab huiuſmodi motibus eſt collectum: atque id vel minimi queruli ſine doctore faciunt. Verùm ad talem motum animalia impellit ipſa natura, cùm perſpiratum alituoſis excrementis molitur.* Cùm igitur partium meatus per eiuſmodi motionem ab eo ſpiritu, ſeu excremento purgentur, redduntur agiliora, & ad motum promptiora. Spiritum tamen aliter quàm nos fecerimus, accepit hoc loco Aponenſis, qui ea voce non ſpiritum vaporoſum, qui expellatur, intellexit: ſed potiùs ſpiritum proprium expellentem ipſas ſuperfluitates: quippe corpore, & ſuperfluitatibus exercitio calefactis, ſpiritum ſuſcitari expulſiuum, vt ille ait, qui eaſdem ſuperfluitates eo modo foras pellat: cui expoſitioni licèt videatur fauere vox οἰκείῳ prior tamen mihi magis arridet.

I I I.

Διὰ τί συγκεκαμμένοι ἕλκηον καθαιροῦσι, καὶ πολλοί γε ὠφελοῦνται τῶν καὶ τῶν ἰατρῶν; ἢ ὅτι ἀλειφόμενα ἡ κοιλία, θᾶττον πέττει· ὅτε δὲ καὶ ἀλειφῇ μᾶλλον· ἔτι δεῖ τοῖς σώμασι τόπον διδόναι, εἰς

ὃν ἀπεράσον)· ἔτω γὰρ ἥκιστα λυπήσουσιν αἱ φῦσαι· διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἰξίαι καὶ τὰ ἄλλα ἀποσήματα ὑγιεινὰ ὅπου ἔχουσι κοιλίας εἰς ἃς ἀποδέχονται τὰ περιττώματα· ὅταν τεταμένα μὲν ὦσι, ἃ γίνεται κοιλία (ἁπάντων γὰρ ἐστὶν τὰ σπλάγχνα κατηχῆ) συγκαμφθέντων δὲ γίνεται.

Cur inflexo corpore cubare meliùs eſt, quod etiam medici pleriq; præcipiunt? An quòd venter cùm recaleſcit, concoquere celeriùs poteſt: ſic autem fit, vt recaleat. Ad hæc locum flatibus dare, in quem incumbant, & innitantur oportet: ita enim minimè infeſtabunt. Hinc enim, & varices, & cæteri abſceſſus iuuant, quòd ventriculos continent, in quibus flatum recipere queunt. Ergo corpore extento cauerna nulla eiuſmodi adigi poteſt: locum etenim omnem viſcera occupant: inflexo autem, ſingula laxantur, & ſinuantur.

Quod hic proponitur de figuratione, & poſitura corporis inter dormiendum, aut ſomni tempore; (de eo enim tempore præcipuè intelligi problema apparet) illud ad ſanitatis ſtudium inprimis pertinet. Duas autem affert vtilitatis rationes, quam ob rem meliùs, & ſalubriùs ſit iacere, corpore inflexo, quàm extento, nimirum corpore coacto, & veluti in orbem conglobato, quod fit genibus ad ventrem retractis, & pectore inclinato: non autem iiſdem membris protenſis, & in longitudinem porrectis. Prima eſt, quia huiuſmodi ſitu, & figura coctio ventriculi meliùs perficitur, augeſcit enim per hunc modum eo in loco calor, qui coctionis opifex eſt. Quippe tum ventriculus ipſe magis vnitur, contactúſque à ſingulis partibus, quæ proximæ ſunt earundem calore foue tur; tum etiam à toto corpore ad eum tamquam ad centrum vndiq́ue calor confluit; quæ coctionem non parum ſingula adiuuant. Altera vtilitatis ratio eſt: quoniam inter dormiendum maximè ab aſſumpto cibo flatus multi gignuntur, qui non habentes loca, vbi recipiantur, feruntur per corpus, & coctionem interturbant, ac moleſtiam inferunt: ſi verò alicubi firmati quieſcant, negotium haud faceſſunt: feruntur autem per corpus, atque extenduntur extento ipſo, quoniam viſcera extenta totam ſedem occupantia, flatibus non relinquunt locum, vbi recipiantur, & firmentur, inflexo autem, & conglobato corpore, viſcera circa centrum coacta, locum exteriùs, & ad latera flatibus relinquunt. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἰξίαι, καὶ τὰ ἄλλα ἀποσήματα. *Hinc enim, & varices, & cæteri abſceſſus.* Exemplo nonnullarum affectionum declarat, quod modò propoſuit: varices enim, & alij huiuſmodi abſceſſus ex melancholico humore, qui cum flatuum abundantia fiunt, ideo corporibus ſalutares exiſtimantur; quoniam cùm in ipſis cauitates contineantur: (ſunt enim loca illa, vbi fiunt huiuſmodi affectiones, laxiora, & ampliora) ſpiritus, ſeu flatus, qui aliò fortaſſe lati, poſſent reddere corpora ægrota, ad eas cauitates decumbunt, nec alias inducunt ægritudines: Ex flatibus autem varios, & graues morbos gigni, ſi quis dubitat, is librum euoluat Hippocrati attributum, & eodem titulo, de flatibus inſcriptum. Porrò quod Theodorus ad finem problematis reddit: *ſingula laxantur, & ſinuantur*, id in Græcis ſonat, *cauitas fit*, & paullò ante, quod idem Theodorus vertit: *cauerna nulla eiuſmodi adigi poteſt*: Græcè eſt ſimpliciùs: *cauitas non fit.*

I V.

Διὰ τί ἀνισταμένοις ἴλιγγος μᾶλλον γίνεται ἢ καθιζάνουσιν; ἢ διότι ἡρεμοῦσι, τὸ ὑγρὸν εἰς ἓν μόριον ἀθρόον ἀποκλίνει; διὸ καὶ τὰ ὠμὰ ὠὰ ὑπὸ δινεῖσθαι, ἀλλὰ καταπίπτει· κινούμενον γὰρ τὸ ὑγρὸν, ὁμοίως ἔχει· ἀνίσταντας μὲν ἡρεμήσαντες, ὅτε ἕτοιμοι εἰσὶν καθιζάνουσι δὲ ἐν κινήσει γλιχόμενοι, ὅτε ὁμαλῶς ἔχει τὸ ὑγρὸν, καὶ ἐσκέδασαν.

Cur vertigo ſurgenti potiùs accidat, quàm ſedenti? An quoniam quieſcenti humor vniuerſus vnum in membrum ſe colligit: ex quo cruda etiam oua nequeunt circumuerti, ſed potiùs deſidunt: mouenti autem humor ſe æquè expandit. Surgimus igitur à quiete, qua ita affecti ſumus: ſedemus verò à motu, quo humor æquabili modo quaque versùs ſe porrigit.

Quid Ariſtoteles hoc loco de vertigine inquirat, ſatis facilè eſt videre; nec multùm difficile quomodo quæſtionem diſſoluat; etſi poſtrema verba obſcuriora ſunt. Illud difficilius, quomodo hæc, aut Galeni, aut multò magis Theophraſti de eadem re verbis conueniant.

Galenus III. aphorismorum XXXI. auctor est, vertiginem fieri propter spiritum vaporosum, qui in regionibus cerebri inordinato cietur motu: sæpe etiam in ventriculo vitiosis superfluitatibus aceruatis ad cerebrum ferri exhalationem vaporosam: nec non tertio de locis affectis capite octauo, iis qui vertigine deprehenduntur fieri inæqualem, & turbulentum, & inordinatum motum, tum humorum, tum spiritus: nec dissimiliter commentario quarto in librum Hippocratis de ratione victus in acutis XLII. fieri ait ob inordinatam spiritus flatuosi motionem, qui vel in capite localem habet generationem, vel sursum ex infernis fertur partibus. Theophrastus etiam eodem modo sensisse visus est; cùm ad initium libelli de vertigine caussas illius affectus proponens ita scripsit, οἱ ἴλιγγοι γίνονται, ὅταν ἢ πνεῦμα ἀλλότριον πρὸς τὴν κεφαλὴν ἔλθῃ, ἢ ὑγρότης περιττωματικὴ, hoc est: *Vertigines fiunt, quando aut spiritus alienus, aut humiditas excrementitia ad caput venerit:* Atque etiam ad finem eiusdem libelli, cùm hanc eandem quæstionem tractans hæc habet: ἀνιστάμενοι μᾶλλον ἢ καθίζοντες ἰλιγγιῶσιν, ὅτι ἠρεμούντων συνίσταται τὸ ὑγρὸν ἐν τῇ κεφαλῇ πλέον· ὅταν δὲ κινῶνται διΐσταται· [σφαλερὸν γίνεται] καὶ εἰς ἓν μόριον ἐμπίπτον, [ἀθρόον ἄγον] ποιεῖ τὸν ἴλιγγον. hoc est: *surgentes magis, quàm sedentes vertigine afficiuntur, quoniam quiescentium magis consistit humidum quod in capite abundat: si verò moueantur, disiungitur* [inconstans fit] *& in vnam partem incidens* [confertim latum] *vertiginem facit.* Igitur Galeno, vt apparet, vertiginem creat motio humoris aut spiritus inæqualis, & inordinata: Theophrasto itidem spiritus alienus, aut humor, qui ex motu disiungitur, ac dirimitur, & in vnam aliquam partem incidit: Aristoteles autem rem non ita videtur accipere. Verùm antequàm Aristotelis sensa explicem, problematis verba nonnulla consideranda sunt, Græca enim, quæ habemus excusa, non eum sensum exprimunt, quem Theodori tralatio: sunt autem verba illa: *mouenti autem humor se æquè expandit:* putauit enim Theodorus hoc esse alterum membrum priori oppositum, in quo ageretur de iis qui mouentur, cùm in altero de quiescentibus egisset Aristoteles. At Græca ad verbum ita sonant: *humidum autem, quod mouetur similiter* [seu æqualiter] *se habet*: & videntur referri ad proximè allatam ex ouis similitudinem, eamque perfectiùs declarare; nempe dicit Aristoteles humidum, quod mouetur in ouis coctis æquè se habere ad omnes partes, atque ita posse illa in girum verti: sed Theodorus fortasse legit κινεμένοις, quo modo sensus reddatur, quem Theodorus expressit: illud etiam, quod idem Theodorus transtulit, *vnum in membrum se colligit*, putem transferendum, *vnam in partem:* nam & membrum vnum partes plures habet, atque hoc loco, quod de vna parte vnius membri intelligitur, non potest de toto membro intelligi, vt apparebit; Hæc, vt facilia sunt; ita difficile admodum diffidentia hoc loco præceptoris, & discipuli verba conciliare. Aristotelis enim satis manifestè hæc videtur esse sententia: sedentibus, aut quiescentibus ideo non fieri vertiginem, quoniam humor vertiginem faciens illis decumbit in vnam partem vniuersus, quomodo sanè non fiat vertigo, seu circularis motus; quoniam ad vnam illam partem fit humoris prolapsus: in vertigine autem æqualiter, quoquò versùs humorem ferri, & diffundi necesse est, si modò circulationi sit locus: quam rem probat crudorum ouorum similitudine, re ad coctionis eorundem experimentum, nobis etiam passim vulgata; illa enim non possunt similiter in girum verti ob humiditatem, quæ intus exsistit ad vnam aliquam partem totam decumbentem; quam rem scripsit etiam idem Theophrastus per hæc verba; vt habentur in editione Henrici, quæ magis sana, & integra est Basiliensi, τὰ ὠμὰ ὠὰ διὰ τὴν ὑγρότητα οὐκ εὐδιανεῖται ὥσπερ τὰ ἑφθὰ, διότι τὰ μὲν ἐκ τοῦ ὑγροῦ πάσχει ἀνωμάλως, καὶ οὐκ ἰσορροπεῖ ὅσης σφάλλεται, τὰ δὲ διὰ τὸ μὴ ἔχειν τὸ σφάλλον ὑφιστάμενον, ἑνὸς ὄντος καὶ συνεχοῦς τοῦ ὅλου. hoc est: *Cruda oua ideo non vertuntur in girum, sicuti quæ cocta sunt, quoniam illa ab humore inæquali, ac minimè æquilibri hac operatione frustrantur: hæc autem minimè, quoniam eis haud inexistit, quod frustrationem efficiat: cùm vnum, & continuum sit illud, quod intus est.* Oua igitur cruda non possunt in orbem verti, propterea quòd eorum humor non est similiter, & æqualiter per omnes partes distributus, & diffusus, vnde recidunt in eam partem ad quam eorum humidum pronum est, & procumbit: cocta autem quoniam humorem continent æqualiter delatum, ideo possunt in orbem verti, illis igitur quiescentes, his autem, qui surgunt, proportione respondent. Hãc rem dixit Aristoteles per illa: *humidum autem quod mouetur, similiter* [seu æqualiter] *se habet:* si quidem locum accipimus, vt Græca sonant, si verò vt transtulit Theodorus, res de ouis non ita plenè erit expressa: sed vt dicebam erit alterum membrum priori oppositum; mouenti fieri vertiginem quia humor similiter, & æqualiter se habet, seu vt reddit Theodorus, se expandit, nimirum per cerebri partes. Igitur Galeno facit vertiginem motus inæqualis, Aristoteli facit æqualis, impedit inæqualis. Theophrasto facit vertiginem decubitus humoris ad vnam partem, Aristoteli hic idem impedit. Ad Theo-

phrastum

phraſtum illud adhuc moleſtum: quòd ouorum ſimilitudinem adducens, eadem proponit, quæ Ariſtoteles; cùm de vertigine contrario modo videatur ſentire, ſi ea attendimus, quæ ad finem libelli ſcripta ſunt: vnde & ſibi inuicem manifeſtò videntur repugnare, quæ proponit Theophraſtus, conſentire autem, quæ proponit Ariſtoteles. Nec verò Theophraſtæa nunc aut ſibi, aut Ariſtotelicis conciliare aggrediar, aut valeo. Ad Galenum, leuia nonnulla quæ ſubeunt, proponam. Inæqualitatis nomen Galeno, & Ariſtoteli variè accipi. Circularis enim motus ab humore, aut ſpiritu in cerebro factus, inordinatus, & inæqualis Galeno eſt, quem fieri conſideraret, non in eodem loco præcisè, nec eodem tenore ſemper, & aliter quàm antea: quippe animali ſpiritu naturâ ſua ad organa ſenſus rectà lato: tunc autem alieno mixto, circulariter moto. Idem vertiginis motus, quo caput in orbem fertur; aut ferri videtur, & cum eo reliqua, æqualis eſt Ariſtoteli naturam vertiginis, conſideranti, qua æqualiter in orbem res conuertitur, & humoris æquilibrium, à quo vertigo ex natura fieri apta eſt. Ita rem ſubtiliùs diſtinguit Ariſtoteles, Galenus non item: & cùm verbo multùm diſſideant, re non adeò diſſident. Prætereain vertiginoſis non videtur caſum conſideraſſe Ariſtoteles, vt ex verbis apparet, cùm ouorum, quæ cruda ſunt, ſimilitudinem adducit, ait enim illa non verti in orbem, ſed concidere. Circulariter igitur moueri, aut ſibi apparere moueri vertiginoſos conſiderat Ariſtoteles; eos cadere non conſiderat, non enim eſt ex natura vertiginis: eundem caſum, qui vertiginoſis ſæpe contingit, conſiderat Galenus, qui morbum inprimis eiúſque curationem, non ita vertiginis naturam reſpiciebat. Igitur etiam prolabente humore ad vnam partem, vnáque tantùm circulatione facta, ſi cadat quiſpiam, ille Galeno vertiginoſus eſt, & ab eo conſideratur, quippe curatione indigens: Ariſtoteles hunc non conſiderat, ſed plures in vertigine circulationes, quas niſi æquali, & æquilibri humore fieri non poſſe ille mihi oſtendere videtur. ἀνίσταν) ῥ οὖ. *ſurgimus igitur à quiete*, manifeſtè colligit, & concludit: verba tamen obſcuriora ſunt, iſque loquendi modus, cui aliquid ſubeſſe exiſtimem quod non deprehendam. Græca autem ita ad verbum ſonant: *ſurgunt igitur poſtquam quieuerunt: quo tempore ita affecti ſunt: ſedent autem, cùm in motu fuerint, quo tempore humidum æqualiter ſe habet, & diſperſum eſt.* Igitur ex quiete ita afficiuntur, vt humor ad vnam aliquam partem decumbat, nec fiat vertigo: hæc enim fit eo per plures partes diffuſo: ex motu autem humor æqualiter ſe habet, & diſperſus eſt; ſeu æquabili modo quaque versùs ſe porrigit, vt vertit Theodorus, atque ita fit vertigo.

V.

Διὰ τί ὅτι τὰ δεξιὰ κατακειμένοις, μᾶλλον ἐπέρχεται ὕπνος; πότερον ὅτι ἐναντίως ἔχοντες ἐγρηγόρασι, ἢ κατὰ σύμβασιν; ὅτι οὖν ἐγρηγορότες ὅτι τὰ δεξιὰ κατάκεινται, κινοῦντι ἔοικε ἐπ' ἄλλης ἀρχῆς ἢ τ' ἐναντίας· ἢ ὅτι ἀκίνητα ὁ ὕπνος; τὰ μὲν οὖν κινητικὰ μέρη δεῖ ἡρεμεῖν· τὰ δὲ δεξιὰ, κινητικά· ἔστι δὲ κατακειμένων, οἷον δεδεῖται ἀρχῆς τινὸς ἐπεγερτικῆς.

Quam ob cauſſam cùm parte corporis dextra cubamus, ſomnus magis accedit? Vtrum quòd vigilantes contra, quàm dormientes, habemus? ergo cùm vigilando parte accubemus ſiniſtra, contrarium ſequetur in dormiendi initio, cùm id contrarium ſit. An quòd ſomnus priuatio motionis eſt. Partes igitur, quarum mouere intereſt, quieſcant oportet: dextrarum autem partium mouere intereſt. Cùm autem ita accubamus, veluti initium quoddam reſurgendi detentum obligatúmque habemus.

Quare ſomni cauſſa recumbentibus, faciliùs accedat ſomnus, ſi ſuper latus dextrum iaceant, quàm ſuper ſiniſtrum, rationes duas affert Ariſtoteles: quarum primam ducit à contrarietate, quam ſomnus ad vigiliam habet: alteram ex munere, aut vſu, quem partes illæ circa motionem obtinent. Primùm igitur ita raciocinatur. Contrariis conueniunt contraria, ſomnus, & vigilia contraria ſunt, contraria igitur illis conuenient: at vigilantes recumbunt ſuper ſiniſtram, dormientes igitur recumbent ſuper dextram; & contrario initio contrarius erit habitus, aut ſitus: appellat autem ſomnum initium contrarium, quia vt vigilia eſt initium motus, & operationum exteriorum; ita ſomnus eſt initium quietis & ceſſationis ab eiſdem operibus, initiúmque aliarum, quæ intus fiunt: tamquam tota vita duobus initiis conſtet, ſomno, & vigilia: appellantur autem hæc initia non ſanè pro-

priè,

priè, & proximè, ſed communiori quadam,& magis longinqua ratione: vnde & mox cùm alteram ſolutionem affert Ariſtoteles, dicit, *initium quoddam.* Vigilantes autem parte ſiniſtra accumbere habemus ex problemate vltimo huius ſectionis: quod putem intelligi de accubitu prandentium, & cœnantium; illi enim, cùm initio cibi proni quidem in faciem recumberent, in menſam intuentes, vt habemus ex Plutarcho libro v. ſympoſeωs quæſtione VI. & ex Alexandro libro primo problemate LXXXI. puluinis ad pectus appoſitis, vt ex aliis auctoribus docent, tum alij viri, tum poſtremò Petrus Ciacconus in libello de triclinio, & Fuluius Vrſinus in appendice ad eum librum; mox tamen, vt ſcribit idem Plutarchus in latus conuertebantur. In ſiniſtrum igitur, vt plurimùm conuerti ſolitos, ſiniſtróque cubito inniti, ex hoc loco appareat, fortè, vt dextram motui aptiorem magis expeditam haberent, ſi quis vſus interueniſſet: apud alium enim auctorem in ſiniſtram partem fuiſſe hanc conuerſionem non memini ſcriptum, aut adnotatum. Porrò autem extrema huius partis Theodori verba, à librario, vt putaui corrupta, reſtitui; deleta poſt *dormiendo*, nota diſtinctionis, & pro *dormiendo*, repoſito *dormiendi.* Liceat autem relicta ea diſtinctionis nota, tollere alteram poſt, *initio*, & pro, *initio*, reponere, *initium*, hunc in modum. *Contrarium ſequetur in dormiendo, initium cùm id contrarium ſit.* Contrario igitur modo affecti in ſomno, ac in vigilia, cùm in vigilia ſiniſtris accubemus, iure in ſomno accumbemus dextris. ἢ ὅτι ἀκινησία ὁ ὕπνος. *An quòd ſomnus priuatio motionis eſt.* Altera ratio deſumpta, vt dicebam à munere, & officio partium: nam cùm ſomnus ſit priuatio motus, ſicuti pleniùs oſtenditur libro de ſomno, & vigilia capite primo, dextrarum autem partium munus ſit mouere, & à dextris motus ſit initium, vt habetur libro de inceſſu animalium capite quarto, atque tertio de partibus capite nono; quia nimirum ſunt validiores, vt eodem tertio habetur, iure fit, vt quo tempore ſiniſtris vſus, & occaſio ceſſat, quieſcant etiam partes, quibus mediis perficitur motus; quieſcunt autem, cùm ita accumbimus, ſuntque veluti illigatæ partes illæ, quæ alioquin principium ſunt, quo erigimur, & excitamur ad opera: ita enim interpretor illud ἐπεγερτική, quem ſenſum non putem fuiſſe expreſſum à Theodoro: Quemadmodum, & voculam οἷον, ſicuti Ariſtoteli cohæret verbo δέδεκε, ita eidem Theodoro meliùs putem fuiſſe appoſitam participio, *detentam*, [*veluti detentum*] eſt enim ex illis particulis, quibus boni, & elegantes ſcriptores ad moderandam, tranſlationem vtuntur, quod Grammatici obſeruarunt. Eodem autem penitus modo in libro, quem adduximus de ſomno, & vigilia, ſomnum dixit eſſe ἀκινησίαν & οἷον δεσμὸν, hoc eſt, *priuationem motus, & veluti vinculum.*

VI.

Διὰ τί ναρκῶσι; & διὰ τί χεῖρας καὶ πόδας μᾶλλον; ἢ ὅτι καταψύξις ὄζιν ἡ νάρκη; διὰ φέρησιν γὰρ αἵματος γίνεται καὶ μετάστασιν· ἀσαρκόταται δὲ ταῦτα καὶ νευροφόρα· μάλιστα δὲ οἱ πόδες· ὥστε πεφυσιωμένοις ὑπὸ τῆς φύσεως πρὸς τὸ καταψύχεσθαι ταχέως.

Cur torpeamus, & cur manus potiſſimùm, & pedes? An quòd torpor refrigeratio eſt: fit enim propter ſanguinis priuationem tranſlationémque. Manus autem, & pedes omnium maximè partium carnis inopes, nerui vberes ſunt, ſed præcipuè pedes: itaque ad refrigerationem celerem ſua natura nimiùm habiles redduntur.

Antiquus Interpres vnum ſolum membrum hoc in problemate videtur agnoſcere, qui hoc modo legit: *Propter quid ſtuporem patiuntur in manibus, & pedibus magis?* Theodorus autem duo; nam & de torpore ſeu ſtupore vniuersè, qua ex cauſſa fiat, ex eius tralatione quæri videtur; & de torpore particulatim in manibus, & pedibus, quare magis his quàm reliquis partibus fiat: & ſanè verba, quæ excuſa habemus, ita ſonant. Ex ſolutione tamen magis videatur approbanda lectio antiqui interpretis: ad ſolum enim manuum, & pedum torporem omnia referri videntur: niſi primis ſtatim verbis, quibus ſolutionem aggreditur, rem dicamus etiam vniuersè diſſolui: nimirum ſtuporem fieri ex refrigeratione. At hæc vt apparet, in gratiam manuum, & pedum dicuntur, ſuntque confirmatio propoſitionis maioris ſyllogiſmi quem affert Ariſtoteles, hunc in modum: Illa maximè torpent quæ ſanguine priuantur, manus, & pedes maximè ſanguine priuantur, hæc igitur maximè torpent. Maiorem probat, vt dicebam, quia torpor eſt refrigeratio, quæ

autem priuantur sanguine, illa refrigerantur; siue natura sint partes sanguine destitutæ, seu, quòd eo tempore is aliò recesserit, aut translatus fuerit: nam & in partibus sanguineis hac de caussa torpor fit. Probat etiam minorem propositionem: nam manus,& pedes, sed potissimùm pedes, vt ait, sunt carnis expertes,& neruis abundantes: neruorum autem nomine, vt puto intelligit etiam ligamenta; talia autem exiguum sanguinem obtinent, atque ideo facilè, & refrigerantur,& torpent.

VII.

Διὰ τί καθακείμεθα μᾶλλον ἐπὶ τὰ δεξιὰ πλαγίου, καθεύδομεν ἢ ἐπὶ τὰ ἀριστερά; πότερον ὅτι ἀναστρεφόντες πρὸς τὸ φῶς ἧττον βλέπομεν; ἐν ᾧ δὲ σκότει σχεδὸν ὑπνοῦμεν λαμβάνοντες; ἢ διότι ἐγρηγορόσιν κατακείμενοι ἐπὶ τῆς ἀριστερᾶς, ἧττον αἱ χρήσεις ἡμῖν ἔστω πρόχειροι. ὥστε πρὸς τὸ ἐναντίον σχῆμα πρὸ ἔργου. ἀβούλητον ἢ ἕκαστον πρὸς τὸ ἔργον τὸ σχῆμα μᾶλλον.

Cur libenter in latus accubamus sinistrum, in dextrum autem potiùs dormimus? Vtrum quoniam conuersi ad lucem minùs dormire possumus: somnus enim in tenebris ocyùs obrepit. An quòd dum in latus accubamus sinistrum, vigilare magna ex parte consueuimus, & operum functio sic nobis expeditior est; itaque ad contrarium opus contrarius habitus siue situs requiritur. Inuitatur autem quisque magis ad opus fungendum habitus sui ratione.

Duo quæruntur hoc problemate; alterum quod fuit propositum paullò ante problemate v. cur super dextrum latus potiùs dormiamus; alterum cur super sinistrum suauiùs accumbamus. Pro solutione autem duas affert rationes, quarum vtraque tamen videatur referri ad alterum tantùm ex quæsitis, illud nimirum, quod problemate v. fuerat propositum. Dicit igitur, ideo contingere, quod propositum est, quoniam ad lucem conuersi minùs dormire possumus; cùm in tenebris ocyùs nos occupet somnus. Vbi notandum est Theodorum,& antiquum interpretem aliam lectionẽ sequutos esse, quàm habeant Græca vulgata exemplaria, hic enim, *non dormimus*, ille verò, *minùs dormire possumus*, conuertit: Græcè autem est, οὐ βλέπωμεν, id est, non videmus: nisi ei verbo hæc dormiendi notio insit mihi incomperta. Quamquam autem vtrauis interpretum lectio, & tralatio sensui Aristotelis magis conueniat, non tamen video etiam quomodo concludatur ratio, nisi minorem propositionem addamus, hunc in modum; qui verò sinistra recumbunt, illi ad lucem conuersos oculos habent: quæ tanquam nota illis temporibus, & illa dormiendi consuetudine fortasse omissa est ab Aristotele, nobis autem, qui dormiendo siue super dextram, siue super sinistram partem iaceamus, oculos tam luci obuersos, quàm minùs, pro fenestrarum loco, & ratione habere possumus, illa quidem valde obscura est. Aponensis eam illinc probat, quòd recumbentes parte sinistra, oculum dextrum elatiorem habeamus, qui videndi acie sinistro præpollet, vt collatione huius, si iaceamus parte dextra, & oculus sinister sit elatior, in tenebris esse nos dicere possimus: quæ quidem tamquam leuia si minùs satisfaciunt nobis, supponendum ad hanc rationem est; ita fuisse moris fenestras eo in loco in cubiculis aperiri, dormientésque ipsos ita collocari, vt ingrediente luce, qui super dextram partem in lectis residerent, oculos haberent minùs luci obuersos. Vitruuius sanè cubicula, loca nimirum in quibus dormiebant; hoc enim cubiculum apud Latinos, vt ex Varrone constat libro quarto, (cùm triclinia, in quibus cœnabant, pro anni temporibus mutata, ad varias cœli regiones obuerti deberent) orientem spectare debere, tradit libro sexto. At hoc quidem modo pro dormientis situ, vel aspiciet, vel non aspiciet lucem. Si enim capitis vertex, ad Septentrionem sit obuersus, minùs sanè videbit lucem: at si in meridiem, iam contrario modo res fiet, & orientis lucem è directo aspiciet. Prorsus hac in re mihi aqua hæret. ἢ διότι ἐγρηγόραμεν κατακείμενοι ἐπὶ τῆς ἀριστερᾶς. *An quòd dum in latus accubamus sinistrum.* Altera ratio: eadem illi, quæ priori loco adducta est problemate quinto, etsi non iisdem penitus verbis proposita. Contrariæ operationi contrarius habitus, & figura corporis conuenit, vigilans, & dormiens, seu vigilatio, & dormitio, vt ita loquar, contraria sunt, aut contrariæ operationes, vigilanti igitur,& dormienti contrarius habitus, aut figura corporis conuenit. Maior propositio manifesta est ex libro de somno, & vigilia: minor probatur, quoniam vnusquisque inuitatur, & incitatur ad

opus

opus fungendum ex conuenientis figuræ poſſeſſione, qua opus illud exerceri ſolet : tum verò proſyllogizandum. Contrarius habitus, aut ſitus conuenit vigilanti, & dormienti, vigilantis ſitus eſt decubitus ſuper ſiniſtram partem; quod, vt dicebam ad problema quintum, intelligitur de illis, qui cibum ſumebant, qui ſiniſtro cubito ideo magis innitebantur; vt dextrum habiliorem ad functiones, & opera exteriora magis expeditum haberent, dormientium igitur ſitus erit ſuper dextram. Atque ita ſanè locum hunc, & rationem expoſui, ſequutus tralationem, meliùs dicam expoſitionem Theodori ad illa verba, *itaque ad contrarium opus, contrarius habitus ſiue ſitus requiritur:* Græca enim eo loco admodum conciſa & valde obſcura ſunt.

***

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟ-
ΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Η.

ὅσα ἐκ συμπαθείας.

ARISTOTELIS PROBLE-
MATVM SECTIO VII.

Eorum quæ ad ſympathiam pertinent, THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII COMMENTARIVS.

I.

ΔΙΑ τί τοῖς χασμωμένοις ἀντιχασμῶνται ὡς ὀλιγοπολύ; ἢ διότι ἐὰν ἀναμνησθῶσιν, ὀρεγόμενοι ἐνεργοῦσι; μάλιστα δὲ τὰ εὐκίνητα· οἷον ἐρεύγεσθαι· ἡ δὲ χάσμη πνεῦμά τι καὶ ὑγρὸν κίνησίς ἐστι· σπουδαῖον οὖν, ἐὰν μόνον νοήσῃ· ἔστι γὰρ πλησίον.

Cur oſcitanti ſæpenumero reſpondemus? An quoniam ſi recordemur turgido iam corpore ad actum deſcendimus, maximè in iis, quæ facilè mouentur, & procliuia ſunt, vt in vrinæ emiſſione. Oſcitatio autem flatus quidam eſt, & humidi commotio: procliuis igitur res eſt, dum ſola cogitatione eam apprehendamus: proxima enim eſt.

Magna eſt codicum varietas in hac ſeptima, & proximè ſequenti octaua ſectione ſiue numerum, ſiue ordinem problematum ſpectes. Aldina vetus, & Baſilienſis editio manifeſtè peccant. In illa enim, quæ ad frigus, & rigorem pertinentia problemata, ſiquidem titulum reſpicimus, octauæ debentur, præpoſterè huc tranſlata ſunt. In Latinis, qui Theodori tralationem continent codicibus, hoc peccatum non eſt: ſed in illis deſiderantur tria primo loco in Græcis poſita problemata, hoc, quod modo propoſitum eſt, & duo deinceps ſequentia. Apud veterem interpretem, res minùs malè habet. Leguntur enim apud illum, tum hæc tria, tum quæ dicebam ad rigorem pertinere, ſuo loco poſita ſunt. Eum igitur ordinem ego ſequutus ſum. Tria autem prima hæc denuò mihi conuertenda putaui: antiqua enim illa tralatio, cum illa fidelitate nimiùm barbara viſa eſt, & vix, aut ne vix quidem poſſe comprehendi: A Theodoro autem puto illa fuiſſe omiſſa, quoniam ob idem argumentum & fundamentum cum eo problemate quod hac noſtra editione numeratur ſextum, illis caruerit exemplar, quo doctiſſimus ille vir vſus eſt. Agitur ergo hac in breui ſectione de nonnullis pertinentibus ad ſympathiam, quam affectionem Hieronymus Fracaſtorius eruditiſſimo libro huic argumento dicato, appellat latentem rerum conſenſum, ſicuti antipathiam, diſſenſum: quarum rerum vel ipſo ſtatim initio libri, multa idem Fracaſtorius affert exempla; earum rationibus deinde inueſtigatis, & propoſitis: qui liber omnino videndus eſt, cui illud argumentum perfectè tenere eſt in animo. Ariſtoteles autem, primo hoc problemate de eo effectu inquirit, quem paſſim accidere videmus, vt oſcitantem aliquem inſpicientes, contra & nos ſæpenumerò oſcitemus. Dicit autem ſæpenumerò aut frequenter, non enim ſemper accidit, ſed tunc ſolummodo, cùm ea cauſſa, ex qua oſcitatio fit, inſpicienti ſubeſt parata: quam rem diſertè exprimit problemate ſequenti,

& significat hoc loco per verbum ὀρῳῶντες, hoc enim verbum promptitudinem illam materiæ commodæ designat: cùm apud Hippocratem primo aphorismorum XXII. non solùm promptitudinem, verùm etiam impetum, & motum denotet, vt in commentariis auctor est Galenus. Igitur materia hæc oscitationis, quæ est spiritus, & humor, vt hîc dicitur, nec dissimiliter à Galeno septimo aphorismorum LVI. spiritus vaporosus, aut humiditas flatuosa in musculis contenta, quoties turgeat corpus, facilè admodum, & promptè ciet motum hunc oscitationis, quem ciere apta est: nimirum si solummodo quempiam inspiciamus eo motu comprehendi: ex inspectione enim excitata memoria illud efficitur, & in actum deducitur, quod antea non efficiebatur, nec in actum deducebatur à nobis, quod tanquam obliti essemus: est enim materia illa ad eam rem maximè procliuis, quippe tenuis, & facile mobilis: quod etiam in vrinæ emissione; de qua cùm agatur problemate sexto, sicuti de eadem oscitatione eodem sexto, & proximè sequenti, non est, vt plura hoc loco addamus.

II.

Διὰ τί ἐαν μέν τινα ἴδωμεν τὴν χεῖρα ἐκτείνοντα, ἢ τὸ πόδα, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν τοιοῦτον, οὐκ ἀντιποιοῦμεν τὸ αὐτό; ἐαν δὲ χασμώμενον, ἀντιχασμώμεθα; ἢ ἐδὲ τοῦτο ἀεὶ ἀλλ' ἐαν ὀρῳῶν τύχῃ τὸ σῶμα, καὶ ὅτω διακείμενον, ὥστε τὸ ὑγρὸν ἀναθερμαίνεσθαι; τότε γὰρ ἡ μνήμη τὴν κίνησιν ποιεῖ, ὥσπερ καὶ περὶ ἀφροδίσια, καὶ ἐδωδήν· τὸ γὰρ ποιῆσαν μνήμην ἔχει, τὸ ἔχον ὁρμὴν πρὸς τὸ φανταστόν.

Quam ob rem si aliquem videamus manum extendentem, aut pedem, aut aliam huiusmodi corporis partem, non illi in re eadem respondemus, si autem oscitantem contra oscitamur? An hoc non semper accidit: sed cùm turgens fuerit corpus, & ita præparatum, vt humidum recalfiat: tunc enim memoria commotionem gignit, quemadmodum etiam in venereis, & comestione vsu venit: quod enim memoriam facit, illud idem impetum mouet, erga id, quod imaginatione est apprehensum.

Hic consensus inuicem respondendi in similibus actionibus, non semper locum habet: sed cum præparata materia aduenit earum occasio. Tantum igitur abest, vt in extensione manuum, aut pedum, id debeat contingere, in qua nec turgidum dicitur corpus, nec materia existit, quæ memoriam excitando, caussam præbeat, vt neque in eademmet oscitatione idem semper contingat, sed tum solùm, cùm turgente corpore, materia est apparata: tunc enim facilè ex inspectione, & memoria motis spiritibus humidum calefit, atque dimouetur; ex quo non solùm oscitandi, sed venereorum quoque, vt habemus etiam apud Fracastorium capite XXIII. & cibi oritur appetitus. τὸ ἔχον ὁρμὴν. *Impetum mouet.* Ita accepimus, ἔχον, putantes hoc loco idem valere, quod, ἐλαύνειν, quæ notio ab Hesychio, & aliis Grammaticis illi verbo tribuitur; Antiquus tamen interpres reddit, *consequens:* tanquam haberet Aristoteles, ἑπόμενον. Porrò vltimam problematis vocem, πάθος, addidimus ex Iustiniani codice.

III.

Διὰ τί ἐπειδαν πρὸς τὸ πῦρ στῶμεν, ὀρηπιῶμεν; καὶ ἐαν πρὸς τὸ ὕδωρ οἷον ἐαν πρὸς τὸν ποταμὸν, οὐρῶμεν; ἢ ὅτι τὸ πᾶν ὕδωρ ὑπόμνησιν δίδωσι τοῦ ἐν τῷ σώματι ὑγροῦ τοῦ, καὶ ἐπικαλεῖται τὸ οὐρητικόν; αὐτὸ δὲ τὸ πῦρ διακαλὰ τὸ πεπηγὸς ἐν τῷ σώματι, ὥσπερ ὁ ἥλιος τὸν χιόνα.

Quam ob rem si propè ignem steterimus, desiderio mingendi afficimur: & si propè aquam, vt apud fluuium, mingimus? An quoniam aqua omnis memoriam exhibet illius, quæ est in corpore humiditatis; & quod sponte fertur, euocat? ignis autem ipse dissoluit, quod est concretum in corpore, quemadmodum Sol niuem.

Antiquus interpres aliam lectionem sequutus videtur, quàm habeant Græca vulgata exemplaria, quibus nos in tralatione adhæsimus: ille enim cum negatiua particula, primam problematis partem legit, in hunc modum. *Propter quid si iuxta ignem steterimus nō mingimus?*

illa autem carent excusi Græci codices, quos ego viderim: & ad finem problematis in solutione, vbi hi habent τὸ πῦρ διέχαλᾶ, *ignis dissoluit*, ille videtur legisse, τὸ ὕδωρ διέχαλᾶ, *aqua dissoluit*: Atque ita ad marginem reponit Iustinianus. Cæterùm quoniam si negemus ab igne cieri mingendi desiderium refellat nos experientia, malim vulgatam Græcam lectionem sequi. Nam quod idem interpres vertit, *si iuxta ignem steterimus, non mingimus*: ex quo existimare possit aliquis vera proponi; quippe apud ignem manentes non mingere, sed micturire potiùs, iam non valeat: Græcè enim verbum est, quod non mictionem, sed micturitionem potiùs, vt ita loquar, designet, nimirum, ἐρεπτῶμεν. Igitur vulgatæ scripturæ malui adhærere, etsi non absque aliquo scrupulo: quippe de igne res non videtur eodem niti fundamento: non enim à similitudine pendet, sicuti tum superiora duo, tum quod hoc eodem problemate de aqua propositum est: vt illud vix aut ne vix quidem ad sympathiam referri possit. Fortasse autem hic sit sensus, atque tum tolletur scrupulus, tum verò negatio quodammodo locum habere, & non habere poterit: *quam ob rem si propè ignem steterimus non mingimus, sed micturimus: si autem prope aquam non micturimus, sed mingimus?* Ita enim, quod de igne micturitionem prouocante dicitur, iam non sit necesse referre ad similitudinem; quippe tantummodo propositum alteri membro ex aduerso. Dicit igitur Aristoteles ab ignis vicinia vrinæ desiderium prouocari, à vicinia autem aquæ multa copia existentis, & potissimùm labentis, vt fluuij, sicuti ipsemet exprimit, opus ipsum, seu operationem ad actum deduci: id autem pariter fit ob similitudinem, ac memoriam, quæ superiùs proposita sunt. Quippe inspecta aqua eiúsque in corpore genita specie, ob similitudinem excitata memoria euocatur illud, quod satis facile egressu est, nimirum labilis illa, ac tenuis materia in corpore existens. Ad ignem autem non contingit hæc similitudo, aut memoria: sed eius vi attenuante, & colliquante, sequitur dissolutio eius, quod in corpore erat concretum, non secus, ac niuis ex calore Solis liquatio fit: labente verò ea dissoluta & liquata materia ad vesicam, mingendi oritur desiderium. Quòd si hoc loco non πῦρ, *ignis*, sed ὕδωρ, *aquam*, legamus; aquæ speciem dicemus, quæ oculis obuersatur, & intus recipitur, vim habere soluendi, & laxandi, tum concretos humores, tum musculum, qui vesicam claudit, atque ita vrinam profundi, magis tamen arridet lectio Græcorum codicum, quam etiam in contextum recepimus, vt locum absque negatione, & πῦρ, non ὕδωρ legamus; hæc enim confirmatur ab Agellio, apud quem libro XIX. capite I V. dum hoc problema ex Aristotele proponitur, manifestè locus ita scriptus est: ἢ ἐπικαλεῖται τὸ φορτίον. *& quod sponte fertur euocat.* Duobus modis exponi possunt verba, eodem sensu: vno vt in tralatione fecimus participium τὸ φορτίον, accipientes accusandi casu, vt intelligatur ab aqua euocari quod sponte fertur, hoc est vrinam ipsam quæ se se facilem præstat exitui; altero vt idem φορτίον, sit nominandi casus, & intelligatur aqua ipsa fluuij, cuius vicinia excitat memoriam, tanquam dicat Aristoteles: & accedens seu propè facta euocat illam, quæ intus est.

I V.

Διὰ τί ὀπὸ μὲν νοσούντων ἐνίων νοσεῖσιν οἱ πλησιάζοντες, ὑπὸ δ' ὑγιείας οὐδεὶς ὑγιάζει; ἢ ὅτι ἡ μὲν νόσος κίνησις· ἡ δ' ὑγίεια, ἠρεμία; ἡ μὲν οὖν, κινεῖ· ὁ δ' οὐθέν· ἡ διότι τὸ μὲν, ἀκουσίως· τὸ δ' ἑκουσίως γίνεται; ἢ ἆρα τὰ ἀκούσια, τῶν ἑκουσίων, ἐν τῷ ἐπὶ προαιρέσεως διαφέρει.

Cur à morbis nonnullis ægrotant, qui appropinquarint, à sanitate nemo sanari potest? An quoniam morbus motio est, sanitas autem quies, ergo ille mouere potest. An quòd alterum non voluntariè, alterum voluntariè accidit: res autem non voluntariæ à voluntariis, consultísque plurimùm differunt.

De hac morborum contagione habuimus nonnulla problemate septimo primæ sectionis: tractatúrque iterum idem argumentum hac eadem sectione problemate octauo. In præsentia autem, cur morbi aliqui vt lippitudo, phthisis, scabies, febris maligna, dysenteria aliquando, & alij etiam interdum contagione apprehendantur, sanitas autem nullo in genere ex approximatione ad sanum apprehendatur, causas duas affert Aristoteles; Quarum prima est, quoniam illud, quod in aliud mittitur, & transfunditur, per motionem mittitur, & transfunditur; morbus autem motio est, sanitas non est, sed potiùs quies: per morbum igitur mittetur affectio, non per sanitatem. Sciendum autem est, Galenum voluisse morbum esse affectum seu constitutionem corporis actiones primò lædentem;

nimirum è genere constantium & permanentium ; quod verò in motu positum est, dici voluit pathos, non autem affectum, aut morbum, libro de differentiis symptomatum ita scribens: *Motione pathos ab affectu discriminatur, quum enim quieuerit alterans, alteratio permanens in re, quæ perpessa est, eiusdem rei affectus esse censetur. Itaque pathos est, dum quidpiam conuertitur, mutatur, alteratur, mouetur; affectus verò in subiecto corpore, & permanet, & seruatur.* Aristoteles tamen hoc loco morbum dicit esse motionem, at motio non est è genere permanentium: Verùm facilè conciliantur, si dicamus, Galenum considerâsse morbum quatenus factus est, & quum talis non ampliùs à caussa pendet,& è genere permanentium est: non ita sanè vt neget Galenus morbos, dum sunt in fieri, vt in scholis loquuntur,non esse morbos; quod falsum est, sic enim febris putrida non esset morbus: sed quod in huiusmodi morbis, cùm pars quidem fiat, pars autem iam facta sit,Galenus morbi essentiam voluit esse in eo, & ex eo deduci, quod factum iam est,idque respiciens morbum dixit esse è genere permanentium. Aristoteles autem, qui morbum considerauit, quatenus gignitur, & dum gignitur, quod successiuè fit,motionem hoc loco esse dixit: nec Galenus dissentit; qui enim fit morbus, & dum fit, vult esse morbum; sic enim scribit primo de locis affectis: *Nonnunquam à caussa quapiam oritur affectus; sed ita oritur, vt separata caussa haud quaquam permanentem habeat dispositionem: interdum autem partim iam factus est, partim etiamdum fit.* ἡ δ' ὑγίεια, ἠρεμία. *Sanitas autem quies.* In quiete consistit sanitas: nam cùm iusta humorum proportione existente, nihil quidquam quantitate, aut qualitate excedit, partes omnes placidè, & tranquillè, ac sine turbulentia munere suo funguntur, quemadmodum in ciuitate contingit, cùm singulis ciuibus, quod ipsorum muneris est, obeuntibus, nec alio alius locum occupante, nullus motus, aut turbulentia contingit: secus si aliqua pars in alteram tirannum agat. ἡ δ' οὐ δύναται. *hæc autem non potest.* Nam quod mouet,mouetur, quod autem quiescit quatenus tale non mouetur. ἢ διότι τὸ μὴ ἄκοντι. *An quòd alterum non voluntariè.* Altera solutio Morbus fit nolenti, sanitas volenti: voluntaria autem à non voluntariis, & iis, quæ fiunt ex electione differunt: ex quibus conclusio sequitur (quam tamen non expressit Aristoteles) morbus igitur & sanitas in generatione differunt. At morbus ex morbi vicinia gignitur, non igitur gignetur sanitas. Quomodo porrò differant voluntaria à non voluntariis, & iis, quæ sunt ex electione, docet Aristoteles libro tertio de moribus ad Nicomachum, quo in loco scribit inuoluntaria seu ἀκούσια esse, quæ fiunt à nobis vi, seu propter ignorationem: voluntaria autem seu ἑκούσια, quorum principium, in ipso, qui egit, manet, intelligente singulas res ac partes illius: quæ autem fiunt ex electione, illa arctiori spatio quàm voluntaria contineri, docet ibidem Aristoteles. Quomodo autem morbus fiat nolenti, sanitas volenti,de eo nihil proponit Aristoteles. Aponensis dicit sanitatem eligi à quolibet modò sanæ mentis sit, ægritudinem autem à nemine: quod autem vnusquisque eligit illud sibi habere, & nemini communicare velle: quod autem quilibet spernit, vnicuique potiùs, quàm sibi velle: talia autem cùm sint morbus, & sanitas, merito fieri, vt morbi communicentur, non communicetur sanitas. Atqui enimuero cùm à voluntate & consilio nostro, morborum hæc transmissio, & sanitatis, minimè pendeat, non video quomodo ea, quæ dicta sunt, locum habere possint. Quid enim cùm ophtalmia afficimus, quem vnicè diligimus amicum, aut cognatum? cùm phthisi filios, quos sæpius à parentibus affici ob temperamenti affinitatem certum est? At verò num qui ægrotant, emittentes morbum, eo liberantur? aut si sanitatis principia emittantur,ea priuantur, quibus inerant? Non igitur assequor quid electio aut voluntas possit hac in re præstare: præter quàm ad fascinationem, qua pertinet voluntas. Quòd enim legimus de Thessalis, & quibusdam familiis in Creta, quæ intuendo infantes in tabem verterent, ad intensum lædendi desiderium, cum quo lethalium spirituum emissio iungeretur putem referendum esse. Igitur hanc Aristotelis rationem accipio tanquam maximè communem: quippe principiis morbi, & sanitatis maximè contrariis existentibus, altera enim voluntaria in eo, qui sanitate gaudet, altera inuoluntaria in eo, qui morbo afficitur; iam & contraria erunt eorum accidentia, seu effectus: at alterum communicatur;non igitur alterum. Itaque est, vt reminiscamur, quod alicubi superiùs diximus, rationes, quæ hisce in libris afferuntur, in doctrina problematica afferri, vt ad lancem subtilissimè examinandæ non sint: & opinio quædam sufficiat, necessitas minimè requiratur. Porrò idem problema habemus apud Alexandrum libro primo xxxv. his verbis. Διὰ τί ὁ ὀφθαλμιῶν τῷ ὑγιαίνοντι μεταδίδωσι τὸ πάθος· οὐκέτι μὲν ὁ ὑγιαίνων τῷ πάσχοντι μεταδίδωσι τὴν ὑγιείας; τῷ δὲ τὰς ὀφθαλμὰς ὑγρὰς, καὶ μαλακὰς, ἢ διὰπαθεῖς· ἔτι γε μὴν ἢ τὴν ὑγιείας ἐκ συμμέτρου κράσεως ἴσης; τὴν δὲ νόσον ἐξ ἀμέτρου δυσκρασίας· τὸ οὖν σύμμετρον ῥᾷον ἴσως τὸ ἀμέτρου μεταβάλλει), καὶ τρέπει πρὸς τὐναντίον·

οὐκ ἔν ἡ ὀφθαλμῷ δυσκρασία τις ἄμετρος ὅσα τὴν ὑγιείαν τρέπει, θᾶττον ὅσαν δύκρασίαν σύμμετρον ἔγνωμε ἢ τὴν τροπὴν γίνεσθ, διὰ τ φυσικὴν τ σωμάτων συμπάθειαν. hoc est, vt nos conuertimus: Theodori enim, quæ habetur tralatio, variè peccat, vt mihi quidem videtur: *Cur ſano lippiens morbum communicet, ſanus autem lippienti ſanitatem haud quaquam? quoniam oculi humidi & molles ſunt, & facilè pati poſſunt. Adhuc autem cùm ſanitas in temperie moderata & inuicem proportionata conſiſtat, morbus autem in temperie immoderata, & non proportionata, quod moderatum, & inuicem proportionatum eſt, facilius ab immoderato, & improportionato tranſmutatur, & conuertitur, quàm è contrario. Igitur oculorum intemperies, quæ immoderata eſt, ſanitatem celeriùs peruertit, quippe moderatam temperiem. Nouimus autem mutationem omnem fieri ob naturalem corporum conſenſum, & ſympathiam.*

V.

Διὰ τί τ μὲ διὰ τ ἀκοῆς λυπηρῶν ἔνια φρίττειν ἡμᾶς ποιεῖ; οἷον πρίων ἀκονώμενον, καὶ κίσηρις τεμνομένη, & λίθος ἀλήμενον· τὰ δὲ διὰ τ ὄψεως σημεῖα τ παθῶν, αὐτὰ ἡμῖν τὰ πάθη ἐμποιεῖ; αἱμωδιῶμέν τε γὰρ τὲς ὀξὺ ὁρῶντες ἐσθίοντας· & τὲς ἀπαγχομένους ἔνιοι ὁρῶντες, ἐκψύχουσι· ἢ διὰ φονὴ μὲ πᾶσα καὶ φόφος, ἐν πνεύμα ὄξι; τὸν δὲ εἰσδυόμενον ἡμῖν, πέφυκε κινεῖν· κινήσ δὲ μᾶλλον, ἢ διὰ μέγεθος, ἢ διὰ πληγὴν σφοδροτέραν ποιῶν ἢ ἀλλοιῶν τι τ ἐν ἡμῖν· τὰ μὲ οὖν μεγάλα & λεῖα πνεύματα τ δ αἰσθήσεως τόπον αὐτὸν κινεῖ. (διὸ καὶ ἡδύνει τὰ τοιαῦτα) τὰ δὲ τραχέα, ποιοῦντα πληγὴν σφοδραν, σείει τε τ τόπον, καὶ πόρρω διαδίδωσι τῇ τ πληγῆς δυνάμει· διαδίδωσι δὲ & τὰ ψυχρὰ πόρρω. δύναμις γάρ ἐστιν ἡ ψυχρότης· αὕτη μὲ οὖν ὅτι φρίττειν ποιεῖ εἴρηται· τὰ δὲ τραχέα, τῷ πληγὴν ποιεῖν πυκνὴν, θερμοῦται τῇ ἐκχῇ τ τριχῶν, ἀπαθεῖ αὐτὴν εἰς τοὐναντίον· ἀποθερμήνη δὲ, ἀνάγκη τὴν κορυφὴν τ τριχὸς ἀναπάλιν γίνεσθ· διὸ συμβαίνει ἵστασθ αὐτάς· πᾶσαν γὰρ νενεύκασι κάτω· ἡ δὲ φορὰ τὲ διὰ τ ἀκοῆς πνεύματος, εἰς τὸ σῶμα ἄνωθεν κάτω ὄζει· ὄντων οὖν τραχέων τ εἰρημένων φόφων ἡ φρίκη γίνοιτ' ἂν διὰ τὸ εἰρημένα· γίνοιτ' δ' αὖ μᾶλλον τῷ ἄλλῳ σώματι, ἢ ἐν τῇ κεφαλῇ, διὰ τὰς ἐνταῦθα τρίχας ἀσθενεστέρας ἔσῃ, διὰ τὸ πάθος ἀσθενες· τ μὲ οὖν ἀκοῆς ἧσσον ἀμβλυτέρας αἰσθήσεως ἢ τ ὄψεως, ὀπτικώτατα & τὰ πάθη γίνεσθ ἀπ' αὐτῆς· ἡ δὲ φρίκη, τοιοῦτον· διὸ καὶ ἀπὸ πολλῶν καὶ ἀνομοίων γίνεσθ· τ δὲ ὄψεως ἐναργεστέρας ἧσσον αἰσθήσεως, ἀνάλογον & τὰ συμβαίνοντα γίνεσθ ἀπ' αὐτῆς· διὸ ταῦτα μὲ τὰ ἀπὸ τ ἀληθείας· ἀπὸ δὲ τ ἀκοῆς, αὐτὰ μὲ ἕ· τῷ δι' ἀπ' αὐτῶν προσδοκίαν φρίττομεν ἀλγινὸ γὰρ κακὸ προσδοκία ὄζι.

Quid eſt, quòd nonnulla ex iis, quæ auditu triſtia nobis occurrunt, vt inhorreſcamus efficiant? vt ſerra cùm exacuitur, & pumex cùm ſecatur, lapis cùm mola frangitur. Quæ autem notæ affectionum patent aſpectui, hæc genera affectionum ipſa in nobis creant: dentes enim ſtupeſcunt, cùm aliquos rem acidam edentes aſpicimus, & pleríque cùm homines laqueo ſuſpendi, vel aliter ſtrangulari viderent, ipſi defecerunt. An quòd vox omnis, genúſque omne ſtrependi ſpiritus eſt, qui noſtrum ſubiens ſenſum, mouere nos ſolet: cúmque ſuum motum, vel magnitudine vel pulſu vehementiore amplificauit, aliquid ex iis, quæ noſtro in corpore latent immutat, & ſæpe interimit: ergo ſpiritus, qui quamuis magni, lenes tamen adierunt, ij ſedem ipſam commouent ſentiendi, à lætitia ob eam rem nos afficiunt. Aſperi autem, quoniam ictum inferunt vehementiorem, ſedem vtique illam concutiunt, longéque pro ictus ſui facultate ſe porrigunt, quod idem res quoque frigidæ faciunt. Frigiditas enim, vis quædam eſt: ſed hanc horrorem inuehere poſſe dictum iam eſt. Aſperitas verò, quòd pulſu frequente initium pilorum concutiens, in partem pellit aduerſam, efficit vt pili ſe erigant: pulſo námque initio, cacumen pilorum ſe transferat in partem aduerſam neceſſe eſt. Itaque fit, vt pili exurgant, omnes enim deorſum procumbunt, & ſpiritus quoque, qui per aures corpori ſe inſinuat, de ſummis ad ima ſe defert. Ergo cùm ſoni, quos modò diximus, aſperi ſint, horror vtique ob cauſſam prædictam moueri poteſt. Sed euenit, vt cæteris partibus potiùs, quàm in capite moueatur: quoniam vt pili partium cæterarum imbecilliores ſunt, ſic affectus hic imbecillus occurrit, cùm verò ſenſus audiendi, quàm videndi

obtusior sit, affectus quoque hebetiores per summa errant, qui ab eo ipso proficiscuntur. Horror autem talis est, quamobrem multis, ac variis caussis existit. Sensus videndi verò, cùm omnium exquisitissimus certè sit, euenta quoque ipsa pro sua præstantia solet ingerere, quocirca efficitur, vt ipsi veri affectus proficiscí ex eo possint, quamuis verò leuiores. At in sensu audiendi vt ipsos minimè, sic eorum expectationem nimirum horremus: rei enim tristis, & anxiæ expectatio existit.

Inquirit caussam dissimilitudinis, ac diuersitatis, quam habet sensus auditus à sensu visus, dum circa tristia quædam obiecta vterque eorum versatur: nam ob auditum, sicuti ex serræ strepitu, aut stridore dum auribus percipitur, solummodo horrore afficimur, ob visum autem eandemmet passionem incurrimus, cùm illa, quam intuemur vt dentium stuporem, si quempiam acida comedentem videamus & strangulationem, nimirum quandam spiritus suffocationem si aliquem strangulari. Fracastorius libro de sympathia, & antipathia capite primo, non dentes obstupescere ei, qui intueatur acerba comedentem proponit: verùm saliuam in os prosilire: cuius rei rationem reddit eodem libro capite XXIII. Cuius verba referuntur à nobis in problematis sexti commentario ad finem σημεῖα τ̃ παθῶν. *Quæ autem notæ affectionum.* Tristia illa obiecta seu passiones quæ visui offeruntur, appellat Aristoteles signa & notas passionum, quoniam ostendunt nobis, & patefaciunt passiones, quæ intus existunt, sicuti libro περὶ ἑρμηνείας ad initium, dixit voces esse signa, & notas passionum, quæ sunt in anima. ἀπαγχομένους. *cùm homines laqueo suspendi, aut aliter strangulari viderent.* Aristotelis dictio vnicum tantùm verbum continet, ἀπαγχομένους, id autem strangulationem significat, quæ tum à caussa externa, vt laqueo, tum interna vt humore, aut alia re viam spiritus occupante & obstruente contingere potest. ἢ διότι φωνὴ μὲν πᾶσα. *An quòd vox omnis, genúsque omne stupendi spiritus est.* Explicat, quod quærebatur. Primùm autem horroris caussam affert, qui ex eo stridulo sono gignitur: tum explanat, quæ ad visum pertinent. Vult autem horrorem fieri ob asperitatem soni, qui editur, dum illæ res ita mouentur: id autem quomodo contingat, liquidiùs explicat. Ait enim vocem omnem & sonum omnem spiritum esse, qui corpus nostrum subiens commotionem facit. Est autem vox species soni, cùm sit sonus animalis, vt dicitur libro secundo de anima: sonus autem est motus aëris, sicuti eodem loco dicitur, efficítque in ipso aëre circulum & vndationem, non secus ac lapillum in aqua proiectum circulos & vndationes efficere videmus. Hic autem spiritus, aut ventus qui nos intus mouet, id variè præstare solet, pro eiusdem spiritus modo & conditione. Nam vel ob magnitudinem suam, vel ob ictus vehementiam, maiorem parit commotionem, aut faciens, aut immutans aliquid eorum quæ intus in nobis sunt. Si igitur spiritus aut venti non magni sunt, sed lenes; ipsum sensus locum, & audiendi instrumentum tantummodo mouent, blandè nimirum, & mediocriter: vnde suaues & naturæ grati accidunt, proportionatim etenim sensui, ipsum motione demulcent. At si asper sonus sit, præ ictus vehementia, iam non mouet sed quatit locum ipsum sentiendi, & percussionis vi longè se se porrigit: nimirum sonus ille, seu aër ille motus longè intùs se se diffundit, efficítque frigiditatis modo, vt à circumferentia ad centrum fiat motus sanguinis & spiritus: ex quo horror percipiatur, quomodo frigida facultas eundem horrorem producit. Estque sanè etiam ventus ille, aut aër motus frigidus, ob quam caussam etiam frigiditatis meminisse Aristotelem puto. Sonus igitur ille asper, seu aër ille motus crebris percussionibus, seu repercussionibus feriens, ac tundens radices pilorum, quæ sunt in cute, pellit in contrariam partem, ac priùs erant: pulsa autem radice, necesse est cacumen in aduersam partem transferri, atque ita ipsos erigi: nam cùm antea deorsum recumberent, motus autem aëris sit ex parte, quæ est sursum ad eam quæ est deorsum, cùm ingrediatur per foramen aurium, & expandatur super quintum par neruorum cerebri, descendendo per nerui ramificationes vtrimque, sicuti dicit Aponensis ad hunc locum, tandémque ad cor ex Aristotelis sententia peruenies quemadmodum idem Aponensis addit, fit ex huiusmodi motu vt pili erigantur, & horror contingat. Sanè autem ad hunc de sonis locum, qui & quamobrem suaues, seu ingrati auribus accidant videre licet, ea, quæ Fracastorius affert libro de sympathia, & antipathia capite XIV. γίνον) δ' αὖ) μᾶλλον τῷ ἄλλῳ. *Sed euenit, vt cæteris partibus potiùs.* Caussam reddit cur aliis potiùs corporis partibus, quàm capite, fiat vt pili erigantur: & ait, id contingere, quoniam pili aliarum partium sunt imbecilliores, capitis autem validiores: at passio ob quam erigantur est imbecillis, imbecillum autem ab

imbecillo pati poteſt, validum non poteſt. τὸ μὲν οὖν ἀκοῆς ἔσης. *Cùm verò ſenſus audiendi*, explanat alteram partem problematis, quæ ad viſum pertinet, & cauſſam reddit diuerſitatis, quam initio propoſuerat. Ait igitur ſenſum videndi eſſe multò magis exquiſitum, & ſpiritualem, vt aiunt, quàm ſenſum audiendi; hic autem eo obtuſior & magis materialis; iure igitur fit, vt paſſiones quæ ex auditu contingunt, ſuperficiales ſint; cuiuſmodi affectus horror eſt; qui etiam idcirco facilè, & promptè ob varias cauſſas contingit. At ſenſus videndi cùm exquiſitiſſimus ſit obiectáque non ſuperficie-tenus, ſed euidentiſſimè percipiat, eadem proportione etiam qui ab ipſo fiunt effectus, & accidentia contingent: vnde non horror, ſicuti circa obiecta auditus: ſed ipſimet veri affectus ex illo oriuntur, licèt leuiores: in ſenſu autem audiendi nequaquam veri contingunt; quoniam non ita corporis partes intimas poſſunt huius obiecta peruadere, & illas afficere, cùm ſit magis obtuſus, & materialis, vt dictum eſt, & faciliùs quidem, ac promptiùs, ſed ſuperficie-tenus moueat: vnde non ſolùm obiecta ipſa actu exiſtentia, ſed futura etiam, & ipſorum expectatio horrorem inducit, cùm ſuperficialis motio ſit, quæque facilè, & promptè contingat: Inducit autem horrorem, quia eſt expectatio rei triſtis, & dolorificæ; triſtitia autem horrorem parit. ποιεῖν ἢ ἀλλοιοῦν. *immutat, & ſæpe interimit.* Licentioſiùs Theodorus conuertit verba hæc, nec magis fideliter alia nonnulla. Nos igitur, qui in expoſitione minimùm à verbis Ariſtotelis, plùs à tralatione Theodori receſſimus; vt expoſitionis ratio conſtaret, rudiorem, ſed fideliorem tralationem proponendam cenſuimus, hunc in modum: *An quoniam vox omnis, & omnis ſonus ſpiritus eſt. Hic autem corpus noſtrum ingrediens, mouere aptus eſt, mouebit autem magis, vel ob magnitudinem vel ob ictum vehementiorem, efficiens, aut immutans aliquid eorum quæ intus ſunt. Magni igitur & lenes ſpiritus ipſum ſenſus locum mouent, vnde & dulcia nobis huiuſmodi ſunt, aſperi autem, quum victum inferant vehementiorem locum quatiunt, & ictus facultate longè ſe ſe diffundunt.* τὸ δὲ ὄψεως ἐναργέστερας ἔσης αἰσθήσεως ἀνάλογον, καὶ τὰ συμβαίνοντα γίνεται ἀπ' αὐτῆς. *Senſus videndi verò, cùm omnium exquiſitiſsimus certe ſit, euenta quoque ipſa pro ſua præſtantia ſolet ingerere.* Fideliùs hæc etiam ita conuertamus. *At cùm videndi ſenſus exquiſitiſſimus ſit, proportione ei reſpondentia contingunt accidentia.* Διὸ δὲ τὸ ἀκοῆς αὐτὰ μὲν ἐν τῷ αὐτῶν φερτὰ ποιεῖσθαι φείδομαι. *At in ſenſu audiendi, vt ipſos minimè, ſic eorum expectationem nimirum horremus* Hæc non ſunt ita coniungenda nec ita coniunguntur in Græca Ariſtotelicæ orationis ſerie: & quoniam ſententia aliquod accipit detrimentum ita fideliùs poſſunt conuerti: *In ſenſu autem audiendi nequaquam: ipſorum autem expectationem horremus.*

VI.

Διὰ τί χασμησαμένοις αὐτοῖς ἀποκασόμεθα, καὶ ὅταν ἐρεσθῶσι ἴδωσι ἐρῶσι, καὶ μάλιστα τὰ ὑποζύγια; ἢ διὰ τὴν μνήμην; ὅταν γὰρ μνησθῶσι κινῶσι τοῦτο τὸ μέρος· τοῖς μὲν οὖν ἀνθρώποις; διὰ τὸ δυναισθητέρους εἶναι, ἰδόντι δὲ τοῦτο συμβαίνει καὶ κινεῖσθαι, ἐὰν ἀναμνησθῶσι· τοῖς δὲ ὑποζυγίοις, οὐκ αὐτάρκης τὸ ἰδεῖν ἀλλὰ προσδέονται ἄλλης αἰσθήσεως· διὸ καὶ ὀσφρανθέντα· ὅτι δυκινητικὴ αὕτη ἡ αἴσθησις τοῖς ἄλλοις λόγοις ἐν διὰ τοῦτο εἰς τὸν αὐτὸν τόπον ἅπαντα ἐρεῖ, ἐὰν τὸ πρῶτον ἐρήσῃ· τότε γὰρ μάλιστα κινοῦνται, ὅταν ὀσφρανθῶσιν· ὀσφραίνονται δὲ ὅταν πλησιάσωσι.

Cur oſcitanti ſæpe in oſcitando reſpondemus: & cùm mingentem quempiam videmus ad mingendum mouemur? Quod iumentis præcipuè accidit. An propter memoriam: mouemur enim ea ipſa parte, quoties memineri-mus. Hominibus tamen, quia ſenſu præditi ſunt faciliori, ſtatim vbi viderunt euenit vt moueantur, reminiſcantúrque: iumentis autem vidiſſe non ſatis eſt, ſed alio quoque ſenſu opus eſt. Quamobrem addito etiam olfactu, mouentur: quoniam ſenſus hic in brutis mobilior eſt. Vnde fit, vt eodem in loco ſequentia mingant omnia, quo primum eminxerit: tum enim præcipuè mouentur, cùm olfaciunt: olfaciunt autem poſteaquàm appropinquârunt.

Iterat primum problema de oſcitatione, idem præterea de mictu, tum in hominibus, tum in brutis, quærens, quod de oſcitatione problemate primo propoſuerat. Eſt autem ſolutio eadem fermè, quæ problemate primo adducta fuit; ob memoriam nimirum fieri commotionem: mouetur autem pars præſertim, quæ reſpondet ei, quam affici videmus; illa autem mota, motáque materia, quæ ibi continetur, ſeu vapor ſit, vt in oſcitatione, ſeu

humor,

humor, vt in mictione, fit excernendi appetitus, cui ſtatim muſculi obediunt. Oſtendit autem differentiæ cauſſam, quæ hac ipſa in re hominibus cum brutis intercedit, dicens τοῖς μὲν ἐν ἀνθρώποις, hoc eſt: *Hominibus tamen quia ſenſu præditi ſunt faciliori, &c.* Homines nimirum faciliùs, & promptiùs ſolo viſu, bruta autem tardiùs, vt etiam olfactus neceſſarius ſit, commoueri. Id autem fieri tradit, quoniam homines ſenſus habent mobiliores, quique faciliùs alterentur, ratione temperaturæ, vt ex carnis mollitie apparet: bruta autem minùs mobiles. Non igitur commotio ex vno ſolo ſenſu per ſe his ſufficiens eſt: ſed ex duobus neceſſarium eſt illam fieri; & ex illo ſenſu præſertim, in quo circa mobilitatem homini affinia, & ſimilia bruta ſunt, hic autem eſt olfactus. ἢ ἀφ' τοῦτ. *Vnde fit vt eodem in loco.* Corollarium, quod deducitur ex ratione propoſita: Oſtendit autem præter quæ ſita initio problematis, quare bruta, licèt non videant mingentem ſocium, mingant tamen eo loco, quo præcedentia minxerint: Id autem fieri dicit, quoniam ex olfactu, qui ſenſus ſatis mobilis in ipſis eſt, cùm appropinquauerint loco, vbi alia minxerint excitatur memoria, paratáque materia, vt dictum eſt primo problemate & ſecundo, excretio promptè contingit. Alexander libro primo problematum, idem quæſitum propoſuit; cuius verba, etſi nihil plùs ſed aliquid minùs, quàm Ariſtotelica contineant referenda putaui. Ita autem leguntur problemate XXXIV. Διὰ τί οἱ βλέποντες χασμωμένους χασμῶνται· ἀφ' τὸ ἡ φύσιν ὁμοιοπαθῆ & συμπάσχειν τῶν ζώων, πλεον ἢ τῶν ἀλόγων· ἔστω δὲ ἐνθυμηθῆναι ὅτε, καὶ οἱ λοιποὶ συνεξουρεῖσι αὐτῷ πεπληρωμένοι ἔσαν. hoc eſt, vt idem Theodorus conuertit; *Quam ob rem, qui oſcitantem viderint, oſcitare incipiant? quoniam natura animantium conſentiens inter ſe, afficiq; mutuò aptiſſima eſt, maximéque brutorum. Hinc vbi è grege aſinorum meiere vnus adorſus eſt, cæteri quoque omnes identidem faciunt, quibus veſica plena eſt vrina.* Non omiſerim etiam, quæ Fracaſtorius capite XXIII. ad hunc locum, & oſcitationem pertinentia proponit, atque ita leguntur: *Quoſdam præterea conſenſus habet phantaſia, quum à memoria quorundam mouetur, aut valde intenta eſt: quippe alio oſcitante, & nos pariter oſcitamus, ſi non aduerterimus: quod fit excitata memoria alterius ab oſcitatione, tum & facto repentè & inaduertenter appetitu eiuſdem, quod aliàs anima, vti bonum agnouit, vnde & nos ſimul oſcitamus: nihil enim refert ad faciendum eum motum, an vapores aliqui pigri ſuper muſculis ſint, vnde appetitus fiat excutiendi, an alio modo, & ex memoria innaſcatur idem appetitus, idem enim omnino fit: innaſcitur autem non aduertentibus nobis facta memoria, aduertentibus autem non innaſcitur, phantaſia rectum indicante. Similiter & edente alio acerba quædam memoria fit, & appetitus conſimilium: omnis autem appetitus animam mouet, & calorem, anima autem quæ in membro eſt, quod appetit, quaſi ſibi deficiat aliquid in eo, ſuggerit proportionale quiddam, aut ſaliuam, aut quod melius iudicat.*

VII.

Διὰ τί ὀπτιδὲν τειτόμενόν τινα ἰδόντες, ἢ καιόμενον, ἢ στρεβλούμενον, ἢ ἄλλο τι τῶν δεινῶν πάσχοντα συναλγοῦμεν τῇ διανοίᾳ; ἢ ὅτι ἡ φύσις ἡμῖν τοιαύτη; συνῆλγησεν ἂν ὀπτιδάν τι τοιοῦτον ἴδῃ τὸ πάσχοντι, ἀφ' τὸ οἰκειότητα· ἢ ὅτι ὥσπερ αἱ ῥῖνες, & αἱ ἀκοαὶ λαμβάνουσί τινας ἀπορροίας κ' τὰς οἰκείας δυνάμεις, ἔστω καὶ ἡ ὄψις αὐτὸ πάσχει, & ἀπὸ τ' ἡδέων & λυπηρῶν.

Quamobrem cùm ſecari quempiam, aut vri, aut torqueri, aut aliqua re tetra affici videmus, animo vicem eius doleamus? An quòd omnium communis naturâ humana eſt: ignoſcimus ergo, cùm tale quidpiam inſpeximus, propter naturæ conſortionem, & familiaritatem. An quomodo nares, & aures delibationes quaſdam rerum obductarum pro ſua facultate concipiunt, ſic etiam aſpectus afficitur, & à re delectabili, & à triſti.

Ex aliorum tormentis & cruciatibus, quæ oculis vſurpamus affici nos dolore, nemo eſt, niſi humano aſpectu fera ſit, qui non ſæpius fuerit ipſemet expertus. Huiuſce rei rationes duas affert Ariſtoteles: ſed antea illud aduertendum, quod Theodorus transfert, *aliqua re tetra*, meliùs transferri *aliqua re graui*, ſeu, *moleſta*, aut *formidoloſa*. Prima igitur ratio ita habet. Natura in omnibus hominibus vna communis eſt; quare ſocietate & conſortio ipſius, illi ita iunguntur inter ſe, vt veluti partes, & membra vnius, omnes homines ſint, vel potiùs vnus homo cuncti. Vna igitur parte laborante, aliam compati conſentaneum eſt; vel potiùs ipſomet laborante, ob ſemetipſum dolore affici neceſſarium. Homine autem naturæ accipio quæcúmque ad ipſius conſtitutionem conueniunt, quorum alia magis, alia mi-

nùs remota,elementa, humores, partes, inſtrumenta, denique anima ipſa; quæ quò magis affinia & ſimilia ſunt, eò magis efficacia ad effectum illum producendum. Quòd ſi præterea aliæ ſocietates, & ſimilitudines interueniant, ætatis, ſexus, ſtudij, morum, & ſimilium, adhuc validiùs emergit effectus:denique pro cauſſarum portione. Quod autem Theodorus vertit,*ignoſcimus ergo*, quomodo ſumat verbum, *ignoſcimus*, vt rei propoſitæ conueniat, non video. Græcè eſt *συνήλγησεν*,hoc eſt *condolet*, aut *dolore afficitur*, nimirum natura noſtra, aut condolemus, ſeu dolore afficimur, ſi verſionis modum ſequimur, quẽ proponit Theodorus. *ἢ ὅτι ὥσαϕ αἱ ῥῖνες.* Altera ratio aut ſolutio, quæ proximiùs rem attingit: ſumitur autem à ſimilitudine ſenſus viſus, cum aliis ſenſibus, ſicuti eſt auditus & odoratus. Quemadmodum enim hi ſenſus iuxta proprias facultates hauriunt defluxus quoſdam ex propriis obiectis, dum obiecta illa percipiunt; nares enim odores, qui ſunt effluxus quidam, aures,ſonos, qui effluxus ſunt hauſti è re mota:híque defluxus, aut lætitia, aut triſtitia afficiunt illos ſenſus, prout læti,aut triſtes ſunt; eodem modo in aſpectu contingit: ex re enim viſa effluxus perueniunt ad oculos,qui veluti ſunt,aut lætifici, aut triſtifici, modò lætitiam, modò triſtitiam afferunt. De his autem effluxibus, per quos fiunt ſenſationes habemus apud Lucretium libro quarto: & multa ingeniosè apud Fracaſtorium libro de ſympathia, & antipathia capite quinto;in quos effluxus à ſingulis corporibus procedentes magnorum etiam effectuum cauſſas reiicit. Porrò quod Theodorus vertit, *delibationes quaſdam rerum obductarum pro ſua facultate concipiunt*, meliùs, vt puto ad verbum transferamus: *defluxus quoſdam hauriunt iuxta proprias facultates.*

VIII.

Διὰ τί ἀπὸ ϕθίσεως ⸫ ὀϕθαλμίας καὶ ψώρας οἱ πλησιάζοντες ἁλίσκονται· ἀπὸ δὲ ὕδρωπος ϑ, ⸫ πυρετῶν, καὶ ἀποπληξίας, οὐκ ἁλίσκονται), οὐδὲ τῶν ἄλλων; ἢ ἡ μὲν ὀϕθαλμία ὅτι εὐκινητότατον ὁ ὀϕθαλμός, καὶ μάλιστα ὁμοιοῦται τῷ ὁρωμένῳ τῶν ἄλλων, οἷον κινεῖται ἀπὸ κινουμένου· ὥς τε ⸫ ἀντιβλέποντα τεθαρσυμένως, ταραχθεὶς μάλιστα; ἡ δὲ ϕθίσις, ὅτι πνεῦμα ϕαῦλον ποιεῖ, ⸫ βαρύ· τάχιστα δὲ τὰ νοσήματα ταῦτα ἅπτεται πάντων. ὅσα τότε ϕθειρομένῳ γίνεται, οἷον τὰ λοιμώδη· ὁ δὲ πλησιάζων, τοιοῦτον ἀναπίμπλησι νοσεῖ μὲν οὖν, ὅτι νοσοῦσες· ἀπὸ μόνου δὲ ὅτι ἐκπνεῖ, νοσεῖ· οἱ δὲ ἄλλοι, ἑτέραν τὴν αὐτὴν δὲ νόσον, ὅτῳ ὧν ἀσθενήσῃ, τούτῳ ἀναπνεῖ τοιοῦτον, οἷον εἰ πεπονθὼς ἦν· ἡ δὲ ψώρα μόνον τῶν ἄλλων, οἷον λέπρας καὶ τῶν τοιούτων, ὅτι ὑπιπολῆς καὶ γλίχρον τὸ ἀπορρέον. τὰ γὰρ κνησμώδη τοιαῦτα· διὸ ἅπτεται τῷ ὑπιπολῆς γίνεσθαι, καὶ γλίχρον ἔχει), ἄπτεται τῶν δ' ἄλλων, τὰ μὲν οὐκ ἅπτει), διὰ τὸ ὑπιπολῆς γίνεσθαι τὰ δὲ ὄντα ὑπιπολῆς, ὅτι ϑερσμῷ διὰ ξηρότητα.

Cur à tabe & lippitudine, & ſcabie capiuntur, qui appropinquarint: ab aqua autem intercute, aut febre, aut ſtupore attonito, aut aliquo ex numero cæterorum malorum capi nequeunt? An à lippitudine, quoniam oculus pars noſtri corporis mobiliſſima eſt, ac cæterarum maximè omnium rei ſibi obiectæ ſimilis reddi poteſt, quippe qui facilè moueatur ab eo, quod moueat: itaque fit, vt cùm perturbatum obſpicit oculum, facilè ipſe etiam perturbetur. Tabis autem contagio ideo fit, quoniam ſpiritum vitiat grauémque reddit. Celerrimè autem omnes, morbis arripiuntur iis, qui ſpiritu corrupto proueniunt,quale eſt omne peſtilens genus: qui autem appropinquarit, talem profectò ſpiritum trahit, qualem æger ille reddiderit. Ægrotat igitur, quia morbiferum eſt, quod ſpiritu trahitur. Ab vno autem morbum excipit, quoniam vnus ille ſic ſpirat,cæteri ſecus: eundem verò, quia quo ægrotarit, hoc non aliter ſpirat, quàm fuerit affectus. Sed ſcabies magis, quàm lepra, cæteráque vitia generis eiuſdem afficere poteſt: quoniam pro ſumma corporis errat, & humore manat glutinoſo: genus námque prurientium omne tale eſt. Itaque id ipſum,quia per ſumma oritur glutinoſúmque eſt, nimirum idcirco attingere poteſt; cætera nequeunt, vel quia non per ſumma proueniunt,vel quia perſiſtere ſuam ob ſiccitatem non poſſunt, quamuis per ſummam cutem oriantur.

Dictum eſt antea, tum prima ſectione problemate ſeptimo, tum hac eadem paullò ſu-

periùs,

periùs, morbos esse, qui contagione afficiant, corripiántque appropinquantes. Modò igitur ex illis nonnullos proponit, & propositis aliis, qui contagione haud inficiant, quærit cur in illis contingat contagio, in his non contingat. Quod autem Theodorus, φθίσεως conuertit, *tabe*, meliùs putem transferri, *phthisi*, retenta voce Græca, iam Latinorum auribus vsitata. Nam cùm tabis nomen, quo vtitur Theodorus de tribus affectionibus, teste Cornelio Celso libro tertio capite XXII. dicatur: vna cùm corpus non alitur, altera, quæ cachexia Græcè dicitur, tertia quæ phthisis cum vlcere pulmonis, sola hæc contagione afficit, & de hac sola inquirit Aristoteles. ἢ πυρετῶν, *& febribus*, intelligit febres summi ardoris, exiguæ autem putredinis, cuiusmodi est synochus non putrida, & similes quæ contagiosæ non sunt. In pestilentibus autem quæ contagione inficiunt, magis attenditur putredo, quàm calor febrilis, qui multò minùs nocet insigni illa & excellenti putredine. Febris autem, cùm vi nominis sui magis calorem denotet, ideo febres, quæ cum multo calore, absque tali putredine corripiunt, hoc loco intelligit & excipit Aristoteles, ἢ ἀποπληξίας. *Aut stupore attonito.* Apoplexia, morbi nomen est Latinis medicis valde vsitatum: Appellârunt illi tamen aliquando hoc morbo correptos, *attonitos*, vt Celsus libro III. capite XXVI. *stuporem autem attonitum*, sicuti vertit Theodorus, fuisse ab eis dictum morbum illum, non memini me legisse. ἢ δὲ τῶν ἄλλων. *Aut aliquo ex numero cæterorum malorum.* Ad verbum. *Neque ab aliis.* Non est autem dictum hoc vniuersè accipiendum, nimirum à nullo alio morbo præterquàm à propositis hominem contagione affici: cùm & dysenteria aliquando, & pestilentia, de qua idem Aristoteles prima sectione problemate VII. & febre pestilente vi contagij afficiatur: sed particularis est negatio, non corripi per contagionem ab hydrope, febre, apoplexia, & aliis; alios nimirum intelligens qui contagiosi non sunt: veluti diceret, & ab aliis quibusdam: & ad hunc sensum trahenda sunt Theodori verba si fieri potest, sin minùs corrigenda. ἡ ἢ ἀπὸ ὀφθαλμίας. *An à lippitudine.* Aggreditur propositorum morborum causas singillatim exponere, quare contagiosi sint: & primùm ophtalmiæ; Ait igitur ophtalmiam ideo contagione acciri, quoniam oculus, cuius passio est hic morbus, pars est omnium nostri corporis maximè mobilis similitudinésque omnes, & omnes impressiones promptè recipit, cùm facilè à re quæ mouet, moueatur; præ humiditate nimirum, & mollitie substantiæ ipsius. Vnde si oculum conturbacum aspiciat, à quo ipse aspiciatur, fit ei similis, eandémque turbationem recipit. Non diuersa ratione soluit idem problema Alexander, primo libro problemate XXXV. cuius verba retulimus paullò ante ad problema IV. ἡ δὲ φθίσις. *Tabis autem contagio.* Phthisis ideo contagione afficit, quoniam ab eo, qui huiusmodi morbo laborat, spiritus redditur prauus & grauis, morbi autẽ omnes, qui fiunt cũ huiusmodi spiritu corrupto, quales sunt pestilẽtes, illi celerrimè se se insinuant eis, qui ægrotis appropinquant, sicuti subdit. ὁ δὲ πλησιάζων. *Qui autem appropinquarit.* Docet quemadmodum corripiatur, qui appropinquat: quia nimirum spiritum trahit prauum, & corruptum, qualis ab ægroto expiratur, qui deinde pulmones ipsius inficit & deprauat. Porrò Theodorus aliter legisse videtur, quàm vulgata exemplaria habent, nimirum hoc modo: τοιοῦτον εἰσπνεῖ πνεῦμα, οἷον ἐκεῖνος ἐκπνεῖ. Sed vulgatæ lectionis quamquam breuioris, idem est sensus. νοσεῖ μὲν οὖν. *AEgrotant igitur.* Quæ hactenus dicta sunt, ea poterant esse abundè ad quæstionem dissoluendam: quæ autem modò proponuntur ea & difficilia ad intelligendum sunt, & quid faciant ad rem propositam non video; Aut, quod potiùs puto, verborum sententiam non assequor. Theodorus hîc de suo addidit illa, *quod spiritu trahitur.* Græcè enim solùm est: *AEgrotat igitur, quia morbosum.* In iis etiam, quæ sequuntur, valde discessit à Græcis, nec tamen quid aut iuuet sententiam Aristotelis, aut potiùs quæ sit ipsius Theodori sententia, omnino assequor. Græca ad verbum ita sonant: *A solo autem quia respirat, ægrotat.* Theodorus igitur addit illa, quæ multùm sententiam immutare possunt, *vnus ille*, &, *sic*: atque videtur ita interpretari verba, tamquam Aristoteles declaret, quare à solo eo morboso cui appropinquat, ægrotet, non autem ab aliis, & quare eodem morbo corripiatur, quo ille priùs afficiebatur. Aponensis ita explicat quasi Aristoteles doceat ordinem contagionis, vt ex primo inficiatur secundus, à secundo tertius, & sic deinceps: sed verba quomodo huic sensui adaptentur, ego videre non possum: ille verò, quia Græcas litteras ignorabat, & antiquam tralationem habebat, quæ erat ad verbum, aliqua aliquando immutare, & inuertere, & sæpe diuinare cogebatur, quod & facit aliquando: hoc igitur loco, quod erat in antiqua tralatione, *alij autem aliter*, quæ Græcis respondent ἄλλοι δὲ ἑτέρως, (sunt enim, qui postremum verbum ita legant, & ita etiam legit Theodorus, non ἑτέρων) ille inquam pro, *aliter* legendum putauit, *taliter*, quasi alij taliter secundùm eundem morbum disponantur, sicuti prior ille erat affectus. Habet etiam antiqua tralatio & hanc vocem, *secun-*

dùm, cui respondens abest à Græcis, & caret particula, ἢ, seu, *verò*, post τῶν αὐτῶν, *eundem*, quam habuit Theodorus, & habent Græca vulgata exemplaria; ne verborum distinctionis mentionem faciam, quæ Theodoro & Aponensi, seu tralationi, quam Aponensis sequutus est, valde euariat. Ego locum puto esse corruptum, ἡ ἢ ψώρα μόνον τῶν ἄλλων. *Sed scabies magis.* Tertium soluit, quod proposuerat; scabiem dicens ideo contagiosam esse, quoniam morbus est in corporis superficie constitutus, & manat humore glutinoso. Quoniam enim superficialis in aperto, & omnibus obuius est, omnium etiam iniuriis exponitur; quoniam verò glutinosus facilè adhæret. Patet autem morbum esse superficialem, & glutinosum, quoniam pruriginosus est, omnia autem pruriginosa talia sunt, ait Aristoteles, nimirum superficialia, & humore glutinoso manantia. Obseruandum autem Theodorum legisse ἡ ἢ ψώρα μᾶλλον, qui vertit, *sed scabies magis, quàm lepra*, in vulgatis autem codicibus Græcis est, μόνον, & ita etiam legit antiquus interpres, qui vertit, *scabies autem solùm aliorum*; Porrò scabies, quæ Græcè ψώρα dicitur, & lepra cùm ab eodem humore originem trahant, ea re inuicem differunt, quòd scabies sit magis superficialis, lepra autem altiùs penetret: pruritum autem vtráque habent, sicuti patet ex his Pauli Æginetæ verbis libro quarto capite secundo. τέτων τῶν παθῶν ἑκάτερον τραχυσμὸς μὲν ὑπὸ φανίας ἐστὶ, μὴ κνησμὸς, ἢ ἀποτήξεως σώματος, ἐπὶ μελαγχολικῇ χυμῷ τὴν ὑπόστασιν ἔχων· ἀλλ' ἡ μὲν λέπρα λεπὶς βαθεῖς ὑπνέμεται τὸ δέρμα κυκλοτέρως μὴ τῇ φολιδοειδεῖς ἀφέσαις λεπίδας. ἡ δὲ ψώρα ὑπομελαντέρα τέ ἐστι, καὶ ποικίλως ἐσχηματισμένη, καὶ πτυελώδη ἀφίησι σώματα. hoc est. *Vtérque affectus cutis aspritudo est pruriens, in qua corpus paullatim absumitur. Originem ex atra bile ambo hæc vitia trahunt, sed lepra altiùs circularibúsque erosionibus cutem depascit, & piscium modo squamulas ex se remittit: psora verò seu scabies summam illam corporis cutem exedit, varias figuras habens.* Hæc Ægineta quibus non dissentanea de vtróq; affectu scribit Actuarius libro secundo de dignotione affectuum capite vigesimo. τὰ δὲ ἄλλων. *Cætera nequeunt.* Alteram soluit problematis partem, quare morbi aliqui non sint contagiosi: quia nimirum vel non sunt in superficie constituti; sed intus latent, vel quamquam sunt in superficie constituti, non manant humore glutinoso, vtrumque enim ad illam rem desideratur. Animaduertendum autem in Græcis exemplaribus deesse particulam negatiuam, quam habet Theodori tralatio in illis, *quia non per summam prouenunt*, atque etiam antiqua; quam sensus quoque videtur desiderare. τὰ δὲ ὄντα ὑπόλης. *Vel quia persistere.* Theodorus & antiquus interpres etiam hoc loco agnoscunt particulam negatiuam, quorum ille vertit, *persistere suam ob siccitatem non possunt*; hic autem, *quoniam non permanent ob siccitatem.* Abest tamen illa à Græcis codicibus: mihique sanè videtur illa sensum interturbare: commodè enim sine ea nos locum exposuimus: morbos nimirum aliquos, qui sunt in superficie, non esse contagiosos, quia ob siccitatem, qua sunt præditi, non manant humore illo glutinoso: sed sicci permanent, & consistunt, nec possunt adhærere, cùm lentore, seu glutine careant: Aponensis, qui tralationem antiquam habuit cum negatiua particula, exponit hoc modo: morbos, qui sunt in superficie, nec sunt contagiosi, ideo tales esse, quoniam humor ille est siccus, & facilè euaporabilis, vnde cùm non consistat, nec adhæreat, sed dissoluatur, non potest contagione inficere. Porrò hoc idem problema habemus etiam apud Alexandrum libro secundo problematum, numerátúrque XLIII. cuius verba Latinè ita leguntur ex Theodori tralatione: *Cur tabes, scabies, lippitudo, mala contagiosa sunt: aqua intercus, febris, & stupor totius corporis, cui nomen apoplexia, transire in alium numquam solent? Quoniam oculus quidem, vt humidus, affectionis opportunus facilè morbosis depranatur radijs, qui cum spiritu à lippientis oculo proficiscuntur: tabes autem expirando putrem aerem reddit, qui tractus ab homine sano pulmonem membrum affectu facilè vitiat, & corrumpit. Scabies quoque cùm per summa corporis sit, lentamq; saniem emittat, facile se se propagare, cutemq; integri corporis vitiare potest. Cæteri sanè morbi aut positi intus cutem attingere nequeunt, nullámue reddunt delibationem, vt aqua intercus, vt stupor attonitus, aut cùm per summa corporis vatent, nihil tamen humoris præ nimia sua lentitate, & siccitate, & corpulentia, emittunt, vt albugo, vt lepra; aut positi quidem parte interiore sunt: sed quoniam nihil pestilens, atque putrefaciens mittant, suum aliorsum transmittere vitium non possunt, vt febres crebriores & solitæ.* Quoniam verò in hisce transferendis non minùs, sed adeò plùs, quàm in Aristotelicis mihi lapsus videtur Theodorus; quid enim, vt alia omittam, albugo, quæ oculorum morbus est, hic faciat, quum leuce sit, seu vitiligo, quæ ab Alexandro proponitur ex viscido, & glutinoso humore vitium, ortum in corporis parte superficiali? faciendum igitur mihi omnino putaui, vt denuò problema, si non ita eleganter, saltim fideliùs conuerterem, hunc in modum: *Quamobrem à phthisi, & scabie, & lippitudine corripiantur, qui ægrotis appropinquant, ab hydrope autem, & febre, & apoplexia non itidem? Quoniam oculus* [ægер] *qui* [sanum] *contra intuetur,*

affectioni

affectioni admodum facilis, & humidus existens, ac radij etiam cum spiritu exeuntes morbosi, oculo [sano] affectioni, scilicet maximè obnoxio, morbum communicat. Phthisis autẽ in respiratione aërem remittens putrefactum, transfundit rursus per eandem respirationem morbum sano, & pulmoni putredinem. Similiter, autem & scabies, quæ in superficie cutis existit, & viscidum habet effluxum, promptè communicat morbum, & sani hominis cutim peruertit. Ex aliis autem morbis, alij quidem in alto positi cutim non attingunt, aut effluxum aliquem haud emittunt, sicut hydrops, & apoplexia: alij autem in superficie quidem sunt positi, verùm ob visciditatem & crassitiem, & siccitatem nihil emittunt, vt leuce, seu vitiligo, ac lepra: alij autem in profundo quidem sunt, at effluxum aliquem pestilentem, aut putridum haud emittunt, vt consuetæ febres.

IX.

Διὰ τί τὰ ὠμὰ σίαν παύει ἡ ἀνδράχνη, καὶ ἅλες; ἢ ὅτι ἡ μὲν ὑγρότητά τινα ἔχει; φανερὰ δὲ αὐτὴ μαδαρωθροις τε καὶ σωθεῖσι χρόνον τινά· ἕλκεται γὰρ ἡ ὑγρότης· τὸ δὲ γλίσχρον εἰσδύόμενον, ὀξάγει τὸ ὀξύ· καὶ γὰρ ὅτι συγχυτὴς ἡ ὀξύτης σημαίνει· ἔχει γὰρ τινα ὀξύτητα ὁ χυλὸς ὁ τῆς ἅλος σωτικὸν, ὀξάγει τὴν ὀξύτητα.

Cur dentium ſtuporem portulaca herba, aut ſal tollere poteſt? An portulaca quia lentum quendam habet humorem, qui vel manducanti, aut manualiquantiſper confringenti pateſcit: hæret enim, ac trahitur. Lentor igitur ſubiens ille, à corpore educit acorem, quippe qui affinitate quadam coniungi valeat, argumento ſaporis, quem acidulum reddit. Sal verò macerat, liquefacítque, atque ita acorem quoque extrudit.

X.

Διὰ τί ἕν ἡ κονία καὶ τὸ νίτρον ὰ; ἢ ὅτι σύφει, & ὰ πήκει.

Sed cur lixiuium, nitrúmue hoc idem facere nequeant? An quòd hæc ſuam ob acerbitatem adſtringunt non liquefaciunt?

Hæc duo problemata propoſita fuêre ſectione prima, nimirum trigeſimum octauum, & trigeſimum nonum; ibíque à nobis, vt potuimus ita expoſita, vt hoc loco nulla præterea ſint quæ addamus.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Θ.

ὅσα ἐπὶ ῥίγει καὶ φείκῃ.

ARISTOTELIS PROBLEMATVM SECTIO VIII.

Eorum quæ ad rigorem, atque horrorem pertinent,
THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII COMMENTARIVS.

I.



ΔΙΑ τί οἱ ῥιγῶντες πελιδνοὶ γίνονται; ἢ διότι τὸ αἷμα πήγνυται διὰ τὸ ψύχος· πηγνύμενον δὲ μελαίνεται, διὰ τὴν ἀπεψίαν τῆς θερμῆς; τὸ δὲ λευκὸν; τῆς πυρός· διὸ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις μάλιστα πελιδνᾶται ἡ σάρξ, ὅτι ἐλαχίστῳ ἔχει θερμότητα.

Qua de cauſſa liuidi qui rigent efficiuntur? An quoniam ſanguis appulſu frigoris gelaſcit: gelatus autem nigreſcit, propter caloris inopiam: albedo namque igni tribuitur: Quapropter iis maximè, qui ætate proceſſerunt caro liueſcit, eò quòd calorem minimum obtinent.

De rigore & horrore quæſtiones in hac ſectione proponi titulus ipſe indicat. At verò de frigore etiam quinque proponuntur problemata, tertium, ſextum, nonum, decimum ſeptimum, & decimum nonum: de horrore alia quinque: octauum, vndecimum, duodecimum, decimum tertium, & vltimum: reliqua autem de rigore. Quid autem rigor ſit quibúſque de cauſſis fiat, vberrimè à Galeno diſquiritur, & explicatur, tum aliis in locis, tum verò in libro de tremore, palpitatione, conuulſione, & rigore capite VI. quo in loco cùm eorum opiniones refutaſſet, qui rigorem definiebant eſſe perfrictionem, aut perfrictionem validam, aut perfrictionem cum tremore: & nominatim Platonem, qui idem eſſe putabat rigere, & tremère; atque cum eo Athenæum, Attalum; non etiam ſatis eſſe putauit, ſi rigor definiatur perfrictio ſenſilis aut dolorifica: ita enim appelletur ſolummodo qui ſanis accidit rigor. At morbidus habet etiam coniunctum totius corporis præter voluntatem, motum, turbationémque, ſeu inæqualem concuſſionem, & agitationem: eſtq; ab eo diſtinctus horror, & perfrictio, ſeu perfrigeratio. Si enim abſque totius corporis motu, & concuſſione, ne cutis quidem inæqualiter moueatur, perfrictio eſt, ſeu frigus: ſi autem cutis perturbetur, quatiatúrque per quoſdam inſultus, corpus autem totum non commoueatur: horror dicitur; vt hic ſit cutis affectus, qualis rigor totius corporis: Ita de his affectibus Galenus: vt exiſtimare liceat, eos quemadmodum dicunt in ſcholis, ſecundùm magis & minùs inter ſe differre. Ariſtoteles autem vt de non morbido rigore neceſſariò videtur verba facere: ſed generaliùs de omni; ita non videtur eum à perfrictione, ſeu perfrigeratione diſiungere: & nomine rigoris, ſicuti adnotauit etiam Aponenſis, perfrigerationem quandam intelligit: cum rigore enim ſemper perfrigerationis ſenſus coniungitur: quemadmodum ſcripſit eo loco Galenus; licèt illius cauſſa ſæpe etiam poſſit eſſe calida,

cuiuſmo

cuiusmodi humor bilioſus, & acris, quod non negat Ariſtoteles. Quod igitur de rigore hoc primo problemate quæritur, illud eſt. Cur qui eo corripiuntur liuidi appareant; quæque ſit illius coloris in rigentibus cauſſa. Eſt autem color liuidus, qui Græcè πελιδνὸς dicitur, teſte ipſo Galeno XIV. methodi capite IX. medius inter rubrum, & nigrum, cuiusmodi fuſcus color eſt: ſeu medius inter penitus nigrum, & floridum, hoc eſt rubicundum, aut flauum vt habet idem Galenus commẽto II. in librum Hippocratis dè fracturis textu XXXII. Heſychius dicit hunc colorem plumbi. Cùm autem rigentibus fieri ob ſanguinis concretionem, ſeu congelationem tradit in præſentia Ariſtoteles. Concreſcit autem ſanguis ob frigus, quod eo tempore patitur: cùm rigore enim perfrigerationem ſemper eſſe coniunctam paullò ante ex Galeno etiam diximus. Concretionem autem fieri à frigore habemus apud eundem Ariſtotelem libro IV. Meteorologicorum, etſi etiam à calore ſicco: ſed in præſentia à frigore: quod ſcripſit etiam Galenus libro primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite V. Quinimo à ſolo vehementi frigore congelationem fieri dicebat ibidem Galenus. Non tamen propriè & exquiſitè accipi putem ab Ariſtotele in præſentia congelationem, non enim in viuentis animalis corpore fieri poſſit, aut ferri adeò ingens frigus, vt congelationem pariat: nec verò in rigentibus ipſis ſanguis propriè, & verè concreſcit & gelatur: ſed potiùs craſſeſcit: quæ craſſities ſimiliter ex eodem Ariſtotele fit partim à calore, partim à frigore: quibúſque à frigore id euenit, illa ideo patiuntur, quia frigus ab eis partes calidas & tenuiores ſanguinis exprimit, cum quibus humor etiam elicitur. De hac autem congelatione loquitur idem Ariſtoteles ſectione IX. problemate ſimiliter IX. frigore itaque correptus ſanguis deſtitutúſque magna ex parte calore, cuius beneficio albedo conſtat, iam non rubens aut flauus appareat, ſed liuidus fiat, atque ita ex eo colorata membra ſimiliter. Nomine igitur ignis, calor in præſentia intelligitur, ſeu ſpiritus natiuus, æthereus & cœleſtis, qui in ſemine continetur, de quo Ariſtoteles libro ſecundo de generatione animalium capite III. Hic enim ab initio immixtus ſemini ſanguinémque ſubiens, veníſque per vniuerſum corpus diffuſus, præſertim capillaribus, quæ puriorem, magiſque defæcatum illum continent, ad carnem & cutim abundè effloreſcens, albedinem illam rubeſcentem, viuidúmque colorem procreat. Hoc autem colore, aut ſpiritu plùs minùs priuatus ſanguis, priuatáque membra, quod rigentibus à frigore euenit, iam meritò liuida appareant. Ignis ſanè propriè, nec albus eſt, neque alium colorem habet: quod exiſtimabat Empedocles. Eſt enim color propriè affectio corporis mixti, vt ab Ariſtotele ſcribitur: albedo tamen illi aliquo modo tribuitur, ſicuti etiam fit à Galeno loco ſuperiùs citato II. de fracturis, XXXII. his verbis Vidio interprete: *Sæpe videre licet, quæ nigra ſunt, quum incipiunt verti in pus, liuida ſe oſtendere, tum paullatim nigritie amiſſa ad ignis colorem accedentia, albidiora euadere.* Quamquam ignis etiam alia ratione, alióque nomine nigredinem aliquando pariat, vt habemus apud eundem Ariſtotelem ſectione XXXVIII. problemate VIII. in quo quærebat cur ignis hominem nigrum non reddat, fictile reddat: id verò qua ratione fiat, oſtendit eo loco Ariſtoteles. Nos verò in præſentia de ſpiritu, & calore æthereo verba Ariſtotelis accipimus, ſicuti etiam fecit Aponenſis. At verò à frigore liuiditatem membris induci, habemus etiam ſectione ſequenti problemate X. & apud Aëtium tetrabili ſecundæ ſermone ſecundo, capite IX. vbi ex Galeno & Rupho de melancholico humore agens ita ſcribit, Cornario interprete: *Porrò nigreſcit aliquando hic humor ſupercalefactus, aliquando ſuperfrigefactus. Nam quale quiddam patiuntur carbones, dum vruntur, lucidiſſimi ob flammam exiſtentes, extincta autem nigreſcentes: tale quiddam circa clarum ſanguinis colorem frigiditas facit.* Quæ autem habet Galenus locis ſuperiùs adductis de liuore membris eueniente ex ſanguine extrà venas fuſo, & corrupto, ea his non ſunt eadem, neque huc faciunt: Nos autem Ariſtotelica in præſentia explicabimus. *Qua propter ijs maximè, qui ætate proceſſerunt.* Corollarium: ſeu etiam argumentum à ſigno, cuiusmodi multa alia in hunc modum prolata, quo probat à frigore liuiditatem produci: Senes enim, quia minimum caloris illius innati, cœleſtiſque habent, paucóſque ſpiritus, eóſque craſſiores, & minùs lucidos, quippe qui exiguum etiam ſanguinem habeant, minúſque perfectum, ideo carnem habent liuidam. Inde & Heſychius tradit à Cois, & Epirotis ſenes, appellari πελιοὺς, hoc eſt *liuidos*; ab eo nimirum colore, quo præditi ſunt. Huius eiuſdem caloris extinctione, qui & vitam continet, & cum vita diſcedit, mortuorum cadauera adeò liuida, tetra, & horribilia apparere ſolent.

II.

Διὰ τί οἱ ῥιγῶντες καθεύδειν δ' δύνανται; ἢ διότι πάντες οἱ ῥιγῶντες μᾶλλον τὸ πνεῦμα κατέχουσιν;

ὁ γὰρ καθεύδων ἐκπνεῖ μᾶλλον ἢ εἰσπνεῖ· ὥστε χαλεπὸν ῥιγῶντα καθεύδειν· ἅμα γὰρ ποιεῖν τἀναντία, ἀδύνατον.

Quam ob cauſſam, qui rigent maximè dormire non valeant? An quoniam qui riget, ſpiritum magis retinet, quàm laxat: qui dormit, magis reddit, quàm attrahit. Facit igitur rigor, vt contrà agatur quàm cùm dormitur.

Tria hæc problemata, quæ deinceps conſequuntur, ſecundum hoc, tertium, & quartum deſiderantur hoc loco in Latinis Theodori codicibus. At hoc ſecundum, in eiſdem poſtremum habetur omnium huius ſectionis. Nos qui hoc loco ordinem antiqui interpretis ſequuti ſumus, ex vltima illa ſede tralationem Theodori repetentes huc tranſtulimus. Reliqua autem duo, quòd eorum tralationem non meminiſſem à Theodoro haberi, & antiqui interpretis illa nimiùm rudis videretur; vt potuimus, ſi non eleganter, vt ſua Theodorus, fideliter, & non ita fortaſſe ruditer, vt antiquus interpres Latina fecimus, & ſuis locis appoſuimus. Inquirit igitur hoc problemate Ariſtoteles, cur ij, qui rigore prehenduntur, dormire non poſſint. Rationem autem reddit, quoniam in rigentibus, ſicut in frigeſcentibus omnibus, motus humorum eſt à circumferentia ad centrum: ex quo fit, vt eo tempore pulſus ſint rari, & tardi, quippe intus contracti: inſpiratio etiam minor, quàm exſpiratio; nam cùm aëris inſpiratio ſit ad euitandum calorem cordis, & refrigerandum: qui autem rigent ſummè perfrigeſcant, exigua illi adeſt inſpirandi neceſſitas. In ſomno autem contrà, præſertim vltra initium ipſius, in quam partem magis cadit Ariſtotelis ratio. Nam vltra initium cùm genitos vapores, ſeu fumos neceſſe ſit expelli, auctúſque, & corroboratus calor hoc opus aggrediatur, inſpirationem multam conſequi neceſſarium eſt. Cùm igitur contrarij ſint affectus, qui contingunt in rigore & ſomno, ea non poſſe ſimul eodémque tempore fieri, conſentaneum eſt: Non contingit autem ſomnus neque etiam initio rigoris, licèt eo tempore videri poſſit ſimilis eſſe vtriúſque motus, à circumferentia ad centrum, nam qui motus fit in ſomno, ille quamquam ad interna, placidus, & leuis eſt, qui verò in rigore, ille cum impetu, tumultu, ac turbatione maxima fit, atque etiam cum doloris ſenſu in eo, qui verus rigor eſt ex ſententia Galeni.

III.

Διὰ τί ἐν τῷ ψύχει ὀξύτεροι, ⟨καὶ⟩ οἱ ἀδυνήσαντες, ⟨καὶ⟩ οἱ λυπούμενοι, καὶ οἱ ὀργιζόμενοι; ἢ σιφόττεσθαι ποιεῖ τὸ καταψύχεσθαι;

Quamobrem per frigora acriores euadant, tum qui ægrotauerunt, tum mœrore affecti, & iracundi? An refrigeratio denſationem, & duritiem facit?

Tria hominum genera recenſet, qui in frigore acriores redduntur, hoc eſt, quorum naturæ, dum frigore corripiuntur, ſæuiores, & acerbiores euadunt: ſunt autem hi, ex morbo conualeſcentes, qui contriſtantur, & qui iraſcuntur. Cauſſam autem huius rei in ſingulis hiſce eſſe tradit Ariſtoteles, quoniam frigus denſationem, ſoliditatem, & duritiem affert: eſt enim huic frigori coniuncta etiam ſiccitas; cùm huiuſmodi qualitas, quæ σιφόττης dicitur, quamque nos tribus Latinis nominibus, *denſi*, *ſolidi*, & *duri* expreſſimus, gignatur non à ſolo frigore: ſed ab eo ſiccitati conuicto, licèt frigus ſit ſiccitate maius, ſicuti teſtatur Alexander problemate ſeptuageſimo libri ſecundi, ſingula igitur corpora eorum, qui dicti ſunt, per frigus denſiora reddita, meliùs quàm aliis temporibus retinent; atque etiam vehementiores, & efficaciores edunt ſuos effectus: omne enim corpus, quo denſius, & ſolidius eſt, hoc diutius ſeruat, (vt Senecæ verbis vtar) & fideliùs cuſtodit calorem, & quæcúmque impreſſa ſunt: eſtque illius vis & efficacia maior: ita ignis in ferro accenſus, diutius perſeuerat, & vehementiùs vrit, quàm accenſus in palea, quod etiam de plumbo dicit Ariſtoteles problemate ſequenti XIX. Hæc autem ratio, quamquam reliquis etiam hominibus accommodari poſſit, maximè tamen iis conuenit, qui dicti ſunt, quoniam ob debilitatem paratiores ſunt ad patiendum; conualeſcentes quidem à morbo debilitati, contriſtati autem, & irati ab ipſamet paſſione.

IV.

Διὰ τί οἱ ἀθληταὶ δύσειροι εὖ ἔχοντες; ἢ ὅτι καθαρὰ ἡ εὔπνους ἡ ἕξις, καὶ ἀπίμελος; ἡ τοιαύτη ᾗ ἀπαθεστάτη ὑπὸ τοῦ ἀέρος, ὅταν διάδοσίς τε ᾖ, καὶ μὴ ἔχῃ θερμότητα ἐν αὐτῇ· ἡ ᾗ πιμελὴς, θερμόν, ἂν μὴ διύῃ.

Quam ob rem athletæ bona & valenti corporis habitudine alsiosi sunt? An quoniam purus, & bene perspirabilis illorum habitus est, ac pinguedine carens. Talis autem habitus omnium facillimè pati solet ab aëre, quando & peruius sit, & pinguedinem minimè contineat: pinguedo quippe calida est, nisi sit humecta.

Athletæ cùm assiduè operam darent exercitationibus, eúmque sibi finem propositum haberent, vt in certaminibus aduersarium prosternerent; omni ingenio studebant virium robori comparando, & magnitudinem molis corpori adiiciendo: cuius rei gratiâ cibos multos, & crassos, multique nutrimenti sumere illis in more positum fuit; summéque vulgo existimabatur hic athletarum bonus habitus, quem tamen sicuti periculosum, Hippocrates damnauit libro primo aphorismorum tertio aphorismo, & vberiùs tanquam non verè bonum, sed potiùs multis periculis, & detrimentis plenum infectati sunt Plato in tertio de Republica & Galenus ex eo in libro ad Thrasibulum. Quærit igitur Aristoteles, cùm athletæ bono habitu sint præditi, bonus autem habitus morbosis affectibus maximè resistat, cur iidem rigore, qui affectus morbosus est, tamen frequenter corripiantur? Caussam autem dicit esse habitum illorum, qui est vacuus excrementis, & bene perspirabilis ob patentes meatus, & absque pinguedine; idque ratione frequentissimi exercitij, quo vtebantur, quod corpora exinaniebat, meatus recludebat, & pinguedinem suboriri, aut non permittebat, aut enatam colliquabat: huiusmodi autem habitus facilè ab aëre ambiente patitur, eiúsque iniurijs maximè expositus est, tum quia expeditum ei præstat aditum, vt promptè ingrediatur, tum etiam quia ingresso non est, quod resistat; cùm ille habitus careat caliditate, quippe qui careat pinguedine, quæ calida est, nisi fuerit humecta, laxa, & aquosa, ab hac enim calorem abesse significat. Porrò quomodo pinguedo ab Aristotele dicatur calida, quæ à Galeno dicitur frigida; & si frigida quomodo calefaciat, accuratiùs à nobis disquirendum non est; cùm multi præclari viri hac de re vberiùs disputauerint, quorum sermones videre licet: Nobis satis erit Aristotelis sententiam tenere. Qui tum hoc loco, tum alibi non semel, pinguedinem calidam esse significauit. δύσειροι. Iulius Pollux libro tertio Onomastici hanc vocem exponit, ἀεὶ ῥιγῶντας, ita scribens τὰς δ' ἀεὶ ῥιγῶντας οἱ παλαιοὶ ῥιγοσιδίας ἔλεγον; ὃς οἱ νῦν δυσείρους. Nosque ita accepimus edocti etiam à problemate quod sequitur decimo: qui verò hoc loco interpretantur, *difficulter rigorem sentientes*, quia sequatur ἀπαθεστάτῳ, sicut in vulgaribus lexicis habetur, imprudenter faciunt, cùm δυπαθεστάτῳ, legendum sit, non autem, ἀπαθεστάτη, quemadmodum apparet ex Antiquo interprete qui vertit, *bene passibilis*, ac ipse problematis sensus: ostendit & ita etiam reponit Iustinianus.

V.

Διὰ τί μάλιστα τὰ ἀκρωτήρια ῥιγῶσιν; ἢ διὰ στενότητα; ἢ οἱ πόροι αὐτοῖς στενοὶ ὄντες, ὀλίγαιμοί εἰσιν. ὥστε ὀλιγόθερμοί εἰσι; τὸ γὰρ αἷμα θερμόν.

Cur extrema corporis maximè rigent? An propter angustiam? Foramina enim, quæ in his insunt angusta, parum obtinent sanguinis, & ob eam rem parum caloris sortiuntur, sanguis enim calidus est.

Corporis extremas partes, cuiusmodi sunt manus, pedes, nasus, & aures, maximè omnium frigescere dicit Aristoteles, quoniam minùs cæteris sanguinis obtinent: à sanguine autem incalescit corpus. Ideo autem minùs sanguinis obtinent, quoniam cauitates, aut vasa, & conceptacula, quibus ille continetur, in particulis his extremis angusta, & exilia sunt: nec multæ sanguinis copiæ locus conceditur. Apertè autem nomen πόροι, seu *meatus*, ipsa sanguinis conceptacula nimirum venas & arterias hoc loco significat. Quare quam Aponensis ad hunc locum affert obiectionem: superiori problemate in athletis meatuum

reſerationem, rigoris fuiſſe cauſſam, quæ hîc eorundem anguſtia eſt, ſanè flocci facienda. Non enim contraria ſunt, réſque ſe ſe inuicem minimè patientes, meatus adaperti, & excrementis vacui, ac anguſti & breues: Tum ibi meatus erant foramina cutis, per quæ frigido aëri patebat aditus, ad interiora; hîc autem ſanguinis receptacula ſunt, quæ anguſta, & breuia parum ſanguinis continent. Alexander idem problema habet libro ſecundo XXIV. cuius ſimiliter eadem eſt ſolutio.

VI.

Διὰ τί ἐὰν μετέωροι ὦσιν οἱ πόδες, μᾶλλον ῥιγοῦσι; πότερον ὑποπνεῖ μᾶλλον; ἢ ὅτι ἐν ἐλάττονι γίνεται τὸ αἷμα κάτω. ὥστε τὸ ἄλλο σῶμα ψυχρότερον, ἐκλείποντος τοῦ θερμοῦ.

Cur pedes magis tunc rigent, cùm ſuſpenſi tenentur? vtrum quòd frigus amplius ad eos aſpirat? An quòd ſanguis in breuiorem ſe contrahit partem: itáque reliquum frigori opportunius redditur, cùm calor deſit.

Inquirit, cur pedes magis frigeſcant, ſi ſublimes, & elati detineantur, quàm ſi firmato veſtigio alicubi planta hæreat: ſublimes autem, ac elati intelliguntur, non quidem penduli, & appenſi: ſed veluti nobis iacentibus, ſeu ſtratis extenſo corpore locati, & quieſcere ſolent: ita enim ex ſecunda ratione apparet. Reddit enim duas huiuſce rei rationes, alteram ab externis, alteram ab internis ductam; Primùm igitur ait, eos magis frigeſcere quoniam μᾶλλον ὑποπνεῖ, hoc eſt, *magis ſubſpirat*, ſi ita loqui liceat, aut ſubtus ſpirat, quæ Theodorus, vt ſenſum explicet, conuertit, *quòd frigus amplius ad eos aſpirat*. Nimirum pedes ſublimes eóque ſitu locatos, quo diximus, magis recipere afflatum aëris, qui ſubtus ſpirat, & frigidus eſt; ſeu auræ liberioris: dimotus enim aër, & ab inferiori loco ſurſum aſcendens, quæ illius natura eſt, numquam enim aër tam immobilis eſt, vt inquit Seneca libro v. quæſtionum naturalium, vt non in aliqua ſit agitatione, pedibus vndique occurrit, eóſque vndique verberat, ac refrigerat: ex quo frigeſcunt magis. Altera ratio eſt, quoniam dum ſublimes, ac elati tenentur pedes, ſanguis, qui ad eas partes confluere ſolet in minorem locum colligitur, ſeu anguſtius ſpatium in eis obtinet, quàm antea, minoríque adeò quantitate eſt, cùm ad eos ratione ſitus quem diximus, non ita fluat ſicuti antea. Ita enim interpretor illa, ἐν ἐλάττονι γίνεται τὸ αἷμα, hoc eſt ad verbum: *In minori fit ſanguis inferiùs*: quæ Theodorus vertit: *Sanguis in breuiorem ſe contrahit partem*. Ille verò non agnoſcit vocem, κάτω, quæ omnino neceſſaria eſt, ſi locum ita exponimus, ſicuti nos fecimus; non enim de omni ſanguine loquitur Ariſtoteles, ſed particulatim de eo, qui ad infernas partes attinet, de quibus erat problema. Fortaſſe verò locum ita accepit Theodorus: ſanguinem totius corporis colligi in minorem locum, cùm ad pedes non fluat, ſicuti antea, eóque ipſi deſtituantur. Vtro autem modo locum accipiamus, pedes ſanguine priuati in quo continetur caliditas, iure magis, quàm antea refrigeſcunt.

VII.

Διὰ τί μάλιστα βελιμιῶσιν ὑπὸ τῆς ψυχῆς, καὶ τοῦ χειμῶνος μᾶλλον ἢ τοῦ θέρους; ἢ διότι ἡ μὲν βελιμία γίνεται δι' ἔνδειαν τῆς ξηρᾶς τροφῆς; ἐν ᾗ τῇ ψυχῇ καὶ τῷ χειμῶνι συστελλομένῳ τοῦ ἐντὸς θερμοῦ εἰς ἐλάττω, τοῦτο θᾶττον ὑπολείπῃ ἡ ἐντὸς τροφή· τότε ᾗ γινομένῳ, μᾶλλον βελιμιᾶν εἰκός· ἡ δὲ ἐν τῇ βελιμίᾳ ἔκλυσις, καὶ ἀδυναμία γίνεται, σωτηρίας γινομένης ἐν τῷ σώματι ἀφ' ὧν τοῦ θερμοῦ ἄθροισιν· ἧς ῥυείσης εἰς τὰ τῶν σιτίων κάτω, αὐτὴ τροφὴ γίνεται τῷ σώματι· ἐὰν ᾗ ὑπὸ τὰς ἀρχὰς τοῦ ἀναπνοῆς ἔλθῃ, ἀφωνία καὶ ἀδυναμία συμβαίνει· ἀφωνία μέν, ἀφ' οὗ ἐμφράττεται τὰ τοῦ πνεύμονος πόρω· ἀδυναμία ᾗ, ἀφ' οὗ τοῦ σώματος ἀτροφίαν καὶ σωτηρίαν ταχείας ᾗ καὶ ἀπ' ὀλίγων αἱ βοηθείαι γίνονται τοῖς τοιούτοις, ἀφ' οὗ τὰ ἀρχικὰ τοῦ πάθους ἔξωθεν γίνεται· συστέλλον γὰρ ἐντὸς τὸ ψυχρὸν τὸ θερμὸν ἡμῶν, ποιεῖ τὴν βελιμίαν· καθάπερ ἂν ἐν τῷ φόβῳ τρέμοντες καὶ ὠχριῶντες ἀφέντες τὸν κινδύνου, ὥσπερ ἔθος οἱ αὐτοὶ γίνονται· ἅτε καὶ οἱ βελιμιῶντες, μικρὰ πεφυσημένοι ἐξ ἄρτου; βία κινηθέντες ἐκ τῆς φύσεως, μὴ φθαρέντες ᾗ, ταχεῖα ἡ ἀποκατάστασις γίνεται· ταὐτὸ γὰρ ἀντέτεινε τε τῇ φύσιν ἀγωγὴν, καὶ καθίστησιν εἰς τὴν φύσιν· ἀφεῖναι δὲ μόνον αὐτῷ δεῖ, καὶ καθάπερ τὸν παιδίων τὰ ἀντιτείνοντα εἰς τὸ πίσω τὰ σπάρτια· καὶ γὰρ ταῦτα ἀφέντων τὰ σπαρτίω, οὐδὲν πεπόνθασιν ὑπία.

Cur tempore frigido maximè vis illa famis intollerabilis incidat, qui caninus appetitus, vocatus eſt & hyberno potiùs, quàm æſtiuo? An quòd

vitium hoc ob inopiam alimenti ſicci ſolet accidere. Tempore autem frigido, & hyberno, cùm calor in anguſta ſe contrahit, ocyùs interdum deficit alimentum: quod cùm defuerit, vitium id eſuriendi accidere conſentaneum eſt. At ſi in ea cibi vitioſa cupiditate, reſolutio, imbecillitáſque ſequuta eſt, materia ſtatim interna corporis à collecto calore colliqueſcit: quæ ſi ad locum cibo à natura deſtinatum influxerit, pro cibo ſe ipſam corpori applicabit. Sed ſi ſpirandi ſedem adiuerit, obmuteſcere atque langueſcere neceſſe eſt: obmuteſcere inquam, quoniam ſpirandi meatus intercipitur, atque obſidetur. Langueſcere autem eſt propter inediam, conſumptionémque corporis. Celeriter tamen paucíſque remediis ſubuenitur, eò quòd eius mali ortus extrinſecus eſt. Frigus enim calorem corporis noſtri intro compellens, ac contrahens inſatiabilem edendi illam cupiditatem iniicit, atque intendit. Quamobrem quomodo qui in metuendo tremebant pallebántque, periculo demum liberati ſubitò ad priorem redeunt ſtatum: ſic etiam eſurientes illi, vbi parum ſumpſerunt panis, citiſſimè recreantur, vt qui vi paullò à naturæ ratione ſummoti aberrent, non qui penitus corrupti deſciſcant, quod enim naturæ tenorem in partem aduerſam violat, idem ſuæ naturæ eundem reſtituit. Ergo dimiſiſſe tantummodo ſat eſt, quemadmodum cùm aduerſi inter ſe pueri funem enixi retrahunt: quippe qui fune demiſſo, reſupini protinus decidant.

Eraſiſtratus medicus inter veteres poſt Hippocratem admodum inſignis & clarus eandem rem, de qua in præſenti problemate diſquiritur, propoſuit libro primo περὶ βδελυρέσεων, cuius verba referuntur ab Agellio libro XVI. Noctium Atticarum capite III. in hunc modum: *In eodem libro Eraſiſtratus, vim quandam famis non tolerabilem, quam Græci βέλιμον appellant, in diebus frigidiſſimis multò faciliùs accidere ait, quàm cùm ſerenum, atque placidum eſt, atque eius rei cauſſas, cur is morbus in eo pleriúmque tempore oriatur, non ſibi eſſe compertas dicit.* verba quibus id dicit, hæc ſunt: ἄπορον ἢ ἐς δεόμβον ἀπισκέψεως, ἐς ὅπη τέτε, ἐς ὅπη τ λοιπῶν βελιμιώντων διὰ τί ἐν τοῖς ψύχεσι μᾶλλον τὸ σύμπτωμα τῦτο γίνε), ἢ ἐν ταῖς διάσις. hoc eſt, vt vertit idem Theodorus noſter, ſi modò verum eſt, quod aiunt nonnulli tralationem Græcarum vocum & ſententiarum, quæ in illis Agellij libris continentur, huius viri eſſe. *Dubium eſt indigénſque conſiderationis, tum in hoc, tum in cæteris famelicis quare in frigoribus magis, huiuſmodi caſus accidat, quàm ſerenis temporibus.* Sanè autem Eraſiſtrato, ſi materni aui ſcripta hæc peruolutaſſet facilè innoteſcere poterat, quis effectus illius, aut bulimi cauſſa foret, quam ſibi incompertam dixit, de ea enim re, & problema hoc proponitur, & illius cauſſa pluribus explicatur. Cæterùm iam primum quod Agellius in Eraſiſtrati verbis βέλιμον vertit, *vim quandam famis non tolerabilem*; quibus præterea Theodorus in Ariſtotelicis addit, *qui caninus appetitus vocatus eſt*: fortaſſe non bene fit. Appetitus enim caninus, qui Græcis propriè ὄρεξις κυνώδης, dicitur, à βέλιμο propriè diſtinguitur. Et licèt alicubi vero modo fortaſſe accipias non multùm interſit, in præſentia ſanè ad verum Ariſtotelis ſenſum non parum. Cùm bulimos hic (Græcam enim vocem præſtat retinere quàm veram intelligentiam corrumpere) apud Ariſtotelem ob virium imbecillitatem, & reſolutionem, tollat loquendi facultatem & reſpirationem, celerriméque & paucis remediis ei ſuccurratur: in appetitu autem canino propriè hæc minimè conueniunt. Sed & diſtingui bulimon à canina appetentia manifeſtè liquet ex Galeno libro II. aphor. XXI. Eo namque in loco ad commentarij finem hæc habet Leoniceno interprete. *Paſſio bulimos nominata, eſt caſus potentiæ ex frigiditate exteriore, qui à fame quidem inchoauit, ſed non habet eam ampliùs adiunctam*; Libro etiam primo de ſymptomatum cauſſis capite VII, cùm inter ventriculi ſymptomata, primùm quidem duas appetentiæ caninæ attuliſſet cauſſas, ſuccum acidum ventriculum mordẽtem, & ampliorem per totum corpus vacuationem, poſtmodum circa capitis finem de bulimo loquens, eſſe dicit ſymptoma ex indigentia ſimul, imbecillitatéque, & refrigeratione illarum partium. Et libro primo ad Glauconem, bulimum nil aliud eſſe ſcribit, quàm lypothimiam, ſeu animi defectum. Nec non in libello, cui titulus, definitiones medicæ, Galeno aſcripto, ſic definitur hæc affectio. *Bulimus eſt affectus, in quo per exigua*

interualla cibus exquiritur; qui ita affecti sunt, exoluuntur, concidunt, decolores fiunt, & extrema refrigerantur; stomachus angitur, pulsúsque languidus efficitur. Alexander Trallianus distinxit & ipse libro VII. appetentiam caninam à bulimo, qui etiam duobus separatim capitibus de vtroque verba fecit. Vtrum autem singula, omnino consentanea Galeno tradiderit, nunc haud exquiro. Auicennam similiter hos duos affectus manifestè distinxisse apparet libro III. fen XIII. tractatu II. quum separatim de appetitu canino capite XII. & de bulimo capite XV. verba faciat. Sed multò magis ex eorundem affectuum descriptione. Nam cùm in appetentia canina semper os stomachi sit famelicum, vt ipse ait, de bulimo ita loquitur: præstat enim illius verba proponere quàm meis rem explicare: *Est quæ nominatur fames vaccina, & ipsam quidem antecedunt plerúmque fames canina, & destruitur appetitus post ipsam. Et quandoque non, imo destruitur appetitus omnino incipiendo. Et est fames membrorum cum satietate stomachi. Sunt ergo membra famelica valde, & indigentia nutrimento, & stomachus respuens ipsum. Et quandoque peruenit res in ipso ad syncopim, & venæ quidem sunt vacuæ, sed stomachus respuit cibum abhorrens ipsum. Et multoties quidem accidit iter agentibus in frigore, & congelatis, quorum stomachi ex frigore vehementi conspissantur. Et caussa eius est malitia complexionis, mortificans virtutem sensibilem, & virtutem attractiuam.* Iam dissimulemus, quod ait Auicennas, *fames vaccina*, ex Græcæ enim linguæ ignoratione: vnde vnde fluxit erratum: cùm ad animal retulerit particulam βϛ in βόλιμος, quæ nil aliud, quàm magnitudinem ea in voce, vt in plerísque aliis apud Græcos significat: manifestè patet adeò non adesse famem ventriculi in hoc affectu, vt potiùs adsit satietas: sed adest indigentia in toto; Nimirum propriè defectus animi spectatur in bulimo, virium concidentia, ac resolutio, quod & curatio indicat, quam Auicennas itidem perficit ex paucis nutrimentis; sed vires fouentibus, vino odorifero, fructibus odoriferis, & aromaticis, membrorum deligaturis, appositione odoratorum emplastrorum ad stomachum, quæ similiter desumpta sunt ex Galeno VIII. de compositione medic. secundùm locos. Caninus autem appetitus indiget cibis valde pinguibus, & oleosis: cui tamen quoniam aliquando ipse bulimus postea coniungitur, sicuti ex Galeni ipsius verbis coniicere potuimus, & ex Auicenna, cuius etiam verba sunt hæc ad finem capitis de appetitu canino: *Et scias quòd appetitus caninus multoties perducit ad bulimum, & subeth, & mortem*, ideo odorifera etiam ad eam rem conueniunt, quæ & aliqua ex parte præscribit Auicennas; sicuti Galenus ad bulimum nidorosos cibos, quos tamen magis olfacere ægros, quàm assumere velle videtur: sicuti & Paulus libro secundo & Atius tetra bili tertiæ sermone primo, nisi tamen cum bulimo sit adhuc appetentia illa, cùm enim ex alia in aliam transitus fiat, cùm in confinio res est, mixtim esse vsurpanda remedia, medendi methodus docet. Igitur de bulimo propriè, non de appetitu canino verba facit in præsentia Aristoteles, & inquirit cur tempore frigido, & humido potiùs quàm æstiuo hic affectus accidat. Sed quoniam Theodorus problematis sensu, vt existimo, non percepto, multísque extrinsecus assumptis, posset facilè Græcarum litterarum imperitum fallere, præstat problema ferè ad verbum conuersum proponere: & primò sanè primam partem in hunc modum. *Propter quid bulimo maximè corripiamur tempore frigido, & potiùs hyeme, quàm æstate? An quoniam bulimos fit ob indigentiam sicci alimenti, tempore autem frigido, & hyemali, interno calore angustiori loco collecto, celeriùs ob eam rem deficit internum alimentum: Hoc autem facto bulimum succedere consentaneum est.* Patet igitur caussam bulimi esse frigiditatem ambientis, à qua per antiperistasim natiuo calore aucto, & roborato, dissipatur alimentum internum, atque ideo vires deficiunt, languórque succedit, quem superiùs multis ex auctorum locis descripsimus. Caussa igitur affectionis potest tum caliditas, tum frigiditas statui, sed altera per se altera per accidens. Trallianus, & ipse caussam dixit huius affectus tum calorem, tum frigus: eadem tamen Aristoteli penitus sensisse non affirmem. Dicit autem Aristoteles indigentiam alimenti sicci, ratione discriminis, quod est inter ipsum, & potum, cuius defectus non ita spectatur; & vt significaret magis proponit alimentum, quod proximè nutrit, ex cuius indigentia potissimùm oritur lyptothimia, & bulimos. ἡ δ' ἐν τῇ βελιμίᾳ. *at si in ea cibi vitiosa cupiditate.* Theodorus manifestè legit, εἰ δ' ἐν, vt ex ipsius tralatione apparet, cùm dicat: *at si*, sed nos meliùs putamus, quod alij habent, & sicuti excudendum curauimus, ἢ δ' ἐν, vix enim, aut ne vix quidem illo modo mihi sensus constet. Non enim in bulimo si fiat exsolutio, & imbecillitas, iam materia colliquescit: sed in eodem bulimo fit exsolutio ex materiæ colliquatione, vt statim appareat. Verùm præter hæc, quoniam alia etiam sunt perperam à Theodoro conuersa, quæ tamen non præstat singula examinare, ea vt nos arbitramur conuertenda in hunc modum proponimus: *In bulimia autem contingit exsolutio, & virium defectus, colliquata materia in*

corpore ob caloris collectionem: qua fluente quidem ad locum cibo destinatum fit illemet corpori nutrimentum; si verò ad respirationis principia venerit, priuatio vocis, & virium defectus contingit: priuatio sanè vocis, quia obstruuntur meatus spiritus, virium autem defectus, quia corpus minimè nutritur, & colliquescit. His autem verbis rationem reddit accidentium, quæ in Bulimo contingunt, quæ sunt exsolutio, hoc est animi deliquium, & virium defectus, id est facultatis vitalis prostratio, quæ contingere ait ob colliquationem materiæ factam à calore simul collecto, & congregato ob ambientis frigiditatem: cùm enim ad aliquam partem colligitur, & congregatur calor, alias ab ipso derelinqui necesse est: materia autem, quæ aliis partibus inerat, vt eas nutriret, destituta calore natiuo, qui ipsam vnitam continet, liquescit, & fluit, alimentóque priuatæ remanent partes. Illa verò si fluat ad ventriculum, erit ipsi pro nutrimento; cùm enim pituitosa sit, potest in cibum conuerti; atque eo tempore accidentia, quæ dicta sunt, minimè sequi omnia necesse est. Si verò fluat ad loca per quę respiratio fit, subsequitur priuatio vocis, quia obstructis spiritus meatibus, vox emitti non potest: & vires concidunt, quoniam corpus non habet, quo nutriatur, & colliquescit, ac deficit: idque bulimos est, acciditque hyeme potiùs, quàm tempore æstiuo, quoniam ob frigiditatem ambientis, vt dictum est, collecto calore, eiúsque viribus maximè adauctis, fit nutrimenti consumptio, & materiæ illius colliquatio, quæ modò dicta est. Vtráque enim hæc manifestè proponit Aristoteles. ταχέως ἢ ἐκ ὀλίγων αἱ βοηθείαι. *Celeriter tamen paucísque*, corollarium ad curationem illius affectus pertinens. Ideo, inquit, celeriter & paucis remediis tollitur hic affectus, quoniam mali principium extrinsecus est; non autem pendet à caussa intus in corpore existenti: sed à vehementi frigore ambientis, quod calorem nostrum intus compellens effectum hunc gignit. τὴν βουλιμίαν, *insatiabilem edendi illam cupiditatem iniicit, atque intendit*: non sic Aristoteles: sed verbum ex verbo, *bulimiam gignit.* καθάπερ οὖν ἐν τῷ φόβῳ. *quam ob rem quomodo.* Similitudine docet, quare bulimo correpti, facilè releuentur: sicuti enim, inquit, qui alicuius rei metu, tremebant, & pallebant, periculo liberati, subitò iidem sunt, qui antea; cessante enim caussa externa, cessat etiam effectus, cùm natura integra ab externa caussa pendeat: eodem modo bulimo correpti, exiguo quodam oblato pane, in pristinum statum restituuntur, violentia enim quadam à natura sua dimoti tantummodo sunt, minimè verò omnino corrupti. Vertenda autem hæc etiam mihi putaui; Theodorus enim sæpenumero, etiam cum sententiæ detrimento, lasciuit. *Quemadmodum igitur timore affecti tremunt, & pallescunt, at periculo liberati statim iidem fiunt, sic ij, qui bulimia corripiuntur, exiguo quodam ex pane oblato, qui violentia* [nimirum] *à natura dimoti; minimè autem corrupti sint, celeriter restituuntur.* Legi autem, sicuti etiam excudendum curaui, ἀποκατάστασις, quod nonnulli habent, id est, *in priorem* statum reductio, non autem, ἀποκάθαρσις, id est *purgatio*, sicuti plures alij. Retinui etiam φθαρέντες, quam vocem videtur habuisse Theodorus, & aliqui habent, sed non est & illa praua, quam habent Basilienses, & Aldini φθαρέντ῾ ὦ, vt ad φύσεως, referatur, id est, *minimè illa corrupta.* τοῦτο γὰρ αὐτέτεινε. *Quod enim naturæ tenorem.* Quod similitudine docuerat, ratione confirmat, quæ etiam rei in similitudine adductæ accommodetur. Nam ideo & trementes, & pallescentes periculo liberati, iidem sunt, qui antea; & similiter bulimia correpti exiguo quodam ex pane oblato; quoniam illud idem, quod aduersùs naturæ tenorem antea obnitebatur, hoc ipsum ad naturæ statum se se restituit. Est autem hæc ipsa vis naturæ, & facultas nostri corporis in calore consistẽs, quæ in periculo consistentis prę metu intro refugiens, & in bulimia correptis, quæ ambientis frigore in vtrisque dimotionem passa est; sed eademmet, tum in vno, cùm in altero robustior effecta, in pristinum statum se se redegit. ἐκ καθάπερ τῶν παιδίων. *Quemadmodum cùm aduersi.* Exemplo etiam probat quod modò proposuit: nimirum quod violentia, à natura sua dimotum erat, integra natura celeriter redire ad priorem statum. Exemplum sumptum est à pueris, sed obscurum, vt mihi videtur. Aponensis illud accepit de capillis, qui calamistro crispi fiunt, illi enim si permittantur, ad naturam suam redeunt: sed non appositè; cùm de capillis ne littera quidem in contexto, neque etiam in tralatione antiqua. Theodorus exemplum accepit de pueris, qui aduersi inter se enixi trahunt funem, qui eo dimisso supini cadunt, sed vt verba Aristotelis ad hunc sensum trahantur, quomodo similitudo ad Aristotelis sententiam faciat, aut quomodo huiusmodi exemplo doceamur, ea, quæ à natura sua dimota sunt, dimissa ad priorem statum celeriter redire, ego non intelligo; non enim supinos cadentes pueros fune dimisso ad priorem statum redire agnosco. Subibat, lusum fortasse aliquem pueris consuetum, in quo illud contingeret, quod dicit Aristoteles, ab ipso nunc intelligi, qui vt temporibus illis, omnibus fortè notus, sic mihi quidem nunc ignotus, caussa est, vt exemplum minùs

percipiam. Cogitabam etiam, quæ ἀπορία, dicit Aristoteles, non funes esse, interpretanda; vt facit Theodorus, sed genistas, vt Antiquus interpres, cùm vtrique sit commune vocabulum, & ab Aristotele fortasse significari quendam effectum, quem edit etiam ventus, dum violenter spirans arborum cacumina inflectit, eo enim cessante, statim redeunt arbores ad priorem statum: ita enim in pueris ad se trahentibus fruticem illum radicibus hærentem, flecti ipsum, emisso autem è manibus, statim eleuari; voces autem τέτηθεν, & ὑπῖα, non de pueris: sed de eo, quod Aristoteles appellat ἀπορία, huiusmodi loci expositione acciperem; sicuti autem opponuntur inter se illæ voces, vt altera partem quæ supra est, altera eam quæ subtus, significet; ita dum inflectitur genista, videtur quodammodo in dorsum verti, cùm autem redit rectà resupinari. Sic autem verba conuerto: *Quemadmodum pueri, qui à tergo genistas aduersi trahunt: eadem enim genistis dimissis, statim resupinantur.* hæc scio ridenda doctis, sed quando meliora non succurrunt, aliis volui proposuisse.

VIII.

Διὰ τί οἱ παχεῖς σφόδρα ῥιγοῦσι, τὸ πόσῳ θερμῆς ἔσης; ἢ διὰ τὸ μέγεθος τὸ πάχους τὸ μὲ ἔσωθεν θερμὸ, πόρρω γίνεται τὰ ἔκατα· τὸ δ' ἔξω ψυχρὸ, ἐγγύς.

Cur homines pleni admodum rigent, cùm tamen pingue omne calidum sit? An propter amplitudinem molis, vt longè à calore interiore distant, partes extremæ corporis, sic propè ab extremo frigore absunt.

Cùm pinguedo calida sit; ipsa autem abundent, qui pingues sunt; quare iidem vehementer frigescant, & rigeant, iure quærit Aristoteles: caussam autem illam reddit, quoniam calidum, quo incalescit corpus, continetur intus in partibus penitioribus, nimirum præcipuis visceribus, & amplis venis, indéque ad exteriora progreditur: In iis autem, qui præpingues sunt, ob pinguedinis amplitudinem, molem, & crassitiem, contingit, vt calor, qui intus est, non possit ad exteriora ferri: impedit enim tanquam murus, opposita pinguedo, ne ad cutim perueniat calor: longéque ab eo cutaneæ hæ partes dissitæ sunt: sicuti contra proximæ frigori ambientis aëris, quod extrinsecus accedit. Carent igitur pingues, quod ad illas partes attinet, beneficio caloris interni, quod aliis promptum est. Expositi autem sunt iniuriæ externi aëris, non secus ac alij, quam tamen ob dictam rationem patiuntur magis. Theodorus cùm vertit *propè ab extremo frigore absunt*, illud, *ab extremo frigore*, posuit pro, *ab externo frigore*, seu extrinsecus occurrente; licentiosiùs vt puto: nisi mendum sit in scriptura, & legendum *externo*. Sed & totius problematis ad verbum fere tralatio mihi probetur huiusmodi: *Cur pingues homines vehementer rigent, cùm pinguedo calida sit? An propter amplitudinem pinguedinis, cùm calidum intus existat, longè ab eo distant extrema, frigido autem, quod extra est, proxima sunt.*

IX.

Διὰ τί πταίοντες καὶ ἁρπάσαντες φεύδεσιν; ἢ ὅτι κενοῦνται αἱ φλέβες ἐν ἀμφοτέροις; κενωθέντων γὰρ, ὁ ἀὴρ εἰσέρχεται ψυχρὸς, ὁ ποιῶν φεῦδεν.

Cur vbi sternuimus, vel minximus, plerúmque inhorrescimus? An quòd ratione vtraque venis subtrahitur: quæ cùm redditæ sint inaniores, aër ingreditur frigidus, qui rigorem ciere potest.

In sternutatione, & mictu euacuatio fit, in altera quidem spiritus vaporosi è cerebro, in altero autem vrinæ è vesica. Illis igitur excretis, quæ calida sunt, natura vacuum non permittente, aliquid in ipsorum locum succedere necessarium est. Ingreditur igitur aër, qui cùm frigidus sit, horrorem mouet, nimirum sentientes ac neruosas partes quadantenus vellicando: medici autem dum in capitis frigidis morbis sternutamenta præcipiunt, aliò spectant, nimirum materiam frigidam morbum facientem; ex cuius euacuatione per sternutamenta maius putant subsequi iuuamentum, quàm ex refrigeratione ab aëre ingrediente noxam: præter quàm quod ex motu, qui in eadem sternutatione contingit, non leuiter etiam caput incalescit: vt omnino plures sint iuuantes in morbo frigido ex sternutatione caussæ, quàm lædentes. Sanè autem hoc nomine φλέβες, seu venæ vt propriè significantur

sangui

ſanguinis receptacula, ſic ſpiritus etiam vaſa, ſeu arterias ſignificari apud Platonem à Galeno adnotatum eſt: hoc autem loco nec venas nec arterias propriè ſignificat, ſed meatum ipſum veſicæ, qui vrinam continet, eámque per mictionem excernit, eáque excreta refrigeratur. φείττομθ, *plerúmque inhorreſcimus*. Græci codices non habent, *plerúmque*, nec hoc loco, nec problemate XIII. nec etiam problemate XVI. ſectionis XXXIII. quibus in locis idem quæſitum ab Ariſtotele iteratur. Habet tamen eam, non ſanè de ſternutatione & mictu ſimul, ſed de mictu per ſe Alexander, dum idem problema proponit libro primo problemate XVII. κενέντας αἱ φλέβες, *ratione vtraque venis ſubtrahitur*, liquidiùs & ad verbum: *In vtriſque venæ euacuantur*. Alexander quum idem problema proponit, non de mictu, & oſcitatione ſimul, vt dicebam, verùm de mictu per ſe, horroris aliam affert cauſſam, bilem nimirum, quæ ad veſicam confluens & illam mordicans, per conſenſum gignit horrorem in toto corpore. Sunt autem hæc illius verba libro primo. διὰ τί πολλάκις ἐν τῷ οὐρεῖν φείττομθ; διότι χολὴ δριμεῖα συῤῥέουσα, καὶ δάκνουσα τὴν ἐρηδόχον κύστιν ἐρεθίζει· καὶ πᾶν τὸ σῶμα διεγείρει πρὸς συμπάθειαν τοῦ μορίου, καὶ τὴν ἀποκειτικὴν δυνάμιν μετείως προβάλλεσθαι, καὶ ποιεῖν τὸ λεγόμενον φεῦλον· τοῦτο δὲ πάσχουσι μάλιστα παῖδες· διὰ γὰρ τὴν ἀδηφαγίαν πολυπραγμονώτεροι. hoc eſt: *Cur ſæpenumerò accidat, vt inter mingendum inhorreſcamus? Quoniam bilis acrior confluens, & mordens veſicam, quæ vrinam recipit, eandem irritat: totúmque corpus excitat ad conſentiendum illi particulæ: & ad extendendam aliquatenus ſuam excernendi facultatem: quæ res facit horrorem dictum. Id autem pueris potiſſimùm accidit, quoniam illa ætas largiore excrementorum copia redundat, propter nimium edendi vſum, & varium.* Hæc à Theodoro cõuerſa nos alicubi immutauimus, vt fideliùs Alexandri ſententia, vt nobis quidem viſum eſt, proponeretur. Idem Alexander libro ſecundo problemate CXIII. non de mictu ſolùm, vt loco, quem modò adduximus, ſed de mictu & oſcitatione ſimul, vt Ariſtoteles in præſentia, eandem rem proponit, eandémque ſimiliter ex refrigeratione ab aëre facta rationem eius rei adducit.

X.

Διὰ τί οἱ γεγυμνασμένοι δυσειμώτεροι τῶν ἀγυμνάστων; πότερον ὅτι τὸ πῖον ἰσχὺν τῶν πόνων ἐξήρηται; τοῦτο μὲν ἀλέαν παρέχει· θερμὸν γὰρ τὸ λιπαρόν· ἢ ὅτι εὐπνοώτερα τὰ σώματα καὶ ἀραιότερα, διὰ τὸ τὸ πῖον, καὶ τὸ περίττωμα ἐξηρῆσθαι· ὥστε μηδὲν ἀποστέγειν τὸ ψυχρόν· ἢ διὰ τὴν τῶν πόρων ἀποσόμωσιν, οἷς ἱδρῶσιν οἷον πολλαὶ θύραι ἐξήρηνται); φανερὸν δὲ, ὅτι οὐχ ἡ αὐτὴ ἕξις πρὸς ὑγείαν καὶ ἰσχὺν συμφέρει. ἡ μὲν γὰρ πίων· ἡ δὲ, ἀραιὰ φαίνεται ἅπασα.

Cur exercitati frigus vehementiùs ſentiunt, quàm inexercitati? Vtrum quoniam pingue conſumptum à laboribus eſt, quod vtique teporem præſtare poteſt: calidum enim opimum eſt. An quòd ſpiratiora, ſolutioráque corpora eorum ideo ſunt, quoniam pingue, excrementúmque omne detractum eſt, ita vt frigus arcere nequeant. An quòd meatibus per ſudationem patefactis, veluti oſtia complura aperiuntur? Habitum autem non eundem ſanitati & robori eſſe idoneum, manifeſtum eſt: alteri námque pinguis, alteri laxus videtur planè conuenire.

Hoc problemate idem quarto tractatur argumentum: ibi quidem Athletarum, hîc autem exercitatorum nomine: eadem autem res diſquiritur: quamobrem qui aſſiduis, & multis laboribus fatigantur, frigus vehementius, quàm non exercitati ſentiant. Afferuntur autem tres rationes, iis non diſſimiles, quæ problemate IV. adductæ ſunt. Prima eſt vehementem, & continuam exercitationem ideo adducere frigus, quoniam priuat corpus ea re, ex qua illud calefit, nimirum pinguedine: abſumitur enim hæc, & liquatur ob multos, & laborioſos motus, quos illi, qui ſe ſe exercent aſſiduè ſuſtinent. Altera, quoniam eorum corpora, qui vehementer exercitantur, & laborant, redduntur valde rara, & tranſpirabilia; quoniam tum pinguedo, tum alia excrementa, quæ frigus arcent ob aſſiduos & graues labores conſumpta ſunt: patet igitur facilè ingreſſus aëri, qui frigidus eſt. Tertia: quoniam illi, qui vehementer exercentur ſudant etiam copiosè, in ſudore autem aperiuntur meatus, illis autem apertis, tanquam ianuis quibuſdam frigori recluſis, ingreditur frigus: Hæc autem cauſſa eadem videtur cum proxima, tantùm ratione differens: ibi enim corpus conſiderabatur, quatenus magis rarum, & tranſpirabile eſt; eſt autem tale ratione meatuum; hîc autem conſiderantur meatus ipſi, quatenus plures ſunt, quatenus autem plures,

corpus reddunt magis rarum, & transpirabile. Hanc posteriorem rationem ita exposuimus Theodori conuersionem retinentes, qui interpungit post ἱδρῶσιν, cùm vertat, *meatibus per sudationem patefactis:* at impressi codices omnes, quos ego quidem viderim, interpungunt ante τοῖς ἱδρῶσιν, post ἀποτόμωσιν, vt sit conuertendus locus hoc modo: *An quòd meatibus patefactis multæ veluti portæ sudoribus aperiuntur?* vt significet Aristoteles, ideo etiam refrigerari corpora exercitatorum, quoniam multi ipsis effluunt sudores, cùm multæ aperiantur portæ, per quas sudoribus est effluxus; euacuatis autem multis sudoribus corpus magis refrigerari par est. φάνερον δὲ. *Habitum autem.* Corollarij loco, cùm habitus exercitatorum incommoda quædam proposuisset, quibus rigori facilè pateret aditus; ille tamen habitus robore plurimùm supra alios valeret, & tanquam bonus corporis habitus noxiis, & morbificis caussis maximè aduersari existimari posset; ideo tollit hanc ambiguitatem Aristoteles, & docet, non ita esse, sed alium robori, alium sanitati esse idoneum habitum, sanitati enim eum, qui pinguis sit, robori autem qui rarus, nimirum humiditatibus vacuus, cùm robur præsertim neruorum siccitate consistat. Hanc porrò Aristotelis sententiam, sanitati esse idoneum habitum pinguem, ego pluribus hîc non excutiam, aut Hippocratis locum, qui est in libro de alimento raritatem scilicet corporis, quibus plura perspirationis causa per cutim feruntur, salubriorem, quibus pauciora morbosiorem. Aut etiam alia eiusdem, aut Galeni loca huic opponam: non enim, quod sæpius dixi, loca conciliare quibus præsertim medica tractantur, qua in re non rarò Aristotelica, à Galenicis dissentiunt, institutum est: sed Aristotelis sententias, quæcúmque illæ sint, exponere. Porrò de hac re, & qualis saluberrimus corporis nostri status sit Galenus copiosè differit libello ad eam rem dicato, cui titulus, *De optima nostri corporis constitutione.*

XI.

Διὰ τί φείδεσι τὴ τῷ θερμῷ, & τῷ ψυχρῷ προσχρώμενοι; ἄτοπον γὰρ τὰ ἐναντία ἐφ' αὑτοῦ εἶναι αἰτία· ἢ ὅτι τὸ ἐντὸς θερμὸν σβεννύμενον, τὸν φέτην ποιεῖ; ἴσως ἢ & θερμὸν τὸ ἐκτὸς ψυχρὸν ἀντιστασιάζον εἰς ἕν, τὸ ἀθροιζόμενον τῇ φυγῇ ἔσω; ὥστε ἴσως ἀμφοῖν ἀμφω γίνεσθαι· ἀλλ' ὅτε μὲν, ἴσως ἔσω· ὅτε δὲ, ἴσως & ἔξω θεν.

Cur vt aqua frigida, sic etiam calida infusa horrescimus? res enim contrarias inter se idem efficere posse absurdum est. An frigida infusa calor interior extinctus horrorem mouet: calida autem frigus externum circumobsistens in vnum séque profugum intercolligens efficere identidem potest. Quamobrem vtrumque ab eodem agitur: verùm aliàs ab interiore, aliàs ab exteriore, vt dictum iam est.

Rigorem fieri non solum à frigidis, sed etiam ac potissimùm à calidis, quamquam hæc contraria inter se sint: & quemadmodum illud contingeret, vberrimè à Galeno explicatum fuit libro secundo de symptomatum caussis capite v. quem locum adire licet cupienti: ibi enim accuratissimè Galenus omnia persequitur, quæ ad eius rei absolutam cognitionem facere videntur: nec illa ad hunc locum mihi afferenda sunt, quando meliùs ex ipsius Galeni verbis, quàm meis eadem referentibus illa intelligi possunt. ἄτοπον γὰρ τὰ ἐναντία. *res enim contrarias.* Non dissimiliter libro quarto Meteorologicorum capite VI. & VII. his verbis Latinè: *Contrariorum contrariæ sunt caussæ,* & v. politicorum capite VIII. *Contrariorum enim efficientia sunt contraria.* Quæ tamen intelligenda sunt iuxta illa, quæ idem Aristoteles habet eodē IV. Meteorologicorum paullò ante illa, quæ modò proposita sunt: *Idem eidem per idem contrariorum causssa non est, per diuersa autem, aut diuersis esse potest:* sicuti ostendit etiam tertia sectione problemate XXVI. gelu, & caloris exemplo: quod itidem confirmatur ab Alexandro libro primo problemate CXXIX. ἢ διότι ἴσως μὲν τῷ ψυχρῷ. *An frigida infusa.* Explicat eam partem, quæ ad frigus pertinet, & inquit Aristoteles, à frigida affusa rigorem ideo cieri, quoniam eadem extinguit calorem internum, hoc est, calorem innatum, qui in illis partibus est, quibus frigida affunditur: est enim ipsi inimica, & contraria: cùm autem rigor fiat innato calore patiente: est enim rigor natiui caloris passio, teste Galeno libro de tremore, palpitatione & rigore, extincto calore rigorem cieri consentaneum est. Galenus etiam libro, quem adduximus secundo de symptomatum caussis capite v. vbi de rigore agit, qui præ metu accidit, ita scribit: *In timore verò cùm ratio patibilem animi partem,*

nec excitet, nec inhortetur, magis, magísque extinguitur calor, ita vt etiam rigeant eorum nonnulli. ὑπὸ τοῦ θερμοῦ. *Calida autem frigus externum.* Alteram partem explicat, quomodo rigor à calida remoueatur: id autem fieri dicit, quoniam frigidum quod extra est, nimirum in partibus nostri corporis extimis, à calore circumstante tamquam ab hoste impulsum, & vndique cohibitum, simul se se colligit, & fugam intro arripit: tunc autem sensilia membra permeans, rigorem mouet: breuiùs autem, & fideliùs, nec minùs perspicuè quàm Theodorus faciat, hæc mihi ita conuerti posse videntur: *A calido autem frigidum externum in vnum circumobsessum, & simul collectum, fuga intro arrepta*: subaudi: *rigorem mouet.* ὥστε ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ. *Quamobrem vtrúmque ab eodem* Dubitationi satisfacit; non à contrariis inquit caussis, sed ab eadem rigor cietur, nimirum à frigida re: hæc tamen res frigida aliquando quidem intus est, sicuti cùm à calore pulsa frigiditas, quæ in extimis partibus erat, fugam intro arripit, quo tempore videbatur rigor moueri à calido, & hoc erat secundum problematis membrum: aliquando autem exteriùs est, sicuti cùm extrinsecus affusa aqua frigida natiuum calorem extinguit, quod erat primum membrum.

XII.

Διὰ τί φείθεσι αἱ τρίχες ἐν τῷ δέρματι; ἢ ὅταν συστάσωσι τὸ δέρμα, εἰκότως ὀρθανέστησαν; συστῶσι δὲ ὑπὸ ῥίγους, ἢ ὑπὸ ἄλλων παθῶν.

Cur pili in cute inhorrescunt? An vbi cutem contraxerunt, meritò eriguntur; contrahunt autem & rigore, & aliis pleríque affectibus.

Caussas in vniuersum quærit, merito quarum contingat, vt pili in cute erigantur; id enim simpliciter significari verbo, φείθεσι, ostendit alterum quod sequitur ὀρθανέστησαν. Caussas autem has, illa omnia esse dicit quæcúmque cutim contrahere possunt: hac enim contracta illi eriguntur, sicuti etiam vberiùs scribitur problemate XXI. Sequenti. Cùm verò eiusmodi cutis contractio fiat à rigore, & ab aliis passionibus, iure merito à rigore & ab aliis passionibus quæ cutim contrahere possunt, pili eriguntur, quemadmodum etiam habemus problemate quinto sectionis XXXV. Alexander libro primo problemate XXVII. particulatim quæsiuit, cur erigerentur per metum aut horrorem, quo loco eandem & ille ex contractione cutis caussam ibidem adduxit.

XIII.

Διὰ τί ἐν τῇ τελευταίᾳ προέσει τοῦ ὕρου φείθομθαι; ἢ ὅτι ἐνόντος μὲ τοῦ ὑγροῦ θερμοῦ, πλήρεις ἥ τε κύστις, καὶ οἱ περὶ αὐτὴν πόροι; ἐξελθόντος δὲ αἴρος ψυχροῦ ἐνέπλησεν· κενὸν γὰρ κενὸν δεῖ εἶναι, ἀλλ' ἢ αἴρος, ἢ σώματος πλήρης· ὅτε οὖν εἰσελθόντος ψυχροῦ αἴρος εἰκότως φείθεσθαι συμβαίνει.

Cur ad extremam vrinæ missionem inhorrescere solemus? An dum humor calidus ille inest, vesica & meatus, qui circa eam positi sunt, pleni, expertésque frigoris substant: pòst verò vbi effluxerit, aëre frigido replentur: quippe cùm inane nihil esse naturæ ratio patiatur, sed aut aëris, aut corporis plenum esse vnumquódque necesse sit. Quod igitur aër se induxerit frigidus, rectè vt inhorrescamus, euenire solitum est.

Non est absimile, quod hîc quæritur problemati IX. superiori: & eadem etiam redditur ratio: nos scilicet extrema vrinæ emissione ideo horrere, quoniam vesica, & meatus, qui sunt circa ipsam, eo tempore refrigerantur. Nam cùm antea pleni vrina, ab eadem etiam incalescerent, ea emissa aër frigidus subingreditur, & vesicam, & meatus refrigerando horrorem mouet: ingreditur autem aër subitò, ne vacuus vspiam relinquatur locus: hunc enim non patitur natura rerum: sed omnia plena sunt aut aëre, aut corpore, id est corpore solido: quod autem est plenum aëre, vacuum esse dicit vulgus, at non est; quemadmodum scribit Aristoteles libro quarto de physico auditu, quo loco hanc de vacuo quæstionem vberrimè tractat.

XIV.

Διὰ τί τῶν ῥιγώντων, ἢ γλῶσα, καθάπερ τῶν μεθυόντων, παλίγκοπον ὑπὸ τοῦ ψύχους πηγνυμένη, καὶ

σκληρυνομένη, δυσκίνητον γίνεσθαι; τότε ἢ συμβαίνοντος, ὅ δύναται σαφηνίζειν. ἢ τῶν ἐντὸς πυκνωμένων διὰ τὸ ψύχος εἴσω συρρύεν, τὸ ὑγρὸν ἐξυγραίνειν τὴν γλῶτταν; διόπερ ὁ δύναται ἡ γλῶττα τὸ αὐτῆς ποιεῖν, καθάπερ εἴρηται ἐπὶ τῶν μεθυόντων· ἢ διὰ τὸ ἀπὸ τῶν ῥίγους τρόμον ἀτάκτου τῆς κινήσεως, ὥστε, ὅ δύναται τὰ λεγόμενα διαρθροῦν ἡ γλῶττα: διόπερ ἠπόρηται.

Cur lingua rigentium, quemadmodum vinolentorum, errare ſoleat? Vtrum quòd à frigore concreſcit, ac indureſcit mouenti difficilis redditur; itáque explanare non poteſt. An quia partes exteriores appulſu denſantur frigoris humor intus collapſus linguam madificat, ex quo ſuo fungi officio lingua nequit, vt de vinolentis etiam diximus. An quòd per tremorem à rigore inductum, motus temerè agitur, articulatè vocabula lingua edere non poteſt, itaque oberrat & hæſitat.

Cauſſas tres proponit, quamobrem lingua eorum qui rigent, non poſſit liberè, & manifeſtè voces explanare, ſed inter loquendum ita peccet, & offendat, vt actionem illam non perfectè edat; ſicuti etiam ebriis accidit, quos fermè balbutire videmus. Eſt autem prima ratio; quoniam lingua, quo actionem ſuam perfectè edat, indiget facili, & expedita motione, hac autem carent rigentes, quoniam frigus eò quòd tum cæteras partes extimas, tum etiam promptè linguam corripiat, quippe quæ ſit poroſa, & facilis ad recipiendum & aëri etiam ſæpe aperto ore exponatur, eam adſtringit & indurat; id autem facilitati motus quæ mollitudine, & laxitate moderata perficitur, aduerſari conſpicuum eſt; motioni itaque non expedita, lingua ſermonem explanare non poteſt. ἢ τῶν ἐντὸς ψυχομένων. *An quia partes exteriores.* Prima ratio deſumebatur à duritie, & conſtrictione linguæ, quæ ſequuntur ſiccitatem: hæc altera à madore, vt penè contraria videantur. At non eſt mirum: nam cùm actio illa explanatè loquendi perficiatur moderatis qualitatibus, quæ ſunt poſitæ in medio, excedentes, ſeu ad vnam, ſeu ad alteram extremitatem accedant, illam impediunt, & peruertunt. Ait itaque Ariſtoteles, in rigentibus, ob frigus, quod exteriùs contingit, & conſtringit partes illas, expreſſas humiditates intus confluere, & madefacere linguam, quæ maximè parata eſt ad fluxionem recipiendam, tum ratione loci, quæ ſubdita ſit cerebro, fonti humiditatum, tum ratione ſubſtantiæ, quæ laxa; & plena meatibus. Nimiùm igitur humectata non poteſt ſuo munere fungi, ſicuti etiam ebriis accidit, in quibus præ madore lingua oberrat. ἢ διὰ τὸ ἀπὸ τοῦ ῥίγους. *An quòd per tremorem.* Tertia ratio. Explanatæ loquutioni neceſſarius eſt motus ordinatus, & non confuſus, vt debito interſtitio, & abſque offenſione vna ſyllaba, alteram rectà ſequatur, & vna vox aliam: Id autem in rigentibus non poteſt vſuuenire, quia illi tremorem habent adiunctum: tremor autem eſt motus inordinatus, & confuſus, compoſitus ex duobus motibus, altero ſurſum, altero deorſum, nitente quidem natura ſurſum, pondere autem membri deorſum trahente, ſicuti ſcripſit Galenus libro ſecundo de ſymptomatum cauſſis capite ſecundo. Hoc autem tunc contingit, cùm natura occaſione aliqua debilis eſt, ſicuti in ſenibus, in ebriis, in timentibus, & in aliis animi paſſionibus. Porrò quod Theodorus tranſtulit eleganter, *motus temerè agitur*, meliùs ad proprium ſenſum, etſi rudiùs conuertatur, *inordinato exiſtente motu*, quæ verba nos expoſuimus.

XV.

Διὰ τί τῶν ῥιγώντων ὀρθαὶ αἱ ἐν τῷ σώματι τρίχες γίνονται; ἢ διότι ἀπὸ τῆς καταψύξεως τὸ θερμὸν εἰς τὸν ἐντὸς τόπον ἀθροίζεται; ἐπιλείποντος δ' ἐν τῇ σαρκὶ τοῦ θερμοῦ, σωίσταται μᾶλλον· σωματοειδὴς δὲ ὀρθοῦται αἱ τρίχες γίνονται· ἢ διότι * *

Cur pili rigentium eriguntur? An quòd ex refrigeratione calor in partem interiorem ſe colligit. Vbi autem carni caloris beneficium deficit, magis cogitur; quod cùm fit, pili erectiores effici coguntur.

Quod hîc quæritur, proponitur itidem vigeſimo primo problemate huius ſectionis quo in loco cùm duæ afferantur ad ſoluendum rationes, altera hîc propoſitæ eadem eſt, iiſdémque verbis effertur: ſed exemplo quodam præterea magis illuſtratur: ibi autem nos eam exponemus. Hoc loco altera etiam videbatur ab Ariſtotele proponi, ſed verba deſideran-

tur. Illa enim tantùm habemus, vnde ratio inchoabat: *An quoniam.* Ea fortaſſe erat, quæ proponitur problemate vigeſimo primo, quod nimirum idem problema bis ſcriptum eſſet, ſicuti aliquibus aliis problematis contigiſſe videmus.

XVI.

Διὰ τί ἔ χειμῶνος τρέχοντες μᾶλλον ῥιγῶμεν ἢ ἑστῶτες; ἢ ὅτι ὁ ἀὴρ ὁ περὶ τὸ σῶμα, ἑστῶτων μέν, ὅπαξ ἀπαξ συνθερμανθῇ, οὐκ ἔτι ἐνοχλεῖ τρεχόντων δ', ἀεὶ ἄλλος καὶ ἄλλος προσπίπτει ψυχρὸς ὤν· διόπερ μᾶλλον ῥιγῶμεν; ἔτι δ', καὶ κινεμένου, ψυχρότερος γίνεται ὁ ἀήρ; τοῦτο δ' ἐν τῷ τρέχειν μάλιστα συμπίπτει.

Cur hyeme, cùm currimus, magis rigemus, quàm quum ſtamus? An quòd aër noſtra ambiens corpora cùm ſtamus vbi ſemel concalefactus eſt, nullam præterea moleſtiam infert: cùm autem currimus, alius, atque alius ſubinde frigidus occurrit, itaque facit, vt magis rigeamus. Ad hæc aër, cùm mouetur frigidior redditur: quod quidem in currendo maximè incidit.

Quare tempore frigido cuiuſmodi eſt hybernum, dum currimus, aut incitatiùs ambulamus, magis refrigeremur, quàm ſi quieſcamus, cauſſam inquirit Ariſtoteles: cùm videretur potiùs ex ambulatione incaleſcere nos magis debere; cùm motus non frigoris, ſed caloris cauſſa exiſtimetur; qua de re plura ſectione quinta. Rationem autem huius accidentis eam reddit: quoniam dum quieſcimus, aër, qui corpus noſtrum, & ſingulas eius partes ambit, poſtquàm calefactus ab ipſo eſt, non poteſt ampliùs ipſum refrigerare: eſt enim calidus; at ſi curramus, & locum mutemus, mutatur etiam deinceps aër: qui autem occurrit corpori frigidus eſt: refrigerat itaque donec & ipſe excalfiat à corpore noſtro. Semper etenim corpus noſtrum proprium quendam tepidum vaporem de ſe mittit, qui proximum aëra, ſicuti titio calefacit, vt habuimus ab eodem Ariſtotele problemate xxxiv. ſectionis quintæ. At ſi antequàm calefiat, moueamur denuò, & ſic ſubinde faciamus: vt in currentibus accidit, frigidus ſubinde occurrit nouus aër, & nouum frigus ſubinde percipitur, quod maximè, & potiſſimùm ſentiunt partes nudæ, & aëri expoſitæ, cuiuſmodi facies eſt, & præſertim aures, & naſus. ἔτι δὲ κινέμενος. *Ad hæc aër non mouetur.* Superior ratio deſumebatur ab aëre naturam ſuam dum corpori occurrit, obtinente, & veluti nihil ex motu eo tempore paſſo: hæc autem ſumitur ab eo tanquam aliquid patiente, nimirum magis refrigerato: nam dum currimus, aër mouetur, motus autem magis frigeſcit, magis autem frigefactus, nos magis refrigerat: motum porrò aëra magis frigerari, non hîc probat, ex eo fortaſſe probetur, quod habuimus ſectione v. problemate xvii. aëra motum ventum fieri. Ventus igitur ille ſubinde proximum alium aëra refrigerat: ille verò in nos incidens magis adhuc refrigerat.

XVII.

Διὰ τί ὑστεροφαύσκοντος πάλλον ψύχος, ἐγγυτέρω δ' ἡλίου ὄντος; ἢ ὅτι πλείων χρόνος τῆς ἡλίου ἀπουσίας ὥστε μᾶλλον ἀπέψυκται ἡ γῆ; ἢ ὅτι, περὶ ἡμέραν ἡ δρόσος πίπτει ὥσπερ πάχνη· ταῦτα δὴ ψυχρά; ἢ οὐ ταῦτα πίπτει, ἀλλὰ τὸ κρατοῦν τὸ ἀναφερόμενον θερμὸν; κρατεῖται δὲ ἀλλὰ τῇ ἡλίου ἀπουσίαν· διὸ καὶ πλεῖον μὲν ἀπέχοντος, μᾶλλον πίπτει· ἐγγυτέρω δὲ ὄντος πίπτει καὶ πήγνυται· διὸπερ μᾶλλον ἀπέψυκται ὁ τόπος πλείω χρόνον τῆς ἡλίου ἀπόντος· ἢ ὅτι περὶ ἡμέραν μᾶλλον τὰ ἐκ νυκτῶν πνεύματα τοῦ ψύχους; ἢ ἡμῖν δοκεῖ μᾶλλον εἶναι ψύχος, ἀλλὰ τὰ πεπέφθαι τὰ σῖτα; κενώτεροί δὲ ὄντες, δυσειμότεροι· σημεῖον δὲ, τὸ μὴ τοὺς ἐμέτους μάλιστα ῥιγοῦν.

Cur tempore matutino frigus acrius eſt, cùm tamen Sol propiùs adſit? An quòd plus temporis abſentiæ Solis exultat: itaque terra magis refrigerata eſt. An quòd die inſtante, ros & pruina cadere ſolent, quæ frigida ſunt: an hæc etiam ideo cadunt, quoniam calor, qui ſurſum ſe extulit vi frigoris ſuperatur, idq; non niſi Solis abſentia euenit; quocirca cùm longè diſtat, non cadunt: cùm propiùs, tum cadunt, atque gelantur, quòd locus vehe-

mentiùs refrigeratus est propter Solis diuturniorem absentiam: An die instante potiùs flatus incitantur nocturni, qui gelidi admodum spirant. An nobis frigus acrius idcirco esse videatur, quòd cibi cõcocti iam sunt, inaniores autem cùm sumus, frigus vtique acrius sentimus: argumentum quod à vomitu maximè frigere solemus.

Cùm Sol cuius beneficio terra calescit, propinquior nobis sit aurora sublucente, quàm media nocte, punctum enim mediæ noctis remotissimum est, vt scribit idem Aristoteles sectione x x v. problemate x v. sub aurora autem Sol ex alio hemisphærio ad nos aduentat; cúmque res calefaciens, quo vicinior est, magis subiectum calefaciat, consentaneum videretur, vt manè frigus tepescceret, & calor augeretur: at contra fieri videmus, frigus enim illa hora acrius percipitur, huius ideo effectus caussam quærẽs Aristoteles, quattuor affert rationes. ἢ ὅτι πλείων χρόνος· *An quòd plus temporis.* Prima ratio. Maius est temporis interuallum ab ea hora, qua Sol terram nostram deseruit ad auroram, quàm ab eadem hora ad mediam noctem: diutius igitur terra, illa hora caruit eo beneficio, quo incalescit, iure itaque magis refrigerata est. Porrò hæc, ἢ ὅτι πλείων χρόνος τῆς ἡλίου ἀπουσίας; quæ Theodorus vertit: *An quòd plus temporis absentiæ Solis exultat?* ad verbum ita sonant: *An quòd maius absentiæ Solis tempus est?* Verbum autem *exultat* qua significatione hîc locum habeat, non video. ἢ ὅτι πρὸς ἡμέραν. *An quòd die instante.* Altera ratio. Aurora appetente sunt plures refrigerationis caussæ, quàm media nocte: cadunt enim eo tempore, non media nocte, ros, & pruina, quæ frigida sunt, & à frigido generantur, licèt à maiori pruina, à minori ros, vt scribit idem Aristoteles primo Meteororum; iure igitur in aurora maius percipitur frigus. ἢ διὰ ταῦτα. *An hæc etiam ideo cadunt.* Hæc videntur emendare alteram rationem modò positam, qua pruina, & ros referebantur inter caussas refrigerantes horam matutinam, confirmare autem primam, nimirum ideo frigus percipi acrius hora matutina, quia Sol diutius abfuit, exemplo, aut signo pruinæ, & roris: nam cùm illa hora hæc in terram cadant, qua Sol longiori temporis spatio à nobis abfuit, & cadant vi frigoris: non cadant autem media nocte, at solùm matutino tempore, profectò ostenditur, qua hora Sol diutius abfuit, ea magis percipi frigus, quæ erat prima ratio. Vel nullo pacto emendat Aristoteles eam rationem, sed potiùs significat ea, quæ paullò ante proposuit de rore, & pruina, & frigiditate aëris esse ex illis rerum generibus, in quibus, cùm inuicem sint caussa, & effectus, licèt vtrinque argumentari, circulóque demonstrationem efficere: huiusmodi enim demonstratio, quæ circularis appellatur, quamquam simpliciter reprobetur ab Aristotele libro primo posteriorum Analyticorum capite 111. conceditur tamen ab eodem libro secundo posteriorum capite x 111. cùm se mutuò consequuntur medium, & extrema: Igitur licet hoc loco vtrinque argumentari, & ex pruina, & rore temporis illius frigiditatẽ ostendere, & ex temporis illius frigiditate roris & pruinæ eo tempore casum. Is autem casus quomodo fiat liquidiùs etiam docet. Ait enim calorem, hoc est, vaporem calidum sursum latum ibi nocte detineri ob Solis absentiam, Sole nimirum ipsum non resoluente, aut exsiccante, frigiditas enim ibi adest huiusmodi, quæ operi illo sit idonea, non ea tamen tanta est, quæ pruinam, aut rorem iam possit in terram demittere: quare eo tempore, cùm Sol longiore loci spacio distat, id est media nocte, non cadit, est enim hora minùs frigida, cadit autem eo appropinquante, quia aëris locus magis refrigeratur, frigiditas autem hæc maior ad eum effectum requirebatur. Quamquam enim Sol ratione situs, & loci sit nobis distantior media nocte, quàm appetente aurora, quia tamen calor, quem ab eo recepit aër die præcedenti, minor fit in horas, nox autem media proximior est diei præcedenti, minúsque interest horarum spatium, idcirco illa minùs frigida est, & ex his illud licet soluere, quod Aristoteles in proponendo problemate initio obiecerat. κρατεῖται, *vi frigoris superatur*, verba illa, *vi frigoris*, addita sunt à Theodoro, Græcè enim solùm est: *Quia calidum sublatum detinetur, aut superatur*, vt vertit Theodorus verbum κρατεῖται. Porrò autem tum hæc, tum altera prior ratio proponitur etiam ab eodem Aristotele sectione x x v. hæc sanè problemate v. illa xv. duobus enim hisce in locis de eadem re similiter quæritur. Tum verò tertiam etiam rationem adducit Aristoteles per ea, quæ sequuntur. ἢ ὅτι πρὸς ἡμέραν μᾶλλον. *An die instante potiùs.* Sub auroram multi spirant venti; sicuti etiam scripsit idem Aristoteles sectionis vigesimæ sextæ problemate quinquagesimo sexto: Sol enim appropinquans vapores multos vnà secum attrahit, qui in ventum resoluuntur, huiusmodi autem venti, cùm sint frigidi, iure horam illam refrigerant. Porrò de ventis cum aurora nascentibus,

multorum Poëtarum ſunt carmina, inprimis ex noſtris Italicis Torquati Taſſij hæc admodum ſuauia, vbi etiam de cadente rore:

Vſciua hormai del molle, e freſco grembo
De la gran madre ſua la nocte oſcura,
Aure lieui portando, e largo nembo
Di ſua rugiada pretioſa, e pura:
Eſcotendo del Ciel l'humido lembo,
Ne ſpargeuai fioretti, e la verdura,
Ei venticelli dibattendo l'ali,
Luſcingauano il ſonno de mortali.

Verba autem Ariſtotelis, quæ à Theodoro ſatis liberè ſuo more ſunt reddita, ita fideliter verti poſſunt: *An die inſtante plures ſunt nocturni flatus qui frigus afferunt?* ἢ ἡμῖν δοκεῖ μᾶλλον. *An nobis frigus acrius.* Vltima ratio. Ideo frigus nobis ea hora apparet maius, quoniam vacua contingit eadem eſſe corpora, vacua autem corpora frigus magis percipiunt; ſunt autem corpora illa hora vacua, quoniam coctiones iam ſunt perfectæ, nec in ventre amplius reperitur alimentum, quod ſolet corpus totum excalfacere: niſi ſtatim aſſumpto eo in nonnullis, in omnibus ſaltem paullò poſtea. Corpora autem vacua magis frigus percipere ſigno & à poſteriori oſtendit, quoniam poſt vomitum, qui corpora inanit, frigus magis ſentimus. Id autem poſt multam deiectionem ob eandem cauſſam ſimiliter contingit.

XVIII.

Διὰ τί πονοῦσιν, ὅταν ῥιγώντας πρὸς τὸ πῦρ φέρωσιν ὅταν ᾖ κῦ μικρὸν χλιαίνωσιν, ϗ; ἢ ὅτι ὅλως ἐκ τῶν ἐναντίων τἐναντίων γινόμενον μεγάλλω ποιεῖ τ μεταβολήν; ὥσπερ ἐπεὶ τ δένδρων, εἰ μὴ κῦ μικρὸν κάμπτοι τις, οὐκ ἂν πονοῖ· εἰ δὲ σφοδρότερον, ϗ μὴ κῦ μικρὸν, κλᾶν· εἰ ἓν τὸ ὅμοιον ὑπὸ τ ὁμοίων ἀπαθές, τὸ ᾖ θερμὸν ὑ ῥιγοῦντ εἴσω συνίστ), κὴ συνέρχε), τὸ ᾖ ὑγρὸν καταλείπε), ϗ τὸ ψυχρὸν, τὸ ᾖ ἐναντίον ὑ ἐναντίως φθαρτικόν· ὥστε ἐὰν μὴ χλιαίνῃ, κῦ μικρὸν ἐξέρχε) τὸ θερμὸν, κὴ ἧττον πονεῖ, ἐὰν ᾖ μὴ ἀναχλιάνῃ, περιστάγ μᾶλλον.

Qua de cauſſa qui vehementer frigent, ſi ſtatim copioſo igne concalefiant, indoleſcunt: ſi paullatim verò tepefiant, ſine magno dolore recreabuntur? An quòd omnino cùm ex contrariis in contrarium proficiſcitur, magna effici commutatio ſolet: vt in arbore, ſi quis paullatim deflectit, nihil eſt, quod ſtirps ipſa laboret. At ſi vehementiùs corripit, nec ſenſim adducit, frangatur neceſſe eſt. Ergo ſimile à ſuo ſimili affici nihil poteſt: vt autem calor hominis frigentis intus conſiſtit, & ſe colligit, ſic humor, & rigor parti exteriori relinquuntur, contrariúmque ſui contrarij corrumpens eſt: efficitur rectè, vt ſi ſenſim, paullatímque tepefiant, calor prouocetur, & exeat: itaque minùs doleant: ſin ſubitò recaleſcant ampliùs adducatur, & adſtringatur, itáque dolendum acriùs ſit.

Theodorus ſenſum quidem non variauit, ſed valde liberè tranſtulit: hæc autem poſſit eſſe fidelis conuerſio: *Propter quid laborant rigentes ſi ad ignem deferantur; ſi autem paullatim tepefiant nequaquam?* Rationem autem reddit, dicens valde refrigeratos, qui ad ignem accedunt; ideo dolorem, & laborem pati, quia magna ſubitò & ſimul in ipſis ex contrariis in contraria fit mutatio, ex algore in calorem ſummum, qualis ignis eſt. Huiuſmodi autem mutatio ſine dolore ferri non poteſt, nam alterat, & corrumpit naturam: ſed paullatim vt illa fiat, neceſſe eſt, ſicuti probat exemplo arboris, quam ſi quiſpiam paullatim inflectat, nihil illa laborat, at ſi vehementiùs & ſubitò, frangitur. Galenus porrò libro primo de ſymptomatum cauſſis, vbi de cauſſis doloris agit ex Platone, & Hippocrate, quæ ad hunc locum illuſtrandum maximè faciant, hæc ſcribit: *Sed quæ eſt communis omnium* [dolorum] *cauſſa, & quæ ſingulorum propria? Communis quidem quam Plato in Timæo his verbis explicat: Paſſio præter naturam violenter, & affatim incidens dolorem excitat, cùm verò ad naturalem habitum redit, idq; rurſus affatim, delectationem inducit. At quod ſenſim paullatímque fit, ſenſu non percipitur. Atque hactenus Plato. Hippocrates verò Platone vetuſtior, ab his inquit, quæ natu-*

ram

ram mutant, ac corrumpunt, dolores excitantur. Hac quidem vocula corrumpunt, & celeritatem, & vehementiam transmutationis indicans. Hæc Gal. Locus autem, quem ex Hip. citat, is est in lib. de locis in homine. Nobis porrò ille ex Plat. verbis non resideat scrupulus quod velit, delectationem induci ex subito, & confertim, aut vniuersim facta regressione in naturalem statum, tanquã ei sententiæ sit cõtrarium, quam modò in probl. ab Arist. habuimus. Quamquam enim verba fortasse aliquantisper inuicem pugnare videantur, sententia prorsus eadem est: Vult enim Plato, quod futurum est, vt suauitatem afferat, confertim reducturum ad naturalem statum, non tamen ita subitò & confertim, vt corrumpat; & vult Aristoteles, qui ex frigore ad naturalem statum, & calorem rediturus est, vt redeat sensim, & paullatim, non tamen adeò, vt sensum lateat, tale enim non excitat voluptatem: cùm igitur latè pateat, quod subitò, & confertim fit, & latè etiam, quod sensim; moderatio quædam motus, quæ vtrobique locum habet ad voluptatem inducendam requiritur, quam intellexerunt tum Plato, tum Aristoteles. Si verò algidus, subitò, & vniuersim ardenti igni exponatur, illius natura corrumpitur, & ideo gignitur dolor, quod dicit Aristoteles. Hæc autem ratio eorum Philosophorum verba conciliandi quam modò proposuimus tum sumitur ab eodem Platone postremis verbis, tum etiam ab iis, quæ habet Galenus libro de conuulsione, & rigore capite VI. in hunc modum: *Rursus enim, vt Plato dixit, quod sensim, & paullatim fit, insensibile: quod autem sensile, necesse est hoc vehementer moueri, & tremore subito, quare perfrictio quidem insensilis, largiori temporis spatio, & paullatim accidit: cita autem, & emergens admodum, cum sensu prorsus contingit: neque enim huiusmodi affectus latere poterit. Iam talis affectus cum frigiditatis sensu non omnis dolorem affert, sed interim etiam voluptatem, ex Platonis nimirum testimonio, cuius verba ita habent: Affectus præter naturam, & violentus subitò accidens doloroficus est in nobis: quod autem ad naturam redit subitò, suaue est. Quare* [subitò] *vtrique, & suaui, & dolorifico commune est, necessariò ne affectus lateat coniunctum. In hoc autem, quod non latenter in naturalem statum reducit, suaue est: quod autem extra naturalem statum eduxit dolorificum.* Hæc Galenus. εἰ οὖν τὸ ὅμοιον ὑπὸ τοῦ ὁμοίου. *ergo simile à suo simili.* Rationem liquidiùs explicat his duobus fundamentis. Simile non patitur à simili; contrarium est contrarij corruptiuum. In rigentibus igitur calidum innatum confluit, & consistit intus, frigidum autem, & humidum derelinquitur extra: calore enim intus existente, exteriores partes cum ea humiditate, quam habent frigidæ necessariò deseruntur. Has igitur calore destitutas, præfrigidásque partes aggrediens subitò ignis, quippe qui contrarius, corrumpit ratione alterius fundamenti: id autem exterioribus hisce partibus non vsuueniret, si calore natiuo fouerentur, ratione primi fundamenti, simile non patitur à simili. Igitur cùm partes prefrigidæ paullatim tepescunt, calórq; externus sensim ipsis inducitur, tum internus paullatim euocatur, nec laborant partes, quia simile non patitur à simili: si autem non tepescunt, sed præfrigidis summus applicatur externus calor, innatus non exit, sed magis adstringitur, vnde partes eo destitutæ à contrario corrumpuntur. ἧττον πονεῖ. *Itaque minùs doleant.* Verterim potiùs: *non doleant*, ex propositione probl. Quod enim ibi Theodorus vertit, *si paullatim verò tepefiant sine magno dolore recreabuntur*, Græcè breuiter est, *si paullatim verò tepefiant, nequaquam.* εἰ οὖν τὸ ὅμοιον. *Ergo simile à suo simili*, non omiserim hîc libenter particulam, *si*, quam habet Aristoteles, hoc modo: *si igitur simile à suo simili*, &c. sicuti tollerem voculam, *vt*, & *sic*, quam paullò post habet Theodorus, vt ita locus verteretur: *Si igitur simile à suo simili affici non potest, calor autem hominis frigentis intus consistit, & se colligit, humor autem, & frigus relinquuntur, contrariúmque, &c.*

XIX.

Διὰ τί ψυχθέντες, μᾶλλον ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ θερμασίας κάμνομεν, ἢ ἀλγοῦμεν; πότερον διὰ πυκνότητα σέγει ἡ σὰρξ τὸ προσπῖπτον θερμὸν; διὰ μόλιβδος ἐᾶϊς θερμότερον· ἢ βίαιον γίνεται τῷ θερμῷ ἡ ὁδὸς διὰ τὸ πεπηγέναι ὑπὸ τοῦ ψύχους τὰς πόρους.

Cur refrigerati magis ab eodem calore vrimur, atque dolemus? Vtrum caro suæ causa densitatis calorem occurrentem sibi tenaciùs suscipit, ex quo plumbum calidius redditur quàm lana. An calor vi penetrat, eo quòd foramina nimio frigore congelauerunt.

Quamobrem si ad eundem ignem accedat refrigeratus, & qui frigore non est correptus, sed calescit, maiorem, & acriorem ex ignis calore percipiat vstionis sensum, & do-

lorem

lorem refrigeratus, quàm calidus, duas assignat Aristoteles caussas, quarum prima est, quoniam caro illius, qui refrigeratus est, densior est, & spissior, non refrigerati: frigiditatis enim est adstringere, & densare: quod autem densum est, & spissum, calorem quo afficitur, arctis illis meatibus retinet, & celat magis, quàm minimè densum; & ob hanc rationem fit vt plumbum quia densius est, quàm lana, calidius reddatur, hoc est, maiorem caloris vim possit corpore suo recipere & retinere, quàm lana, in qua præ laxitate calor aëris nec imprimi, nec retineri potest. ἢ βίαιον γίνεται τῷ θερμῷ. *An calor vi penetrat.* Altera ratio. Calor subiens meatus illius, qui refrigeratus est, vtitur inter subeundum violentia; Nam corpus præ frigiditate astrictum, & congelatum est, nec liberè potest calor subire; violentia autem hæc dolorem affert: præsertim ob rationes dictas proximè superiori problemate, illuc enim tendit hæc ratio. Porrò hoc problema iteratur sectione trigesima septima, estque ibi quartum; pro *meatus*, autem ibi scribitur *corpus*. στέγει, *tenaciùs suscipit.* Verbum στέγει, quo Græcè vtitur Aristoteles propriè significat, *celat*, & *operit*, quod feliciter exprimit illam caloris non solùm susceptionem, sed arctam retentionem, quam Theodorus conatus est assequi additione vocularum *tenaciùs*.

XX.

Διὰ τί ὀργιζόμενοι οὐ ῥιγῶσιν; ἢ ὅτι ἡ ὀργὴ τῇ δειλίᾳ ἐναντίον, καὶ ὁ θυμός; ἔστι γὰρ ἡ μὲν ὀργὴ, ἀπὸ τοῦ πυρός· πολὺ γὰρ τὸ πῦρ κατέχοντες εἴσω, χλιαίνονται μάλιστα δ' ὅτι ἐπὶ τῶν παιδίων καταμανθάνουσιν· οἱ μὲν γὰρ ἄνδρες, βλάπτουσι· τὰ γὰρ παιδία πρῶτον μὲν τὸ πνεῦμα πολὺ ἀναλαμβάνουσιν, εἶτα ἐρυθριῶσι· πολὺ γὰρ ἔσω ὂν τὸ θερμὸν, καὶ ἐξυγραίνον, ἐρυθρὰν ποιεῖ· ὅτι εἴ τις αὐτοῖς πολὺ τὸ ψυχρὸν προσχέοι, παύσοιντο ἂν ὀργιζόμενοι: κατασκευάζει γὰρ ἂν αὐτῶν τὸ θερμὸν· οἱ δὲ δειλοὶ καὶ φοβούμενοι τοὐναντίον· ῥιγοῦσί τε γὰρ, καὶ ψυχροὶ, καὶ ὠχροὶ γίνονται· ἐκλείπει γὰρ τὸ θερμὸν αὐτοῖς ἐπὶ τὰ ἔσχατα τόπων.

Quam ob caussam non rigent, qui irascuntur? An quòd ira, & excãdescentia timiditati contrarij affectus sunt. Est autem ira ex igne proficiscens. Cùm enim intus copiam ignis retinemus, concalescimus: quod maximè in puerili ætate perspicere licet. Pueri námque primùm spiritus copiam retrahunt, deinde rubescunt: calor enim cùm intus affatim subsstat, atque humificat, facit, vt erubescant. Nam si quis largè aquam frigidam his infuderit, iram sedabit: sic enim calor extinguitur, pauidi autem, & perterriti contrà: rigent enim, & frigidi pallidíque redduntur. Calor námque eorum se summis de partibus seuocat ad imas.

Ex contrarietate, quam ira, seu iracundia habet cum timore, rationem ducit Aristoteles, quamobrem minimè rigeant, qui irascuntur. Nam cùm affectuum contrariorum contrarij quoque sint effectus, & accidentia, timiditas autem, & ira sint contraria, erunt vtique ipsorum contrarij effectus. At rigent timore affecti: non igitur rigebunt ira correpti. Explicat autem meliùs & confirmat hanc rationem Aristoteles, docens statim, quomodo ira, & timor sint contraria: & mox, quare rigeant timore affecti, vt cùm calor, natiuus, ratione cuius rigor attenditur, (illius enim passio est, vt superiùs diximus) alio & alio modo in vtróque moueatur, iure non rigere iratos appareat. Docet autem timiditatem, & iram esse contraria, quoniam ira est passio cum calore vndique exundante, timiditas autem cum frigore. Ira enim, inquit Aristoteles, est ab igne: non igitur solùm cum calore, sed etiam à calore. Nam cùm intus in irascentibus multa ignis, seu caloris copia contineatur, eo sanè hac illac exundante calescunt vtique toti: quod maximè in pueris discere licet: illi enim cùm irascuntur primùm quidem magnam spirituum copiam sursum ad cutim attrahunt, deinde rubri fiunt, id autem non ab alia re ortum ducit, quàm à multo calore intus contento vnà cum humore nimirum à sanguine intus commoto, atque ebulliente. Hic enim est, qui ruborem illum deinde inducit in cutim. Puerorum autem maximè adductum est exemplũ, quoniam ob calorem, & humiditatem, quibus illa ætas abundat, magis perspicuè res apparet. Porrò autem, dum hæc exponerem, neglexi illa *viri enim læduntur*, quæ tamen habent Græca exemplaria, & Antiquus interpres: quod illis careret Theodori tralatio; & sensum, quod ego quidem intelligerem, iuuarent nihil; nisi mendum aliquod subsit, quod potiùs suspicor; & particulam, γὰρ, in illis, τὰ γὰρ παιδία, pro γὰρ accepimus, vt fecit Theodorus, qui etiam fortasse γὰρ legit. Probat autem deinceps Aristoteles etiam experi-

mento quodam, multum calorem exundare in pueris iratis, qui ruborem illum inducere dictus est. Nam si quispiam copiosam aquam frigidam ipsis affundat, iram vtique sedabit: quod nimirum à frigido extinguatur, contrarium illi occurrens: hoc est exundans calor: hoc autem iræ discutiendæ remedium ex aqua affusa, tanquam Aristotelicum refertur, etiam à Plutarcho in libro περὶ ἀοργησίας, seu *de cohibenda ira*, quo loco significari præsens problema existimauit Petrus victorius. Hinc autem iam ostendit Aristoteles contrarietatem, quæ timori cum ira inest; vt solutio quæstionis liquidiùs pateat, qui enim timore afficiuntur, non calidi, nec rubentes sunt: sed frigidi,& lutei,seu pallidi:atque affusa aqua haud itidem accidentia hæc desinunt, vt illa in iratis: sed augentur potiùs rigéntque illi omnino; quoniam calor natiuus, partes corporis summas,& superficiales deserens, retrahitur ad interna, ibique suffocatur. Vnde extimæ destitutæ calore, & sanguine,pallidæ, ac frigidæ redduntur. In ira contra,vt dicebamus, sanguis vndequaque & ad omnes partes dispergitur, omnésque reddit calidas,, & rubentes, nec frigori, aut rigori vllus est locus. De hoc autem caloris motu contrario irascenti, & metuenti, déque aliis eorundem contrariis accidentibus licet etiam videre problema III.sectionis XXIII.

XXI.

Διὰ τί ὅταν φείξομεν, αἱ τρίχες ὀρθαὶ ἵστανται; ἢ διὰ τὸ ἐν ὑγρῷ πεφυκέναι κατακεκλεῖσθαι; κρατεῖ γὰρ τῷ ὑγρῷ τὸ βάθος τῆς τριχός· ἡ δὲ φείκη γίνεται ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ· τὸ δὲ ψῦχος καὶ φύσιν πήγνυσι τὸ θερμόν· ὅταν οὖν μεταβάλλῃ τὸ ὑγρὸν, ἐξ οὗ πεφύκασιν αἱ τρίχες, καὶ παγῇ μεταβάλλειν εἰκὸς τὰς τρίχας· εἰς μὲν οὖν τἀναντίον εἰ μεταβάλλουσιν, ἢ ἐν ταυτῷ μένουσιν, ἢ ὀπίσω πάλιν ἡ θρὶξ τοῦ ὑγροῦ· οὐκ εἰκὸς δὴ πεπηγότος καὶ πεπυκνωμένου τοῦ ὑγροῦ, τὰ τρίχα τῷ βάρει κρατεῖν· εἰ δὲ μηδαμόσε κινεῖσθαι δύναιτο τὰ τρίχα; τὸ ὑγρὸν πεπηγέναι, λείπεται ἑστάναι ὀρθάς· ἢ διότι ὑπὸ τῆς καταψύξεως τὸ θερμὸν, εἰς τὰ ἐντὸς τόπον ἀθροίζεται; ἐκλείποντος δὲ τὸ σαρκὸς τοῦ θερμοῦ, συνίσταται μᾶλλον ἡ σάρξ· συναγομένης δὲ, ὀρθότεραι αἱ τρίχες γίνονται· καθάπερ ἐὰν τις εἰς τὰ γῆ ἐμπήξας κάρφος, ἢ ἄλλο τι, συστείλῃ, καὶ πάντοθεν συνάγῃ τὰ γῆ. μᾶλλον ὀρθὸν, ἢ ἐὰν ἐᾷ μὴ συνεσταλκέναι.

Quam ob rem quoties inhorrescimus pili eriguntur? An quòd in humore occlusi connectuntur: humor enim à pili altitudine vincitur. Horror autem, pulsu frigoris fieri solet. Frigus verò calidum humorem congelet, naturæ ratio vult; ergo vbi commutatus, congelatúsque humor est, in quo pili inhærent, pilos ipsos mutari consentaneum est; aut igitur in partem aduersam se transferent, aut in eadem manebunt, si rursus vincere humorem potuerint; ac verisimile non est, vt humorem gelatum coactúmque pilus vincere suo ponduscul o possit. Ergo si pilus vndique gelido humore obsessus, ne quò valeat inclinari, restat sanè, vt erectus consistat: An quoniam calor pulsus frigore ad locum interiorem se colligit: vbi autem calor se à carne dimouit, caro pleniùs cogitur, coactáque pilos eminentiùs erigi cogit: quomodo si cùm terræ festucam, aut aliud quodlibet infixeris, construas, atque vndique terram colligas, efficies, vt magis erigi possit, quod infixum est, quàm si terra minùs esse coactum siueris.

Quod superiùs problemate XII. sub rigoris nomine propositum erat, idem hîc sub nomine horroris quærit; quam ob caussam horrescentibus pili erigantur: duas autem reddit Aristoteles rationes, quarum postrema eadem est, & iisdem omnino exprimitur verbis, quibus vsus est problemate XII. altera autem ab humore ducitur, cui infixi sunt pili, de quo in altera nulla mentio. Etsi fundamentum non sit à priori diuersum. ἢ διὰ τὸ ἐν τῷ ὑγρῷ. *An quòd in humore.* Theodorus solita vsus libertate, nimiùm discessit à verbis, & diuersam etiam lectionem sequutus videtur, quàm vulgata Græca exemplaria habeant. Eam ob rem nos qui in expositione verba ipsa inprimis spectamus, & eisdem, quibus Aristoteles vsus est, sensa ipsa explicare conamur, hunc locum ita conuertimus: *An quia sunt à natura ita constituti, vt in humido reclinent? capillorum enim radices detinent ipsum humidum. Horror autem à frigore fit, sed calidum naturæ ratione à frigore congelatur: si quidem igitur in contrarium mutentur, vel in eodem statu manebunt, vel superabit denuò capillus humorem ipsum. Non est autem*

consentaneum, vt congelato, & coacto humore, possit capillus eum grauitate sua superare, si autem nullo pacto pilus, quia humori sit impactus, possit inclinari, reliquum est vt rectus stet. Est autem hæc prima ratio ex humore illo desumpta, cui pili affixi sunt, quique sub cute est dispersus, & assiduè eisdem incrementum suppeditat: hic enim humor occupatur ab ipsis pilorum radicibus, eisdem seruiens, illique ipso veluti pro arbitrio ad sustentationem vtuntur. Quoties igitur à frigore gignitur horror, tunc ab eodem frigore constringitur, & congelatur humidum: est enim hæc frigoris natura, vt calidum humorem congelet, nomine enim calido, humor etiam intelligitur, vt apparet ex sequentibus verbis. Transmutatur igitur humor, quem continent radices pilorum & à pristina natura dimouetur, quippe congelatus: hoc autem transmutato par est etiam transmutari capillos, & erigi, qui antea inclinati erant. Si igitur transmutentur in partem aduersam, sic, vt recti stent, aut permanebunt in eodem statu, aut denuò vincent, & humori dominabuntur, ita vt non aliter, ac antea ipsis ille inseruiat, & obediat, eodémque statu, quo priùs capilli permaneant: hoc autem non est consentaneum, nimirum vt capillus possit pondere, & grauitate sua, quæ exigua admodum est, humorem gelatum, & coactum superare: reliquum igitur erit, cùm nullo modo possint, quia coacto illi humori affixi, & concreti sunt, iamque vincuntur, & non vincunt, sicut antea inclinari, vt in horrore, & quoties ille durat, recti persistant. Nos porrò Aristotelis rationem ita deduximus, lectionem vulgatam Græcorum codicum sequuti, ῥωμαντίον εἰ μεταβάλλεσιν, &, ἢ ὄπικρατής, quo modo etiam conuertimus. At Theodorus videtur legisse, τὸ ῥωμαντίον ἢ μεταβάλλεσιν, &, εἰ ὄπικρατής, qua lectione sensus quidem, & momentum rationis idem redit, sed ratio ipsa aliter erit deducenda, vt ex Latina Theodori versione facilè colligi potest. ἢ διότι ἐστὶ θερμὸν τὸ καταψύξεως. *An quoniam calor pulsus.* Altera ratio, quæ adducta etiam fuit problemate XII. In horrore merito frigoris, quod eo tempore contingit, calor hostem fugiens, colligit se ad partes interiores, deseritque externam carnem. Hæc autem refrigerata, magis cogitur, & contrahitur: est enim hic frigoris effectus; contracta autem carne pili eriguntur, non secus ac si quispiam festuca, aut surculo, aut alio quopiam terræ infixo, terram vndique aggerat: facit enim ille profectò, vt ab ea detentus, & vndique obsessus surculus, possit rectus stare magis, quàm si terra circum minimè construatur. Quam rationem etiam, licèt surculi similitudine minimè adducta, habemus apud Alexandrum problemate XXVII. libri II. quo loco eadem res proponitur.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Ι.

ὅσα περὶ ὑπώπια καὶ ἀλφούς, καὶ μώλωπας.

ARISTOTELIS PROBLEMATVM SECTIO IX.

De iis, quæ ad vibices, ſugillata, & cicatrices pertinent:
THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII COMMENTARIVS.

I.

ΔΙΑ τί τὰς μώλωπας κωλύει τὰ νεόδαρτα δέρματα προστιθέμενα, καὶ μάλιστα κριῶν, ἢ ὠὰ δι' ἃ καταγνύμενα; ἢ ὅτι ἀμφω κωλύει τὴν ἄνθρωσιν τοῦ ὑγροῦ, καὶ τὴν ἔπαρσιν; τὸ μὲν ἀφηλκωμένον ἕλκει ἐπαίρει διὰ τὴν θερμασίαν· τὰ δὲ δι' ὠὰ, διὰ τὴν γλισχρότητα κατακολλῶντα κωλύει ἐπαίρεσθαι, καθάπερ καὶ τὰ καύματα· ὥσπερ καὶ ἡ κόλλα, καὶ τὰ δέρματα; τῇ τε γλισχρότητι προσκολλᾶται, καὶ ἅμα τῇ θερμότητι συμπέπεται, καὶ παύει τὴν φλεγμασίαν· διὸ καὶ ἁφαιροῦσιν ἡμερῶν τινων· ἐξάγειν δὲ βέλονται τὴν φλεγμασίαν· καὶ οἱ τοὺς ἁλὶ, καὶ τοὺς ὄξει τρίβοντες.

Cur pelles recenter detractæ, maximè quæ arietum, verberum vulneribus & vibicibus admotæ, & oua ſuperconfracta prohibent vlcera, ne conſiſtant? An ratione vtráque humor colligi intumeréque prohibetur? Pars enim colliſa humorem trahit, intumeſcítque propter feruorem. Oua ſua lentitia glutinant, atque ita intumeſcere non ſinunt, vt etiam in ambuſtis glutine agitur. Conglutinare poſſunt pelles quoque ob ſuam lentitiam, hærentes nimirum, ſimúlque ſuo calore concoquunt, inflammationémque ſedant: neque enim detrahere eas ſolemus, niſi diebus aliquot pòſt. Etiam qui ex ſale, acetóve perfricandum cenſent inflammationem tollere volunt.

Ariſtoteles hoc ſegmento problemata quædam proponit pertinentia ad ictus, ſeu incuſſiones verberum, liuores ex iis prouenientes, & cicatrices: dicuntur autem illa à Græcis ὑπώπια, & μώλωπες, à Latinis autem, *vibices*, & *ſugillata*, aut *ſugillationes*, de quorum nominum ſignificatione nonnulla paullò poſt ſubiiciemus. Primùm igitur quærit Ariſtoteles de iis, quæ μώλωπες dicuntur, quæ vox ictus ſignificat, aut percuſſiones, propriè factas ex corio, ſeu flagello bubulo; inde enim etymon vocis deducunt, nimirum ἀπὸ τοῦ βοὸς βοός, καὶ τὸ λέπω, τὸ λεπίζω, hinc enim fit βώλωψ, & mutatione β, in μ, μώλωψ; Quoniam verò ex percuſſionibus his notæ, & veſtigia liuida ob affluxum refrigerati ſanguinis in cute relinquuntur, ſæpe etiam eodē nomine ipſa veſtigia, vix plagæ ipſius amplius, habita ratione accipiuntur. Ariſtoteles autem hoc problemate intellexit eo nomine ictum ipſum, & percuſſionem vnà cum laboribus, & accidentibus, quæ ſecum affert. Vnde Theodorus haud opinatus ſe perfectè ſenſum conſequi ſolo nomine *vibicum*, aut *ſugillatorum*, non interpretis, ſed expoſitoris potiùs functus munere, quod ſimpliciter erat Græcè, *prohibent molopas* vertit,

verberum

verberum vulneribus, & vibicibus admotæ, prohibent vlcera, ne consistant: sequutus etiam aliqua ex parte Plinium, qui libro xx. capite xiii. eandem Aristotelis sententiam ita protulit: *verberum vulnera, atque vibices pellibus ouium recentibus impositis obliterantur*, quamquam sint, qui legant: *verberum vlcera, pellibus ouium, &c.* Quærit igitur Aristoteles, quamobrem pelles animalium, & præsertim arietum, si recens detractæ, & calidæ admoueantur parti alicui percussæ, prohibeant futurum affectum, nec sinant ea succrescere accidentia, quæ illi succedere solent: quam eandem rem etiam quærit de ouis confractis, ictæ parti superimpositis. Soluit autem quæstionem; vtráque dicens, & pelles recenter excoriatas, & oua confracta, ideo prohibere affectum augeri, quoniam prohibent collectionem humoris ad partem laborantem, atque tumorem eiusdem partis. Ea enim, quæ cõtusa sunt, & vlcerata trahunt ad se, ratione doloris, & coloris ibidem geniti, & promptè recipiunt ratione imbecillitatis partis: inde autem locus in tumorem eleuatur: oua autem confracta, & loco apposita, quia lentitia prædita sunt, glutinant partes simul, & prohibent locum eleuari; quoniam partes coactæ, & adstrictæ non admittunt influentem humorem; sed potiùs repellunt, quod in ambustis similiter oua operantur, in quibus ratione non dissimili prohibent locum eleuari. Pelles autem non secus, ac gluten, tum lentore suo partes agglutinant, & idẽ efficiunt, quod oua, tum etiam calore tepido, quo sunt præditæ, concoquunt, & sedant inflammationem, quoniã & resoluunt. Id autem non statim præstant, sed procedente tempore; quare non illico auferuntur; sed aliquot diebus pòst. Serapio libro de simplicibus ex animalibus capite CCCCII. de arietis pelle eadem Aristoteli tradit his verbis. *Cutis arietis quando accipitur recens, sicuti excoriatur aries, & ponitur super locum percussionis confert adeò, quòd curat percussionis læsionem in die vna, & nocte, & hoc quoniam maturat, & resoluit loca percussa, quæ sunt repleta sanguine.* ἕλκη ἢ θέλοντ) ἢ φλεγμασίαν. *etiam qui ex Sole.* Confirmat quæ dixit de recentibus pellibus, simili alius medicinæ, qua nonnulli vtuntur; Nam sicuti nonnulli sale, & aceto eas verberum incussiones perfricant, quibus illud est propositum, vt inflammationem tollant, quod volebant consequi, vt puto, astrictione, quæ aceto, & sale præstatur; similiter proficuæ sunt pelles recentes, quia inflammationem, & ipsæ sedare possunt: acetum autem, & sal, vel coniunctim accipiuntur, vt vtrisque simul mixtis illi vterentur, aut vtrumque per se, vt alij quidem aceto, alij autem sale eas perfricarent. Atque hodie sanè etiam Medici in contusionibus, & percussionibus hisce, eisdem vtuntur pellibus recenter detractis, conspersis etiam sale, rosis, & myrtis. Nos porrò ita problematis rationem explicuimus, atque deduximus iuxta Græci exemplaris excusi lectionem, Theodorus autem diuersam habuisse videtur. Quamquam autem non magni interest, quoniam rationis momentum idem est, tamen nostra expositio verbis Aristotelis consona appareat, totum problema ita fermè verbum è verbo conuertendum putaui: *Cur pelles recenter detractæ, maximéque arietum, atque etiam oua super confracta verberum vlcera prohibent? An quoniam vtráque prohibent humoris collectionem, atque tumorem? quod enim vlceratum est, trahit, & propter feruorem attollitur. Oua porrò, quia ratione lentoris agglutinant, prohibent loci tumorem; sicuti etiam prohibent ambusta. Quemadmodum autem gluten, ita etiam pelles, tum lentore suo agglutinant, tum etiam caliditate concoquunt, & sedant inflammationem, & qui sale, & aceto perfricant*; Theodorum igitur puto legisse καθάπερ ἐπὶ τὰ καύματα ἡ κόλλα· ἢ τὰ θέρμαστα. cùm verterit, *vt etiam in ambustis igne agitur: conglutinare possunt, &c.* tanquam vox *gluten* superiori sententiæ sit connectenda: illa etiam, *hærentes nimirum*, de suo addidit, vt multa alia sæpenumero.

II.

Διὰ τί ἐν μὲ τῷ ἄλλῳ σώματι αἱ ἐλαὶ μέλαιναι, ἐν ᾗ τῷ ὀφθαλμῷ λευκαί; ἢ ὅτι ἐναντίαν χρόαν ἡ ἐλὴ λαμβάνῃ τῇ πρώτερον, ὥσπερ πᾶν τὸ νενοσηκὸς; ἐν τῷ μέλανι ᾗ τοῖς ὀφθαλμοῖς τὰ ἕλκη· ἐμὲν ἐδὲ ἐν σώματι μέλαινα ἐύθυς, ἀλλ' ἐξ ἀρχῆς λευκὴ, ἐδὲ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ ἀεὶ μέλαινα, ἀλλ' ἀποκαθίσανται τῷ χρόνῳ, ἢ ἁπλῶς, ἢ μᾶλλον.

Cur cicatrices reliquo quidem in corpore nigræ, oculis albæ inducuntur? An quòd cicatrix colorem priori contrarium trahit scilicet quemadmodum omnia, quæ ægrotârint. Vlcera autem parte oculi nigra contrahi solent: verumtamen neque in corpore statim nigrescunt, sed principio albæ sunt: neque in oculo semper nigræ, sed demum vel ex toto, vel magna ex parte redduntur.

Non omnes dicit cicatrices in corpore nigras esse : non enim id ex toto verum est : sed causſam quærit diuersitatis earum quæ in reliquo còrpore immutantur ab illis, quæ immutantur in oculis, illæ enim nigræ redduntur, hæ autem albæ. Dicit igitur illas, quæ in oculis fiunt, ideo albas esse, quoniam cicatrix morbosum quiddam est; morbus autem partem deducit in statum contrarium, ac priùs erat : oculi autem pars, in qua fit cicatrix est nigra, aut talis apparet, fit enim in cornea, quæ nigra plùs minùs apparet : meritò igitur à cicatrice in contrarium statum parte illa deducta alba reddetur. Hæc autem ratio, quæ satis communis, & longinqua est, ex ea re proximiùs videtur posse confirmari. Nam cùm vnaquæque pars sana, alimentum, quod trahit in colorem sibi similem, conuertere solet, pars in corpore carnosa, & alba, vbi fit cicatrix quia debilis est, & præ morbo non potest alimentum perfectè concoquere, & assimilare, & ad albedinem propriam deducere, cicatrices in ea nigræ euadunt, & in oculo similiter, cùm ratione eiusdem imbecillitatis ad colorem, qui oculo proprius est aut niger, aut nigro proximus, trahi non possint, albæ. Est enim cornea in qua hæ cicatrices fiunt, coloris propositi, quemadmodum dicit in præsentia Aristoteles, & v. de generatione animalium capite primo, & alibi. Verùm sicuti hæc ratio possit approbari, quod pertinet ad cicatrices in reliquo corpore, & consona sit iis, quæ ab eodem Aristotele dicuntur problemate xi. ita quòd pertinet ad oculum falsò nititur fundamento, nec video quomodo ab anatomicis recipi possit, quibus cornea ex se minimè est nigra, aut alius coloris, sed alba, vel potiùs diaphana, & pellucida, sicuti cornu, vnde illi nomen; & color, quem in ea videmus, illi sit ab vuea tunica subiecta, quæ sola pars in toto oculo est colorata. Quinimò si colorata esset cornea, visionem rectè fieri impediret. Igitur non transmutatur in ea alimentum ad colorem nigrum, cùm est sana, nec ex immutationis defectu candida apparet cicatrix. Valeret ea ratio si vnà cum cornea vulnerata fortè esset ad circulum iridis vuea, & in hac fieret cicatrix : At de corneæ etiam cicatricibus, quæ tales semper apparent, loquitur Aristoteles. Hæc ideo proposui frustrà alioquin prolata, quòd ex iis, quæ habet Aponensis in commentariis ita videatur Aristotelis ratio explicari, & confirmari; etsi Aponensis confusè satis, & obscurè loquens, vt sæpe aliàs, mihi quidem rudi ingenio viro, nec ex toto vera afferens, non omnino explanet eam sententiam. Vidit enim fundamenti falsitatem Aponensis, & corneam ex se minimè esse nigram, manifestè dicit. Igitur Aristotelis rationem communem, & remotam, qualis est, sicut pleráque alia hoc in libro accipiamus : & oculorum, seu corneæ apparentem colorem, de quo loquitur Aristoteles, verum, & proprium requirentes, minimè dimittamus. Nam & Aristoteles idem, quanquam de oculorum coloris causſa non ita senserit, quemadmodum anatomici, vt apparet ex libro quinto de generatione animalium capite primo vbi eorum colorum diuersitatem ad copiam, aut inopiam humoris reduxit, similitudine ex mari sumpta : qui enim multum habent humoris, illos esse nigros, vt profunda maris, seu altorum gurgitum apparent : qui parum cæsios : & sic pro abundantia aut paucitate humoris, ex horum mediis coloratos, corneæ tamen colorem, quem videmus, non verè illimet inesse, sed apparere, vt in mari fit, apertè ex similitudine adducta significat. Igitur ex apparenti colore deducitur ratio, quantum quidem potest. Hic autem color cùm oculo morboso, & sano contrarius esse debeat, qua parte morbosus est; si sanus niger apparet, morbosus, qua remanet cicatrix apparebit albus. Ad problema si aliquid præterea afferendum est, dicerem, cùm alba, lucida, & perspicua sit cornea oculi tunica, nec verè in se colorem illum contineat, quem in ea videmus, sed ab vuea subtus posita illi insit, quoties ob cicatricem duratur, & spissescit, iam non posse ampliùs colorem illum ostendere, quippe quæ non ampliùs lucida, & peruia sit, vnde color ille albus, aut albo similis, quem ex se habet, iam in ea apparet : cùm etiam nutrimentum ad eandem confluens, quod pituitosum est, & albidum, non possit ob partis imbecillitatem, sicuti antea concoqui, & immutari. Porrò Alexander primi libri problemate cxiii. cùm eandem quæstionem pertractaret non oculorum generatim cicatrices albas fieri proposuit, sed eas tantùm, quæ sunt in pupilla : Extra pupillam enim, in parte etiam nigra, tales non fieri : quod dictum Aristotelicis hisce non est omnino idem. Sed & idem Alexander aliam problematis rationem reddit, sumptam ex spiritu visiuo, qui cùm per pupillam tantùm permeet, vbi illius meatus ex cicatrice obcœcati sunt, & egredi non possit, ibidem cogitur, adaugetúrque : adauctus autem, cùm maximè lucidus, & luminosus sit, pro sua copia cicatricem illustrando reddere albam potest : id autem nulli ex aliis partibus contingit, quia ad nullam aliam spiritus ille allabitur. Hæc de oculorum cicatricibus. De aliis quæ in toto corpore fiunt illud repeto, non omnes ab Aristotele nigras dici : non enim hoc verum ; quia exiguæ reliqua carne albi-

diores

diores mihi quidem videntur: nigræ autem maiores, quæ ex ſubſtantiæ,& carnis deperditione relinquuntur; omninóque pro conditionum varietate illius,qui vulnus patitur, nigriores, aut minùs fiunt. In iuuene enim ſano, boni temperamenti, & vegeto calore, cicatrix ex leui vulnere vix apparebit nigra, aut ne apparebit quidem. Contra in ſene lienoſo, ex vlcere magno,& diuturno, præſertim in cruribus, ob diſtantiam, quæ illis eſt à caloris fonte,valde nigra, & in dies magis talis. Vnde problemate v. de lienoſis ſpeciatim,& xi. de vlceribus eodem loco ſæpius exiſtentibus eandem proponit quæſtionem. Porrò cicatricibus nigris, quæ poſſint reſtituere candidum colorem medicamenta habemus tum à Galeno, qui libro vii. de ſimplicium medicamentorum facultatibus,calaminthan, ſeu nepitam huiuſmodi facultate pollere tradit,tum etiam plurima alia à Plinio,qui & ſylueſtrem ocymum cum felle bubulo,& ſatiuos lupinos ex aceto coctos,& ſeuum aſininum cicatricibus nigris candidum colorem reſtituere variis in locis ſcriptum reliquit, ſicuti etiam ad albas oculorum in libro de virtutibus Centaureæ huius herbæ ſuccus commendatur. ἐ μλὰ ἐδὲ ἐν τῷ σώματι. *verumtamen neque in corpore.* Quæ ſimpliciter propoſuerat, ea limitibus quibuſdam comprehendit, ne ſimpliciter acceptis, ipſe aut erroris coargueretur, aut alius in errorem induceretur. Ait igitur cicatrices, ſiue oculorum, ſiue aliarum corporis partium, non ſemper eſſe vnius, & eiuſdem coloris: nam quæ in corpore fiunt non ſtatim, & ab initio ſunt nigræ,ſed albæ potiùs, cuius rationem non reddit: ſed ea duci poteſt ex iis, quæ dicentur problemate v. nec quæ in oculo,ſemper nigræ,aut etiam albæ;ſed procedente tempore, aut ex toto,aut maiori ex parte alij colori redduntur.

III.

Διὰ τί ὁ νάρθηξ τὰ κύκλῳ τῆς πληγῆς ποιεῖ ἐρυθρὰ, τὸ δὲ μέσον, λευκὸν; πότερον ὅτι ἀποπίζει τὸ αἷμα ἐπὶ τὸ μέσον καὶ μάλιστα πεφυκὸς πλεῖστον ὧν; ἢ ἔδει ἐπανιέναι; Διό γε τοῦτ' πάλιν· ἀλλ' αἱμάττεται συνδρομὴ τὸ ἐρύθημά ἐστι συνδρομὴ δέ, εἰς τὰ πλησίον τόπου.

Cur ferula oras, ſiue ambitum plagæ rubidum, medium album facit? Vtrum, quòd ſanguinem pellit ex medio,quod maximè ferit, quia in orbem ſe colligit, & rotunda eſt: An ea quidem de cauſſa ſanguinem deinde redire oporteret? rubedo autem, non niſi concurſus ſanguinis eſt, iſque in eum locum,qui ictus eſt.

Quod hîc de ferula proponit Ariſtoteles, id latiùs explicatur problemate ſequenti, in quo tum idem de ferula, tum de ligno contrarius proponitur effectus. Nomine autem ferulæ, quæ νάρθηξ Græcè dicitur, intelligendus eſt bacillus, leuis, & rotundus, cuiuſmodi ſcapus eſt illius plantæ, quæ propriè ferula dicitur, feniculo ſimilis; cuius etiam ſcapus veluti arundo, & ſimilia, eo nomine hîc poſſunt intelligi. Huiuſmodi enim bacillo ſi pars aliqua percutiatur, medium quidem eiuſdem partis percuſſæ album, extrema autem rubida efficiuntur: cuius rei illam eſſe cauſſam dicit Ariſtoteles, quòd ferula dum percutit, ſanguinem premit, & pellit ipſum de medio; medium enim illud eſt, quod maximè ab ea ictum percipit, quia nimirum ferula eſt rotunda, & circularis, nec æquè partes omnes illius loci, ad quem cadit, ab ea tanguntur, & percutiuntur, ſed omnium maximè medium. Inde autem pulſo ſanguine, meritò pars illa alba redditur, cùm à ſanguine rubidum acciperet colorem. Extrema autem ad quæ tendit ſanguis rubentiora. ἢ ἔδει ἐπανιέναι. *An ea quidem de cauſſa* Videtur ea reuocare in dubium, quæ propoſuit, ſi enim ideo medium eſt album,quia illinc ictu ferulę pulſus eſt ſanguis,oportet quidem ob hanc cauſſam,& niſi aliud afferatur, ſanguinem denuò redire, & medium denuò rubeſcere; rubedo enim aliud non eſt, quàm ſanguinis concurſus, ſanguinis autem concurſus eſt in eam partem, quæ percuſſa fuit: inde enim diſceſſit, & hic eius erat locus, ad quem ipſi reditus meritò ſit. Huic porrò dubitationi non ſatisfacit in præſentia, ſed problemate ſequenti,cauſſam afferens,quare ſanguis non poſſit iis, qui ferula icti ſunt ad eundem locum redire, poſſit autem illis, qui percuſſi ſunt ligno.

IV.

Διὰ τί τῷ μὲ νάρθηκι σφόδρα τυπτόμενον, τὸ μέσον τῆς σαρκὸς λευκὸν γίνεται, τὸ κύκλῳ δὲ, ἐρυθρόν· ξύλῳ δὲ, ἐρυθρότερον τὸ μέσον; ἢ ὅτι ὁ μὲ νάρθηξ διὰ κυφότητα, ἐὰν σφόδρα πατάξῃ, τὸ

ὑπὸπολῆς διεσκέδασεν αἷμα· ὅσε ὅθεν μὲ ἐξέλιπε, λευκὸν φαίνεται· ἐὰν δὲ πλέον ἦλθεν, ἐρυθρότερον· οἰδησάσης δὲ τῆς πληγῆς ἐ ταχέως ἀποκαθίσταται τὸ σκεδασθὲν αἷμα, διὰ τὸ ὀλίγον τε εἶ, καὶ τὴ φορὰν εἰς τὸ ἀνώτερον ἔχ· πλησθῆ γὰρ διαθὲν, διὰ τὸ παρὰ φύσιν φορὰν ἐνεχθῆναι. διὰ δὲ τὸ σκληρὸν, αἱ πληγαὶ, διὰ βάρος, καὶ τὴ ἰσχὺν, θλίψιν καὶ θλάσιν ποιοῦσι. θλιβόμενον μὲ ἓν κοῖλον γίνεται. θλώμενον δὲ, βραῖον· τιμὴ γὰρ καὶ αἱρέσεις ὅτι μαλακὴ ἡ θλάσις· κοίλη δὲ καὶ βραῖα γίνεται ἐ μέση, φέρει εἰς αὐτὸ ἂν τὸ πεσὲν ὑπὸπολῆς αἷμα. κάτω τε γὰρ πέφυκε φέρεσθαι, ἐ εἰς τὰ βραῖα τῶν εἴκειν αὐτὰ· ἀνθρίζομένα δ' ἐνταῦθα εἰκότως τὸ αἵματος, τοῦτο μὲ ἐρυθραίνει· ἃ δὲ ὑπολείπει, λευκαίνει.

Quare cùm membra à ferula vehementiùs feriuntur, medium carnis album, oræ rubræ redduntur: Ligno autem contra, medium amplius rubet? An quòd ferula ſuam ob leuitatem, vbi vehementer percuſſit, ſanguinem reſidentem per ſumma diſſipat. Itaque vnde ſanguis defuerit, mox ea pars alba exiſtit: quo autem pleniùs fluxit, hîc rubor ambit. Cúmque plaga intumuit, ſanguis citò ſuam ſedem repetere non poteſt, quoniam & exiguus eſt, & relationem per accliue agat, neceſſe eſt: non enim niſi copia, magna referri poteſt contra naturam. At ictus, quos dura, corpora inferant, affligunt, collidúntque ponderis ſui ratione, ac robore. Afflictum itáque medium cauum redditur, colliſum autem rarò exiſtit: colliſio nanque, diſſectio, & diſtractio leuis eſt. Quod cùm cauum, colliſumq; reddatur, ſanguis ad id ſummis de oris vndique fertur: nam & aptus ferri deorſum eſt, & laxa expeditiùs ſubit, quòd ea cedunt faciliùs, vbi autem ſanguis eò ipſe ſe collegit, efficitur meritò, vt medium rubore tingatur: oræ autem, quas deſeruit, albedine decolorentur.

De ferula idem quærit, quod ſuperiori problemate; cur ſi ea quiſpiam vehementiùs percutiatur, medium percuſſæ carnis album, extrema rubra efficiantur: de ligno contrarij effectus cauſſam, medium nimirum rubidius. Ligni autem nomine rem intelligit ſolidam, & grauem, ferulæ ſanè hiſce qualitatibus contrariam. Cauſſam autem eam reddit, quòd ferula vbi vehementer percuſſit, ſanguinem, qui eſt in ſuperficie diſpergit, & ab ea parte, quam vehementiùs attigit ad alias pellit: vnde autem ſanguis abit, alba apparet ea pars, illa re deſtituta à qua rubeſcebat, quò autem tendit rubidior, maiore rubefacientis rei copia repleta. οἰδησάσης δὲ τῆς πληγῆς. *Cumque plaga intumuit.* Satisfacit dubitationi ſuperiori problemate propoſitæ, cur ſanguis non poſſit eundem locum repetere: duo autem recenſet impedimenta; alterum quòd ſanguis pulſus, ſit exigua quantitate, non enim à leui re plurima copia poſſit protrudi: alterum, quia per ardua, & accliuia feratur, neceſſe eſt, cùm in parte tumor exiſtat; huiuſmodi autem latio præter naturam, eſt admodum difficilis: ſanguis enim ſua natura grauis, deorſum potiùs vergit: non poſſit itáque viam infeſtam, & ſurſum tendentē repetere, niſi multa copia ſit, tunc enim multitudine oppreſſus, vi adigitur ad erumpendum; qui verò hîc propoſitus eſt ſanguis, ille eſt exigua quantitate. Theodorus ſenſum eundem voluit exprimere, ſed & obſcuriùs & minùs Latinè vt puto per illa, *relationem per accliue agat, neceſſe eſt*; cùm Græcis verbis nihil ſit magis perſpicuum, ſi verbum verbo ita reddatur: *Quoniam, & exiguus eſt, & latio ad accliue.* Quod autem ſequitur meliùs etiam vt puto ſic; *fertur enim latione contra naturam, quū ob multitudinem vi adigitur.* διὰ δὲ τὸ σκληρὸν. *At ictus, quos dura corpora.* Aggreditur alteram partem. Quæ percuſſiones inferuntur à re ſolida, & dura, ſicuti lignum eſt, illæ ob pondus, ac robur, quod in ſe continent, comprimunt, & contundunt, ſeu collidunt carnem, quod autem comprimitur, cauum redditur, cedit enim rei comprimenti: quod autem contunditur, ſeu colliditur, rarum euadit: Colliſio nanque, aut contuſio, eſt diſſectio quædam, & diuiſio, ſeu diſtractio mollis, & leuis: quæ autem diuiditur, & diſtrahitur pars, illa procul dubio, rara exiſtit, cùm partes ipſius alteræ ab alteris longiùs diſtent. Facta igitur concaua, & rara parte illa, quæ medium occupat, facilè ex locis, qui circa ſunt, & in ambitu, ſanguis in ſuperficie reſidens ad eam defertur, duo habens ad hanc rem adiumenta, vnum ex ſe, alterum ex parte, ad quam fertur: ſanguis enim naturâ ſua deorſum ferri aptus eſt, quippe grauis, in concauum autem locum delabens deorſum fertur, & pars, ad quam tendit, prompta eſt ad recipiendum, quia laxa, & rara eſt, & facilè cedit impreſſioni. Nos porrò vocem θλῖψιν, reddidimus, *compreſſionem*, quòd puta-

remus

remus clariùs,& euidentiùs exprimere illam membri paſſionem, & continui ſolutionem, quam intelligit Ariſtoteles, quàm voce, afflictionis ſola, qua vtitur Theodorus, θλάσις autem, colliſio vertitur à Theodoro, poſſit etiam,*contuſio.* Quid autem ea ſit, cùm habeamus Ariſtotelem interpretem, ſtultum ſit ab aliis auctoribus petere, qui tamen multis verbis eam explicant. ἀθροιζομένε δ' ἐνταῦθα. *vbi autem ſanguis.* Concludit. Sanguine collecto ea parte,quæ medium occupat, illa meritò rubeſcit: à ſanguine enim rubor extrema autem,vnde diſceſſit,meritò alba, deſtituta nimirum eo vnde rubeſcebant.

V.

Διὰ τί αἱ ἐλαὶ μέλαιναι τ' ἀπλωιώντων; ἢ ὅτι αἷμα διεφθάρμενον ἔχουσι, διὰ τ' ἐκ τ' ἀπλώδ⊙ σύμμιξιν νοσώδες αἷμα⊙ ☾ ὑδατῶδες; ἡ μὲ ἐν ἐλῇ, τὸ δέρμα λεπτὸν ἔχ ὑπόλαιμον ἴσχει· τὸ δ' αἷμα διὰ τ' ὑδατῶδες ☾ θερμὸν ἔτ μέλαν ὄν, τοιαύτῳ ποιεῖ τῷ ἐλαῖῳ διαφαινόμενον· ☾ δὴ πλεονάκις ἡ ἐλὴ ἐν τούτῳ γίνεται μελαντέρα· γίνεται δ' διὰ ταὐτὸ· δι' ἀσθένειαν γὰρ τ' δέρματ⊙, καταψύχεται τ' αἷμα, ☾ ἐξατμίζοντ⊙ τ' θερμᾶ, γίνετ' μελάντερον· ὁμοίως δ' ἔχ τοῖς πρεσβύταις, οἵ τε χρῶτες μελαντέροι γίνον', ☾ αἱ ἐλαὶ αἱ συγχρεῖς μελάντεραι, ἢ νέοις· οἷον ὑπώπιον γὰρ αὐτῆς ἅπαν τὸ σῶμα· ἀ διὰ λεπτότητα τ' δέρματ⊙, ἀλλ' ὅτι τ' θερμὸν ἐπιλέλοιπεν.

Cur nigræ cicatrices hominum ſunt, qui vitio lienis tenentur? An quòd ſanguis eorum corruptus eſt, propter admixtionem morboſi, dilutíque ſanguinis, qui à liene procedit? Cicatrix igitur cute prætenui, ſummáque conſiſtit: ſanguis verò ille, quia vt dilutus, & calidus ſit, niger eſt: cicatricem nigram tranſpectus vtique oſtendit, & quidem ſæpius. Hac eadem de cauſſa cicatrix nigrior fit: ſanguis etenim cutis imbecillitate frigeſcit, & calore euaporante atrior redditur. Senioribus etiam pari ratione cutis magis nigreſcit, & natiuæ cicatrices atriores, quàm iunioribus habentur: eſt enim quaſi vibicatum corpus eorum totum, non ob aliquam cutis tenuitatem,ſed quòd calor defecerit.

Quod ſuperiùs problemate ſecundo propoſitum erat de cicatricibus, quæ in corpore nigræ apparent; id euidentiùs, quàm in aliis, in lienoſis conſpicitur, eam ob rem ſeparatim modò illam quæſtionem proponit: lienoſos autem ſeu ἀπληνικούς, Galenus libro nono de compoſitione medicamentorum ſecundum locos capite ſecundo appellat eos, quibus diu lien obduruit, & talis adhuc perſeuerat: atque etiam libro de definitionibus medicis;ſexto autem aphoriſmorum XLIII. iidem tum à Galeno, tum ab Hippocrate dicuntur ἀπληνιώδεις. Hoc autem in loco Ariſtoteles ἀπληνιῶντες ſunt, quibus lien vitio aliquo ita afficitur, vt ſanguis in eo exiſtens contaminatus, & corruptus fiat; eſt autem huiuſmodi ſanguis præ vitio illo aquoſus, & diffluens, nec eam nactus craſſitiem, & conſiſtentiam, quæ huiuſmodi ſanguini naturam ſuam obtinenti, eſt neceſſaria. Cùm igitur is ſanguis per reliquas corporis partes diffuſus, miſceatur alij, qui in venis eſt; & niger ſit, quippe aquoſus, & calidus,hoc eſt putredinoſus: humidus, & calidus calore extraneo, deſtitutus autem calore, & ſpiritu natiuo, eundem inficit, & ad ſummam cutim, vbi conſiſtunt cicatrices, perueniens, efficit, vt talis inde appareat cicatrix. ☾ δὴ πλεονάκις. *& quidem ſæpius.* Hæc iuxta Theodori interpunctionem ſuperiori membro adhærent: ſed meliùs annectentur ſequenti, vt habent Græci excuſi codices, & antiqua tralatio. Eſt autem hoc corollarium, ſeu potiùs confirmatio eorum, quæ dicta ſunt, cicatricem nigram fieri natiui caloris defectu. Eadem, inquit, cicatrix in lienoſis nigrior procedente tempore ſæpius fit: debilitata enim cute ex vlcere præcedente, ſanguis, qui ad eam nutrimenti cauſſa defertur,refrigeratur aſſiduè magis, & idcirco nigrior fit, deficiente nimirum magis natiuo calore, qui ſplendorem, & colorem proprium rei conſeruat, indéque cicatrix nigrior & ipſa fit.Idem ſenioribus contingit, qui ætatis ratione lienoſis ſimiles ſunt: vnde corpora, id eſt carnes ipſorum nigriores fiunt, & cicatrices congenitæ, id eſt ipſis cognatæ; & non ſecus ac carnes mutationem ſequutæ, nigriores, quàm iuuenibus, eiſdem ſunt. Cùm totum corpus ipſorum, quaſi vibicibus notatum, & ſuggillatum appareat; idque non ob ſubtilitatem cutis, quod in iuuenibus dictum eſt, ſed ob natiui caloris defectum. Theodorus omiſit duas illas voculas ἐν αὐτοῖς,quas nos expoſuimus,*in eiſdem lienoſis*, quæ non erant omittendæ:locus igitur

iuxta lectionem Græci exemplaris typis excusi, ita conuerti potest: *Ac sanè in eo cicatrix sæpius nigra euadit: ob hanc autem causſam euadit: sanguis etenim, &c.*

VI.

Πότερον ὅσα ἓν αὐτὸ αἴτια, τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν εἰς τὸ ποιεῖν, ἢ ἄλλο λέγω ἢ οἷον. ἐπεὶ τὰ ὑπώπια καὶ ὁ χαλκὸς ἐξαίρει, καὶ ἡ ῥαφανὶς, καὶ ὁ κύαμος, καὶ ὁ πνεύμων, καὶ ἡ ἄργιλος, καὶ ἕτερ' ἄττα, τῇ αὐτῇ δυνάμει ἢ ὁ μὲν χαλκὸς τῷ ἰὸν εἶναι, τὴν ἢ ἰὸν φαρμακώδη· ὁ δὲ κύαμος καὶ ὁ πνεύμων, καὶ ἡ ἄργιλος, τῷ ὀπιασᾶν ἐφ' ἑαυτὰ διὰ μανότητα· ἄλλα ἢ, δι' ἑτέρας αἰτίας; ἢ τὸ μὲν ἔσχατον, ὅτι πάντων τῶν τοιούτων ταυτὸ; τὰ ἢ πρὸ τούτων, οὐδὲν κωλύει ἕτερα. πολλὰ γὰρ καὶ ἐναντία τούτοις. καθάπερ καὶ τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρόν.

Vtrùm quæcumq; rei eiusdem causſam obtinent, vim habent eandem ad agendum, an non? Verbi causſa, cùm vibices discuti, & ab aëre, & à radicula, & à faba commanducata, & à pulmone, & ab argilla, & ab aliis huiusce modi possint, singuláne vi eadem hoc efficiant an diuersa? An æs ideo tollit, quoniam rubiginem præ se fert, quæ pro medicamento accipi potest? faba verò & pulmo, & argilla, eò quòd ad se attrahunt propter sui corporis raritatem, cæteráque prædicta aliis ex causſis idem faciunt. An vltimum quidem in his omnibus idem est? Quod autem antecedit, hoc discrimini fore, nihil est, quod prohibeat.

Cùm res nonnullas inter se diuersas videre liceat vnius, & eiusdem effectus esse causſas, seu eundem effectum à rebus inter se diuersis prouenire; quærit Aristoteles an illa omnia, quæ inter se diuersa sunt, eundem gignentia effectum, eandem ad agendum habeant facultatem, an non? Exemplis autem declarat, quod proposuit; & quinque enumeratis rebus, vnde vibices, aut suggillata tollantur, ære, radicula, faba, pulmone, & argilla quærit vtrum eadem facultate hæc omnia liuores illos tollant, an diuersa; Et cùm ad finem problematis quæstionem dissoluat, explicat interim quomodo vnaquæque ex rebus propositis deleat suggillata, aut vibices, liuores scilicet illos, qui Græcis ὑπώπια dicuntur, de cuius nominis significatione dicetur problemate IX. Ære igitur eos inprimis tolli affirmat ratione rubiginis, seu æruginis, quæ ex ipso est, medicamentosa nimirum re. Quæ causſa, etsi non admodum proxima videri possit, tam latè patente medicamenti nomine, quando tamen res in medium veniat comparatione radiculæ, fabæ, & pulmonis, quæ comestibilia sunt & argillæ, quæ exiguum, & obscurum in medicina vsum habet, cùm æs, seu potiùs illius rubigo, quæ ærugo dicitur, & alia, quæ ex ipso sunt, adeò validas, & manifestas obtineant vires, iure non absona videatur adduci ratio: cogitandum enim est, nomine pharmaci illud intelligi, quod adhibitum eius naturam, cui adhibitum est immutat, quod venenum apud Latinos dicitur. Cùm tale igitur existat æs iure poterit naturam priorem immutando, quod liuidum erat album facere, id autem de aliis quattuor, quæ mitiori natura constant, haud quaquam poterimus simpliciter proferre. Vt denique idem ferè sit dicere, æs ideo suggillata tollit, quia æruginis ratione medicamen, ac dicere, quia æruginis ratione admodum excalfacit, & exsiccat, ac discutit; vnde & dicit Auicennas, quòd exedit callos, & attenuat. ὁ ἢ κύαμος, καὶ ὁ πνεύμων, καὶ ἡ ἄργιλος. *faba verò & pulmo, & argilla.* Tria ex propositis, quæ nomine recensẽt, fabam, pulmonem, & argillam, ideo vibices tollere affirmat, quia cùm sint substantiæ corporis, raritate, & laxitate præditæ, eisdem admota, facilè trahunt ad se, & recipiunt quæcúmque attrahuntur; extracto autem sanguine tollitur suggillatio. Porrò in veteri tralatione duæ tãtùm ex rebus propositis enumerantur, faba, & pulmo, omissa argilla; & Iustiniani codex notis compunctam habet illam vocem, tanquam ab exemplari abesset, ex quo describebat. Vnde cogitabam, fuisse forte eam vocem suspectam, quòd nimirum argilla omnis haud esset illis annumeranda, quæ præ raritate, & laxitate corporis attrahendo vibices tollunt, nec eiusmodi substantiæ raritate constaret. Pro qua dubitatione illud occurrit, esse inter terras, atque adeò inter argillas alias rariore, alias densiore consistentia, quòd docet Galenus, qui etiam ex grauitate, & leuitate eius rei argumentum ducit; terræ enim inde leuitatem prouenire, quòd larga, & copiosa in tota eius temperie aërea insistit substantia, ibidem scribit: quare & Samiæ terræ essentiam magis quodammodo aëream, quàm Lemniæ eodem loco esse affirmat. Vnde si admittẽda

ea vox

ea vox, quam sanè recipit Theodorus, de ea, quæ leui consistentia est prædita erit accipiendus locus. Et sanè Crito in compositionibus, quas recitat Galenus libro quinto de compositione medicamentorum secundùm locos capite primo, ad suggillata tollenda vtitur samia. Plinius etiam libro XVII. capite VII. leucargilli, seu leucargionis speciem quandam secundo loco numerat, quæ subrusa est, & vocatur capnumargos, quam leuitate, quàm cæteræ dimidio minorē esse dicit; vnde & Dalechampius se habere manuscriptum exemplar testatur, in quo non, *capnumargos*, sed *caunumargo* legatur, quasi laxa, & rara. De hac igitur, & ei similibus si locus accipiatur, omni carebit difficultate. ὁ ἢ κύαμος. *Faba verò.* Faba ad suggillata recipitur in multis compositionibus veterum medicorum, quas recitat Galenus libro quinto de compositione medicamentorum secundùm locos capite primo. Archigenes enim vtitur faba fresa, eáque cruda, vt exponit Galenus in cataplasmate, nec minùs eadem commanducata cum melle, & imposita; atque etiam cum cerussa, & argenti spuma ad cerati formam vino quoque macerata, donec tenera fiat, & trita splenij modo imposita. Apollonius etiam vtitur eadem fresa, & fracta in cataplasmate. Crito similiter libro tertio de Ornatu ad eandem rem vtitur farina fabacea aliis multis immixta. Quin & Dioscorides libro secundo eandem cum melle & farina fenugreci scribit suggillata dissoluere. Et Plinius libro XXII. capite XXV. eam dicit liuoribus mederi. ἢ ὁ πνεύμων, *& pulmo*, & hunc etiam ad tollenda suggillata adhibuisse medicos, se antiquiores refert Galenus loco quem modò adduxi; Archigenes enim porci pulmonem calidum imponendum dixit; & Crito ex Aristarcho pulmone caprino vsto vnà cum aliis permultis vtitur. Et eodē etiam seu caprino, seu agnino similiter vsto cum aliis multis ex cerato rosaceo exceptis. ἢ ἄργιλος. *& argilla.* Crito vtebatur samia terra vnà cum tordyllio, exceptis aceto, & mellis exiguo ad suggillationes, quæ profundæ erant. ἄλλα ἢ δι' ἑτέρας. *Cæteráque prædicta.* Hoc est radiculum, seu raphanum, & alia, quæ nomine haud expressit, & argillam ipsam si superiùs omissa fuerit. Raphano porrò, nimirum eius radice ad suggillata vti medicos eosdem, quos superiùs ex Galeno nominaui, Archigenem, Apollonium, & Critonem, ex ipsorum compositionibus à Galeno recitatis eodem loco videre licet. Dioscorides etiam libro secundo capite CXXXVII. radiculam cum melle suggillata tollere scribit. Porrò autem quomodo singula ex dictis suggillatis medeantur non explicat vbique Galenus: genus, & qualitatem medicamenti ei initio satis est proposuisse, quo affectus tollatur. Hæc enim initio statim libri quinti cùm de suggillatorum curatione ageret apposuerat verba: *Meritò ad curationem statim festinant medici, priusquàm sanguis denigrescat, scopum medendi habentes, vt sanguis discutiatur, cùm sciant id quod in grumos coierit ex sanguine ægerrimè discuti posse. Cùm verò tunicula venarum, ex quibus sanguis exilit rumpatur, parum quiddam ex adstringentibus ad discutientia admiscetur. Si enim ex sola simplici facultate discussoria pharmacum à principio adhibeatur, non solum, quod effusum est, discutiet, sed & per fissuras aliquid attrahet ex sanguine: in contusis venis contento. Postquàm verò in suam naturam redierint venulæ ad discussoria pharmaca citra adstringentium admistionem opportunè transieris.* Et paullò pòst: *Porrò si vos eorum, quæ in libris de simplicium pharmacorum facultate didicistis, memores fueritis, facilè discernere poteritis, quas nam suggillationes sola discussione digerere oporteat, absque adstrictione, & in quibus admiscere conueniat quippiam ex parte adstringentibus. Quin & ex ipsis discussoriis imbecilliora primùm adhibenda esse manifestum est, fortiora verò inueteratis, & denigratis admouenda.* ἢ τὸ μὴ ἔσχατον. *An vltimum quidem.* Quæstioni respondet. Ea dicens, quæ proposita sunt, & eis similia, partim quidem eadem facultate, partim autem non eadem effectus illos inducere. Si enim extremam illam actionem, & operationem, qua ab eis res effecta redditur, consideremus, illa eadem est in omnibus, terminus ille nimirum vltimus actionis à facultate prodeuntis, à quo curatio absque medio perficitur. Hic autem nec ab Aristotele exprimitur, nec proprio nomine exprimi potest; nam quæ vi sua immutant, quæ attrahunt, quæ extenuant, quæ adstringunt, hæc tandem in curatione absoluenda qua vibices tollunt, ad eum terminum perueniunt, qui in omnibus idem est. Sed nomine caret; eandem autem rem in aliis medicamentis, quæ eundem effectum gignunt, extremo affectionis termino considerato affirmare nihil prohibet Si autem consideremus ea, quæ præcedunt, nimirum operationes, seu apparatus præcedentes extremum terminum actionis, illa nihil prohibet esse diuersa, quod confirmatur à maiori: per illa πολλὰ γὰρ ἢ ἐναντία τέτοις, multa enim eidem effectui producendo apparatus ratione idonea, contraria sunt inter se, sicuti calidum, & frigidum; igitur diuersa. At hæc eadem seu eorum actio cùm in eo iam res est ab iis producenda, vt absoluatur, tunc in idem redeunt ex Aristotelis sententia. Non ignorandum autem hæc extrema, quæ confirmationem continere diximus, desiderari in Latina Theodori tralatione, haberi tamen tum in

codicibus Græcis excusis, tum etiam in tralatione antiqua: sed cùm illico, legerentur post illa verba ἐπὶ πάντων τοιούτων ταυτὸ, nos reiecimus illa ad finem problematis: hîc enim nobis visa sunt aptè confirmationem continere, quam diximus, illic autem nullum omnino habere locum. Ita igitur locus conuertatur: *An vltimum quidem in his omnibus idem est, quod autem antecedit, nihil prohibet alia, & diuersa esse. Multa enim etiam in his contraria sunt, sicuti calidum, & frigidum.* Atqui ex vulgata scriptura ita conuertendum est: *An vltimum quidem in his omnibus idem est. Multa enim his contraria, quemadmodum & calidum, & frigidum, quæ autem antecedunt, nihil prohibent alia, & diuersa esse.* Iam ad Theodori verba, vt Aristotelica magis fiant perspicua, hæc adnoto. ὅσα δ' αὐτὰ αἴτια. *Quæcumque rei eiusdem causſam obtinent.* Simpliciter. *Quæcumq; eiusdem rei sunt causſæ.* ἢ ὁ μὲν χαλκὸς τῷ ἓν ἢ ἰὸν. *An æs ideo tollit, quoniam rubiginem præ se fert, quæ pro medicamento accipi potest.* Simpliciter: *An æs quidem, quoniam adsit ærugo: ærugo autem res medicamentosa sit.*

VII.

Διὰ τί αἱ μὲν ἄλλαι οὐλαὶ, μέλαναι γίνονται· αἱ δὲ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ, λευκαί; ἢ διότι μεταβάλλουσιν ἐν ᾧ ἂν ὦσι πρὸς τὰς χροιάς; ἐν ᾧ τῷ ὀφθαλμῷ μέλανι ὄντι γίνονται· ὥστε ἀνάγκη λευκὰς γίνεσθαι.

Cur cæteræ cicatrices nigræ, oculi albæ consistunt? An quòd cicatrices colorem contrahunt contrarium parti in qua efficiuntur. At in parte oculi nigra fieri solent: ergo albæ efficiantur necesse est.

Hoc problema scriptum etiam fuit superiùs hac eadem sectione secundum, eóque loco à nobis expositum: & de eadem materia pertractatum fuit problemate v. atque denuò etiam agetur problemate xi. Quare hoc loco alia adducenda non sunt.

VIII.

Διὰ τί ἀλγεινοτέρα ἡ πληγὴ ὑπὸ ναρθηκος, ἢ ἐνίοτε σκληροτέρου, ἐάν τις κρούσῃ λόγου σκοπῶν τύπτων; εὐλογώτερον γὰρ τὸ ὑπὸ σκληροτέρας εἶναι ἀλγεινοτέραν· μᾶλλον γὰρ τύπτει. ἢ ὅτι ἡ σὰρξ ἀλγεῖ ὑπὸ μόνον τυπτομένη, ἀλλὰ καὶ τύπτουσα; ὑπὸ μὲν οὖν τῶν σκληρῶν τύπτεται μόνον· (ὑπείκει γὰρ διὰ τὴν σκληρότητα αὐτῶν) ὑπὸ δὲ ναρθηκος, ἀμφω αὐτῇ συμβαίνει, τύπτεσθαί τε, καὶ διὰ κουφότητα δὲ βάρους τύπτειν μὴ ἐῖκουσαν· ὥστε διπλασία γίνεται ἡ πληγή.

Cur ictus ferulæ dolorem ampliùs mouet, quàm aliquod duriorum? Ita enim deprehendetur, si quis cùm verberat, ratione considerat; cùm tamen ictum durioris vehementiorem esse ratio potior exigit: acriùs enim ferit, quod durius est. An quòd caro non solùm cùm percutitur, sed etiam cùm repercutit, dolet. Igitur à duris percuti tantum potest: cedit enim propter eorum duritiem. At verò à ferula vtrunq; sanè accidit, vt & percutiatur, & repercutiat, propter ponderis leuitatem, cùm scilicet non cedat, sed renitatur, ita vt ictus possit duplicari.

Comparat ictum ex re dura, ligno puta quercino, aut simili illatum, cum eo qui ex re molli, vt ferula aut viminea virga infertur. Et causſam quærit, quam ob rem ex hoc maior fiat dolor, quàm ex illo, si tamen rei propositæ veritas adhibita ratione consideretur, non illico enim patere, quin videri contrarium, cùm à re dura magis rationi consonum videatur, maiorem excitari dolorem, quàm à re molli, quia ictus est maior, & maiori pondere ferit. Illa autem, εὐλογώτερον γὰρ τὸ ὑπὸ σκληροτέρας εἶναι ἀλγεινοτέραν: μᾶλλον γὰρ τύπτει, ita conuertenda sunt, si verborum proprias obseruamus significationes: *Rationi enim magis consonum videatur, ictum durioris esse magis dolorificum, quia ferit vehementiùs*, non quomodo vertit Theodorus. Satisfacit autem dubitationi Aristoteles, & quæstionem soluit per illa, quæ sequuntur, ἢ ὅτι ἡ σάρξ. *An quòd caro non solùm.* Ideo ferula percussa caro magis dolet, quàm à re dura; quoniam à ferula incussi ictus plures numero sunt, quàm à re dura, vnus enim, & simplex ferulæ ictus, duplex redditur, quod non contingit in ictu ex re dura: atque ita ferulæ ictus omnes duplicantur. Id autem ea ratione fit, quia cùm ferula sit res leuis, (Plinius enim de ea: Nulli fruticum leuitas maior) magno pondere ferri non potest; vnde caro, cùm

ab ea percutitur, præ ferulæ leuitate non cedit, ſed contra renititur, in renixu autem verberat ferulam ipſam, & ex eo alter accidit dolor. Id cùm in ſingulis ictibus contingat, ſinguli ictus, & ex eo ſinguli dolores duplicantur, quod non contingit in ictu ex re dura, quia rei duræ caro cedit, nec renixus accidit, aut repercuſſio. Ita maius ad faciendum dolorem momentum habet iterata percuſſio, quàm ſimplex vehementia, percutiente vi nimirum æquè valida exiſtente, tum quæ ferulam, tum quæ rem duriorem carni incutit, id enim vel ab initio ſupponendum eſt.

IX.

Διὰ τί ἡ θαψία καὶ ὁ κύαθος τὰ ὑποώπια παύει· ὁ μὲν ἐχόμβρα, ἡ δὲ, ὕστερον, ἐναντία ὄντα; ὁ μὲν δὴ κύαθος, ψυχρὸς (ὥστε καὶ ὁ ποιητὴς φησὶ:

-----ψυχρὸν δὲ ἔλε χαλκὸν ὀδόντα.)

ἡ δὲ θαψία, θερμὸν καὶ καυστικόν· ἢ ὁ μὲν κύαθος, ὥσπερ, τοῖς μικροψυχοῦσι τὸ ὕδωρ; ἀπαντῶσα γὰρ ἡ ψύξις, κωλύει ἐξιέναι τὸ θερμὸν ἐκ τῶν αἱμάτων ἐξ ὑπαπολῆς, διὰ τὴν πληγὴν συνδεομένων, καὶ ὅταν ἐξέλθῃ τὸ θερμὸν, πήγνυμένου· ὥσπερ γὰρ ἂν εἰ ἔξω ὂν πήγνυται, καὶ ἐγγὺς ἔξω τὸ αἷμα, ὅταν ᾖ ὑπὸ τὸ δέρμα, κωλυόμενον διεξιέναι τὸ θερμὸν, διὰ τὴν ψυχρότητα ἐν χαλκῷ πήγνυται, ἀλλὰ πάλιν διαχεῖται, καὶ ἐπανέρχεται ὅθεν συνέδραμε· ἡ δὲ θαψία, θερμὴ ὖσα, τὸ αὐτὸ ποιεῖ· κωλύει γὰρ πήγνυσθαι, θερμὴ ὖσα.

Cur thapſia, & cyathus, quæ contraria planè inter ſe ſunt, pariter vibices poſſint diſcutere, hic principio, illa pòſt? Cyathus enim frigidus eſt: quod etiam Poëta inquit Homerus:

-----Et gelido dentes defixit in ære.

thapſia verò calida, & vrens: An quod vt animo deficientibus aqua, ſic cyathus vibicatis occurrit. Obuians enim refrigeratio calorem prohibet educi è ſanguine, qui per ictum ad ſumma confluere corporis, atque concreſcere ſolet, vbi calor deceſſerit; fit enim, vt perinde, ac ſi extra ſit, congeletur, cùm ſub cute eſt, propéque ab eſt, vt extra ſit. At verò cum calori exitus negatur, non concreſcit, ſed ſe rurſum diffundit, & ſedem, vnde effluxit, repetit. Quod idem thapſia quoque præſtare poteſt, quippe quæ caloris ſui facultate prohibeat, ne ſanguis gelaſcat.

Agit de hypopiis, quæ Latinè vibices, aut ſuggillata dicuntur, de quibus etiam tractauerat problemate ſexto. Hypopia autem quæ ſint, nimirum Græcè ὑποώπια, cum, ω, in media &, ι, in vltima ſyllaba, vt alios auctores omittam, manifeſtè patet ex primis Galeni verbis libri quinti de compoſitione medicamentorum ſecundum loca, quæ ita habent: *Quod hypopion ſub oculis fiat, nomen ipſum indicat: idem enim eſt, veluti ſi quis hypophtalmion dicat (quod ipſum ſub oculis ſonat.) Eſt autem ex genere effuſionum ecchinomatum appellatarum. Appellant ita Hippocrates, & alij multi medici, circa cutim affectionem, cùm tenuibus in ipſa venis contuſis, ſanguis per fiſſuras effunditur: non ſanè aceruatim in vnum locum; qui enim ita excernitur, ſtatim in grumos coit: ſed quando per diapedeſim, vt ipſi dicunt, hoc eſt, perſiliendo, aut exſiliendo, effuſio ipſa facta eſt. Contingit ſanè aliquando, & ſi ita coierit, temporis progreſſu liueſcere, & denigrari, paruis nimirum grumulis coactis ex ſanguine, qui in multas cutis partes diſperſus, & diſſeminatus erat.* Hæc Galenus; quæ nos Latinè paullulum immutauimus ab iis, quæ Cornarius verſa edidit, ſequuti etiam lectionem Græcam vulgata aliquantiſper emendatiorem. Sunt igitur Galeno hypopia, ſuggillata Latinè, ſub oculis contuſiones, temporis progreſſu nigreſcentes: atqui etiam generaliùs de qualibet corporis parte contuſa, & plagis ſuggillata, ſumi ea aliquando, ſunt qui affirment auctores. Liuiditatem porrò illis ſemper eſſe coniunctam, cùm vlteriùs prouecta ſunt tempora, patet ex verbis Galeni: Antea verò, aut itidem liuidum, vt in nonnullis contingit, aut cruentum, aut ſubflauum, aut ſubpallidum eſſe colorem dicit idem Galenus, & ex deſcriptione ſatis conſtare poteſt. Verùm dubitationem aliquam parit vnus Theophraſti locus libri noni capite vltimo, quem proponit Marcellus Virgilius in commentariis ad caput de thapſia Dioſcoridis: ibi enim apud Theophraſtum hæc habentur, verba: ἡ δὲ θαψίας, ἐμετική· ἐὰν δέ τις κατάσχῃ, καθαίρει καὶ ἄνω, καὶ κάτω: δύναται δὲ καὶ τὰ πελιώματα ἐξαίρειν· ὑποώπια δὲ ποιεῖ, ἀλλ' ἕλκη. Hoc eſt: *Thapſiæ radix vo-*

mitoria: & si quis eam continuerit, tum superiùs, tum inferiùs purgat, quin & potest liuores tollere, hipopia autem facit, sed candida. Dubitat igitur Marcellus ex hoc loco, quomodo thapsia faciat hypopia candida, cùm vt ille ait, hypopium denotet sanguinis concursum ex ictu, suctúve, aut aliqua iniuria alia in aliquam corporis partem, integráque cute in eo loco cessantem, & quasi mortuum, indéque nigrescentem cutem, satisfacit difficultati idem Marcellus, rem ad thapsinum colorem referendo, quem fuisse pallidum; & eo solitos faciem perungi, qui pallidi, & valetudinarij apparere volebant, testis est Nicandri scholiastes in Alexipharmacis. Vt vocauerit Theophrastus hypopia candida, pallores ex thapsia factos. Verùm hac in solutione inprimis illud molestum est; quod & ipse Marcellus proponit, eum colorem non à thapsia herba, sed à thapso ligno fieri consueuisse, vt omnes auctores testantur, indéque thapsinum colorem dictum. Deinde quod vocis ἔκλυσις, cui virtute particulæ ἐκ, significatio augetur, sicuti in ἐξέρυθρος, ἔκπικρος, ἐξώχρος, quemadmodum Budæus ostendit, vt *candidum*, seu *intensè album* significet, ipse significationem minuit, vt vix album denotet, quale pallidum est. Tum verò quis à thapsia eiusmodi colore infici cutem, aut dixit, aut experientia probauit? quique à Plutarcho in Phocione dicitur thapsinus color quem etiam adducit Marcellus, talis erat, mortuorúmque similis, sicuti eodem loco subdit Plutarchus: Quòd si ille erat à thapsia, malè enimuero poterat eodem colore, nocturnis grassationibus verberatam faciem Nero dissimulare, quod ait Plinius. Præterea cùm Theophrastus hypopij nomine nil aliud sanè intelligere voluerit, quàm morbosam affectionem sponte, & per se thapsiæ facultate genitam, quid enimuero pallores opera nostra productos somniamus? Aut cur nomine tam longinquo, & extraneo rem facilem implicare voluit Theophrastus? Gaza aliter videtur legisse eum locum: Ita enim conuertit: *thapsiæ radix vomitoria est, & si quis continuit, tam superiùs, quàm inferiùs purgat. Ad hæc liuida tollere potest; suppurationes tamen alias exalbidas facit.* Videtur igitur legisse ὑποπύα ἢ ποιεῖ ἀλλ', ἔκλυσις nimirum ὑποπυα cum, o, in prima syllaba, & υ in postrema. Huius vestigia, vt puto sequutus Matthæolus in commentariis Italicis ad Dioscoridem ita hunc Theophrasti locum capite de thapsia Italicè conuertit: *La tapsia è vna radice, che fa vomitare, e quando si ritiene, fa purgare di sotto, e di sopra, spegne applicata i liuidi: ma causa non dimeno alcune bolle bianchiuie.* Vterque sanè malè vocem ἔκλυσις, accepit, si vera sunt, quæ paullò ante ex Budæo retulimus, cùm Theodorus verterit, *exalbidas*, quæ vox licèt forma Græcæ similis, significatione contraria est, *ex*, enim hac voce, sicuti etiam aliis similibus apud Latinos minuit, cùm Græcè augeat; Matthæolus autem, *Bianchiuie*. Deinde quid illud est, quod Theodorus, ait thapsiam suppurationes facere exalbidas? suppuratoria equidem facultas, haud inest thapsiæ, quæ summè calida, & caustica dicitur ab Aristotele: at suppurantia, siue pus mouentia, moderatè calida, & humida ex Galeno. Matthæolus fortasse rem accepit de illo thapsiæ effectu, quem recitat Dioscorides his verbis: *Qui succum colligit, stare debet non obuersus vento, aut potiùs cùm dies apricus est, & à flatu sibi, quoniam ob halitus acrimoniam, facies vehementer intumescit, nudáque corpora inuadunt pustulæ.* Quam rem similiter ex Dioscoride scribit Serapion capite de thapsia. At durum videtur, quæ hic exprimūtur vocibus ἐποιδεῖ, & φλυκταινοῦται, quibus tumores, & pustulæ, & bullæ, aut vesicæ comprehenduntur, eadem intelligi apud Theophrastum voce ὑποπύα, cùm ille idem auctor Dioscorides, qui thapsiam efficere tumores, & bullas dixerat, voces proprias vsurpando, paullò pòst eandem tollere suggillata, & liuores dicat, propriis itidem vsurpatis vocibus, quæ sunt πελιώματα, & ὑποπύα; Quin & eundem thapsiæ effectum memorauerat antea Theophrastus libri noni capite nono eodem verbo ἀνοιδεῖν, quo Dioscorides vsus. Præterea, quod albedinis vestigium in hisce Dioscoridis verbis, qui videtur præcipuus Theophrasti scopus? sed & quæ ex thapsia excitantur bullæ, nonne potius coniunctæ rubori, sicuti apparet ex voce φλυκταινοῦται, quæ comprehēdi inflammationem dicitur libro de definitionibus medicis? Porrò Iacobus Dalechampius libro sexto de historia plantarum capite xxix. hunc de thapsia nodum breuiter expedire conatus est, Alexandri gladio dissoluens, dicit enim apud Theophrastum legendum esse ὑποπύα τ' ἀλλ' ἔκλυσις. Id est, *suggillata alia alba reddit*; quo modo, ille sanè Marcelli dubitationem sustulit, nodum tamē omnem haud omnino dissecuit: quæ enim illa sententia? *Quin & liuores tollere potest, & suggillata alia alba reddit?* Quando idem sint πελιώματα, & ὑποπύα; ac si diceret, liuores tollere potest, & liuores alios albos reddit: quòd si aliquid interest, generaliùs vtique sit πελίωμα, quàm ὑποπύου: ὑποπύον enim propriè sumptum, liuiditatem sub oculis ex percussione significat, vt huc recidant illa verba: *liuores tollere potest, & liuores alios sub oculis albos reddit*: vnde si coniecturæ locus est, & absque antiqui exemplaris auctoritate immutare licet, quod sanè aliquando facere cogimur;

enimuero potiùs vocem ἄλλα paullò ſuperiùs retraherem,& ita legerem: δύναται γὰρ καὶ τὰ ἄλλα πελιώματα ἐξαίρειν, ὑπώπια τε ποιεῖ ἔκλυσιν. Id eſt. *Quin & poteſt liuores tollere, nec non & ſuggillata alba reddit*: ſuggillata nimirum accipientibus nobis, minùs vniuerſaliter; id eſt plagarum veſtigia liuida ſub oculis; tanquam hæc præcipuè, generaliori nomine, quo antea vſus erat, haud contentus, voluerit Theophraſtus nominare. ἡ θαψία. *thapſia*. Præter loca quæ modò adduximus ex Theophraſto, & Dioſcoride, ad ſuggillata vtuntur thapſia alij auctores, vt Archigenes, Crito, & Heras, quorum compoſitiones apud Galenum videre licet. ἡ ὁ κύαθος, *& cyathus*. Hoc nomine ſignificari vas, ſeu inſtrumentum ex ære, præcipuè conſtat ex eo, quem illico citat Ariſtoteles Homeri verſu, atque etiam ex problematibus, quæ ſequuntur decimo,& duodecimo. Erat autem cyathus vas potorium, quo vinum ex cado hauriebatur,& poſtmodum fundebatur in calicem, ſicuti conſtat ex Iulio Polluce libro ſexto capite ſecundo, & ex Athenæo libro decimo. Erant porrò ex varia materia: ibidem enim Athenæus ex Pherecrate in nugis nominat cyathum argenteum, & libro XI. ex Hellanico cyathum ex ære his verbis: *In AEgyptiorum domibus ſupellex eſt, phiala ex ære, cyathus ex ære, & exiguum colum ex ære*. Æneus igitur cyathus hoc loco ab Ariſtotele intelligitur. Quin & expreſſum ab eodem fuiſſe æs, ſuſpicionem facit vetus tralatio, quæ habet: *thapſia, & cyathus æris* Huiuſmodi igitur æneo vaſe ſuggillatis appoſito, ſeu afflicto liuidus ille color vulgò tollebatur, ſicuti conſtat ex Ariſtophanis interprete in Pace, illis ſuper verbis;

——ὑπωπιασμένα

Ἀπαξάπασι: καὶ κυάθοις περικειμένα.

Hoc eſt. *ſuggillatæ*

Omnes, & cyathis adiacentes.

Quo in loco hæc habet interpres: *Oxibaphis ex ære confricantes ſuggillata, efficiunt, vt euaneſcant, huiuſmodi enim re ex plagis ortas vibices curare ſolent*. Qui Ariſtophanis locus citatur etiam ab Athenæo libro x. his verbis: *Huc pertinet, quòd Ariſtophanes in pace ait, ſuggillatæ: nam ſuggillata compreſſa cyathis delentur, ac euaneſcunt*. Huiuſmodi igitur remedij genere in præſentia propoſito, rationem ipſius quærit Ariſtoteles, & ſimul thapſiæ, quam hypopiis, aut ſuggillatis admodum prodeſſe multorum auctoritate ſuperiùs confirmauimus, quibus etiam illa ex Plinio adiici poteſt libro XIII. capite XXII. qui ſuggillatis, & liuentibus remedio eſſe thapſiam ex medicorum ſententia ſcriptum reliquit, & clariſſimo Neronis exemplo eo remedio valde feliciter vſi auctoritate firmauit. Cùm igitur contraria inter ſe ſint cyathus,& thapſia,quomodo vtráque eundem producant effectum diſquirit: contraria autem eſſe ex eo probat, quòd cyathus frigidus eſt, quippe qui ex ære, æs autem frigidum; thapſia autem calida: æs porrò frigidum eſſe probat auctoritate Homeri qui libro quinto Iliadis, mortem Pedæi à Megete interfecti deſcribens, dixit Pedæum dentibus æs frigidum recepiſſe. Ibi autem Scholiaſtes, pro ære, ferrum exponit: ex ferro enim gladij, & enſes, & lancearum cuſpides. At Poëta loco ferri ære ipſo (cuius etiam vſus antiquior, vt ait Lucretius eo carmine:

Et prior æris erat, quàm ferri cognitus vſus.)

vti ſolet. Ariſtoteles autem in præſentia æs nominat, & de eo loquitur, idque frigidum eſſe ex Homeri loco dicit. Homericus ſanè interpres, æs ſiue ferrum ideo frigidum à Poëta eo loco vocari ſcribit, ſeu propriè quòd frigidum ſit, & caloris expers, ſeu ab effectu, quia frigiditatem inducat, nimirum mortem, quæ frigida dicitur. Quod autem ſcholiaſtes inquit, propriè frigidum, non explicat tamen, vtrum actu, an facultate tale intelligat. Lucretius etiam, quem modò nominaui libro primo de rerum natura æris frigiditatem, eámque ſummam oſtendiſſe videtur, cùm cecinit:

Tum glacies æris flamma deuicta liqueſcit.

Si vera eſt lectio, quam Lambinus propoſuit. Nos ſanè in præſentia hanc æris frigiditatem actu intelligimus, ea enim eſt, qua ad ſuggillata vtimur: facultate tamen, ſeu potentia frigidum etiam dixit illum Galenus libro I X. meth. medendi capite vltimo, cuius hæc ſunt verba Latinè: *lapidum ſubſtantia conſtans, ſtabiliſq; propter ſiccitatem, & frigus eſt: ad eundem modum æris, & ferri, & auri, & vno verbo omnium, quæ ex terra ſunt corporum*. Aponenſis tamen in commentariis ad hunc locum, dixit illum eſſe calidum, & ſiccum in tertio gradu: nimirum quod de æris flore ſicuti puto, dixit Auicennas libro ſecundo tractatu ſecundo ad æs ipſum trahens. Sunt enim & flos æris, & ærugo, & æris ſquamma, & ſcoria, & æs combuſtum, omnia calida,& ſicca, æs non item, ſicuti ex Galeni loco, quem adduximus, conſtat, æris igitur frigiditas in cyatho, quo appoſito, ſeu affricato liuores delentur, ea nobis

præcipuè accipienda,quæ actu ineſt. At hoc modo, iam nihil interſit, an ex ære, an ex ferro, ſeu argento, aut alio metallo,ſiue etiam lapide ſit illud, quod apponitur, dummodo ſit actu frigidũ: Et ea ſanè medicina hoc modo homines vulgò vtuntur, percuſſæ parti, quidpiam frigidum apponentes, qui ita liuorem illum prohiberi ſibi perſuadeant. Thapſiam autem calidam eſſe affirmat etiam Galenus libro vi. ſimplicium, ſcribens eam habere acrem, & vehementem excalfaciendi facultatem.ὁ μὲν δεχόμενα. *Hæc principio, illa pòſt.* Galenus libro quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, hypopia, aut ſuggillata alia eſſe dicit recentia, alia inueterata. Appellat autem inueterata,quando iam nigreſcunt,quod fit progreſſu temporis, niſi contingat aliquando,nonnulla præuenire, vt ſtatim nigreſcant, hæc enim, licèt recentia, iam pro veteribus habentur, recentia autem dicuntur antequàm nigreſcant. Vtrorúmque autem curationem diſtinctè docens,hæc ſcribit eodem loco, quæ nos etiam problemate ſexto citauimus: *Contingit ſanè aliquando vbi ita coierit ſanguis temporis progreſſu lueſcere, & denigrari, paruis nimirum grumulis ex diſperſo in multas cutis partes ſanguine coactis; quare meritò ad eius curationem ſtatim feſtinant Medici, priùs quàm denigreſcat, ſcopum medendi habentes, vt ſanguis diſcutiatur, cùm ſciant id quod in grumos coierit ex ſanguine, ægerrimè diſcuti poſſe. Cùm verò tunicula venarum,ex quibus ſanguis exilit, rumpatur, parum quidda ex adſtringentibus ad diſcutientia admiſcetur: ſi enim ex ſola ſimplici facultate diſcuſſoria pharmacum à principio adhibeatur, non ſolùm quod effuſum eſt,diſcutiet, ſed & per fiſſuras aliquid attrahet ex ſanguine in contuſis venis contento; Poſtquàm verò in ſuam naturam redierint venulæ ad diſcuſſoria pharmaca citra adſtringentium admixtionem opportunè tranſimus.* Et paullò pòſt. *Porrò ſi vos eorum quæ in libris de ſimplicium pharmacorum facultate didiciſtis, memores fueritis, facilè diſcernere poteritis, quas nam ſuggillationes ſola diſcuſsione digerere oporteat abſque adſtrictione, & in quibus admiſcere conueniat quippiam ex parte adſtringentibus; quin & ex ipſis diſcuſſoriis imbecillioribus primùm adhibenda eſſe manifeſtum eſt, fortiora verò inueteratis, & denigratis admouenda.* Hæc Galenus: Iuxta quem methodum deinde pharmaca deſcribens à vetuſtioribus medicis compoſita, alia aliis conuenire, & quæ recentioribus, quæque inueteratis cõueniant, diſtinctè docet. Ariſtoteles autem hoc loco de ſolis recentibus videtur loqui, quando velit ex propoſitis remediis impediri ſanguinis concretionem, qua non exiſtente, nèc inducitur nigredo. Quoniam tamen hoc idem tempus,& ipſum latitudine obtinet,vt loquuntur,hoc eodem tempore cyathum illico & ab initio, thapſiam autem pòſt, dicit adhiberi ſolitam. Quæſito deinde ſatisfacit Ariſtoteles per ea, quæ ſequuntur. ἢ ὁ μὲν κύαθος. *An quòd vt animo deficientibus.* De cyatho primò rem longiùs explanat, tum de thapſia breuiſſimè. Eadem ratione cyathus,inquit,præſtat eum effectum, qui propoſitus eſt, ac animo deficientes recreat aqua. Illud autem quomodo fiat, vberiùs exponit: frigiditas enim æris occurrens parti percuſſæ, prohibet, ne exeat calor, qui eſt in ſanguine contento in ſuperficie corporis, qui ſcilicet ad eam ob percuſſionem ſe contulit, quique ſanguis ob caloris diſceſſionẽ congelari ſolet. Docet autem, qua ratione congeletur. Nam ſicuti congelatur cùm extra corpus eſt, ſcilicet à frigiditate ambientis, eodem modo tunc congelatur cùm propè eſt, vt extra ſit, nimirum ſub cute ipſa aëri ambienti proxima: ſi autem ob æris appoſiti frigiditatem prohibeatur exire calor, merito, & beneficio ipſius, non concreſcit ſanguis, ſed rurſus diffunditur, & redit eò,vnde diſceſſerat; atque ita prohibetur cutis à liuore. Verùm ſi in percuſſione ſanguis extra venas erumpit, & per inania muſculorum ſpatia firmatur, in quibus deinde corruptus nigreſcit, quomodo poſſit hic quidem intus in venas, vnde diſceſſit, quod ait Ariſtoteles, denuò redire, digna conſideratione res eſt. Niſi dicamus cenſuiſſe Ariſtotelem, in ſuggillatis initio, ac ſtatim haud effundi ſanguinem extra venas: ſed ex maioribus ad minores, quæ ſunt ſub extima cute detrudi, quo tempore ſi applicetur cyathus, fiat repulſio, & poſſit redire ad priorem locum. Nec verò id fieri non poſſit,quando etiam ex Galeni ſententia in ſuggillatis fiat effuſio non ſtatim, & confertim, ſed paulatim, & per diapedeſim. Locum porrò nos expoſuimus ſequuti tralationem Theodori, qui aliam à vulgatis Græcis codicibus, quos ego quidem viderim, videtur habuiſſe ſcripturam, nimirum cum negatione; quod illa expeditior, & rectior videretur hoc modo: κωλύσαντος δ' ἐξιέναι ἔξω θερμῆ, μὴ δὲ ψυχρότητα ἔξω χαλκῆ ὑπηνῆ). Lubrica autem fuit merito negatiuæ particulæ omiſſio rudi librario, eadem proxima ſyllaba præcedente in voce χαλκῆ. ἡ δὲ θαψία. *quod idem thapſia.* Quæ de cyatho dicta ſunt, eadem breuiſſimè thapſiæ accommodat. Thapſia inquit, idem præſtat,quod cyathus, quia calida eſt, calor autem prohibet, ne ſanguis concreſcat. Hæc igitur propriè,& abſque medio illud præſtat,quod cyathus mediatè, ac per accidens, vt loquuntur, agebat: Ille enim non niſi reprimendo calorem foras ſe agentem,eúmque cõtinendo, hæc autem propria calefactoria virtute. Sed quare cyathus

initio,

initio, thapsia adhibetur post, sicuti in problematis propositione dictum est? Quia nimirum, quò vlteriùs tempora procedunt, maiori, & efficaciori est opus remedio, at maius, & efficacius est thapsia, quæ non per aliud, & solum proprium retinendo partis calorem, sicuti cyathus, auxilio est, sed propria calefactoria virtute, eáque valde insigni. ἐναντία ὄντα. *Quæ contraria planè inter se sunt.* Theodorus, *planè*, addidit de suo: non bene: illa enim non perfectè, & omnino contraria: sed quodammodo, & vulgi more: cyathi enim frigiditas, actu intelligitur, thapsiæ autem facultate, seu potentia, nec ad actum reducitur, nisi post caloris natiui actionem, vt omnia medicamenta facultate calida. Aristoteli tamen in eo scientiæ genere, quod problematica doctrina profitetur, illa contrarietas, haud erat reiicienda. *Cùm calori exitus negatur, non concrescunt ob aëris frigiditatem*, illa, *ob aëris frigiditatem*, quibus carebat Theodori tralatio, suppleuimus è Græco textu.

X.

Διὰ τί τὰ ὑπώπια ἀχλύεται προσέχοντα τὰ χαλκᾶ, οἷον κυάθους, ἢ τὰ τοιαῦτα; ἢ διότι ψυχρὸν ὁ χαλκός ἐστι; κωλύει γὰρ τὸ θερμὸν ἐξιέναι ἐκ τοῦ συνιόντος αἵματος ὑπὸ τῆς πληγῆς. ὃ ἐξελθόντος ἐκ τῆς ὀπτικῆς γίνεται ὑπώπιον· διὸ καὶ ταχὺ δεῖ προσιθέναι πρὶν παγῆναι· καὶ ἡ θαψία ἢ μὴ μέλιτι βοηθεῖ, διὰ τὸ αὐτὸ θερμὴ γὰρ ἔσα κωλύει ψύχεσθαι τὸ αἷμα.

Cur æneis quibusdam admotis, vt cyathis, aliisque generis eiusdem, vibices reprimi, resoluíque possunt? An quoniam æs naturâ frigidum est: ergo calorem effluere vetat sanguine, quem ictus collegit. Eo námque per summa corporis exhausto, vibex existit. Itaque celeriter admouendum est ante, quàm geletur. Et thapsia verò ex melle illita eadem de caussa iuuat: quia enim calida est, sanguinem refrigescere prohibet.

Iterat problema proximè scriptum, mutatis sanè verbis aliquot: sed minimè sententia. Quæstio ibi proponebatur, nomine cyathi, omisso ære, vt quidem habet Theodori tralatio, hîc proponitur nomine æris, omisso cyatho, qui deinde adiungitur ratione exempli: vnde & subdit statim, non à cyathis solùm, sed aliis similibus, nimirum vasis æneis dissolui suggillata. Vidimus porrò Aristophanis interpretem in verbis, quæ superiori problemate adducta sunt, non cyathos dixisse, sed oxibaphos, quod aliud vasis genus est. ἢ διότι ψυχρὸν ὁ χαλκός ἐστι. *An quoniam æs naturâ frigidum est.* Theodorus hoc loco magni momenti verbum, *natura*, de suo addidit: quod non putem addendum esse: non enim æris naturam dicit Aristoteles in præsentia: sed eius tantùm frigiditatem nominat: illa verò sicuti diximus in commentariis ad problema superiùs, accipienda est, quæ æri inest actu, de ea enim propriè loquitur Aristoteles. At verò problemate VI. cùm ab ære discuti vibices dixit ratione æruginis, nosque id efficere vi discussoria, calefaciente, & exsiccante exposuimus, iam non de qualitate actuali, vt loquuntur, sicuti hoc loco, sed de ea, quæ potentiâ est; loquebatur Aristoteles. διὸ καὶ ταχὺ δεῖ. *Itaq; celeriter admouendum est.* Problemate superiori, quod hîc dicit, *celeriter*, dixit, *initio*: declarat autem temporis huiusce terminum, nimirum ante quàm sanguis concrescat. ἡ θαψία ἢ μὴ μέλιτι. *Thapsia verò ex melle illita.* Cum cera, & thure adhibebat eam Nero teste Plinio. Archigenes cum thure, & cerato rosaceo, & aliis etiam modis. Aliis itidem, & Crito, & Heras teste Galeno.

XI.

Διὰ τί ποτε ὅταν ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ πλεονάκις ἕλκος γένηται, ἢ ἐλῆ μέλαινα γίνεται, ἢ ὁπόταν γένηται ἕλκος, πᾶν ἀσθενές ἐστι τὸ ἕλκος; καὶ ὅσῳ αὖ πλεονάκις, τοσούτῳ μᾶλλον τὸ ἢ ἀσθενές, καταψυγμῶδες καὶ ὑγρότητος πλῆρες; διὸ καὶ μέλαν φαίνεται, εἶτα μεγάλα ἕλκη καὶ πολυχρόνια μελαίνας τὰς ἐλὰς ἴσχει· τὸ ἢ πολλάκις λαβεῖν ἕλκος, οὐδὲν ἀλλ' ἢ πολλοῦ χρόνου ἔχειν ἐστὶν ἕλκος.

Cur si eodem loco sæpius vlcus extiterit, cicatrix atra ducetur? An quacúmque parte vlcus se ostenderit, hæc admodum debilitatur, eóque magis, quò vlceratum sæpius sit. Debile autem omne frigescit, humorísque plenum est: quo fit, vt nigrum quoque appareat. Et quidem vlcera magna, &

vetera cicatrice atra obducta videmus. Sæpe autem vlcus cœpisse, non aliud est, nisi vlcus diu habuisse.

Quæ fiunt cicatrices ex vlceribus, eodem loco sæpius existentibus, ex illis esse dicit Aristoteles, quæ atro colore inducuntur: huius autem rei duas tradit rationes: quarum prima proximior est, & rei causſam continens, altera autem remotior rem aliquo modo declarans. Est autem prima, quòd quandocumque alicubi vlcus fit, tota illa pars vlceris ratione debilis, & infirma redditur, & quò sæpius vlcus extiterit, eò debilior, & infirmior ob eandem rationem redditur identidem: quod autem debile in nostro corpore est, illud etiam frigidum exsistit, atque humiditate repleri solet: sunt enim debiles partes, quæ calore natiuo destituuntur; Nam merito, & beneficio huius naturales omnes actiones obeuntur: hoc autem deficiente frigiditas parti inducitur: repletur etiam superflua, & excrementitia humiditate ob eandem rationem: nam cùm vnaquæque pars humidum ad se alimentum trahat, quo nutriatur, non possit autem debilis illud concoquere, excrementa multa gignuntur; & cùm à sanis partibus, excrementa aliqua, itidem humida propellantur, illa ad infirmiores decumbunt, atque hinc humiditates in illis redundant: Porrò autem à frigiditate induci nigredinem, dictum etiam, & ostensum est, problemate primo huius sectionis, atque etiam quinto. ἅτα μεγάλα ἕλκη & πολυχρόνια. *& quidem vlcera magna & vetera.* Secunda ratio. Lego autem libentiùs ἅτα coniunctim: hoc est, *deinde*, vt ostendat hanc esse secundam rationem: est autem huiusmodi: Vlcera magna, & longi temporis nigras habent cicatrices, sæpius autem vlcus eodem loco habere, est habere vlcus longi temporis. Nam semel sanatum denuò reuiuiscere, nihil aliud est, quàm illud idem vlcus assiduè permanere. Eadem igitur huic accident, quæ illi, at illa habent cicatrices nigras, hæc igitur easdem habebunt.

XII.

Διὰ τί ποτε τοῖς τὰ ὑπώπια τὰς κυάθους προσπιθέμεθα; ἢ διότι ὅταν πληγῶμεν, ὁ τόπος καταψύχεται, τὸ δὲ θερμὸν ὑποχωρεῖ· προσπιθέμενον οὖν ὁ κύαθος, ψυχροῦ ὄντος τοῦ χαλκοῦ, διακωλύει τὸ θερμὸν ἐκπορεύεσθαι.

Cur vibicibus cyathos admouere solemus? An quòd locus, quo icti fuerimus, refrigeratur, calórque inde omnis decessit, cyathus itaque admotus, facit æris frigiditate, ne calor abeat.

Repetit problema nonum, ea ex parte, qua cyathi rationem ad suggillata inquirebat, quoniam verò vberrimè superiùs expositum fuit, non est, vt hîc alia addamus.

XIII.

Διὰ τί οὐκ ταῖς ἕλαις φύονται τρίχες; ἢ ὅτι οἱ πόροι ἀποφλοῦνται ἐξ ὧν αἱ τρίχες, καὶ ἀλλάττεσι;

Cur pili cicatricibus nequeunt exoriri? An quòd omnes meatus obcœcantur, & variant, è quibus pili se promouere solent?

Hoc quæsitum examinatur etiam sectione sequenti decima, duobus in locis: Hîc autem dicit, ex cicatricibus, quæ nimirum in homine fiunt, ideo non oriri pilos, quia cùm pili exeant meatus corporis subeuntes, & per illos tanquam per foramina transeuntes, in cicatricibus meatus cutis obstructi, & obcœcati omnino sunt; est enim illa cicatricis caro, adeò densa, & compacta reddita, vt meatus occlusi omnino sint, nec pilis pateat aditus: non enim possunt præ imbecillitate eam duritiem perforare. & ἀλλάττεσιν. *Et variant.* Et immutantur; nimirum ab eo statu, quem priùs obtinebant. Alexander huius rei eandem similiter rationem reddit libro primo problemate CLI. ex qua itidem ostendit, cur equorum cicatricibus iidem pili oriantur, quia nimirum equorum cutis laxior est, nec eius foramina claudi ex toto per cicatricem possunt.

XIV.

Διὰ τί οἴδημα καὶ πελιώματα λαμβάνουσιν αἱ πληγαί; ἢ διότι κατὰ τέχνην ὁ τόπος διαταλαίπωρος τὰ

ὑγρὰ,

ὑγρὰ, εἰς τὰς πλησίον τόπες προσπίπτοντα ἀποπάλλε) πάλιν, κὴ τῇ κοιλήσῃ τ ὑγρῶν συνήγεσιν ἐαὶ ἢ ἑ φλεβία τινὰ ῥαγῇ, ὕφαιμ ἡ συσρομὴ γίνε).

Cur ictus tumorem liuorémque ſuſcipiant? An quòd de loco percuſſo humores diſiecti, in loca proxima ruunt, in quibus offendentes retorquentur. Iraque coniuncta, conglutinatáque humorum copia, tumor per collectionem exurgit, & ſi quæ venulæ ruptæ ſint, confluuium id humoris ſubcruentum fiat, neceſſe eſt.

Duo inquirit circa locos, aut partes, quæ percuſſionem acceperunt; quare intumeſcant, & quare liuidæ fiant? Prioris autem rationem reddit hanc, quòd ex locis, & per loca, quæ icta ſunt, humores vi percuſſionis diſiecti, & diſperſi ruunt in loca proxima, ibique offendentes retrò denuò pelluntur, pars enim ſana, & valida eos innata virtute facilè repellere poteſt: illi igitur vndique pulſi, ad vnum debilem, & percuſſum locum congregantur, & ſimul agglutinantur, atque ita tumor exurgit. Addamus ex Galeno, ad locum percuſſum vi doloris trahi vndique humores, eúmque tum præ imbecillitate facilè recipere excrementa aliorum, tum etiam proprium nutrimentum haud poſſe concoquere, & aſſimilare; quòd ob eam rem in excrementum magnam partem abeat, atque hæc omnia tumori cauſſam præbere. ἐαὶ ἢ ἑ φλεβία. *Et ſi quæ venulæ ruptæ.* Alterius accidentis cauſſam refert; liuidum nimirum, & ſubcruentum fieri percuſſum locum dicens, quoties contigerit venulas aliquas exiguas rumpi, tunc enim ſanguis exiens niſi prohibeatur, & in vnum locum confluens, liuidam facit partem, nimirum ob refrigerationem, vt ſuperiùs abundè dictum eſt, quibus tamen in locis fracturæ venarum numquam meminit. ἢ διότι κὴ τοῦτον τ τόπον διαταλέντα. *An quòd de loco percuſſo, & reliqua.* Hæc Theodori tralatio vſque ad finem problematis, potiùs expoſitio, quàm tralatio eſt; quare ferè ad verbum ita nobis hanc partem conuertere placuit: *An quòd per hunc locum diſiecti humores proxima loca offendentes retrò repelluntur, & ob humorum agglutinationem* [tumor] *colligitur. Si autem & venulæ aliquæ rumpantur, ſubcruenta fit illa collectio.*

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΡΟΒΛΗΜΑΤΩΝ ΤΜΗΜΑ ΤΟ Κ.

ἐπιτομὴ φυσικῶν.

ARISTOTELIS PROBLEMATVM SECTIO X.

De Naturalibus per compendium; THEODORO GAZA *Interprete:*

AD EANDEM IVLII GVASTAVINII COMMENTARIVS.

I.



ΔΙΑ τί τὰ μὲν βήτιει, τὰ δ' ἔ; οἷον ἄνθρωπος μὲν βήττει, βοῦς δ' ἔ; πότερον τῷ εἰς ἄλλό τι τρέπεσθαι τοῖς πλείοσι ζώοις τὸ περίττωμα, ἀνθρώπῳ δὲ δεῦρο; ἢ ὅτι ἐγκέφαλον πλεῖον καὶ ὑγρότατον ἔχει ὁ ἄνθρωπος; ἢ ὁ βὴξ καταῤῥέοντος γίνεται φλέγματος.

Cur in animantiũ genere alia tuſſiunt, alia non? Verbi gratiâ, homo tuſſit, bos minimè? Vtrum quòd cæteris maxima ex parte excrementum aliorſum ſe vertit: homini autem eo conuerti natura voluit. An quòd homo maximum, humidiſſimúmque cerebrum continet: tuſſis autem pituita diſtillante fieri ſolet.

Inſcribitur hæc particula ἐπιτομὴ φυσικῶν, id eſt *naturalium epitome*, ſeu, ὅσα ἐν ἐπιτομῇ φυσικῶν, hoc eſt: *De naturalibus compendiosè*, titulo quidem admodum communi, & latè patenti; quota enim naturalium pars, quæ hîc percurruntur de animalibus? Totum enimuero problematum volumen naturales quæſtiones ſeu phyſica problemata fuiſſe inſcriptum, ex Athenæo, Agellio, & Macrobio vidimus in prolegomenis: At ſanè pleræq; omnes ſectiones, præter paucas hoc titulo inſcribi non malè poſſent. Sicuti qui alia ab his, & admodum diuerſa argumenta continent libri. Alexander enim Aphrodiſienſis quos *naturalium quæſtionum* inſcripſit libris, alia omnia ab hiſce pertractâſſe videmus, & Seneca itidem, ſeptem eodem modo inſcriptis, ſola Meteorologica cõprehendit. Equidem de Animalibus titulus, vt ſectioni fuiſſet, ſicuti exiſtimo aptior, & commodior; ad illa enim quæ hîc tractantur pertinent omnia, ita generaliori vocabulo, quæ magis ſpecialia ſunt comprehendunt, & intelligunt aliquando Auctores, vt Seneca fecit. Sed enim hunc huius ſectionis titulum ab Ariſtotele non eſſe, ſicuti nec multos alios earundem, quemadmodum nec ordinem, quo ad nos diſpoſitæ peruenerunt, ſicuti etiam in Prolegomenis diximus; mihi facilè perſuadeo. Igitur de naturalibus, hoc eſt de animalium natura tota eſt ſectio. Et quidem naturæ ipſius opera, & actiones in animalibus ipſis maximè conſpicua ſunt. Fortaſſe autem *epitome* dicta eſt, quoniam plurima, quæ hîc breuiter percurruntur, illa in libris ipſis de animalibus vberiùs pertractata ab eodem ſunt: etſi non ignorem problemata in illis libris citari; Niſi tamen epitomen ſibi nominauit, qui ex multis alijs Ariſtotelis locis ſectionem hanc compilauit. Vt vt ſit, primum hoc problema proponit Ariſtoteles de tuſſi; & quærit; cur alia tuſſiant, alia non, nimirum animalia, quod quamquam non exprimitur, ſubintel-

ligitur

ligitur; vt confirmetur, quod dicebamus, per Naturalia in titulo, Animalia ipſa intelligi. Homo igitur, dicit Ariſtoteles tuſſit, bos non tuſſit. At hoc exemplum reuocatur in dubium; ex auctoribus enim de re ruſtica habemus, boues tuſſire; & ab eiſdem ad boum tuſſim habemus propoſita remedia. L. enim Iunius Moderatus, Columella libro ſexto capite decimo, tum ad recentem, tum ad veterem boum tuſſim, ſorbitiones parat; & in Geoponicis Græcis, qui liber apud Latinos Conſtantino Cæſari aſcribitur, libro decimo ſeptimo ex Didymo ad tuſſientem bouem remedia præſcribuntur, quod etiam faciunt magis recentes de agricultura ſcriptores. De tuſſi etiam equorum déque ipſius variis cauſſis, non minùs pertractatur in veterinariæ medicinæ libris ex Apſyrto, Hierocle, Tiberio, Eumelo, Theomneſto, Hippocrate, & Pelagonio; & ab ipſo etiam Vegetio in libris, qui *de Mulomedicina* inſcribuntur. Quin & Galenus libro ſecundo de ſymptomatum cauſſis capite tertio, de animalium tuſſi mentionem facit, his verbis: *Sanè nullum animal aut nauſeare, aut vomere, aut tuſſire docetur. Immò longo ſæpe à natali vſque ſpatio integra ſanitate fruentia, tam alia complura animalia, quàm homines nec vomitum experitiſcunt, nec tuſſim: & tamen vbi contriſtans aliqua cauſſa, vel os ventris, vel ſpiritus vias occupauit, illico & tuſſiunt & vomunt.* Ad hanc dubitationem reſpondemus: primo Ariſtoteles octauo de hiſtoria animalium capite XXIII. cùm boum morbos recenſet, duos eſſe ait, podagram, & ſtrumam, qui eſt morbus pulmonum cum caliditate. An igitur tuſſis eidem ignota, quæ non proponitur? aut non pro morbo habita? deinde tuſſis ſi boues exercet, id ſanè admodum rarò contingere poteſt, ob eas quæ in problemate adducuntur rationes: at de iis, quæ rarò contingunt, non eſt doctrina, aut ſcientia, verùm de illis, quæ aut ſemper, aut neceſſariò, aut plerumque ita fiunt, ſicuti ſcribit idem Ariſtoteles libro primo poſteriorum Analyticorum capite XXV. & ob eam rem ab Ariſtotele in libris de animalibus prætermiſſa eſt. Præterea tuſſire hominum ab eo diſſimile eſſe, quod in bobus obſeruamus: hæc enim res purè naturalis eſt, coacta natura à morbificis cauſſis, vt motum illum mediante ſpiritu edat: at hominum tuſſis eſt cum aliqua prouidentia, & ad eum finem, vt quod in viis ſpiritus continetur, pellatur extra: extuſſiunt itaque, non ſolùm tuſſiunt: ac ſi votum haud ſuccedit primo conatu, iterantur ſæpius ad eundem finem motus: in brutis autem, quod ego exiſtimem non abſoluitur hæc materiei expectoratio, nec abſoluta fit tuſſis, ſed impetus ille fortè ſolummodo, qui tuſſim præcedit. Et à Græcis dicitur κέρχνος, quod idem contingit infantibus dum adhuc brutorum vitam agunt, illi enim, aut propriè tuſſire, aut expectorare, nec ſciunt, nec verò etiam poſſunt. Ariſtoteles autem tuſſim illam intelligit, non autem hanc. πότερον πρὸς ἕτερα. *Vtrum quòd cæteris.* Cur non tuſſiant plurima ex animalibus, illam eſſe cauſſam dicit, quoniam in ipſis excrementum quod tuſſim gignit, non ad partes ſpiritui dicatas ſe conuertit, ſed in aliam quandam rem alibi exiſtentem: illa eadem nimirum, quorum ratione ab ipſomet Ariſtotele libro ſeptimo de hiſtoria animalium capite ſecundo dicitur, mulierem in ſexu fœmineo plurimam habere menſtruam purgationem: nam in animalibus, quæ animal non pariunt, nihil tale contingit, quoniam eiuſmodi excrementum vertitur in corpus, hoc eſt, in corpulentiam, nonnulla enim ex ipſis ſunt maiora maribus, atque etiam aliis in corticem, aliis in ſquammam, aliis in frequentiam pennarum abſumitur, terreſtribus autem quæ animal pariunt in pilos, & corpulentiam, homo enim ſolus læuis eſt, & ſine pilis, & in vrinas; plurimam enim, & craſſam vrinam huiuſmodi animalia emittunt: fœminis autem excrementa in menſtruas purgationes vertuntur. In maribus autem, qui illis carent, ſimili modo fieri ſeminis genitalis ratione dicit Ariſtoteles, cùm plurimum ſeminis inter alia animalia, comparatione magnitudinis ſuæ emittat homo, multò igitur plures excrementorum purgationes cùm habeant animalia, quibus in tot, tantáſque res verti poſſunt, quàm homo, cui in rem valde exiguam & cuius vſus etiam prohibere poſſit, & verò etiam prohibeatur ſæpe iure tuſſi, aut numquàm, aut rarò vexabuntur, homines verò frequentiùs. ἢ ὅτι ἐγκέφαλον. *An quòd homo.* Altera ratio. Homo maius, & humidius, quàm cætera animalia cerebrum habet, quod autem maius, & humidius eſt, illud faciliùs, & maiorem humiditatis copiam demandare ſolet, promptiùs igitur fiet tuſſis in homine, cùm hæc ex huiuſmodi materia ad pectus diſtillante fieri ſoleat. hominem porrò proportione magnitudinis ſuæ, plurimum habere cerebri, atque humidiſſimum teſtatur idem Ariſtoteles libro primo de hiſtoria animalium capite decimo ſexto; libro etiam ſecundo de partibus animalium capite ſeptimo eandem rem ſcribit, cùm multam cerebri humiditatem, & frigiditatem ſummæ cordis caliditati opponi dicat. πλείοις. *Vtrum quòd cæteris. plurimis:* Græcè enim, πλείοις.

II.

Διὰ τί ἀνθρώπῳ μόνῳ τ̃ ζώων αἷμα ῥεῖ ἐκ τ̃ μυκτήρων; ἢ ὅτι ἐγκέφαλον ἔχει πλεῖσον καὶ ὑγρότατον. ἀφ' ὧν αἱ φλέβες πληρέμεναι δ̃ περιττώματος, ἀνὰ τ̀ πόρων τρέπονται τὴν ῥύσιν; λεπτότερον γὰρ γίνεται δ̃ αἷματος δ̃ καθαρὸ τὸ νοσερόν. τοῦτο δέ ὅτι, τὸ μιχθὲν τοῖς δ̃ ἐγκεφάλοις περιττώμασι καὶ ἔτι καθυγρὸς ἰχώρ.

Cur homini tantummodo ex omni animantium numero, ſanguis è naribus defluit? An quoniam plurimum cerebri, idémque humidiſſimum homo continet. Vnde venæ excrementis per ora eodem tendentia nimiùm repletæ, profundere inde coguntur. Sanguis enim vitiatus quiſque, integro tenuior redditur, talis autem eſt, qui ſe cerebri excrementis miſcuerit, & quaſi in ſaniem degenerat.

Cauſſam propter quam ex omnibus animantibus ſoli homini ſanguis de naribus fluat, eandem eſſe dicit hoc problemate Ariſtoteles, in quam ſuperiori tuſſis cauſſam reiecerat, abundantiam nimirum, & humiditatem cerebri, hac enim ratione fit, vt maxima ex ipſo fluat humidorum excrementorum copia ad ipſas venas, quæ excrementa mixta ſanguini, qui in venis eſt, vitiant illum, & morboſum reddunt, ac efficiunt tenuiorem, quàm purus, & integer ipſe ſanguis ſit, híſque reddatur, vt potiùs *ichor* ſanguinis ſit dicendus, quàm ſanguis; eſt autem *ichor ſanguinis*, ſanguis inconcoctus, vel quia nondum coctus eſt, vel quia in ſerum degenerauerit, vt ait idem Ariſtoteles libro tertio de hiſtoria animaliũ capite decimo nono; Tali igiur ſanguine venæ repletæ, id eſt tenui, & morboſo merito excrementorum à cerebro deſcendentium, adapertis oſculis eum extra proijciunt. Cætera autem animalia, quia minimum cerebri habent, eidem accidenti minimè opportuna ſunt. Διὰ τ̃ πόρων. *Per ora eodem tendentia.* Theodorus hæc ita diſtinguit, vt adaptet ſuperioribus, nimirum hoc modo, *Venæ repletæ per ora eodem tendentia*, id eſt à cerebro ad nares: at in Græcis iunguntur ſequentibus in hunc modum, *profundere coguntur per ora*, id eſt adapertis oſculis quæ extra pertingunt, vt nos expoſuimus.

III.

Διὰ τί τ̃ ζώων τὰ μὲν, ὑπὸ σάρκα, τὰ δ' ἐν σάρκα πίονά ἐστι· τὰ δ' κατ' ἀμφότερα; ἢ ὅσων μὲν πυκνὴ ἡ σὰρξ ὑπὸ δέρμα μεταξὺ τ̃ δέρματος καὶ τ̃ σαρκὸς συστέλλει ἡ ἰκμὰς διὰ τὸ ταύτη εἶναι τὸ δέρμα ἀφεστὼς φύσει. ἢ πεπλυμένη, γίνεται πιμελὴ· ὅσα δ' ὀλιγοτέραν ἔχει τὴν σάρκα, καὶ τὸ δέρμα προεστὼς, καὶ σάρκα πίονα γίνεται· τὰ δ' ἀμφοτέρως ἔχοντα, ἐπ' ἀμφότερα παίνεται.

Cur alia ex animantibus ſub cutem, alia intrà carnem, alia vtróque modo pingueſcere conſueuerunt? An quibus denſa eſt caro, iis inter cutẽ, & carnem humor prætenuis cogitur? quòd is ſemper ſua naturâ eminet, atq; reſidet, qui tandem concoctus pingue effici ſolet, quæ autem carne ſunt rariore, cutémque gerunt obuiam, hæc opima intra carnem redduntur: quæ verò vtroque modo ſe habent, vtróque etiam pingueſcunt.

Idem Ariſtoteles libro tertio de hiſtoria animalium capite decimo ſeptimo de hac eadem re ita ſcribit: τὰ πάντα δὴ τὰ ζῶα, τὰ μὲν ἐν σάρκα ἔστι πίονα, τὰ δ' ἀφωρισμένως· ὅσα δὲ μὴ ἔχει κεχωρισμένα τὴν πότητα, ἧττον ὅτι πίονα καὶ κοιλίαν, ἢ ὀλίγιστον, οἷον ἔγχελυς. Hoc eſt. *Ex omnibus animalibus, alia quidem intra carnem pinguia fiunt, alia autem ſeorſim. Quæcumque autem ſeorſim non habent pinguedinem, illa circa ventrem, & omentum ſunt minùs pinguia.* Et ſuperiori etiam capite decimo ſexto in eandem ſententiam. γίνονται δὲ ἐν σάρκα πίονα τὰ τὰς κοιλίας ἔχοντα μικράς. Hoc eſt. *Fiunt autem intra carnem pingues quicumque ventres habent paruos.* Et eodem capite paullò ante; *quibus carnes multæ, ijs ventres parui.* De illis autem, qui ſub carnem, aut ſub cutem, vt legit Theodorus pingueſcunt, hoc quidem nomine, nihil ibidem. ὑπὸ σάρκα. *ſub cutem.* Theodorus videtur legiſſe, ὑπὸ δέρμα. ἢ ὅσων μὲν πυκνὴ ἡ σὰρξ. *An quibus denſa eſt caro.* Ex animalibus illa ſub cutem dicit reddi pinguia, quæcumque ſub cute carnem obtinent denſam, & compactam; in illis enim cùm cutis, ſeu corium naturâ ſua à carne abſcedat, & inane ſpatium relinquatur, colligitur eo ſpacio humor qui-

dam

dam tenuis, qui vlterius coctus, pinguedo fit; illáque animalia ſub cute pingueſcere dicuntur. Nos porrò verba illa, quæ rationem quæſiti continent, & admodum corrupta ſunt, tum in Baſiliẽſi, tum in Aldina editione, valde alio ſenſu expoſuimus, quàm verterit Theodorus, qui videtur legiſſe, ἀφ' ὃ ταύτῃ ἧ ἐφεστῶσαν φύσις. hæc enim Latinè ab ipſo reddita ſunt. At vt vera ſint dubito; tenuis enim ille humor, ſi ſua naturâ ſemper eminet, atque reſidet, quod ait Theodorus; iam niſi ſub cutem non pingueſcerent animalia, nunquam autem intra carnem. Porrò ex Baſilienſis, & Aldini codicis lectione nullus omnino ſenſus elici poteſt. Ego ſequutus ſum, quam edidit doctiſſimus Caſaubonus, eámque retinui, eo ſenſu, quem paullò ante expreſſi: ita autem verbum verbo reddo: *Quod huic cutis natura ſua abſcedat.* ὅσα ἧ ἀραιοτέραν ἔχει τὴν σάρκα. *quæcumque autem rariore ſunt carne.* Docet quæ ſint illa, quæ intra carnem pingueſcunt, nimirum quæ carnem habent rariorem, cutem autem adſtantem, & adiacentem, ac proximam ipſi carni; ita enim interpretor vocem ἐφεστῶς qua vſus eſt Ariſtoteles, tanquam oppoſita ſuperiori, ἀφεστὼς, ſic enim cùm locus vacuus, non relinquatur inter cutem, & carnem, quo poſſit tenuis ille humor alimentarius colligi, permeans ille idem ad carnes, per eáſque diffuſus quod facilè poteſt, præ earundem raritate reddit illas eo modo pingues. Theodorus autem qui vertit, *cutémque gerunt obuiam*, quomodo locum accipiat, aut quem velit eſſe ſenſum, fateor me non intelligere. Proſequitur autem Ariſtoteles declarare, quæ ex animalibus vtroque modo pingueſcant: Et ait: *quæ autem media ſunt inter vtrumque habitum, & ambobus extremis participant, illa vtroque modo pingueſcunt.* Quæ porrò hic de huiuſmodi impinguationibus dicuntur, illa vt puto non ſolùm de ipſis animalium ſpeciebus intelligenda ſunt; ſed etiam in ipſismet ſpecierum indiuiduis locum habent, pro cuiuſque indiuidui conditionibus. Illud etiam præter dicta annotandum, quod ait ibidem Ariſtoteles: Plurimam animalium partem, circa ventrem pingueſcere, & præcipuè, quæ parum ſe moueant.

I V.

Διὰ τί οἱ παῖδες, ἢ αἱ γυναῖκες, ἧττον ἔχουσι λεύκην τῶν ἀνδρῶν· καὶ τῶν μὲν γυναικῶν, αἱ πρεσβύτιδες μᾶλλον; ἢ ὅτι ἡ λεύκη ὀδὸς πνεύματός ἐστι; ἔστι δὲ τὰ μὲν τῶν παίδων σῶμα εὔπνοα σώματα, ἀλλὰ πυκνά· καὶ τὰ τῶν γυναικῶν ἧττον, ἢ τὰ τῶν ἀνδρῶν, ὅτι ταύταις εἰς τὰ καταμήνια τρέπεται. δηλοῖ δὲ ἡ λειότης τὴν πυκνότητα, τὴν σαρκός. τὰ δὲ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ τὰ τῶν γεραιῶν σώματα εὔπνοα. μόνα γὰρ, ὥσπερ τὰ παλαιὰ οἰκοδομήματα, διεστῶσαν ἔχει τὴν σύνθεσιν τῶν μορίων.

Cur vitiliginem pueri, mulieréſque minùs habent, quàm viri, & in eo ipſo fœmineo ſexu, quæ prouecta ætate ſunt, magis habent, quàm minores? An quòd vitiligo exitus ſpiritus eſt. Corpora autem puerorum contextu denſo, non facili expiratu conſtant, & mulierum minùs expirant, quàm virorum. Spiritus námque in menſtrua ſe auertit fœminæ: denſitatem verò lęuitas eiuſdem ſatis declarat. Quæ autem corpora ætate proceſſerint, aut conſenuerint, reſpiratiora euadunt: hæc enim modo ædificij veteris, ſtructuram ſuarum partium laxiorem iam habent.

De vitiligine, eiúſque generatione, & cauſſis, variis in locis egit Galenus. Ea huc congerere importunum: ne dum neceſſarium exiſtimem. Illa ſolummodo ex Celſo afferenda, quæ breuiter, quale ſit vitium oſtendunt. Scribit igitur Celſus libro quinto capite vltimo hunc in modum: *Vitiligo quoque: quamuis per ſe nullum periculum affert; tamen fœda eſt, & ex malo corporis habitu fit. Eius tres ſpecies ſunt. ἄλφος vocatur, vbi color albus eſt, ferè ſubaſper, & non continuus, vt quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur. Interdum etiam latius, & cum quibuſdam intermiſsionibus ſerpit. μέλας colore ab hoc differt, quia niger eſt, & vmbræ ſimilis. Cætera eadem ſunt. λεύκη habet quiddam ſimile alpho, ſed magis albida eſt, & altiùs deſcendit, in eáque albi pili ſunt, & lanugini ſimiles.* Hæc Celſus. Quamuis autem nec Galenus, nec Celſus, nec alij de Medicina ſcriptores, dum huiuſcemodi affectus meminerunt, ſpiritus mentionem faciant, quem inprimis memorat hoc loco Ariſtoteles, non tamen inuicem diſſentanea, aut quæ ſimul ferri non poſſint, eos proponere animaduerto. Non omiſit tamen illum diuiniſſimus vir, quo præceptore Ariſtoteles vſus eſt. In Thimæo enim, cùm de morborum cauſſis loqueretur, de vitiligine, ſeu de ea, quæ Græcè λεύκη, & de alphis hæc ſcribit: τὸ δὴ λευκὸν φλέγμα ἀφ' ὃ τὸ πομφολύγων πνεῦμα χαλεπὸν ὑπολαφθὲν, ἔξω δὴ τῷ σώματι αἰωρούμενος

ἴχνη,

ἴχνον, ηπιώτερον μέν, καταποικίλει δὲ τὸ σῶμα, λεύκας, ἀλφούς τε καὶ τούτων ξυγγενῆ νοσήματα ἐμποιοῦν. Hoc est: *Alba autem pituita ob bullarum spiritum intus detenta perturbat, sumpto verò extra corpus spiramine, mitior illa quidem, variè nihilominùs corpus inficit, vitiligines, leucas, & alphos, & id genus morbos procreans.* Hæc Plato. Aristoteles porrò, de eo affectu hoc loco causſam inquirit, quamobrem ille minùs comprehendat pueros, & mulieres, quàm viros, inter mulieres autem illas magis, quæ seniores sunt. Dicit autem causſam esſe maiorem habilitatem, & opportunitatem corporum virorum, quàm puerorum, & mulierum. Vitiligo enim est exitus quidam spiritus: Nimirum huiusmodi cutis deffœdatio fit tum ab humore, tum à spiritu, qui ipsi mixtus est, vidimus enim paullò ante ex Platonis verbis, albam pituitam cùm ad externas partes ἀναπνοὰς ἴσχει, hoc est: *respirationes molitur*, seu, *vnà cum spiritu erumpit*, hunc affectum procreare. At huiusce modi species exitus promptiùs fit in viris, quàm in pueris, quoniam hi corpora obtinent minùs perspirabilia, hoc est minùs peruia spiritui, magísque densa: cutis enim omnis, sicuti scriptum reliquit Galenus primo de simplicium medicamentorum facultatibus capite duodecimo, in primo statim ortu sibi est continua, at temporis spatio perforatur, ac plurima nanciscitur spiramenta ritu cribrorum. Id autem fit ratione humiditatis, qua plurima pueri abundant, partes ipsas iungentis, & replentis, qua deinde paullatim absumpta, meatus, & foramina aperiuntur, quæ indies laxiora fiunt. καὶ τῶν γυναικῶν ἧσσον. *Et mulierum minùs expirant.* Mulierum corpora, seu cutem earundem minùs perspirabilem esse, quàm virorum, ratione, & signo docet Aristoteles: ratione quidem, quoniam in mulieribus spiritus hic, qui ad cutim vnà cum humore in viris impetum facere consueuit, eámque peruadere cutaneas partes deferens, ad menstrua se conuertit: signo autem, quoniam eædem mulieres carnes habent læues, & sine pilis, quod signum in pueris etiam locum habet: denso enim existente corporis contextu, non patet exitus fuliginibus, quæ pilorum materia sunt. Vnde læuitas, & pilorum defectus oritur. Quo signo etiam vsus est Hippocrates quinto aphorismorum sexagesimo nono, cùm rationem traderet, quare rigores magis ex partibus posterioribus, quàm anterioribus inchoarent, dicens: *Sed & cutis raritas: indicio autem est pilus*, vbi Hippocratis sententiam liquidiùs explicans Galenus ait, dicere Hippocratem ex partibus anterioribus rigores non inchoare, quoniam calidiorem habent, quàm partes posteriores temperaturam, huiúsque argumentum sumere ex cutis raritate, rursusque raritatis ex pilorum multitudine. Possint autem etiam prima illa verba ita exponi, vt sint princeps ratio, quare mulieres hoc symptomate corripiantur; nimirum, quia spiritus ille, cuius exitu seu excretione, vt dicitur problemate trigesimo quinto, vitiligo fit, in his non ad cutim, sed aliorsum se conuertit, hoc est ad menstrua ipsa, quo sensu fortasse accepit Theodorus, qui tamen, quoniam liberiùs eadem vertit, ita verbum verbo reddo: *An quoniam vitiligo spiritus exitus est? puerorum autem corpora non bene perspirabilia sunt, verùm densa. Mulierum autem minùs quàm virorum, quoniam his ad menstrua conuertitur: carnis autem densitatem læuitas ipsa ostendit. Eorum autem, qui ætate processerint, ac seniorum corpora, illa bene perspirabilia sunt. Sola enim veluti antiqua ædificia laxam habent partium structuram.* τὰ δὲ τῶν πρεσβυτέρων. *Quæ autem corpora*, alteram partem secundi membri explicat, docens similitudine ædificij veteris, quod compagem habet laxiorem, & rimas ducit, senum cõrpora multa possidere foramina, & magis patere perspiratui.

V.

Διὰ τί ὁ ἄνθρωπος μόνον ἴσχει λεύκην; πότερον ὅτι λεπτοδερμότατον τῶν ζώων ἐστίν, ἅμα δὲ καὶ πνευματωδέστερον; σημεῖον δὲ ὅτι ἡ λεύκη ἐν τοῖς λεπτοδερμοτάτοις μάλιστα καὶ πρῶτον γίνεται μέρεσιν ἢ ἀφ' ἑαυτά τε, καὶ ὅτι μόνον πολιοῦται τῶν ζώων; ἐν δὲ ταῖς λεύκαις πολιαὶ γίνονται αἱ τρίχες· ὥστε ἀδύνατον ὅσα μὴ πολιοῦται, λεύκην ἴσχειν.

Cur homo tantùm habeat vitiliginem? Vtrum quòd tenuissimam is ex omnibus animalibus cutem habet, simúlque flatibus redundat: indicium verò, quòd vitiligo partibus tenuissima cute obtectis, maximè, primúmque existit. An & his ipsis de causſis, & præterea quòd homo vnus ex omnium animantium numero canescit: quippe cùm in vitiligine pili canitie immutentur. Itaque fieri non potest, vt vitiliginem habeant, quæ numquàm canescere soleant.

Quare

Quare inter homines vitiliginem minùs paterentur pueri, & mulieres, quàm viri facti, quærebatur ſuperiori problemate, hoc autem, quare inter animalia ſolus homo. Duas autem primùm affert rationes, quibus deinde tertiam addit. Dicit igitur primùm, ideo ſolum hominem inter animalia vitiliginem pati, quoniam cùm vitiligo cutis affectus ſit, homo cutem habet eidem maximè opportunam, quippe quæ illi ſit inter animalia tenuiſſima, proportione magnitudinis corporis, ſicuti dicit idem Ariſtoteles libro tertio de hiſtoria animalium capite vndecimo, & alibi etiam; cutem autem tenuiſſimam facilè poteſt ea materia peruadere, à qua vitiligo fit. Præterea homo plùs, quàm cætera animalia ſpiritibus, & flatibus abundat: fieri autem vitiliginem à flatu, ſeu ſpiritu, ſuperiùs etiam dictum eſt, & dicetur etiam problemate trigeſimo quinto. Obtinet autem hic ſpiritus, vt exiſtimo rationem cauſſæ, partim efficientis, partim materialis: nam & vi ſua pellit ad cutim materiam, ex qua vitiligo fit; atque etiam ipſemet, quippe qui craſſior, quâ ſpiritus, licèt comparatione humoris, cui miſcetur, tenuis vitiligini ipſi materia aliqua ſit. Hæc autem ratio à cutis ſubtilitate dependens, eo ſigno confirmatur, quòd vitiligo maximè & primùm, ſeu propriè in locis ſit, quibus cutis ineſt tenuiſſima, nimirum in facie, huius enim cutis tenuiſſima eſt, ſicuti inter alios ſcribit Halyabbas ſecundo theoricæ capite XV. ἢ διὰ ταῦτά τε ἢ ὅτι. *An & his ipſis de cauſis.* Tertiam rationem addit. Non fit vitiligo in ijs, qui non caneſcunt, at alia animalia præter hominem non caneſcunt, in ijs igitur fieri non poterit vitiligo; Maiorem propoſitionem ex eo probat, quòd in vitiligine ſemper pili caneſcant, agit porrò de ea quæ λεύκη Græcè dicitur, à Latinis *alba vitiligo*; quod ſcriptum etiam reliquit quinto de generatione animalium capite quarto, & hac eadem ſectione problemate trigeſimo ſexto, quibus in locis eiuſdem etiam effectus rationem reddidit: minorem autem propoſitionem habemus quoque eodem quinto de generatione animalium capite primo: homini tamen ibidem adiungitur equus, quem etiam caneſcere teſtatur experientia, quémque etiam pati vitiliginem circa faciem ſunt qui affirment.

V I.

Διὰ τί αἱ αἶγες μᾶ ἢ πρόβατα ἀμέλγονται πλεῖστον γάλα, ἀ μέγιστον σῶμα ἔχοντα. ἀνθρωπος ἢ ἢ βοῦς, ἔλαττον ὡς πρὸς λόγον; πότερον ὅτι εἰς τὸ σῶμα ἀναλίσκεται· τοῖς μὲν ἄλλοις εἰς τὸ περίττωμα; τοῖς δὲ προβάτοις καὶ τοῖς αἰξὶ, τὸ περιγιγνόμενον τοῦ περιττώματος, γάλα γίνεται πᾶν; ἢ ὅτι πολυγονώτερά ἐστι τῶν μεγάλων· ὥστε πλεῖον ἀνάγκη περίττωμα διὰ τὸ πλείω τρέφειν; ἢ δι' ἀσθένειαν τῶν σωμάτων πλεῖον περίττωμα γίνεται κύουσιν αὐτοῖς; τὸ δὲ γάλα γίνεται ἐκ τοῦ περιττώματος.

Cur capris, & ouibus lac plurimum demulgetur, quæ corporæ non maximo ſunt: homini autem, & boui minus, ſcilicet ad corporis proportionem? Vtrum quòd his copia in corpus abſumitur, cæteris in excrementum ſe confert: ouibus autem, & capris, quantum excrementi acceſſerit, omne in lac tranſit. An quòd plura gignunt quàm quæ magno ſunt corpore: itáque plus attrahunt excrementi, quoniam plura alendum ſit. An his grauidis plus excrementi propter corporis imbecillitatem redundat: lac autem excremento conſiſtere certum eſt.

Exemplo caprarum, & ouium, alia etiam intelligi voluit, ſicuti exiſtimo minorum animalium genera, quæcumque copioſo lacte abundant: quemadmodum etiam bouis, & mulieris, maiorum: quas enim affert rationes, illis non minùs accommodantur. Demulgetur autem plurimum minoribus, minus maioribus proportione magnitudinis, vt ait, plus enim vere mulgetur vaccæ, quàm oui: At ſi magnitudinem corporis vtriuſque inuicem æſtimemus, menſuram haud eſſe proportione æquam dicit Ariſtoteles. Sanè ouis apud nos non tanta vbertate luxuriat, quantam videtur Ariſtoteles innuere; & vaccæ quæ ex Germaniæ finibus aduehuntur, multum adeò, vt comparata magnitudine, non ſuperetur vacca, ſed potiùs ſuperet: capræ enimuerò multo abundant; at vaccæ, quæ hîc naſcuntur, exiguo: vt in huiuſcemodi, dictum Ariſtotelis veritatem magis appareat obtinere: minùs tum in illis, quas diximus, tum in buculis regionis Phaſcidis, quas corpore exiguo Ariſtoteles ipſe tertio de hiſtoria animalium capite vigeſimo primo ait beneficio pabuli regionis multa lactis copia emulgeri: minimè omnium in Epiroticis vaccis magnitudine corporis præſtantibus, quarum ſingulæ ſingulas amphoras lactis implerent, & menſuræ eius dimidium,

mammis duabus; quod eodem loco idem Arist. scripsit. Porrò quæsiti tres affert Aristoteles rationes. Prima est,quòd in animalibus magnis,vt bos,& homo,quæ ingeruntur, absumuntur in corpus, hoc est, in corpulentiam, cùm in multam excrescant magnitudinem, in aliis autem,quæ ita magna non fiunt,in excrementa abeunt: inter hæc autem, ipsis ouibus,& capris,& aliis minoribus, quæ lacte abundant, quodcúmque excrementis ipsis necessariis supereſt, totum abit in lac, vnde illa lactis vbertas. Porrò ea verba τὸ προσγιγνόμενον τῷ περιττώματι, non exposui sicuti vertit Theodorus, *quantum excrementi accesserit*: sed *quantum excrementi superfuerit*, quòd non existimarem velle Arist. totum excrementum in lac abire; & verbi significatio id valeat, quod nos diximus, vt ab exemplis potest obseruari. Idem enim Aristoteles quarto de generatione animalium capite octauo hæc verba proponit: τελειωθέντων δὲ, τῶν κυημάτων, πλέον τὸ περίττωμα τὸ προσγιγνόμενον, quæ idem Theodorus, vt valeat, sic vertit: *sed cùm fœtus magis, magisq; perficiatur, plus excrementi superest.* ἢ ὅτι πολυτοκώτερα. *An quòd plura gignunt.* Altera ratio. Plures fœtus edunt minora animalia, iure igitur maior lactis copia est eis necessaria, nihil enim vnquam natura producit, quin ei præparet alimentum: vel plures fœtus edunt, trahitur igitur plus excrementi ad mammas; plures enim sunt qui sugunt: eo autẽ currit excrementũ,quo trahitur. Porrò assumptum ipsum, quòd plura pariant,ex eo probari potest: primùm quòd cùm fœmina,& vacca rariùs concipiat,& pariat, quàm animalia minora, illa enim vix anno semel, hæc bis, vt scribit tum Aristoteles ipse libro sexto de historia animalium capite decimo sexto,& hac eadẽ sectione problemate quadragesimo sexto de ouibus, quæ sunt in Aphrica,& in Magnesia: tum etiam ipsi de re rustica scriptores, qui summitti maribus capras, & oues volunt tum Aprili, aut Maio mense,tum etiam Octobri, aut Nouembri, cùm illæ nimirum fœtum non gestent, nisi quinque mensibus. Deinde, quod Aristotelis verba propriè significant, quòd cùm fœmina rarissimè, & vacca geminos pariat, capra, & ouis maxima ex parte binos, aliquando ternos, vsque etiam quaternos pariat, sicuti testatur idem Aristoteles libro sexto de historia animalium capite decimo nono. Quamquam Theodorus lectionem diuersam sequutus ab exemplaribus Græcis typis excusis, quæ modò adduximus,ita conuertat: *Pariunt maxima ex parte singulos: sed aliquando & binos,& ternos,& quaternos.* Libro etiam quarto de generatione animalium capite itidem quarto capras, & oues plura parere similiter affirmauit:quin & ipsi etiam de re rustica scriptores idem monumentis mandârunt. Columella enim inter alios libro septimo capite sexto de capris ita scribit: *Parit autem, si est generosa, proles frequenter duos, nonnunquam trigeminos:* vt veriorem putem vulgatam lectionem sexti de historia animalium, quàm eam, quam habemus à Theodoro conuersam.ἢ δι' ἀσθένειαν τῶν σωμάτων πλεῖον. *An his grauidis.* Tertia ratio. Animalia hæc minora maioribus debiliora sunt: non enim à natura illud habent corporis robur, nec vim adeò validam,quæ consistit in calido innato, & partium temperamento, sicuti illa maiora. Igitur cùm grauida sunt, quo tempore etiam augetur imbecillitas plus congerunt excrementorum, cùm parum caloris obtineant, & imbecilla existat facultas, nec bene concoquere possint, vnde excrementorum fit prouentus: quæ est eiusdem Aristotelis doctrina libro quinto de generatione animalium capite sexto. Laborant etiã hæc animalia in partu, præcipuè ouis, quam ait Columella libro septimo, obstetricum more custodiendam esse, non enim aliter hoc animal eniti, quàm muliebrem sexum, sæpiúsque etiam, quanto est omnis rationis ignarum laborare in partu. Hæc tamen imbecillitas,quam intelligit Aristoteles,non eò progrediatur, vt morbus iam sit, non enim sic vt puto augetur lactis copia; at imminueretur potiùs. Congestis igitur pluribus excrementis lactis copia augescit, quoniam ex excremento fit, aucta verò materia, vnde fit, & ipsum etiam augeri cõsentaneum est.Dicitur autem fieri ex excremento lac,quoniam fit ex eodemmet sanguine, ex quo infans in vtero gignitur,quemadmodum scribit idem Aristoteles quarto de generatione animalium capite octauo; fit autem ex Aristotelis sententia sexto de historia animalium capite decimo octauo, primò quidẽ ad speciem puris, deinde verò cùm pepererint, vtile redditur. Non dixerim hæc esse Galeni doctrinæ consentanea, qui vult lac fieri ex sanguine exactè cocto,qui idcirco diutius in vase moretur ob viæ longitudinem ad mammas:Appellat tamen & ipse septimo de vsu partium lac superfluum benigni alimenti.

VII.

Διὰ τί τῶν ζώων τὰ μὲν μεταβάλλοντα τὰ ὕδατα, μεταβάλλει τὰς χρόας, & ὅμοια γίνεται τοῖς ἐκεῖ, οἷον αἶγας· τὰ δὲ, & οἷον ἄνθρωποι; Καὶ ὅλως ἢ ἀφ' τί τὰ μὲν μεταβάλλει· τὰ δὲ, & οἷον κό-

ἐαῤ ὲ μεταβάλλει; ἢ ὧν μὴ ὲ κρατεῖ ἡ φύσις τῶ ὑγρῶ, ὥσωῤ ἡ τῶν ὀρνέων (διὸ καὶ κύστιν οὐκ ἔχει) ὲ μεταβάλλει; Καὶ διὰ τί οὐκ ἀυτὰ, ἀλλὰ τὰ ἔκγονα μεταβάλλει; ἢ ὅτι ἀδενέστερα τὰ νέα τῶν γεννησάντων.

Cur animantium alia, cùm aquam mutârint, colorem ſuum amittunt, ſimiliáque loci illius domeſticis redduntur, vt caprę: alia verò numquam amittunt, vt homo. Ad ſummam, cur alia mutantur alia non: vt coruus, qui ſemper incommutabilis perſiſtit? An quorum natura vincere, perdomaréque humorem non poteſt, vt auium, quæ veſicam quoque nullam ob eam rem obtinent, hæc nuſquam mutari poſſunt. Sed cur non illa eadem, ſed quæ nata ex his ſunt, hæc mutentur? An quòd recens nata ſuis parentibus ſunt infirmiora.

Septimum hoc problema, & duo, quæ deinceps ſequuntur, octauum, & nonum ab antiquo interprete, & Aponenſi ſimul coniunguntur, tanquam vnum tantùm, & continuum ſit problema: quomodo etiam in Theodori tralatione, quam habet idem codex, proponuntur. In aliis tamen editionibus, quæ eandem Theodori tralationem continent, diſiunguntur, ac tria numerantur. Id verò refert nihil, ſi enim tria ſunt, illa ordine ſe conſequuntur, aliudque ex alio aptum eſt: quin & primi nulla proponitur ſolutio, tanquam ex ſecundo repetenda. Inquirit igitur hoc primo, de coloris mutatione in quibuſdam animalibus ex vſu nonnullarum aquarum eueniente, qua de mutatione ſimiliter præclara tum eiuſdem Ariſtotelis, tum aliorum auctorum habemus teſtimonia. Idem enim tertio de hiſtoria animalium capite duodecimo ita ſcribit: *Immutant etiam nonnulla ex animalibus pilorum colores ex aquarum immutatione, alibi enim candida fiunt, alibi nigra: ſunt etiam ad concubitus ipſos aquæ multis in locis eadem virtute præditæ, quas cùm biberint oues, & ſtatim poſt potum coiuerint, nigros generant agnos, vt in terra Aſſiritide agri Chalcidici Thraciæ facit amnis, quem præ nimia frigiditate Pſychrum vocant, & in Antandria quoq; duo ſunt fluuij, quorũ alter candorẽ, alter nigritiam pecoribus facit. Leamandor etiã amnis flauas reddere oues creditur.* Strabo lib. 10. *Eubœæ porrò flumina ſunt Cireus, & Neleus, è quorum altero bibentes oues albæ fiunt, ex altero nigræ, quale aliquid etiam apud Crathim euenire monuimus.* Seneca naturalium quæſtionum libro tertio, capite vigeſimo quinto: *Quibuſdam fluminibus vis ineſt mira: alia enim ſunt, quæ pota inficiunt greges ouium, intráque breue tempus, quæ fuêre nigræ, albam ferunt lanam, quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bœotia amnes duo efficiunt, quorum alteri ab effectu Melas nomen eſt, vterque ex eodem exeunt diuerſa facturi. In Macedonia quoque, vt ait Theophraſtus eſt flumen ad quod, qui facere albas oues volunt, adducunt, quod vt diutius potauêre, non aliter quàm infectæ mutantur. At ſi illis lana opus fuerit pulla, paratus gratuitus infector eſt, ad Ceronem eundem gregem appellunt. Auctores nouos habeo eſſe in Galatia flumen, quod idem in omnibus efficiat, eſſe in Cappadocia, quo poto equis, nec vlli præterea animali color mutatur. Et ſpargitur albo cutis.* Vitruuius libro ſeptimo capite tertio: *Sunt enim Bœotiæ flumina Cephiſus, & Melas, lucaniæ Crathis, Troiæ, Xanthus, inq; agris Clazomeniorum, & Erythreorum, & Laodicenſium fontes, & fluminæ, cùm pecora ſuis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum, exq; eo, quamuis ſint alba, procreant alijs locis leucophæa, alijs locis pulla, alijs coracino colore.* Plinius libro vndecimo capite centeſimo tertio: *In Faliſco omnis aqua pota candidos boues facit, in Bœotia amnis Melas oues nigras, Cephiſus ex eodem lacu profluens albas: rurſum nigras Penius, rufáſque iuxta Ilion Xanthus, vnde & nomen amni.* Et rurſus libro 31. capite vndecimo: *Ladicus in Heſtiæotide fontes duos tradit eſſe Ceronem, ex quo bibentes oues albas fieri, Melan, ex quo nigras, ex vtroque autem varias. Theophraſtus in Thurijs Crathim candorem facere, Sybarim nigritiem bobus, & pecori.* Cæterùm exemplum de homine, quo vtitur Ariſtoteles, quémque pilis non immutari dicit, poteſt in dubium reuocari. Aquarum enim nonnullarum vſu mutari ipſi pilos teſtatur idem Strabo libro ſexto, ita ſcribens de fluuio Crathi, vt vertit interpres: *At Crathis hominum qui in eo lauant, crines fuluos, albóſque reddit*: atque etiam Plinius, qui loco ſuperiùs adducto libri trigeſimi primi de Sybari, & eodem Crathide hæc habet: *Quin & homines ſentire differentiam eam, nam qui Sybarim bibunt, nigriores eſſe, durioréſque, & criſpo capillo, qui ex Crathide candidos, mollioréſque, ac porrecta coma.* Cuius rei meminit etiam Ælianus, & Vibius Sequeſter. Nec non Ouidius duobus illis carminibus:

Crathis, & hinc Sybaris veſtris conterminus oris
Electro ſimiles faciunt, auróque capillos.

Reſpondemus: negari de homine mutationem ab Ariſtotele, ſi comparetur mutationi ouis, aut capræ, quæ in colorem prorſus contrarium mutantur; ex albedine in nigredinem, & contra, cùm hominis leuis tantummodo ſit immutatio, vt ex verbis tum Strabonis tum Plinij apparet. Huius rei igitur effectus, qui variè in diuerſis animalibus conſideratur cauſſam inquirit hoc loco Ariſtoteles. Nec tamen eam ſtatim reddit, ſed mox. Priùs enim idem quæſitum videtur latiùs extendere, ad illa verba: ὅλως δέ, ſeu, *ad ſummam*, vt vertit Theodorus, quæ octaui problematis in nonnullis codicibus, qui eiuſdem Theodori tralationem continent, vt dicebam, initium ſunt, & generaliùs quærere cur alia animalia colore immutentur, alia non immutentur? Ex quo huiuſce ſeptimi etiam patere velit ſolutionem. Huius igitur rationem reddens, ait Ariſtoteles illa non immutari, quorum natura humorem non continet, vincit, ac edomat, atque adeò alterat: talis autem eſt natura auium; cuius rei illud ſignum affert, quòd ipſæ veſica careant, qua de re habemus eiuſdem Ariſtotelis teſtimonia tertio de hiſtoria capite quinto, ac tertio de partibus capite octauo, & quarto eorundem capite primo. Nam cùm ea fuerit à natura fabricata, vt locus eſſet excrementis humidi alimenti aſſumpti, ſicuti aluus ſicci, quemadmodum teſtatur idem Philoſophus libro primo de hiſtoria capite ſecundo, & primo de generatione capite decimo octauo, quæ excrementa poſt alterationem, & coctionem illuc demandarentur; in quibus vtique non continetur, nec alteratur humor, ſed vel inſenſibili tranſpiratione exhalat, vel alia via excernitur, cur excrementi receptaculum fabricaretur, cauſſa nulla erat: mutatio enim pilorum in animalibus fit alterato humido, quod intus eſt, ſiue eo ſanguineo, ſiue alius generis, quemadmodum ſcriptum habemus à Theophraſto in Excerptis de iis, quæ colore immutantur; humor enim alteratus cutem immutat, cuius colorem deinde ſequuntur pili, nam quibus alba, albi, & quibus nigra, nigri, & quibus varia, varij; nimirum in aliis animalibus; in homine enim ſecus contingit, ſicuti ſcribit Ariſtoteles quinto de generatione animalium capite quinto: In quibus igitur humor non continetur, non paritur, nec alteratur, non poteſt fieri pilorum, aut pennarum mutatio, ſicuti contingit coruo, quod pro exemplo adducit Ariſtoteles: fit autem ex aqua in capra, quemadmodum paullò ante propoſuit Ariſtoteles, cuius ratio hinc accipienda eſt. Nam in capra ex vſu illarum aquarum aſſumptus humor continetur, & alteratur: quare autem ex eodem non immutatur homo, quod itidem proponebatur ab Ariſtotele: non enim dicere poſſumus, quia illius natura humorem non continet, cùm veſicam ille habeat, quo ſigno ſuperiùs vſus eſt Ariſtoteles. Dicit Aponenſis hominem non permutari ſecundùm colorem ex mutatione aquarum, quoniam aut non ſic vtitur aqua quemadmodum illa animalia, aut ea vtitur aliquantiſper alterata: & quia exiguam eiuſdem aquæ quantitatem aſſumit: Et quia etiam, licèt homo maximè ſit humidus, contineátque humiditatem; hæc tamen humiditas, tum à natura, tum ab arte magis conſeruatur à permutatione, quoniam hominis natura magis à contrarietate, & fœce elementorum eſt depurata, & veluti aurum in fornace præ cæteris metallis probatum, vt ille ait. Reſiſtit igitur magis hominis natura; ſúntque cauſſæ aliæ valentiores aquarum virtute, quæ cauſſæ mutationem impediunt. Vera tamen eſt Ariſtotelis propoſitio, quorum natura humorem non continet, qui patiatur, ea non immutari; licèt quorumcúmque continet, neceſſariò non immutetur. Iam verò ex eadem ratione, atque ex verbis ab Ariſtotele adductis, manifeſtò videtur oſtendi, aues nullas colore immutari, cùm illarum natura humorem non contineat, qui vt immutetur, neceſſe eſt: ipſæ enim veſica carent: hoc enim ſigno vſus eſt hoc loco Ariſtoteles; ſed exoritur difficultas maxima, nam tertio de hiſtoria capite duodecimo, idem Ariſtoteles diſertis verbis mutationem coloris in auibus proponit, & corui nominatim, ita ſcribens, eodem Theodoro interprete: *Pennæ auium nullæ per ætates mutantur, præter quàm gruum, quas nigreſcere in ſenecta perſpicuum eſt. At verò per affectus temporarios, quoties frigora vrgent acriùs, pẽnæ volucrum vnicolores interdum è nigris, aut nigriuſculis albidíſve in albas tranſeunt vt corui, paſſeris, hirundinis. Cuius rei contrarium, vt quicquam ex genere albo veniret in nigrum, numquam viſum eſt. Temporum quoque viciſſitudine bona pars auium, ita colore immutatur, vt quænam ſint, latere poſſint, niſi rem penitius noueris. Aquarum item diuerſarum vſu, nonnulla ſuos immutant colores: alibi enim candida, alibi nigra reddantur.* Quam eandem rem confirmauit quinto de generatione animal. cap. v. & vi. quibus in locis etiam cauſſam huius effectus tradere conatus eſt his verbis capite quinto: *Grues ſeneſcentes effici nigriores aiunt, cuius affectus cauſſa eſſe poteſt, quòd pennarum natura earum albicat, plúſque humoris ſeueſcentibus ijs conſtituitur in pennis, quàm vt facultas putredini pareat.* Et capite ſexto: *Tranſeunt verò toticolora multò magis, quàm vnicolora, tum in colorem ſui generis ſimplicem, vt ex albis nigra, & ex nigris alba reddantur, tum verò in miſtum ex ijs, quoniam in totius generis natura*

ineſt,

ineſt, ne vnum habeat colorem. Hinc enim facilè vtroque versùs mouetur, vt viciſsim mutetur, & varium efficiatur. Vnicolora contra: numquam enim mutantur, niſi per affectum, idque rarò, iam enim perdix viſa eſt alba, & coruus, & paſſer, & vrſa, Et paullò poſt: *Aquis etiam immutantur ea potiùs, quæ ſua natura toticolora, genere autem verſicolora ſunt: calidæ enim aquæ pilum faciunt album, frigidæ nigrum, quomodo plantis etiam euenit. Cauſſa eſt, quòd calida plus aëris habent, quàm aquæ. Aër autem perlucens albedinem facit, quemadmodum ſpumam quoque effici certum eſt.* Et mox: *Mutant colores auium nonnullæ, atque etiam quadrupedum ſylueſtrium aliquæ per tempora anni. Cuius rei cauſſa eſt, quòd vt homines per ætatem mutantur, ſic illa per tempora, plus enim diſcrimen hoc in ijs poteſt, quàm mutatio ætatis.* Hæc Ariſtoteles, ex quibus ſatis manifeſtè patet, colore immutari aues, non quidem ratione ætatis: ſolas enim grues id pati, ſicuti dicitur tertio de hiſtoria animalium, & quinto de generatione, ſed alijs rationibus, quarum tres eo loco proponit: affectus, qui fiunt ex frigore, tempora anni, & aquas, quæ plùs poſſe in auibus, quàm ætatis diſcrimen ibidem affirmat. Quid igitur dicemus ad problema, quo non immutari aues proponitur? An de mutatione, quæ fit ratione ætatis, Ariſtotelem in problemate loqui reſpondeamus? At generatim, & vniuersè rem videtur proponere, & inquirere, cur alia immutentur, alia non? & ex ratione propoſita colligere, non immutari aues, quia humorem non continent. An dicamus potiùs, rationem quidem ex humore petitam ſeu maiorem propoſitionem eſſe veram ſemper, non tamen ſemper veram minorem, in auibus ſcilicet non contineri humorem: quippe in quibuſdam auium naturis humorem contineri & fieri coloris mutationem. An adhuc ratio & ipſa problematis probabilis, & vera vt plurimùm eſt, non ſemper, & neceſſariò, ſicuti pleræque aliæ? Idq; indicat particula ὅλως, eáque in hunc ſenſum eſt accipienda, non vt vertit Theodorus: *ad ſummam*: ſed ita potiùs, vt hæc ſit ſententia. Generatim, quæ eſt cauſſa immutationis quomodo non omnia penitus illa ratione comprehendi, nonnulláque excipi non ſit fortaſſe abſurdum. Neque ego ſanè ad illa aduerſaria dicta concilianda, quid aliud afferam, habeo. Tum de eadem coloris mutatione rurſus loquitur Ariſtoteles, & inquirit, quam ob rem, cùm non mutentur illa eadem, mutentur quæ ex illis naſcuntur. Ait autem id fieri, quoniam hæc ſunt imbecilliora parentibus, & ideo faciliùs præ teneritudine impreſſiones recipere poſſunt, quibus ætate prouectorum reſiſtit durities. Hoc autem illud idem eſt, cuius cauſſa ſimiliter redditur primo libro de generatione capite ſexto ſuperiùs adducto, cùm de perdice, coruo, & paſſere albis loqueretur, de quibus etiam paullò ante; hos enim colores illis accidere ſcripſit, cùm in generatione peruertuntur, ac deprauantur: id autem facilè contingere poſſe, quia facilè mouetur, & deprauatur quod paruum eſt; at quod fit, & gignitur illud eſt paruum, in paruo enim conſiſtunt generationis principia; filij igitur ex his verbis videntur intelligi, qui nondum prodierunt in lucem: ſed cùm fiant, aut vteris, aut ouis continentur. Quòd ſi proditos in lucem accipiamus, quo modo videtur requirere tralatio Theodori, quæ habet, *recens nata*, eos accipiemus, qui modò editi, & admodum teneri ſunt: quamquam Græca lectio, ſiue hæc ſit: ὅτι ἀσθενέστερα τῶν γεννησάντων, vt habet editio Baſilienſis, ſiue addamus, τὰ νεά, hoc modo: ὅτι ἀσθενέστερα τὰ νεὰ τῶν γεννησάντων, ſicuti edidit doctiſſimus Caſaubonus, & reponit Iuſtiniani codex, & opinor habuiſſe Theodorum, non cogit, vt de iam natis locum accipiamus, τὰ νεά, enim, tam de iis, qui nondum editi in lucem ſunt, ſed adhuc in vtero, aut in ouis continentur, quàm de iam editis vſurpauit Ariſtoteles: vt quarto de generatione animalium VI. his verbis. ὅ Θερμον γὰρ τὸ νεόν.

VIII.

Διὰ τί τὰ ἄρσενα μείζονα τῶν θηλειῶν ὡς ἐπίπαν ὄντι; πότερον ὅτι θερμότερα· τοῦτο γὰρ αὐξητικόν; ἢ ὅτι ὁλόκληρα· τὰ γὰρ, πεπήρωται; ἢ ὅτι τὰ μὲν ἐν πολλῷ χρόνῳ τελιοῦται· τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ.

Cur mares corpore maiori ex toto penè ſunt, quàm fœminæ? Vtrum quòd mares calidiores fœminis ſunt, quæ res vim obtinet augendi? An quòd mares præditi natura integra ſunt, fœminæ manca, oblæſáque deſiſtunt? An quòd mares longo temporis ſpatio perficiuntur, fœminæ breui.

Cur mares generatim, & vniuersè maiori ſint corpore, quàm fœminæ in eodem ſexu, inquirit hoc problemate Ariſtoteles: & ad quæſitum tres affert rationes. Dicit ὡς ἐπίπαν, hoc eſt, *generatim*, nimirum vt plurimùm, ſeu, vt Theodorus vertit, *ferè ex toto*, quia ſunt aliquæ animalium ſpecies, in quibus contrarium obſeruatur, vt ex inſectis ea, quæ coëunt,

piſces ouipares, & ouipares quadrupedes, cuius rei etiam cauſſam tradidit idem Ariſtoteles libro primo de generatione animalium capite decimo ſexto. Prima autē ratio eſt, quoniam mares ſunt calidiores fœminis. Id etiam affirmauit idem Philoſophus libro de longitudine, & breuitate vitæ capite quinto: At caliditas vim obtinet augendi, nimirum humiditati coniuncta, ſicuti affirmauit eodem loco in libro de longitudine, & breuitate vitæ ita ſcribens: *Incrementi namque & vitæ cauſſa eſt humida caliditas.* Hæc autem humida caliditas ex ſententia eiuſdem Ariſtotelis conſiſtit in humido proportionato, & pingui: ideo autem incrementum præſtat, quoniam dilatat, & quaqua versùs extendit partes. Altera ratio eſt, quoniam mares integra, abſolutáque natura præditi ſunt, nec illis quicquam deeſt, fœminæ autem naturâ mutilata, & manca, cùm ſint tanquam mares decurtati, & in quibus perfectio, & abſolutio deſideretur: ſicuti ſcribit idem Philoſophus libro vndecimo de generatione animalium capite quarto: & quarto eorundem librorum capite ſexto his verbis: *Sunt fœminæ ſua naturâ debiliores, frigidioréſque, & ſexum fœmineum quaſi læſionem naturalem, & detrimenta eſſe putandum eſt.* Quam rem primo eorundem appellat imbecillitatem, ſeu impotentiam. Ab iis autem, quæ perfecta, & abſoluta ſunt ſuperari magnitudine illa quæ ſunt imperfecta, imbecilla, & manca, quæque natura non potuit abſoluere, conſentaneum eſt. Poſtrema ratio eſt, quoniam mares poſt quàm in lucem prodierint, longiori temporis ſpatio perficiuntur, fœmina autem breuiori, ſicuti ſcriptum reliquit idem Ariſtoteles libro ſexto de hiſtoria animalium capite vigeſimo ſecundo, ita ſcribens, cùm de equis loqueretur: *Celeriùs autem fœminæ quàm mares perficiuntur, at in vtero mares, quàm fœminæ citiùs: quemadmodum etiam homines.* Quam rem, cauſſa propoſita confirmauit etiam libro quarto de generatione animalium capite ſexto, cuius verba, quoniam maximè faciunt ad hunc locum declarandum tota deſcribere placuit ex eiuſdem Theodori interpretatione: *Hæc eadem cauſſa eſt, ne fœminæ ſimiliter atque mares perficiantur in genere hominum, quippe cùm, & intra parentem fœmina tempore longiore perficiatur, quàm mas: & vbi in lucem venerint, celeriùs fœminæ, quàm mares perficiantur. Nam & pubes, & vigor, & ſenectus fœminis priùs venit, quàm maribus, ſunt enim fœminæ ſua natura debiliores frigidioréſque, & ſexum fœmineum quaſi læſionem naturalem, & detrimentum eſſe putandum eſt. Intus igitur tardè præ ſua frigiditate diſcernuntur. Hæc etenim diſcretio concoctio eſt, calor autem concoquit, & quod calidius, id concoctu facilius eſt. Sed foris propter ſuam debilitatem citò ad ætatis florem, ſenectutémque perueniunt. Etenim omnia minora vt in artis operibus, ſic in naturæ citiùs ad finem deueniunt.* Hæc Ariſtoteles quibus Philoſophus ille duobus mediis propoſitis declarauit, cur breuiori tempore extra vterum fœminæ perficiantur, quorum alterum eſt frigiditas, & debilitas illius ſexus, alterum autem minor corporis magnitudo; quia enim minora ſunt, ſicuti in artis operibus contingit, citiùs perfici ait Ariſtoteles: minor enim domus, exempli gratiâ, cæteris paribus citiùs perficietur, quàm maior. Quod ideo obſeruo, quia hoc loco, quod ibi erat medium, eſt maior extremitas, quod autem ibi maior extremitas, hîc pro medio aſſumitur: hîc enim ideo colligit eſſe minora fœminea corpora, quia breuiori tempore perficiuntur, illa autem breuiori tempore perfici, quia minora, ſicuti accidit illis operibus quæ ab arte fiunt, vt manifeſtus ſit circulus, circulariſque argumentatio. Eodem autem argumentandi genere alibi etiam in his problematis eum vſum fuiſſe, nos etiam adnotauimus; & verò in ea doctrina, quam profitentur hi problematum libri, non eſt vt huiuſmodi argumentandi, aut probandi genera refugiamus. His quæ dicta ſunt de breuiori tempore, quo fœminæ intus perficiuntur, addam etiam teſtimonium Plinij, qui libro ſeptimo capite quarto ita ſcripſit: *Fœminas gigni celeriùs, quàm mares; ſicuti celeriùs ſeneſcere.* Quamquam ſunt, qui legant, *gignere*, vt ad tempus procreationis ſobolis referatur.

I X.

Διὰ τί τὰ μὲν, ταχυτόκα τῶν ζώων ὄντ' τῶν δὲ, πολυχρόνιόν ἡ κύησις; ἢ ὅτι τὰ μὲν μακροβιώτερα βραδύτερον πέφυκε τελειοῦσθαι; ἔστι δὲ βραδυτόκα, τὰ μακρόβια. ὃ μέντοι τὰ μάλιστα· οἷον ἵππος ἀνθρώπου βραδυτικώτερον μὲν μάλιστα, ὀλιγοχρονιώτερον δ' τούτου δ' ἄπιον, ἡ συληθεῖσα τῶν ὑστέρων· ὥσαυτως δὲ ἡ ξηρὰ γῆ ὁ ταχὺ σπερέφει, ὕπου ἡ ὑγρὰ ὕστερα.

Cur in animantium genere alia breui tempore pariunt, alia diu geſtant? An longiùs perfici ſolent, quibus longiora ſunt vitæ ſpatia. Sunt autem partu tardiora, quæ longo tempore viuunt: ſed non vniuerſaliter id eſt. Equus enim vt tardiùs maximè, quàm homo, parit, ſic viuere minùs poteſt. Cuius

rei cauſſam, vuluæ, ſiue vteri durities habet. Quomodo enim ager ſitiens, haud citò ſuas ſtirpes enutrit: ſic durior vulua equarum, informando, nutricandóque ſuo fœtu remoratur.

Ex animantibus alia eſſe, quæ breuiori tempore, alia quæ longiori vterum ferant, ex libris de animalium hiſtoria conſpicuum eſt. Vrſa enim ſolùm triginta diebus, vt ſexto libro dicitur, canis ſexaginta, & vno, aut duobus, vel tribus, vt libro quinto, ceruæ menſibus octo, vaccæ nouem, decimo pariunt; Equæ vndecim, pariunt duodecimo. Camelus duodecim: oues, & capræ quinque. Mulierum plura ſunt tempora, nam tum ſeptimo, tum decimo, tum etiam inter ſeptimum, & decimum poſitis parere ſolent; teſte eodem Ariſtotele quarto de generatione capite quarto. Elephas ex quorundam ſententia vterum fert anno & menſibus ſex, & aliorum triennio. Ariſtoteles autem tum libro quinto de hiſtoria, tum quarto de generatione dicit biennio. Omitto enim ad hanc partus varietatem, quæ ſunt apud Plinium: illa enim ferè omnia ex Ariſtotele. Huius igitur accidentis, & varietatis cauſſam inquirit hoc loco Ariſtoteles, eámque refert in longæuitatem: vt quæ longæua ſunt, illa diutius ferant vterum, quæ autem non ita, tempore breuiori. Nam quæ longæua futura ſunt, illa tanquàm longiſſimè duraturum ædificium, ad formationem, longius deſiderant tempus; bene enim, & admodum diligenter vt conſtruantur, & fundantur ſingulæ partes neceſſe eſt, id autem niſi longo tempore perfici non poteſt. Hoc autem vniuerſaliter verum non eſſe, atque hanc rationem aliquo in animantium genere deficere, admonet Ariſtoteles; equus enim imprimis tardiùs, quàm homo parit, partum enim fert vndenis menſibus, duodecimo gignit teſte Plinio, nec tamen longioris vitæ eſt. Equorum enim vita longiſſima maiori ex parte ad annum triceſimum teſte Ariſtotele ſexto de hiſtoria; homo autem, & elephas inter animalia ſunt, quæ omnium diutiſſimè viuant, ſicuti apud eundem Ariſtotelem libro de longitudine, & breuitate vitæ capite quarto. Idcirco tradit Philoſophus cauſſam ſingularem, cuius ratione in equis non valeat ratio; eam autem dicit eſſe duritiem vteri, qua præditæ equæ ſunt; ſicut enim in ſicca terra non poſſunt celeriter plantæ adoleſcere, nimirum præ alimenti inopia: ita in equarum vteris, cùm ob eorum duritiem ſcilicet, tum vaſorum, per quæ alimentum tranſit, tum aliarum partium, quæ non cedunt, non poſſit alimentum niſi ægrè à fœtu trahi, mora in perficiendo partu contingit, atque ideo plus temporis requiritur. Nec tamen ratio ab Ariſtotele ſuperiùs adducta, non eſt approbanda, niſi, vt de equarum vteris dictum eſt, alia interueniat proximior, quæ ea plùs poſſit. Porrò quæ Theodorus vertit: *Equus enim vt tardiùs maximè quàm homo parit:* cautè in illis accipiendum eſt aduerbium, *maximè*, ſicuti etiam in Græcis μάλιστα: non enim ſenſus eſt, quòd equus hominem ſuperet *maximè*, hoc eſt, *maximo temporis interuallo*, aut plùs, quàm alia animalia, ſed poſitum eſt affirmationis, aut exempli gratiâ, quod primum obuiũ fuit tanquam, potiſſimùm, inprimis, aut etiam, ſanè diceret hoc modo: *Equus enim ſanè tardiùs, quàm homo parit, breuioris tamen vitæ eſt:* eóq; modo tum apud Græc. μάλιστα, tum apud Latinos, *maximè*, vſurpatur: Licèt Theod. ipſa verborũ collocatione ſenſum obſcurauerit, multò enim clariùs ita fuerit: *equus enim maximè, vt tardiùs, quàm homo parit, ſic viuere minùs poteſt.* Extrema etiam problematis verba non in Latinum conuertere; ſed paraphraſi exponere dicendus eſt, Græcè enim ita ad verbum: *ſicuti enim ſicca terra haud celeriter enutrit, ita & equi vterus:* quod licèt ad ſenſum hoc loco nihil interſit, adnotâſſe tamen libuit, vt viri morem, cum quo nobis hiſce in problematibus conſuetudo eſt, cognitum habeamus.

X.

Διὰ τί τῆς ἄλλοις ζώοις τὰ ἔκγονα μᾶλλον τὰς φύσεις ὁμοιοῦ, ἢ τοῖς ἀνθρώποις; ἢ ὅτι ὁ μὲν ἄνθρωπος πολλαχῶς διάκειται τὸν ψυχὸν καὶ τὸν ὁμιλίαν; καθὼς δ' αὐ ὅ τε πατὴρ, καὶ ἡ μήτηρ διατεθῶσιν, ἔτω ποικίλλεται καὶ τὰ πικ' μβρα· τὰ δ' ἄλλα ζῶα, τὰ μὲ πλεῖστα πρὸς αὐτὸ τὸ εἶσιν· ἔτι δ' ἁπλῶς ὡς ὀλιγοπολὺ, διὰ ταύτην τὴν ἀπιθυμίαν.

Cur proles cæterorum animantium magis, quàm hominis ſuis parentibus ſimilem gerit naturam? An quòd homo vago, varióque plurimùm animo in coitu eſt; prout autem pater, matérque in conceptu affecti fuerunt, ita partus euariant. Cætera verò animantia omnia, aut certè plurima, rei tantùm ipſi intendunt, totáque ſe ſe veneri dedunt. Adde quòd ob eam auiditatem, minimè repleri magna ex parte patiuntur.

Naturæ nomine in hac filiorum ad parentes maiori, aut minori ſimilitudine in animalibus, non ſolùm intelligit Ariſtoteles temperamentum ipſum, qua notione Hippocrates ea voce ſæpiſſime vſus eſt, atque etiam formam corporis, quomodo etiam eandem aliquando vſurpauit idem Hippocrates; ſed eas omnes actiones, & operationes, quas Galenus libro de differentijs ſymptomatum capite tertio, ad animum refert, eaſque animales vocat, particulatim autem ſenſibiles, motiuas, & principes tres, imaginationem, ratiocinationem, & memoriam: ex quibus ſingulis etiam, ſigna deſumi ad dignoſcenda partium corporis temperamenta, docuit idem Galenus libro artis medicæ. In his igitur omnibus, quæ naturæ nuncupantur; quæque idcirco plurali nomine etiam fortaſſe expreſſit Ariſtoteles, dicens τὰς φύσεις, quaſi *naturas* diceremus, licèt ſingulari verterit Theodorus *naturam*, quare maior filiorum ad parentes obſeruetur ſimilitudo in aliis animalibus, quàm in homine inquirit hoc loco Philoſophus. Cauſſam autem dicit eſſe varias & multiplices affectiones, aut motiones, quibus homo animo agitatur dum concumbit, ab illis enim immutatur viri ſemen, & menſtrua mulieris, atque ita diſponuntur, vt quod gignitur illa nota impreſſum appareat, quæ in imaginatione priùs inerat, cùm igitur non ab eo, quo natura prædíti ſunt parentes habitu, ſimilitudo ducatur à filiis, ſed ea, quæ conceptionis tempore adeſt affectio, quid miri à robuſto imbecillum, à prudente fatuum, & ab audaci gigni timidum? Cuius rei eandem etiam tradidit rationem Alexander problemate vigeſimo octauo libri primi. Porrò autem iuxta affectionem, quæ concubitus tempore parentibus inſit, variari prolem, illuſtre etiam in eiſdem animalibus habemus exemplum in libro Geneſeos in pecoribus, quæ ſocero Iacobo paſcebat Labamus, hæc enim iuxta colorem virgarum, quæ ipſis concubitus tempore apponebantur, modò quidem vnius, modò autem alterius coloris ſobolem procreabant: Illuſtre etiam in Æthiopicæ Heliodori hiſtoriæ lib. quarto, in Perſina Hydaſpis Æthiopum regis vxore, quæ patriæ colore nigra, quòd marito iuncta concepiſſet in thalamo vbi Andromedam nudam, & albam (quòd Andromeda fuſca ab aliis dicatur, hoc quidem loco nihil interſit) pictam aſpexiſſet, quo tempore eam Perſeus à Saxo deduxit Charicleam albam concepit, & peperit: quod exemplum deinde diuiniſſimus Poëta noſter Torquatus Taſſius in heroico poëmate ſequutus eſt, vbi albam Clorindam, nigra mater ideo gignit, quòd in thalamo ſimiliter pictam albam virginem ope Diui Georgij à dracone liberatam præ oculis conceptionis tempore aſſiduè habuiſſet: eſt enim adeò efficax imaginandi vis, vt facultas, quæ formando fœtui inſiſtit, eò tota attrahatur, humoréſque omnes habeat obſequentes. Alia autem animalia omnia fermè cùm concumbunt, tota in hoc ſunt, huícque rei dedita, nec fantaſiam aliò attentam, aut ſpiritus aliò habent diſtractos, vnde ſemen effuſum iis, qui ibi ſunt parentibus, non aliis, ſimiles procreat filios. ἔτι δὲ ὁ πλεῖστος. *Adde quòd ob eam auiditatem.* Corollarium, quo ſimul confirmantur ea, quæ dicta ſunt. Adeò verum eſt ſemen affici pro affectione, quæ tempore concubitus inſit animo, vt ampliùs, ſic varia cupiditate affecto, animoque ab ea re alienato, celebret quiſpiam venerea, non concipiat mulier, ſemen enim ſpiritibus deſtitutum, qui ad alias res, & cupiditates abſtracti erãt, remanet infœcundum: vnde fit vt conceptione ſæpe fruſtrentur mulieres, alia animalia non item. Cuius tamen rei, & ſterilitatis aliæ etiam cauſſæ afferuntur libro quinto de placitis Philoſophorum apud Plutarchum ex Dioclis, Stoicorum, & Eraſiſtrati opinione, quæ ſimiliter leguntur in libro quodam inſcripto *de hiſtoria Philoſophica*, qui in Galenum auctorem refertur. Porrò ſi pro ἐπιθυμίαν, legeremus αἰτίαν, id eſt *cauſſam*, liquidior eſſet ſenſus, quem attulimus, nulla enim ſuperiùs de cupiditate, ſed de varia animi affectione tantummodo facta eſt mentio. Verùm abſque exemplaris autoritate, aliquid immutare mihi ſemper religio ſit, & perſuadear potiùs à me locum non intelligi: Problema autem totum quoniam nimiùm liberè mihi tranſtuliſſe viſus eſt Theodorus, ita fermè ad verbum reddidiſſe placuit: *An quoniam in concubitu homo quidem multipliciter animo afficitur, prout autem pater, & mater affecti ſunt, ita etiam variantur partus. Alia autem animalia, aut omnia, aut plurima, in hoc ipſo tota ſunt. Adhuc autem non replentur vt frequenter ob eandem cupiditatem.* Præter hæc autem quæ dicta ſunt, in eandem ſententiam apponere libuit, quæ libro paullò ante citato de Hiſtoria philoſophica Galeno aſcripto ſeu potiùs apud Plutarchum libro quinto de placitis Philoſophorum capite duodecimo de eadem ſimilitudine afferuntur his verbis: πῶς ἄλλοις ὅμοια γίνε) τὰ γεννώμενα; οἱ μὲν πλεῖστοι τῶν ἰατρῶν τυχικῶς, καὶ ἐκ τῆ ἀυτομάτε· ὅταν ἀφυγῆ τὸ σπέρμα καὶ τὸ τῆ ἀνδρὸς, καὶ τὸ τ̃ γυναικὸς, ἀνόμια γίνεσ. Ἐμπεδοκλῆς δὲ τῆ κ) σύλληψιν ὄψει τε καὶ φαντασία τῆς γυνεκὸς μορφοῦσ τὰ βρέφη. πολλάκις οὖ ἀνδριάντων καὶ εἰκόνων ἤράσθησαν, καὶ ὅμοια τούτοις τέκνασιν. Οἱ στωϊκοὶ κ) συμπάθειαν τ̃ ἀφανοίας, καὶ ῥύμαῖ@, καὶ ἀκτίνων εἴσκρισιν οὐκ εἰδώλων γί-

γνεσ

γνεσθ τὰς ὁμοιότητας : Id est, vt nos conuertimus, minùs quidem eleganter, sed cum fide. *Quamobrem filij non parentibus, sed aliis similes gignuntur? plurimi quidem medicorum fortuitò, & temerè id euenire putant, postquàm enim semen tum maris, tum fœminæ refrixerit, eos gigni dissimiles. Empedocles autem pro figura & qualitate earum rerum, quas viderint, aut imaginatæ fuerint tempore conceptionis formare partus dixit. Quare sæpenumero contigisse, vt quæ statuas, aut pictas imagines adamássent, eisdē statuis, & picturis similes filios parerent. Stoici per sympathiam quādam cogitationis ac effluuij & radiorum insinuationem nō imaginum ratione fieri similitudines dixerunt.*

XI.

Διὰ τί οἱ λευκοὶ ἄνθρωποι, καὶ ἵπποι, ὡς ὀπιπολὺ γλαυκοί; ἢ διότι τριῶν χρωμάτων ὄντων τῆς ὄμμασι, μέλανος, καὶ αἰγωπὸς, καὶ γλαυκὸς, τῷ τὸ σώματος χρώματι, καὶ τὸ δ' ὀφθαλμὸς χρῶμα ἀκολουθεῖ; τοῦτο δέ ἐστι γλαυκότης.

Cur albi tam homines, quàm equi, oculis magna ex parte cæsiis sunt? An cùm oculi triplici coloris genere distinguantur, nigro, caprino, & cæsio, corporis totius colorem oculi quoque color consequitur: itaque haud immeritò cæsius est.

Homines, & equos, qui corpore albi sunt, oculos magna ex parte habere glaucos, qui color est & ipse ad albedinem tendens, ideo dicit Aristoteles, quoniam totius corporis colorem, oculorum quoque color consequitur, qui enim humores corporis cutim colorant, ijdem proportione oculum etiam colorant, tunica enim cornea, in qua huiusmodi colores apparent, est veluti exterior cutis ipsorum oculorum. Cæsius autem seu glaucus color albedini proximior est, quàm aut niger, aut caprinus, qui alij duo oculum colorare solent. Verùm dubitatur de colorum numero, qui hoc loco referuntur. Nam idem Aristoteles primo libro de historia animalium capite decimo, atque etiam quinto de generatione capite primo, quatuor illos esse dixit, nigro, cæsio, & caprino charopum adiungens: Respondemus oculorum colores primarios esse duos, nigrum, & cæsium, qui ad albedinem refertur, sicuti etiam duo extremi colores, albus, & niger, alij autem sunt medij, quomodo eos accepit Galenus libro artis Medicæ: medij autem plures esse possunt, variisque nominibus appellantur, nam præter caprinos, Aristoteles etiam loco adducto aquinos retulit ouium, hi verò omnes ad duas illas primas differentias reducuntur. Hoc autem loco omnes non habuit necesse numerare Aristoteles, cui satis erat, cæsium totius corporis cuti, quæ dicta erat, esse proximiorem. Dicere etiam possumus sub cæsijs comprehendisse etiam charopos, sunt enim hi colores satis similes, quamuis charopus dilutior, & ad albedinem magis tendens, cæsius autem saturior, & intensior, vt si de cæsiis valet ratio, multò magis de charopis, illa quidem valeat. Quin scribit, & Apollonij scholiastes γλαύκην & χάροπον, seu cæsium, & charopum synonimως accipi: Atque etiam Theocritus Mineruam dicit habere oculos charopos, quæ ab Homero toties cæsia dicitur. Nec ignoro tamen Galenum commentario tertio in librum tertium de morbis vulgaribus particula trigesima, de eisdem cæsiis, & charopis oculis non breuiter disputâsse, eósque de quorundam opinione proponi apparere posse contrarios, sed huc non sunt omnia congerenda, nec omnia disputanda. Porrò huiusmodi colorum causas, quæ tum ab humore, tum à spiritu petuntur, abundè disquirit Aristoteles libro, qui adductus est, quinto de generatione animalium capite primo, atque etiam Galenus libro de arte Medica.

XII.

Διὰ τινὰ αἰτίαν οἱ νάνοι γίνονται; ἐπὶ ἦ μᾶλλον καθόλε· Διὰ τί τὰ μὲ ὅλως μεγάλα, τὰ δ' μικρά; εἶτα ἕτω σκεπτέον. δύο δή τὰ αἴτια. ἢ γὰρ ὁ τόπος ἢ ἡ τροφὴ ὁ μὲ οὖν τόπος ἐὰν ᾖ στενὸς, ἡ ἦ τροφὴ, ἐὰν ᾖ ὀλίγη. ὥσπερ ἐπὶ ἤδη γεγυμνῶν, παγῶνται μικρὰς ποιεῖν· οἷον οἱ τὰ κυνίδια τρέφοντες ἐν τοῖς ὀρτυγοτροφίοις. ὅσοις μὲ ἓν ὁ τόπος αἴτιος, ἔστι πυγμαῖοι γίνονται· τὰ μὲ γὰρ πλάτη ἢ τὰ μήκη ἔχοντες γίνονται καὶ τὸ τὰ τεκόντων μέγεθος μικροί δὲ ὅλως. τάτε δὴ αἴτιον, ὅτι Διὰ τὴν στενότητα τὰ τόπε συγκλώμενα αἱ δίοδοι, καμπύλαι γίνονται. ὥσπερ ἐν οἱ ὄπὶ τῶν καπηλίων γραφόμενοι μικροὶ μὲ εἰσὶ, φαίνονται δὲ ἔχοντες πλάτη, καὶ βάθη, ὁμοίως συμβαίνει καὶ τοῖς πυγμαίοις. ὅσοι δὲ Διὰ τροφὴς ἐνδείαν ἀτελεῖς γίνονται, ἔστι δὲ παιδαριώδη τὰ μέλη ἔχοντες φαίνονται. καὶ ἐνίοις ἰδεῖν ἔστι, μικροὺς μὲ σφόδρα, συμμέτρους δὲ, ὥσπερ τὰ μελιττία κυνίδια, αἴτιον δὲ, ὅτι ἐκ ὡς ὁ τόπος ἡ φύσις ποιεῖ.

Cur homines nana statura proueniunt? vel potiùs quærendum in vniuersum, cur in animantium genere alia paruo, alia magno consistant corpore?

Cauſſa duplex ſanè reddi poteſt: aut enim locus, aut alimentum id facit. locus ſi anguſtus eſt, alimentum, ſi exiguum. Quod etiam partu iam edito nonnulli efficere conantur, vt qui catellos in caueolis occluſos educant. Quibus itáque cauſſæ locus eſt, hi pomiliones redduntur, ſunt enim latitudine quidem, profunditatéque pro magnitudine ſuorum parentum, breues tamen omnino. Cuius rei cauſſa eſt, quòd rectæ lineæ in aduncas ſe flectunt. Igitur quomodo tabernarum picturæ, quamuis breues, tamen diſtentæ in latitudinem, profunditatémque cernuntur: Ita pomiliones quoque formari ex loci anguſtia incidit. At verò qui ob alimenti inopiam perfici non potuerint, hos membris quoq; puerilibus conſtare videmus: fitq; vt aliqui, quamuis breues admodum ſint, modicè tamen coagmentatas omnes ſui corporis partes habeant, vt Melitenſes catelli. Ratio enim quòd non vt locus, ſic natura ſuum efficere opus ſoleat.

Duo proponit Ariſtoteles: alterum de nanis hominibus ſpeciatim, qua ex cauſſa gignuntur: alterum circa eandem materiam, vniuersè; quare alia omnino ſint magna, alia parua: nec adſtringit propoſitionem ad ipſos ſolùm animantes; licèt Theodorus, qui ita locum accepit, ita etiam conuerterit, animantibus nomine expreſſis, quod non fecit Ariſtoteles, cuius Græca ita ad verbum Latinè ſonant: *Qua ex cauſſa nani gignuntur? Adhuc autem vniuersè magis, propter quid alia quidem omnino magna, alia autem parua?* particulam autem ὅλως, id eſt, *omnino*, omiſit Theodorus, cui illud ſatis fuit dicere; *quærendum in vniuerſum cur in animantium genere, &c.* At hæc exprimunt, quod Ariſtoteles dixit μᾶλλον καθόλου; ſanè Theodorus, vt ego quidem exiſtimo, non planè aſſequutus eſt ſenſum, atque idcirco particulam omiſit, quæ magnum hîc habet momentum, vt apparebit. Non eſſe autem in altero membro ad animantia adſtrictam propoſitionem ideo dicimus, quia præter hæc, arbores etiam ipſas comprehendere poteſt, quarum in genere pumilionum etiam infelicitas dicta continetur, vt Plinij verbis vtar, licèt ille cauſſas alias afferat, qui ab arte eos formari proponebat. Ariſtoteles autem hoc loco duplex facit pumilionum genus: alterum, quos propriè tales dicemus, qui inter homines tantùm ſunt, & primo problematis membro continentur, alterum eorum, qui dicuntur ὅλως μικροὶ, hoc eſt, *omnino parui* (alteram autem partem huius ſecundi membri, quæ continet omnino magnos Ariſtoteles non explicat) primi autem illi, quos propriè nanos dicimus, differunt ab his, qui ὅλως μικροὶ appellantur, tum formâ corporis, tum etiam cauſsâ: nam vt duas affert Ariſtoteles cauſſas, ita altera alteri generi conuenit: formâ quidem quoniam propriè nani ex Ariſtotele quarto de generatione animalium capite decimo, illi ſunt, qui habent partes ſuperiores magnas, inferiores autem, quæ pondus ſuſtinent, & pedes mouent, paruas, nec ſuperioribus proportione reſpondentes, & hi ſolùm inter homines reperiuntur: nam cætera animalia, hoc quidem modo, ſimilitudine quadam ſunt omnia nana, & infantes ipſi omnes nani, nam & hi ob partium ſuperiorum magnitudinem recti ambulare non poſſunt, at ſerpere coguntur, ſicuti ſcribit idem Ariſtoteles loco priùs adducto. Qui autem omnino parui, aut quæ omnino parua dicuntur, illa habent partes proportione reſpondentes, & inuicem commenſuratas: hæc autem tum in animalibus, tum etiam in plantis reperiri poſſunt; tales enim ſunt catuli Melitenſes, quos hîc dicit Ariſtoteles, & equi illi puſilli, quos memorat idem libro octauo de hiſtoria capite duodecimo; atque arbores illæ puſillæ, quas deliciarum cauſsâ, tum in viridariis, tum in vaſis ſerere ſolemus: differunt autem hæc, etiam cauſsâ ipſa, nam primi generis cauſſa eſt loci anguſtia, alterius, defectus alimenti, quamuis in plantarum genere altera ex altera pendeat. ὥσπερ ἐ ἤδη γεγενημένων. *Quod etiam partu iam edito.* Hæc pertinent ad ſecundum membrum eorum, quæ omnino parua ſunt, ſed partes habent proportione reſpondentes, vt ſunt catuli Melitæi, quoniam verò tales eſſe poſſunt, tum ab ortu, deficiente in vtero alimento, tum etiam ab arte ipſa, idcirco hæc addidit Ariſtoteles, quæ verò dicit ὀρνιθοτροφία, & Theodorus transfert, *caueolas*, erant propriè, vt nomen ipſum indicat, coturnicum loca, vbi alebantur, ſeu caueæ, ſeu quo alio modo eſſent conſtructæ: hinc verò vicinitate, ad canum ſimilia loca tranſtulit Ariſtoteles: quin & in eiſdem fortaſſe alebantur ſimul. ὅσοις μὲ οὖν ὁ τόπος ἄπορος. *Quibus itaque cauſſæ.* Explicat alteram ex cauſſis, nimirum loci anguſtiam; hæc autem pygmæos, ſeu nanos efficit, quorum membra, inuicem proportione haud reſpondent: nam longitudine, & profunditate, parentum iu-

ſtam

ſtam magnitudinem æquant; quæ latitudo, & profunditas eſt in partibus ſuperioribus, capite, & thorace, reliqua autem ſunt omnino parua; vt partibus his exceptis, ſimiles aliis ſint, quos alterum membrum comprehendit. Obſeruandum autem μῆκη, quod *longitudinem*, aut *proceritatem* denotare ſolet, hoc loco ſumi pro *altitudine*, aut *profunditate*, vt ſenſus neceſſariò requirere videtur, & apparet ex verbo, quod ſequitur in ſimilitudine ex picturis adducta. ἐς βάθη. proſequitur autem Ariſtoteles oſtendere quomodo ex loci anguſtia oriatur paruitas, quæ dicta eſt: locus autem eſt vterus ipſe, in quo homines formantur. Cùm ille igitur anguſtus eſt, nec poteſt in directum ſe ſe materia exporrigere, contrahuntur lineæ, & flectuntur in alias dimenſiones, compreſſiorque redditur figura, vt ferè nodoſum in globum ligati videantur, quemadmodum eleganter hiſce carminibus de eiſdem dixit Stat.

Hic audax ſubit ordo pumilionum,
Quos natura breui ſtatu peracto,
Nodoſum ſemel in globum ligauit.

συγκλώμεναι αἱ εὐθεῖαι. *Rectæ lineæ in aduncas ſe flectunt.* Addenda vox, *contractæ*, vt reddatur Græca, συγκλωμέναι, ſic, *contractæ rectæ lineæ &c.* ὥσπερ οὖν οἱ ἐπὶ τῶν καπηλίων. *Igitur quomodo.* Similitudine docet quales ſint hi pumiliones, parui quidem, diſtenti tamen latitudine, & profunditate, nimirum quales videntur homines depicti in cauponis. Ibi autem ideo tales fuiſſe depictos credibile eſt, quòd cauponæ, cùm loca eſſent vilia, & ſordida, vbi impuri tantùm homines, comeſſandi gratiâ diuerſabantur (vt Areopagitæ quendam vetuerint in Areopagum accedere teſte Athenæo, quòd pranſus eſſet in caupona) vt vel riſum tanquàm noua animalia, & naturæ ludibria, inæquali illa, & minimè iuſta proportione aſpicientibus mouerent, aut quòd loci anguſtia, quâ in cauponis hæ picturæ viſebantur, alias capere non poſſet, aut quòd vilibus locis viles, & rerum vilium picturæ vilibus hominibus gratæ eſſe ſolerent. ὅσοι δ' ἀφ' ὑγρότητος ἔνδειαν. *At verò qui ob alimenti defectum.* Explicat alterum membrum ad animalia pertinens, quæ ex alimenti inopia parua ſunt: Hæc autem talia apparent, quia imperfecta ſunt, ſicuti ea appellat Ariſt. ad iuſtam enim cuiuſque rei magnitudinem, iuſta requiritur alimenti mẽſura: ſed huiuſmodi, quamquam membra habent admodum exigua, & puerilia, eorundem tamen iuſtam habent proportionem, ſibique inuicem reſpondent, vt caput pedi, hic thoraci, & ſingulæ ſingulis: cauſſa autem eſt, quòd natura, non ſicut locus, opus ſuum facit, ſed alio modo: At nani illi fiunt tales à loco, hi non à loco, qui ſupponitur proportione æqualis; ſed naturæ interuentu; natura autem membra facit inuicem proportione reſpondentia; nam alimentum, quod ab ipſa diſtribuitur, diſtribuitur æquè per ſingulas partes pro neceſſitate, atque vſu ſingularum, vt ſi multum, ſingulis multum, ſi exiguum, ſingulis exiguum impertiatur, idque tam extra vterum, quàm in vtero; niſi hic vel à loci anguſtia, vel ab alia re eius impediatur operatio, & membra vitientur. In arbuſculis autem, quæ in vaſis ſeruntur defectus alimenti, parùitatis eſt cauſſa, alimenti autem defectus in iis à loci anguſtia ortum habet, ex loco enim habet alimentum, at locus exiguus exiguum præſtat alimentum: alia enim georgicorum ad hanc rem præcepta modò in hunc cenſum non veniunt. συμμέτρως δ', ὥσπερ. *modicè tamen coagmentatas.* Vereor, vt ſenſum Theodorus expreſſerit; vox enim, *modicè*, qua vtitur, non eam habet vim, quam συμμέτρως. Modicum, enim vel ſignificat paruum, & puſillum, quod Græcè ὀλίγον, aut μικρὸν, aut *moderatum*, & *temperatum*, *nec nimis*, *nec parum*, quod Græcè μέτριον. At σύμμετρον, hoc ſanè loco denotat proportionem partium, commenſúmque reſponſum, vt loquitur Vitruuius, aut membrorum competentiam, vt Agellius, denique ſymmetriam, quæ Latinis iam auribus vſitata vox eſt. Non ignoro tamẽ in veteri lexico σύμμετρον exponi, *modicum*; quod vt alicubi fortaſſe recipi poſſit, ita hoc quidem loco ineptum eſt, niſi alicuius Latini ſcriptoris autoritate confirmetur, eam voci, *modicum*, ſubeſſe ſignificationem, quæ proportionem denotet. Alibi etiam in hac problematum tralatione eadem voce eadem ſignificatione vſum Theodorum memini me adnotâſſe. Ita igitur totum locum, fermè verbum verbo reddo: *Nonnullóſque eſt videre, qui parui quidem admodum ſunt, proportione tamen ſibi inuicem reſpondent, ſicuti catuli Melitenſes; cauſſa autem eſt, quòd non ſicut locus, ita natura facit.* Porrò de catulis Melitenſibus multi meminêre auctores; Strabo, Stephanus, Athenæus, & Plinius. Hi verò ſiue eſſent ex Melita inſula inter Siciliam, & Aphricam, ſicuti vult Strabo libro ſexto, ſiue ex alia Melita inter Corcyram nigram, & Illyricum, vt vult Plinius libro tertio, qui etiã Callimachi auctoritatem adducit, & Stephanus, qui tamen eam inter Epirum & Italiam collocat, canes erant puſilli & admodum graciles, vt eam ob rem in amore, ac deliciis, ocioſis eſſent mulie-

ribus, & voluptuosis viris, quales erant Sybaritæ, quos huiusmodi animalculis, sicuti etiam pusionibus ex hominum genere se oblectare solitos, Athenæus testatur libro duodecimo. De pygmæis ita scribit Aristoteles octauo de historia capite vndecimo: *Est autem hic locus, circa quem pygmæi habitant: non enim hæc fabula est, sed re vera est genus quoddam (vt dicitur) pusillum tum hominũ, tum equorum.* Plinius de eisdem libro septimo capite secundo. *Supra hos extrema in parte montium spithamæi Pygmæi narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes, salubri cœlo, sempérque vernante, montibus ab aquilone oppositis, quos à gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est insidentes arietum caprarúmque dorsis, armatos sagittis, veris tempore vniuerso agmine ad mare descendere, & oua, pullósque earum altitum consumere: ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti. Casas eorum luto, pennísque, & ouorum putaminibus construi.* Hæc Plinius. Strabo & pygmæos, & omnia illa fabulas esse dixit libro decimo septimo: neminem enim vmquam fide dignum pygmæos vidisse: libro autem secundo eorum longitudinem memorans, trium spithamarum similiter vt Plinius dixit: est autem spithama quam Plinius loco modò adducto dodrantem interpretatur, idem ac palmus maior, nimirum quantum extensa manus spatij capere potest, qui sunt pollices duodecim. Erunt igitur pygmæi longitudine trium palmorum nostratium, seu pollicum digitorum triginta sex. Finem faciam huiusce problematis expositioni, si addidero, quæ omnia hîc de pygmæis eorúmque caussis ab Aristotele proponuntur, eadem ferè ad verbum adduci à Cęlio Rhodigino lectionum antiquarum libro tertio capite decimo deprauata tamen aliqua ex parte, sed quod stomachum magis faciat, magistri Aristotelis nomine præterito. Atqui, & eruditissimum Dalechampium in annotationibus ad Plinium cùm eà Rhodigini citaret, Aristotelis & ipse nomen, vnde illa penè furto desumpta erant à Cælio, reticuisse, magis vtique mirandum.

XIII.

Διὰ τί τῶν ζώων τὰ μὲ, ἐξ ἀλλήλων γίνεται, τὰ δ' ἔκ τινων συγκεκριμένων ὁμοίως τ' ἐξ ἀρχῆς γενέσεως αὐτοῖς ὑπαρξάσης; ἢ καθάπερ οἱ περὶ Φύσεως λέγοντες, λέγουσι, καὶ πῶ ἐξ ἀρχῆς γένεσιν τ' ζώων γενέσθ, ἀφ' τὰς μεταβολὰς καὶ μετακινήσεις, ἃς κόσμ καὶ τ παντὸς ὅτε μεγάλας· καὶ νῦ ὥσπερ μελλ πάλιν ἔσεσθ, τοιαύτας τινὰς ὑπαρξαι δεῖ κινήσεις; ἡ μὲ γὰ ἀρχὴ, παντὸς ἔργ μέγιστον· ἥμισυ γάρ. τὸ γὰρ σπέρμα, ἀρχὴ τῶν μὲ οὖ μικρῶν, καὶ ὅσα γίνεται μὴ ἐξ ἀλλήλων, αἴτιον τοιαύτ γένεσθ ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς ἐγένησαν, ἡ τὸ σπέρματ Θ μικρότης. τὸ γὰρ ἐλάττον Θ, καὶ ἡ ἀρχὴ ἐλάττων. ὥστε ἱκαναὶ καὶ αἱ τότ μεταβολαὶ πρὸς τὸ γένησαι αὐτῷ τὸ σπέρμα· ὅθεν συμβαίνει· γίνονται γὰρ ἐν τ μεταβολαῖς μάλιστα. τοῖς δ' μείζοσι, μείζον Θ δεῖται, ἡ μεταβολῆς.

Cur in animantium genere alia maris, ac fœminæ coitu creantur, alia concretis quibusdam proueniunt, similiter atque primus eorum ortus extiterit? Quemadmodum qui de natura docent, primum animantium ortum, mutatione, dimotionéque mundi, vniuersiq; orbis ingente, differunt extitisse. Et quòd nunc, si rursum ortus eiusmodi futurus sit, tales motiones aliquas præcessisse oportebit. Principium enim rei cuiúsque maximum est, quippe quod rei dimidium sit. Semen autem genitale principium esse, certum est. Ergo minutorum animalium quorúmque ortus, nullo agi mutuo concubitu solet: caussa cur vt principio extiterunt, creari nunc etiam possint, seminis exiguitas est; rei námque minoris, minus quoque principium esse conuenit. Quamobrem huius etiam sæculi mutationes, semen animantium minutorum generi satis contrahere possunt, quod sæpius vsu euenit. Tum enim maximè oriuntur, cùm mutationes temporum incesserunt. Maiorum autem genus, mutationem quoque pro sui magnitudine desiderat ampliorem.

Duos proponit animaliũ generationis modos, alter cùm animalia ex se inuicem gignuntur, vt homo ex homine, equus ex equo, quæ generatio vniuoca à Philosophis dicitur: alter cùm animalia ex concretis quibusdam oriuntur, vt hîc dicit Aristoteles, quę alibi ab eodem Philosopho dicuntur oriri sponte, Græcè αὐτόματα, seu, ἀπὸ τ αὐτομάτ, vt hac eadem sectione problemate sexagesimo quarto, & libro septimo primæ Philosophiæ capite nono; ac tertio libro de generatione animalium capite vndecimo: Hæc autem sunt, quæ absque

animalis

animalis ſemine gignũtur ex materia putri, vt dicitur lib. primo de generatione animalium capite primo, nimirum alia humo, aut ſtirpe putreſcente, vt complura inſecta, alia in animalibus ipſis, & ex partium excrementis, vt ſcribit idem Ariſtoteles, tum loco citato primo de generatione animalium, tum libro quinto de hiſtoria animalium capite primo: atque hæc à nonnullis Philoſophis dicitur generatio æquiuoca. Inquirit igitur Ariſtoteles hoc problemate, quare ex animalibus nonnulla eo modo, nonnulla hoc poſtremo oriantur? Primum autem (etſi non valde referat) illud circa Theodori tralationem obſeruo, eum non fideliter prima verba reddidiſſe, ſenſum tamen explicuiſſe: nec enim mas, aut fœmina ab Ariſtotele nominatur: ſed ita prorſus Ariſtotelica Latinè ſonant: *Cur ex animalibus, alia quidem ex ſe inuicem gignuntur, alia autem ex quibuſdam concretis, non ſecus atque ab initio ipſis extitit generatio?* Quòd autem in Theodori verbis eſt *ſimulátque*, operarum ſanè puto fuiſſe erratum, licèt quotquot Latinos codices mihi videre contigerit, ita ſcriptum habeant; & legendum *ſimiliter atque*, vti nos etiam excudendum curauimus. ὁμοίως τῷ ἐξ ἀρχῆς γενέσεως αὐτοῖς ὑπαρξάσης. *ſimiliter atque primus eorum ortus extiterit.* Non ſimpliciter in ſecundo membro proponit, quare alia ſponte gignantur, ſicuti problemate ſexageſimo quarto huius eiuſdem ſectionis: ſed hæc addit, quæ oſtendunt, qualem hîc putauerit Ariſtoteles fuiſſe ab initio eorundem animalium ortum, cùm primùm genita ſunt. Fuiſſe enim his aliquando aliquod primum initium hîc diſertè ſcribit Ariſtoteles. Id autem, vt puto, dicit, quoniam hæc eadem animalia, quæ ſponte naſcuntur, generant & ipſa, vt ſcribit idem Ariſtoteles libro primo de generatione animalium capite primo; ſed genus diuerſum, vt ibidem ille quidem affirmat; Atqui, vt experientia in nonnullis animalibus docuit, idem ſpecie, ſicuti in muribus, qui ex putredine in naui orti, deinde coëuntes breui totam nauem muribus repleuerunt. Orta igitur, & ab initio ſunt illa animalia, & ſequentibus temporibus denuò genita ex quibuſdam concretis, hoc eſt talibus ſimul contractis, & vnitis, quæ tale principium ad ortum idoneum habent; ita enim ſcribit quinto de hiſtoria animalium capite primo, vbi quod hîc dicit συγκεινομένων, ibi dicit, σύστασις, ac tertio de generatione animalium capite vndecimo appellauit σύστασιν ἀυτομάτου, hoc eſt *ſpontaneam concretionem.* ἢ καθάπερ οἱ περὶ φύσεως λέγοντες. *An quemadmodum qui de natura docent.* Editio Baſilienſis non habet particulam quæ ſolutionem inchoare ſolet, ἤ, *an*, nec eam agnouit Theodorus, nec antiquus interpres: Addidit illam ex aliquo antiquo exemplari, vt puto, doctiſſimus Caſaubonus. Erant autem in illis exemplaribus hæc apta è ſuperioribus, nec tamen minùs ſenſus conſtabat. Hæc autem ſiue cum particula, ἤ, aut abſque ea legantur, continent tum explanationem eorum, quæ in poſtrema parte ſecundi membri addidit, cauſſam nimirum quare hæc animalia ab initio ſponte naturæ genita ſint, tum etiam ampliùs, ex opinione nonnullorum Phyſicorum, quare omnia animalia ita etiam fuerint genita ab initio ortus ipſorum: ac ex illis deinde ſolutionem problematis deducit. Inquit igitur fuiſſe nonnullos Phyſicos, qui dicerent, cùm ab initio extitit animalium generatio, extitiſſe eam ob tranſmutationes, & dimotiones admodum magnas mundi, totiúſque vniuerſi. Atque ſi nunc etiam contingat, illa denuò exorienda eſſe, corruptis nimirum rerum omnium ſingulis ſpeciebus; neceſſarium ſimiliter eſſe, huiuſmodi quaſdam motiones, id eſt, admodum magnas, & quibus totus dimoueatur mundus, præcedere. Sanè vt multi fuêre Phyſici, qui dixerunt mundum fuiſſe genitum, veluti Empedocles Agrigentinus, & Heraclitus Epheſius, vt teſtatur Ariſtoteles libro primo de Cœlo, atque alij; ita quis ex ipſis hoc præcipuum dixerit, animalia fuiſſe per illas magnas dimotiones, atque eo modo genita, non habeo dicere. Plutarchus libro quinto de placitis Philoſophorum, de eiuſdem Empedoclis opinione, quod ad hanc rem pertinet, ita ſcribit: *Empedocles primo animalia, & plantas nequaquam integro ortu extitiſſe: ſed membris, quæ nondum coaluiſſent: deinde partes coaluiſſe, ita vt ſpectri formam compages referret: tertium ortum fuiſſe ex his, quæ viciſſim naſcuntur: quartum non iam ex ſimilibus, vt ex terra, & aqua; ſed proinde viciſſim, cùm alimentum aliorum eſſet denſatum, alijs mulierum formæ venuſtas incitamentum emittendi ſeminis attuliſſet.* Sed & eodem loco, paullò ante hæc, quæ modò attulimus Anaximandri de eadem re opinionem his verbis recenſet idem Plutarchus: *Anaximander prima animalia in humore nata, corticibus contenta ſpinoſis: adultiora autem facta ad ſiccitatem deſciuiſſe, ruptoq; cortice, non multo tempore ſuperuixiſſe.* Archelaus etiam, qui Phyſicus dictus eſt, memoratur à Diogene Laërtio, cenſuiſſe animalia de limo nata eſſe, nimirum ex terræ calore, quæ limum lacti ſimillimum ad eſcam eliquauerit, & ſic etiam homines natos. Quin & quæcúmque de chao, confuſaque illa, & rudi mole à Philoſophis, & à Poëtis, qui à Philoſophis ea deſumpſerunt, dicta ſunt, illa huc omnia, vt exiſtimo pertinent, quamquam non ſine efficienti cauſſa idem chaos, ſicuti alij

aliam materiam proponerent. Porrò hanc opinionem qua de loquimur, animalia etiam perfecta, & hominem ipsum: omnia denique quæcumque ex semine oriuntur, etiam absq; semine oriri posse, non videtur refugisse Auicenna libro xv. de Natura animalium capite primo, quam tamen multis rationibus impugnauit Auerroës secundo Metaphysicorum. Sed & nostris temporibus Auicennę opinionem secutus Andreas Cæsalpinus vir subtilissimus, quo ego olim in medicina præceptore vsus sum, Auerrois rationes soluere conatus, quæ Auicennæ fuit renouasse, & multis argumentis comprobare conatus est libro quinto quæstionum Peripateticarum. Porrò Aristoteles ex eorundem Philosophorum opinione, vt existimo, rationem deducens, vnde problematis solutionem colligat, ait iure fieri, vt ad animalium, perfectorum nimirum, generationem, magnæ illæ requirantur mutationes, quæ dictæ sunt; illæ enim mutationes sunt principia rerum ex illis gignendarum, principium autem est maxima pars rei, nimirum dimidium, vt dicitur etiam quinto de Republica capite quarto; mutationes igitur maxima pars sunt rei gignendæ; quæ autem dicuntur de principio, illa eadem intelligenda de semine: est enim hoc principium quoddam; igitur prout se habebunt mutationes, ita etiam se habebunt principia, & semina: at rerum paruarum, vt eorum, quæ non gignuntur ex inuicem semina, & principia sunt parua, principia enim, & ea, quæ ex illis sunt, proportione sibi inuicem respondent. Iure igitur paruæ mutationes, quas Aristoteles appellat τέτε *huius*, nimirum aëris ambientis, quas Theodorus expositoris potiùs, quàm interpretis munere fungens, *huius sæculi*, interpretatus est, possunt semen talium paruorum animalium gignere, illáque procreare, sicuti, & contingit: huiusmodi enim animalium prouentus in mutationibus ipsis apparet, calidi, humidi, sicci, quæ certis quibusdam anni temporibus fiunt: huiusmodi enim mutationes intelligit Aristoteles, vt apparet ex problemate sexagesimo quarto, vbi tempora ipsa nominat, atque etiam quarto de generatione animalium capite vndecimo, quo in loco hanc materiam vberrimè pertractat. Dicit autem ibi, quod in animalibus perfectis, calor ex alimento operatur, id in hisce operari caliditatem stati temporis, quæ in ambiente aëre continetur. Muscarum igitur, culicum, & aliorum plurium, ad æstum mutatione prouentus existit. Salamandra nisi magnis imbribus haud prouenit, ait Plinius libro decimo capite sexagesimo septimo, & mures nisi magna siccitate ait Theophrastus libello περὶ τῶν ἀνέμων φωνομένων ζώων. Idem Plinius libro adducto capite sexagesimo octauo: *Quædam gignuntur ex non genitis, quæcúmque æstas aut ver, statúmque tempus anni generant:* Quibus verbis hanc qualitatum in temporibus mutationem manifestè significauit. Sed & in Ægypto deturgente Nilo, quod stato quodam tempore fit, exiguos mures reperiri inchoato opere genitalis aquæ, terræque, iam parte corporis viuentes, nouissima effigie etiamnum terrena, ait idem Plinius libro nono capite sexagesimo octauo; Etiam post ingentem illam mutationem, quæ accidit ex diluuio, quod sub Deucalione fuit, diuersa animalium genera, quæ numquam visa fuerant, orta esse, constat tum ex aliis, tum ex his Ouidij versibus:

Cætera diuersis tellus animalia formis
Sponte sua peperit, postquàm vetus humor ab igne
Percaluit solis, cœnúmque, vdæq; paludes
Intumuére æstu. ----

τῆς δὲ μείζοσι, μείζονος δεῖ. *maiorum autem genus.* Animalia maiora, & perfectiora cuiusmodi sunt, quæ inuicem generantur, maiores desiderant mutationes, quàm quæ modò in ambiente dictæ sunt, eorum enim semen maius quiddam est, aliásque conditiones, & maiorem apparatum desiderat, si enim non aliud, vt dicitur problemate. LXIV. maius ad eorum generationem tempus desideratur, cùm alia anno, alia decem mensibus perficiantur, sed & elephantem duobus annis vtero gestari, vidimus antea.

XIIII.

Διὰ τί τὰ μὲν πολύτεκνα τῶν ζώων οἷον ὗς, κύων, λαγώς· τὰ δὲ, οἷον ἄνθρωπος, λέων; ἢ ὅτι τὰ μὲν, πολλὰς μήτρας ἢ τόπους ἔχει ἴσους, καὶ πίμπλασθαι ἐπιθυμεῖ, ἢ εἰς ἃ χίζεται ἡ γονή. τὰ δὲ, τοὐναντίον.

Cur animantium alia partu sunt numeroso, vt sus, canis, lepus: alia non, vt homo leo? An quòd alia vuluas, siue vteros cõtinent multos, totidemq; formandi loculamenta, quibus impleri percupiunt, quibúsque semen genitale

diuidendum, inferendúmque eſt: alia contra ſe habent.

Partus animalium, quod pertinet ad numerum prolis, triplex eſt: aliquando enim multi pariuntur, qui vocatur Græcè πολυτοκία, Theodorus vertit, *partus numeroſus*, & tale animal, *multiparum*; aliquando pauci, qui ὀλιγοτοκία, idem Theodorus vertit, *paucifer*, & animal *pauciparum*; aliquando vnum tantùm paritur, quem idem Theodorus vertit *partus ſingularis*, & animal *vniparum*: Hanc diuiſionem habemus libro quarto de generatione animalium capite quarto. Hoc autem loco animalia diuiduntur in multipara, & quæ talia non ſunt, atque cauſſa quæritur diuerſitatis: multipara loco exempli proponuntur ſus, canis, lepus, non talia homo, & leo. Sues multiparæ ſunt, quia pariunt etiam vicenos, vt ſcribitur ſexto de hiſtoria capite decimo octauo: canes itidem: pariunt enim etiam duodecim, vt ſcribitur eodem ſexto capite vigeſimo; vbi adnotandum, quod ibi vertit Theodorus, *parit canis duodecim complurimùm*, accipi, *complurimùm*, quod Græcè eſt τὰ πλείστα, pro eo quod aliter dicitur, *ad ſummum*, vt extremum terminum ſignificet; quod idem Theodorus cùm de ſuibus loqueretur, dixit, *plurimum*, ſi ea ſignificatione aduerbium hoc loco accepit; ſi enim ibi illud acceperit pro eo, quod vulgò dicitur, *vt plurimum*, id eſt ſæpenumero, fallitur omnino; nos autem vertimus, pariunt etiam vicenos; poſſit quoque, vt exiſtimo, pariunt ad vicenos, &, vt plurimos pariunt vicenos; quamquam enim aduerbium τὰ πλείστα, plerumque idem ſignificet, quod ἐπιτοπολύ, id eſt, frequenter, ſeu maiori ex parte, vt etiam vertit Plinius, & adnotant lexica, illis tamen verbis quæ modò adducta ſunt, manifeſtè patet, aliter ſumi, cùm ἐπιτοπολὺ ſubdatur, & idem ſignificare, ac, *ad ſummum*, quo pacto Galenus vſus eſt eodem, ſed numero ſingulari τὸ πλεῖστον, atque etiam ſuperiùs idem Ariſtoteles. Canis igitur multipara eſt, parit enim vt plures, duodecim, maiore ex parte quinque, aut ſex: iam enim & vnum aliqua peperit: Laconicæ verò magna ex parte octo, lepores etiam inter multipara numerantur libro quarto de generatione animalium capite quinto: quæ etiam, & ſuperfœtant, vt ſcribitur libro ſexto de hiſtoria capite trigeſimo tertio, cuius ratio redditur eodem quarto de generatione capite quarto. Hæc de multiparis. Non multipara propoſuit hoc loco, hominem & leonem: de homine quid ſentiret, notum fecit exactiùs libro ſeptimo de hiſtoria animalium capite quarto his verbis: *Multiplex perficiendi tempus, pariendiq; diuerſum homini datum eſt. Et cùm alia ſingulos pariant, alia plures, genus humanum in ancipiti eſt. Nam quod plurimum, & locis plurimis agitur, mulieres ſingulos ſingulæ pariunt: ſed ſæpe & locis pleriſq; geminos etiam, vt in terra quoque Ægypto fieri id certum eſt. Pariunt etiam tres, & quatuor. Et quidem locis nonnullis valde ita fit, quod dictum iam eſt: ſed quinque complurimum naſcuntur. Iam enim hoc pluribus eueniſſe conſpectum eſt. Et quædam viginti, partubus quatuor edidit: quinos enim ſingulis partibus enixa eſt, maiorq; eorum pars enutriri, & adoleſcere potuit.* Hæc de homine: leonem etiam recenſuit hoc loco inter illa quæ plura non pariunt, eſt enim potiùs ex paucifieris, de eo autem ita ſcribit ſexto de hiſtoria capite trigeſimo primo: *Vere parit, & magna parte geminos: ſed cùm plurimos ſex, nonnunquam etiam vnum.* Et paullò poſt de leonibus terræ Syriæ: *Quinquies vita pariunt, primùm quinque, pòſt vno, ſubinde pauciores, deinde ſteriles degunt*; quam rem, cauſſa reddita, iterauit tertio de generatione animalium capite primo, de leonibus vniuerſè, non de Syriacis, ita ſcribens: *Hæc eadem affectio cauſſæ leænæ etiam eſt, vt ſterileſcat: primùm enim quinque, aut ſex parit catulos, tum anno ſequenti quatuor, mox tres, deinde pari modo per annos ſingulos minùs vno, poſtremo nullum.* Atque hæc de numeroſis, partubus, & qui tales non ſunt, eorum animalium, quæ loco exempli Ariſtoteles propoſuit: cauſſam deinde affert. ἢ ὅτι τὰ μὲν πολλὰς μήτρας. *An quòd alia vuluas?* Cauſſam refert tum in locorum aptitudinem, tum in naturalem cupiditatem; animalia dicens, quæ multos pariunt, multas etiam habere matrices ſeu locos, nimirum ſpatiis diſtinctos, quibus fœtus gignuntur, qui loci omnes præ cupiditate naturali repleri deſiderant, quare ſemen trahentes, ſinguli ſingulos diuiſo ſemine concipiunt, adeſt enim habilitas ad diuiſionem, cùm multa ſint loca, aut cellulæ diſtinctæ, adeſt etiam cupiditas, quæ diuiſionem operatur: Quamuis autem omnia exemplaria, quæ viderim, habeant τύπους, legerim libentiùs τόπους ex quarto de generatione animalium capite quarto, ſicuti etiam expoſui, id enim magis videtur quadrare ſenſui: quomodo enim, typus, id eſt, *effigies, ſimulachrum*, aut *ſimilitudo* ſit in vtero? quod enim Theodorus vertit, *formandi loculamenta*, ex ingenio facit, vt eandem lectionem, quam & ipſe habuit, aliquo modo exprimeret, *typus* enim loci ſignificationem minimè continet. Sed & pro ἴσους; quòd Theodorus vertit, *totidem*, Iuſtiniani codex ad oram habet, ἅς, quæ lectio faciliorem exhibet ſenſum hoc modo: *An quoniam alia multas habent matrices, & locos, quos, & repleri deſiderant, & in quos ſemen diuiditur*, ita enim fideliter & verbum verbo reddamus; quod tamen

ſæpius negligit Theodorus: ſi porrò legamus ἴσους, quod Theodorus vertit, *totidem*, hoc ita erit accipiendum, totidem eſſe locos, aut cellulas, quot fœtus progignuntur. Porrò ſciendum eſt, quæſtionem hîc propoſitam de copioſo, & paucifero partu, pluribus agitari libro quarto de generatione animalium capite quarto, ibidemq; aliis cauſſis adductis, tum ſeminis copiam, tum corporis magnitudinem ſpectantibus, hanc de pluribus locis, aut cellulis rationem tanquam nihili explodi his verbis, vt Theodorus vertit: *Semen igitur trahi à locis vteri, atque ob eam rem multa generari pro numero locorum, & acetabulorum, quæ vnum non ſunt, opinari nihili rationis eſt. Sæpe enim eodem in loco vteri gemini conſiſtunt.* Hæc Ariſtoteles. De vtero hominis habuerunt etiam quidam rudiores Anatomici, ſicuti Mondinus, eandem opinionem: Atqui exploſa iam pridem fuit, qui enim gemini concipiuntur, illi non cellulis: ſed membranis propriis diſtinguntur.

XV.

Διὰ τί ἐλάχιστον διάστημα τῶν ὀμμάτων ὁ ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων καὶ μέγεθος; ἢ διότι μάλιστα καὶ φύσιν ἔχει τῶν ἄλλων; ἡ δὲ αἴσθησις φύσει τὸ ἔμπροσθεν. ἐφ' ὃ γὰρ ἡ κίνησις, τοῦτο δεῖ προορᾶν, ὅσῳ δ' ἂν ἦ πλεῖον τὸ διάστημα τῶν ὀμμάτων, τοσούτῳ μᾶλλον αἱ ὄψεις ἔσονται ἐν τῷ πλαγίῳ. εἰ οὖν ἔχειν δεῖ καὶ φύσιν, ὅτι ὀλίγιστον δεῖ τὸ διάστημα εἶναι. ὅταν γὰρ εἰς τὸ πρόσθεν μάλιστα πορεύεται. ἔτι δὲ τοῖς ἄλλοις ζώοις, ὅτι χεῖρας οὐκ ἔχουσιν, ἀναγκαῖον παρορᾶν εἰς τὰ πλάγια. διὸ πλεῖον διεστᾶσι τὰ ὄμματα αὐτῶν, καὶ μάλιστα τῶν τετραπόδων, διὰ τὸ μάλιστα ποιεῖσθαι τὴν πορείαν κύπτοντα.

Cur homo inter animantes oculorum minimum pro ſua magnitudine habet interuallum? An quòd omnium maximè naturali ſolertia homo conſtat. Senſus autem contuendi partem versùs priorem natura poſuit: id enim conſpicere oportet in quod nos ducit ratio mouendi. Quanto autem oculorum plus diſcriminis ſit, tantò magis conſpectus vergent in latus: qui ſi ſecundùm naturam ſedem debeant obtinere, quàm minimum eſſe interuallum certè oportet. Sic enim partem versùs priorem ingredi maximè poſſumus. Ad hæc cæteris animantibus, cùm careant manibus, deſpiciant prorſus in latera, neceſſe eſt: itaque plus eorum oculi diſtant inter ſe ſe, & maximè ouium, eò quòd maximè prono capite ingrediuntur.

Cuius rei hoc problemate rationem quærit, eandem propoſuit libro primo de hiſtoria animalium capite duodecimo eiſdem verbis: τὰ δ' ὄμματα ἐλάχιστον καὶ τὸ μέγεθος διεστηκεν ἀνθρώπου τῶν ζώων. hoc eſt, vt vertit Theodorus; *Diſtant oculi hominis ſibi interuallo, proportione magnitudinis, reſpectu cæterorum animalium minimè.* Illa porrò quibus Ariſtoteles quæſiti rationem reddit, vti ſanè conuertit Theodorus, mirum quàm diſcedant ab Ariſtotelis Græcis verbis, quæ nos quidem legimus. Eſt autem hic Ariſtotelis textus fermè ad verbum: *An quòd homo omnium maximè ſecundùm naturam ſe habet, ſenſus autem ipſe ad anterius natura eſt; ad quam enim partem motio eſt, hanc proſpicere oportet; quantò autem maius ſit oculorum interuallum eò magis ad latera vergit, ipſe conſpectus: ſi igitur ſecundùm naturam ſe habere debet, quàm minimum oportet eſſe interuallum:* Puto tamen Theodorum initio huius dictionis legiſſe ἡ δὲ αἴσθησις τῶν ὀμμάτων, hoc eſt: *Senſus autem oculorum:* ita enim etiam legit antiquus interpres. Atqui eadem ratio eſt. Homo, inquit Ariſtoteles, omnium maximè animantium, ſecundùm naturam ſe habet, hoc eſt ſingulas corporis partes, ita fabrefactas, & locatas habet, vt vſibus, quibus ſunt deſtinatæ maximè poſſint inſeruire; de cæteris animalibus, id minimè negat, ſed hominem aliis præſtare vult: ſenſus autem videndi maximè factus eſt ad ea, & ratione illorum, quæ anterius ſunt: quo enim progredimur, id proſpicere oportet, progredimur autẽ, & mouemur ad anteriora, anteriora igitur proſpiciẽda ſunt: quò autem maius erit oculorum interuallum, magis ad latera erunt illi collocati, & magis quæ ad latera videbuntur, minus autem, quæ ante pedes. Galenus etiam ratione motus, qui in partem anteriorem ſit, oculos fuiſſe in parte anteriori locatos ſcriptum reliquit libro decimo de vſu partium capite primo. ἔτι δὲ τοῖς ἄλλοις. *Ad hæc cæteris.* Aliam affert rationem. Cætera animalia carent manibus, quibus præditus eſt homo: manus autem miniſterium ad multos vſus eſt, de quibus abundè idem Ariſtoteles quarto de partibus animalium capite decimo. Illarum igitur ope, quæ improuisò ex lateribus eidem inimica occurrũt, cùm proxima ſunt, abigere, & euitare poteſt, quæ amica apprehendere: Hoc autem beneficio

ob manuum defectum carent reliqua animalia; neceſſarium igitur fuit, oculos magis ad latera habere collocatos, vt longiùs, quæ ex lateribus adueniunt ſibi noxia, aut commoda proſpicientes, ea longiori tempore commodiùs, aut euitare, aut apprehendere poſſent: ſanè rem probat exemplo maximè ouium, quæ cùm capite maximè prono incedant, illo oculorum interuallo ob vſus dictos maximè indiguerunt.

XVI.

Διὰ τί τὰ ζῶα τὰ μὲν οὐκ ἐξονειρώττει τὰ δ' ὀλιγάκις; πότερον ὅτι ἐδὲν ὕπτιον καθάκειται; ἐξονειρώττει δ' ἐδὲν μὴ ὕπτιον. ἢ ὅτι οὐκ ἐνυπνιάζει τὰ ἄλλα ὁμοίως; ὁ δ' ἐξονειρωγμὸς μετὰ φαντασίας γίνεται.

Cur cæteris animantibus, partim numquàm profuſio ſeminis per ſomnum incidere aſſolet, partim rarò? Vtrum quòd nullum, homine excepto, reſupinum cubare conſueuit. Nullum autem, niſi reſupinum, ſemen profundere poteſt. An quòd cætera non pariter, vt homines ſomniant? Seminis autem per quietem illa profuſio, non niſi cum imaginatione fieri poteſt.

Duas affert cauſſas, quamobrem cætera animantia, alia quidem numquàm, alia rarò in ſeminis effuſionem per quietem incidant, cùm homo ſæpius eam patiatur: alia ducitur ex corporis forma, quia enim homo dorſum habet latum, & planum, poteſt commodè ea parte, & ſupinus cubare, atque verò cubat: huiuſmodi autem cubatio cum caliditatem augeat renibus, & partibus aliis ſeminalibus, facilè genituram mouet, atque effundit: quæ verò haud ſupinè iacent, illis profuſio non contingit; quod frequenter ita euenire intelligendum eſt, ſemine enim vaſis genitalibus admodum repletis, etiam prono corpore profuſionem ſeminis accidere, aliqui iam experti re ipſa ſunt. Altera cauſſa eſt, quòd frequentiùs, quàm alia animalia, ſomniis homo ſtimulatur, vt ſcribit idem Ariſtoteles quarto libro de hiſtoria capite decimo: *Homo maximè animalium ſomniat.* In ſomnis autem fit ſeminis commotio, ob imaginationem à phantaſmatibus inhærentibus, præſertim earum rerum, quas vigilans homo geſſerit, aut cogitârit: quam rem pulchrè expreſſit elegantiſſimis verſibus, vti aſſolet T. Lucretius Carus libro quarto de rerum natura:

Tum, quibus ætatis freta primitus inſinuantur,
Semen vbi ipſa dies membris natura creauit:
Conueniunt ſimulacra foris è corpore quoque
Nuncia præclari vultus, pulchrique coloris:
Qui ciet inritans loca turgida ſemine multo:
Vt quaſi tranſactis ſæpe omnibu' rebu' profundant
Fluminis ingentes fluctus, veſtémque cruentent.

Huc etiam pertinent, quæ leguntur apud Horatium Satyra quinta libri primi:

Hic ego mendacem ſtultiſſimus vſque puellam
Ad mediam noctem expecto: ſomnus tamen aufert,
Intentum veneri: tum immundo ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculant, ventrémque ſupinum.

XVII.

Διὰ τί τῶν ζώων τὰ μὲν κινεῖ τὴν κεφαλὴν, τὰ δ' οὐ κινεῖ; ἢ ὅτι ἔνια οὐκ ἔχει αὐχένα; διὸ ταῦτα οὐ κινεῖ τὴν κεφαλήν.

Cur animalium alia caput moueant, alia non moueant? An quòd quæ collo carent, ea caput mouere nequeunt: nonnulla autem carent collo.

Manifeſta admodum eſt Ariſtotelis ratio: illa animalia non mouere caput, quæ collo carent, caput enim beneficio colli mouetur; illius ſiquidē os cum ſubiectis vertebris committitur, & illis mediis tum dextra, ac ſiniſtra circumagitur, tum ante, & retrò inflectitur. Carent autem collo inter animalia, omnes plerique piſces, nam cùm pulmonem non ha-

beant, collo non indiguerunt, qua de re ita ſcripſit idem Ariſtoteles tertio de partibus animalium capite primo ex Theodori verſione: *Collum capiti ſubiacet ijs, quæ id habent animalibus: non enim omnia habent: ſed ea tantùm, quibus ſunt partes illæ, quarum gratiâ collum conditum eſt; hoc eſt guttur, & quæ gula vocatur. Guttur ſpiritus cauſsâ datum eſt, hoc enim ſpiritum animalia trahunt, & reddunt, & reſpirando, & exſpirando: quamobrem, quæ carent pulmone, collo etiam carent, vt genus piſcium.* Hæc Ariſtoteles, quæ ſimiliter comprobauit, & retulit Galenus octauo de vſu partium capite primo, & vndecimo capite octauo.

XVIII.

Διὰ τί ἄνθρωπος πάρνυται τῶν ζώων μάλιστα; πότερον ὅτι τὰς πόρους εὐρεῖς ἔχει δι' ὧν τὸ πνεῦμα, ἢ ὀσμὴ εἰσέρχεται; τούτοις δὴ πληρωθέντες πνεύματος, πάρνυται· ὅτι δὲ εὐρεῖς, σημεῖον ὅτι ἥκιστα ὀσφραντικὸν τῶν ἄλλων ζώων. ἀκριβέστεροι δὲ οἱ λεπτότεροι. εἰ οὖν εἰς μὲν τὰς εὐρεῖς πλέον καὶ πλεονάκις εἰσέρχεται ὑγρὸν, (ἐξ οὗ πνευματωθὲν, ὁ πάρνυς γίνεται) τούτοις δὴ μάλιστα τῶν ζώων οἱ ἄνθρωποι ἔχουσι πλειστάκις ἂν πεπόρνυντο εἰκότως. ἢ ὅτι ἐλάχιστοι καὶ τὸ μῆκος οἱ μυκτῆρες; ὥστε τὸ θερμανθὲν ὑγρὸν, ταχὺ διώσεται πνεῦμα γίνεσθαι· ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις, διὰ μῆκος καταψύχεται πρότερον.

Cur in animantium genere homo ſternutare maximè ſolet? Vtrum quòd meatus obtinet ampliores, per quos ſpiritus, odórque ſubeunt: his enim ſpiritu repletis ſternuimus. Indicium verò datos eſſe meatus homini laxiores, quòd is olfactu minimè omnium valet. Quò námque arctiores meatus ſunt, eò magis vim obtinent olfaciendi. Quòd ſi in ampliores plus humoris ingrediatur, quo inflato ſternutamentum fieri ſolet: tales autem genus hominum, omnium maximè animantium obtinet, meritò homo ſolus ſternuere ſæpiſſime conſueuit. An quòd homo breuiſſimis naribus eſt, ita vt humor concalfactus celeriter commutari in ſpiritum poſſit, cùm cæteris refrigeſcat præ longitudine, priùs quàm mutetur.

Hæc de ſternutatione quæſtio iteratur hac eadem ſectione problemate LIII. pluribuſque verbis ibidem pertractatur. Multa etiã de ſternutatione affert idem Ariſtoteles ſectione trigeſima tertia in initio. Hoc autem loco quærit, cur homo inter alia animalia maximè ſternutare ſoleat? dicit autem *maximè*, nam & alia animalia ſternutant, non tamen ita frequenter ac homo: huius autem rei cùm aliæ afferantur rationes problemate quinquageſimo tertio; hîc duæ adducuntur deſumptæ ex forma narium: vult enim prima ratione ideo ſæpius ſternuere hominem, quia nares habet, ſeu meatus, quibus ſternutatio fit, quàm alia animalia, latiora, & ampliora: ſecunda autem quia minora & breuiora. Cùm igitur ſternutatio fiat meatibus illis repletis ſpiritu, ſeu flatu; quò iidem ſunt ampliores, commodiùs, & pluri copia replentur; atque hinc ſternutatio frequentior: ſpiritus autem, ſeu flatus gignuntur ex humoribus vi caloris attenuatis, diſſolutis, & in eam ſubſtantiam conuerſis; qui ſpiritus veniunt ad nares, tum ex capite, tum etiam aliquando cum tuſſi ex partibus inferioribus; non enim ex capite ſemper eſt hic ſternutationis motus, vt quidam dicunt: fit etiam aliquando ex humore à capite fluenti; ſi modò ille mordax eſt: at ſi huiuſmodi non ſit, neceſſe eſt, vt in ventum conuertatur, ſicuti ſcribit Galenus ſeptimo aphoriſmorum quinquageſimo primo: Omnino; ad recipiendam materiam ſternutamenti, nares ampliores ſunt magis aptæ: huiuſmodi autem hominum ſunt, quod eo ſigno probat Ariſtoteles, quòd illi olfactu minimùm valeant; huius autem ſenſus præſtantia eſt ob anguſtius ſenſiterij ſpatium. In quibus igitur exquiſitior olfaciendi facultas, illis meatus arctiores, quibus minùs exquiſita laxiores, vt homini; Hunc porrò ſenſum homini non ineſſe admodum exactum, ſed peiorem multis animalibus, ſcribit idem Ariſtoteles libro ſecundo de anima capite nono, ſeu textu nonageſimo primo his verbis: *Cauſſa eſt quòd ſenſum hunc* [olfactus] *non habemus exquiſitum; ſed multis animalibus peiorem; malè enim olfacit homo, nec quidpiam ſentit ex olfactilibus, ſeu moleſtia, aut iucunditate, quippe ſenſiterio non exiſtente perfecto aut exquiſito*: quo in loco hac de re multa dicunt interpretes tũ Græci, tum Latini. ἢ ὅτι ἐλάχιστον. *An quòd homo breuiſſimis naribus.* Altera ratio, itidem ex narium forma deſumpta: homo nares habet admodum breues, quod poſſit probari eodem ſigno, quo latitudinem earundẽ paullò ante probauit: quòd minimè valeat olfactu: tales enim breues nares ſunt, cùm contra quorum nares ſunt porrectæ longiùs, vt catellorum Laconicorum, illæ olfaciendi præſtantia

admodum

admodum polleant, quemadmodum ſcribit idem Ariſtoteles quinto libro de generatione animalium capite ſecundo. Igitur in naribus,quæ breues admodum ſunt, humor ex quo fit ſpiritus, qui ſternutationem ciet,poteſt commodè beneficio caloris eum diſſoluentis in eum ſpiritum verti,& ſternutationem mouere:in aliis quæ ſunt longiores,non ita facilè poteſt;quin præ longitudine partis,humor ibi diutius immorans refrigeretur, nec qui in eo eſt calor, tantum obtinet virium, quantum ad ſpiritum perficiendum deſideratur:nares enim arctiores,& caloris plus continent,quia coactior, & quia minor in eis eſt mora, quæ cùm cartilagineæ ſint, & frigidæ, poſſunt quæ in eis continentur refrigerare. Apparet autem hinc,ſpiritum, qui ſternutationem mouet,in eiſdem naribus fieri, quod ſicuti interdum accidere poteſt, ita etiam ex aliis partibus aliquando ad eas aduenire, ſuperiùs oſtendimus. Alexander idem problema propoſuit libro primo & eſt centeſimum quadrageſimum quartum; quem locum videre potes. ὁ πνεύματος φύσ. *Quo inflato.* Et obſcurè, & minùs Latinè vt puto, interpretatus eſt πνεύματος φύσ. Theodorus, clarè autem,& aptè, *quo in flatum conuerſo.*

XIX.

Διὰ τί ἡ γλῶττα ἀδένος πέφυκε τῶν ζώων; ἢ ὅτι τὸ πῖον, πυκνόν· ἡ δὲ γλῶττα, ἁραιὰ φύσιν ἔχει, ὅπως τὰς χυμὰς γνωρίζῃ.

Cur nullius animalis lingua eſt pinguis? An quoniam pingue vnumquódque denſum eſt. Lingua autem rara ſua naturâ propterea eſt, vt percipere poſſit genera ſaporum.

Lingua eſt noſtri corporis ea pars,quæ ſapores ſentit, ſentit etiam omnia, quæ caro ſentire poteſt, vt durum, calidum, frigidum, ſicuti ſcribit Ariſtoteles libro primo de hiſtoria capite ſexto, ad hunc igitur vſum eam pinguedine carere neceſſe fuit; pinguia enim ſunt denſa, & concreta, pinguedo enim à frigore adſtringente: at denſa non ita commodè percipiunt ſapores, quoniam partes ſunt nimiùm cohærentes, & ſimul adſtrictæ, nec ſaporum vis poteſt ſe illuc inſinuare; eſt igitur ad hunc vſum potiùs rara, & mollis, atque ideo facilè ſubeuntium ſaporum differentias percipiens: præſertim in homine, cui etiam inſeruire debuit ad ſermonis expreſſionem: vnde & quadrupedes, quæ & ſanguinem habent,& animal pariunt,vocem parum explanare poſſunt, quia linguam duram, craſſam, & minimè abſolutam habent, vt ſcribitur ſecundo libro de partibus animalium capite decimo ſeptimo, non tamen pinguem habent, quomodo hîc accipitur, talis enim nulli animali conceditur.

XX.

Διὰ τί τὰ θήλεα σωζόσῃ ἐρεῖ, τὰ δ' ἄῤῥενα ἐ; ἢ ὅτι πορρώτερόν ἐστιν ἡ κύστις ἡ τῶν θηλειῶν, καὶ εἰς βάθος καὶ εἰς μῆκος; μεταξὺ γὰρ αὐτῶν ἡ μήτρα καὶ ἕδρας, καὶ ἡ κύστεως· ὥστε δεῖται βίας πλείονος τὸ ἐκπεμπόμενον, διό γε τὴν ὄπόσασιν ἡ μήτρας. βιάζεται δὲ σωστεῖνον τῷ πνεύματι.

Cur fœminæ intento corpore mingunt, mares minimè? An quòd fœminarum veſica remotiùs, tum profunditate, tum longitudine, ſita eſt: iacet enim vulua earum interiùs ſedem,atque veſicam. Itaque humor emittendus, vim propter ſpatium vuluæ deſiderat pleniorem, quæ per ſpiritum corpore intento acquiritur.

Non de fœminis ſolùm humani generis: ſed de aliorum etiam animalium fœminino ſexu, inquirit hoc loco Ariſtoteles, cur intento corpore mingant, ita enim vertit Theodorus, quod Græcè eſt σωζόσῃ, hoc eſt, contentionis auxilio nixu, & quibuſdam membris adductis, & diſtentis, quemadmodum maribus etiam contingit, ſi duriores fœces ex aluo excerni oporteat. Inquit autem cauſſam eſſe, quòd veſica, vbi continetur vrina, longiùs abeſt,ſiue longitudinem,ſiue profunditatem corporis ſpectes in fœminis,quàm in maribus, à loco vnde è corpore proximè defluit vrina; atque ob eam rem, quod excernitur maiore vi indiget,quippe longiùs diſtans: hanc autem vim adhibet ſpiritus ipſe, à quo & partes intenduntur,& veluti rigidæ fiunt. Contentionem quippe hanc, quæ Græcè σύντασις dicitur,

& ipſi Grammatici, cùm nomen explanant, à ſpiritu etiam inter alias cauſas fieri dicunt: Eſt quippe ſpiritus ad omnes animalium functiones obeundas præcipuum inſtrumentum. Veſicam autem longiùs diſtare, ex ea re docet Ariſtoteles, quòd vterus poſitus eſt inter eandem veſicam, & ſedem, atque occupat ſpatium illud, quo ei cedens veſica longiùs receſſit: id autem ſignificauit illis verbis, Διὰ γε τὴν ἀποσασιν τῆς μήτρας, quod Theodorus vertens, *propter ſpatium vuluæ*, haud omnino expreſſit; dicit enim Ariſtoteles, humor emittendus indiget maiori vi ob receſſum à matrice, nimirũ ob locũ, & ſpatium illud ei cedens.

XXI.

Διὰ τί τῶν ζώων ὅσα μὴ πέτεται, πάντα ἀποβάλλει τὰς χειμερινὰς τρίχας, πλὴν ὑός. καὶ γὰρ κύων ἀποβάλλει, καὶ βοῦς; ἢ ὅτι θερμότατον ὁ ὗς ὄζει, καὶ ὑπὸ θερμῷ πεφύκασιν αἱ τρίχες αὐτῷ· τοιοῦτον γάρ ὄζει τὸ λιπαρόν. τῶν μὲν οὖν ἄλλων, ἢ διὰ τὸ ἀποψύχεσθαι, τὸ ὑγρὸν, ἀποπίπτουσιν, ἢ πέπειν τροφὴν ἐ δυναμένης τῆς οἰκείας θερμότητος, ἢ διὰ τὸ μηδὲν πάσχειν τὴν ὑγρότητα τὴν ἐν αὐτῇ, διὰ τὸ πέπεσθαι καλῶς τὴν τροφὴν, οὐκ ἀποβάλλει τὰς τρίχας. ὁπότε γὰρ ἡ αἰτία τῆς ἀποβολῆς ὄζει, ἱκανὴ ἡ ποότης κωλύσαι. πέφυκε δὲ καὶ ἄνθρωποι, διὰ τὸ πλῆθος, καὶ πυκνότητα τῆς τριχὸς, ἀπαθῆ ὄζειν. ἐ γὰρ ἐγγίνεται ἡ ψύξις εἰς βάθος, ὥστε πῆξαι τὴν ὑγρότητα, ἢ πέψαι κωλύσαι τὴν θερμότητα.

Cur ſues hybernum pilum amittere non ſolent, cùm cæteræ quadrupedes ſoleant? Nam & canes, & boues certè amittere ſolent. An quòd ſus calidiſſimus omnium eſt, partíque calenti corporis eius pili adhærent, quippe cùm pingue tale eſſe neceſſe ſit. Cæteris itáque, vel quia humor refrigeſcit, pili defluunt, vel quia ſuus calor alimentum concoquere non poteſt. Suibus verò non idem incidit, vel quia nihil humor interior affici poteſt, vel quia bene alimentum concoquitur, nam & ſi quando cauſſa, cur defluant, ſit, tamen pinguedo vetare poteſt. Oues, ac homines propter ſui pili tum denſitatem, tum copiam non ita affici pulſu frigoris poſſunt: non enim altiùs refrigerationi ſubire licet, vt poſſit vel humorem gelare, vel calorem à concoquendo ſeuocare.

Quamquam de omnibus quæcúmque non volant animalibus, proponatur vniuersè quæſtio, cur ea ſcilicet per hyemis tempora pilum amittant, non amittat autem ſus? eſſe tamen quibus id non eueniat hominem, & ouem ex eiuſdem problematis verbis patet, quibus illius etiam rei cauſſa declaratur. Theodorus autem, quod nos verbum verbo reddentes diximus: *Quæcumque non volant*, ſenſum potiùs inſecutus tranſtulit, *cæteræ quadrupedes*. In iis igitur pilorum amiſſionis cauſſam quærit hoc loco Ariſtoteles; Nec tamen, etſi non volantes proponantur, eam auibus negari intelligendum eſt, cùm eiſdem illa contingant, ſicuti affirmauit idem Ariſtoteles libro quinto de generatione animalium capite tertio; aues enim, quæ certo tempore ſe abdunt, & latent, pennas amittunt. At de iis, quæ non volant hoc loco quæſtione propoſita, cur ſues hanc pilorum amiſſionem haud patiantur, inquirit, & ait cauſſam eſſe illius animalis caliditatem, quæ inſignis admodum eſt: ex qua fit, vt etiam pili loco calido innaſcantur, cutis námque, cui inhærent, aliis partibus caliditate reſpondet: eſſe autem calidum ſuem, ex eo oſtendit Ariſtoteles, quia pinguis eſt, pingue enim calidum, quod habuimus etiam hoc in libro antea. Cùm igitur aliis animalibus pilus decidat, vel quia humor, qui eos gignit, auget, & nutrit, refrigeratur, & redditur ineptus illis vſibus, eſt enim humor pinguis, & calidus, vt ſcribit idem Ariſtoteles libro quinto de generatione animalium capite tertio, & ex nimia refrigeratione exſiccatur; inſignis námque hoc loco ſupponitur refrigeratio: alioqui enim ab eadem, ſed moderatiori pinguedo gignitur: vel quia proprius, & innatus animalium calor, à temporis frigore debilitatus non poteſt alimentum concoquere, nec is ſanguis aut ea copia gigni, vnde pilis ſuſtinendis poſſit inſeruire; ſuibus nihil tale contingit, nam beneficio caliditatis, quæ in ipſis eſt humiditas, nihil ab externo frigore patitur, & bene alimentum concoquunt. Quamobrem quando etiam adueniat cauſſa, cur pili amittantur, nimirum hybernum frigus, pinguedo eorum ob rationes dictas prohibet. Porrò autem cur homines, & oues eundem pilum non amittant, alia affertur ratio ex pilorum denſitate, & copia deſumpta; hæc enim efficiunt, vt illi à frigore non patiantur, cùm cutim, & carnes ita veſtiant, & mu-

niant;

niant; vt non possit frigus altiùs subire, & humorem, aut refrigerare, aut coctionem impedire, quo facto pilum amitti necesse est. Porrò in expositione sequutus sum Theodori versionem, qui integriorem videtur habuisse scripturam hoc modo. ὡς ἢ διὰ τὸ μηδὲν πάσχειν τὴν ὑγρότητα τὴν ἐν αὐτῷ, ἢ διὰ τὸ πέπεσθαι καλῶς τὴν τροφήν. Theodori etiam tralationis verba extrema hæc: *Vel calorem concoquendo seuocare*, quomodo in omnibus Latinis legebantur, putaui à librario, seu qui formis excusit, fuisse deprauata, cùm Græca, quæ admodum clara sunt, nec exprimerent, nec sensum aliquem idoneum continerent, atque legendum esse, sicuti nos reposuimus, *Vel calorem à concoquendo seuocare*: hæc enim Græca sunt, ἢ πέψαι κωλύσαν τὴν θερμότητα, hoc est, *vel ne concoquat, prohibere calorem.*

XXII.

Διὰ τί τῶν μὲν προβάτων, μαλακώτεραι αἱ τρίχες ἀναφύονται πλώμεναι· τῶν δ' ἀνθρώπων, σκληρότεραι; ἢ ὅτι τῶν μὲν προβάτων ἐκ τῶν ὑπιπλῆς πέφυκασι; διὸ καὶ ἀλύπως ἐκπατῶνται, μυρόπνους δ' ἀρχῆς τῆς τροφῆς ἀφθαρθείσης ἡ ὄσφυς ἐν σαρκὶ· τὰ μὲν οὖν περιττώματα, αἰσιχθέντων, ἐξατμίζει μᾶλλον· τὸ δὲ ἔδεσμον, σαρκὸς οἰκείαν τροφὴν λαμβάνει· σαρξὶ δὴ μαλακῆς, καὶ γλύκεσι τρέφει· αἱ δὲ τῶν ἀνθρώπων τρίχες ἐκ βάθους πέφυκασι, βίᾳ, καὶ μὴ ἀλγηδόνων ἐκπατῶνται· δῆλον δὲ ὑπιπατῶν γὰρ αἷμα. τραυματιζομένων οὖν τῶν τόπων, συμβαίνει αὐτὸν καὶ ἐλθεῖν· διὸ τέλος μὲν συμβαίνει γίνεσθαι τῆς πλωμένοις· ἕως δ' ἂν ἀνίωσι τρίχες, σκληρὰς ἀνίεναι, διὰ τὸ τὴν μὲν τροφὴν τὸ σαρκὸς ἐκλελοιπέναι πᾶσαν τροφὴν ἐκ περιττωμάτων δ' αὖσας γίνεσθαι· σημεῖον δὲ· τῶν μὲν πρὸς μεσημβρίαν πάντων σκληραί εἰσιν αἱ τρίχες, διὰ τὸ, τὸ ἐκτὸς θερμὸν εἰς βάθος διϊκνούμενον, ἐξατμίζειν τὴν πεπτὸν τροφήν· τῶν δὲ ὑπὸ τὰς ἄρκτους, μαλακαὶ τέτυκται γὰρ ὑπιπλῆς μᾶλλον ὄντι τὸ, τὸ αἷμα καὶ οἱ γλυκεῖς χυμοί· διὸ καὶ ὄμορφοί εἰσιν.

Cur ouibus expilatis mollior pilus subnascitur, homini durior? An quòd ouium pili summæ cuti cohærent, euellíque ob eam rem sine vllo possunt labore, cùm initium alimenti integrum maneat, quod carni iunctum est. Meatibus itaque patefactis, excrementa respirare meliùs possunt, vellus enim proprio carnis vescitur alimento. Caro autem molli, dulcíque alitur pabulo. Hominum contra, quòd altiùs pili inhærent per vim, summóque cum dolore euelluntur. Constat id, quandoquidem sanguinem secum detrahunt. Corpore igitur saucio euenit, vt tandem cicatrix obducatur: vnde fit, vt vel finem pili ampliùs promendi faciant, qui euulsi fuerint, vel quandiu præterea promere possint, duri extrudantur, eo quòd omne valens alimentum carnis exhaustum est, nec nisi materia inutili, & superuacua pilus prouenit. Indicium, quòd hominum omnium plagam inhabitantium meridianam, pili duritiem præ se ferunt: quoniam calor exterior altiùs corpus subiens, alimentum concoctum facilè absumat in vaporem: contra, eorum qui sub aquilone incolunt, molles, lasciuíque funduntur, quòd his sanguis, dulcísque sapor per summam potiùs fluitat formam: quamobrem his color quoque hilarior est.

Cur si ouium pili euellantur, non forcipibus præcidantur, vt moris est, molliores eisdem innascantur, contra homini duriores, proponit declarandum. Ait autem loci differentiam, vnde vtrique oriuntur, caussam esse. Ouium enim vellera ortum habent ex cutis superficie, ex quo fit vt euellantur absque dolore, nec alimenti initium, aut fundamentum, qui est sanguis per carnes diffusus subtus cutim vitiari, aut corrumpi ex euulsione contingat; quinimmo ad molliorem pilum producendum beneficio est: aperiuntur enim meatus, vnde excrementa, quæ humorum sunt deterior pars, magis sicca, & terrestria, extra meliùs euaporant, quibus exeuntibus, vellus eodem, quo caro ipsa fruitur alimento, nimirum molli, & dulci, tali enim nutritur caro, pilus itaque eandem retinens naturam, tener & mollis subnascitur: contra homini accidit; quia enim oriuntur eidem ex altiori loco pili, cum dolore velluntur, quod illinc patet, quia secum trahunt sanguinem: quamuis enim extra sanguis non prodeat, rubescit tamen locus ex sanguine de partibus altioribus ad extimiores attracto: facto autem vulnere inducitur cicatrix: vnde pilis euulsis, vel tandem nulli

ampliùs oriuntur; ex cicatrice enim ob duritiem non possunt erumpere pili, vel quandiu proueniunt, duriores gignuntur: nam alimentum illud quo nutritur caro, quódque paullò ante dulce, & molle appellauit, hîc autem appellat alimentarium, & ex quo molles oriuntur pili, exhaustum est: euaporat enim adapertis ex euulsione profundiore, & intimiore loco meatibus, quo in homine pili radicem habent. Illi itaque gignuntur ex excrementis, quæ cùm sint terrestria, dura & sicca, eiusdem generis pilos creant. Apparet autem ex meatuum reseratione omnino contrarium effectum in homine, ac oue gigni, nam in oue excrementa dicuntur extra, & pili ex dulci, ac molli materia progignuntur in corpore: in homine contra absumitur alimentarius humor, & ex excrementis pili creantur. Caussa autem est locorum varietas, quibus pili innascuntur, vt diximus, & apparet ex illis, quæ statim subdit Aristoteles. Pro eo autem quod in Theodori versione legitur: *Vellus enim proprio carius*, scribendum, *vellus autem*, si sensus, & Aristotelis ratio constare debet, & ita Græcè est: τὸ δὲ ἔριον. *valens alimentum.* Suspicatus aliquando sum scripsisse Theodorum *alens*, ita enim propriè, & proximè redderetur Græcum τροφώδη: sed & *valens* accommodatum est, significat enim alimentum bonæ substantiæ, & bene nutriens. σημεῖον δὲ. *Indicium quòd.* Exemplo ex simili ducto probat rationem allatam; homines enim, qui regiones habitant meridionales, capillos habent duros, & siccos ob eandem caussam, nam calor externus, qui insignis est, penitiùs corpora subit, & profundiori corporis loco meatus aperit, ex quo alimentum bene coctum & bonæ substantiæ euaporat: remanent autem excrementa, ex quibus pili fiunt duri, & sicci. In aquiloniis autem locis contrario modo res se habet: nam in iis sanguis, & humores dulces veniunt quidem, & pertingunt ad partes superficiarias, non tamen euaporant, quòd calor sit frigore temperatus: neque enim etiam de extremi frigoris regionibus: accipiendum est Aristotelis dictum. Ex huiusmodi igitur frigore pili molles gignuntur, & boni coloris existunt. Homo igitur hac quidem re cum meridionalibus, ouis autem cum aquilonariis similitudinem gerit. Porrò autem ratione loci, varios esse pilos testatur idem Aristoteles tertio de historia capite decimo his verbis: *Differunt etiam pili iuxta regiones, aut calidiores, aut frigidiores. Hominum enim capilli, qui locos calidiores habitant, duri, qui verò frigidiores, molles.* Eadem etiam distinctiùs Galenus habet libro secundo de temperamentis capite quinto. Cui tamen cum Aristotele de pilorum materia, seu nutrimento, non dixerim omnino conuenire: sed pluribus non sunt hæc in præsentia examinanda. *Per summam potiùs fluitat formam*, Græcè admodum simpliciter: *Magis in superficie est sanguis, & dulcis sapor.*

XXIII.

Διὰ τί αἱ μὲν τῶν προβάτων τρίχες, ὅσῳ ἂν μακρότεραι ὦσι, σκληρότεραι γίνονται· αἱ δὲ τῶν ἀνθρώπων, μαλακώτεραι; ἢ ὅτι ἂν τῶν προβάτων, οἷαν εἰρήκαμεν τροφὴν ἔχουσι, μακρὰν τὴν δρῦν ἀπαρτόμενοι, ἀτροφώτεραί εἰσι, καὶ ῥᾳδίως ἐξ αὐτῶν ἐξατμίζει ὑπὸ τοῦ θερμοῦ ἡ ἐνυπάρχουσα τροφὴ διὰ λεπτότητα; ξηραινόμεναι δή, ξηρότεραι γίνονται· τὸ δὲ ὑγρὸν, μαλακόν· αἱ δὲ τῶν ἀνθρώπων, ἐλάττω μέν, μᾶλλον, δὲ τὴν δρῦν πίπτει· δὲ αὐταῖς μᾶλλον, διὰ τὸ ἐλάττω εἶναι· πεπεμμένη δὲ, μαλακωτέραν ποιεῖ τὴν τρίχα· πάντα γὰρ τὰ πεπεμμένα, τῶν ἀπέπτων μαλακώτερά ἐστιν· ὅτι προσαυξάνεται γὰρ πλείονα ἡ τοῦ ἀνθρώπου θρὶξ, ἢ ἡ τοῦ προβάτου· σημεῖον δὲ· τὰ γὰρ νέα πρόβατα, τῶν παλαιῶν μαλακώτερα ἔχει τὰ ἔρια.

Cur ouium pili eò duriores sunt, quò prolixiores: hominum contra molliores, quo prolixiores? An quòd ouium pili, qui quale diximus, capiunt alimentum, vbi procul se ab suo deduxerunt initio, ieiuniùs vescuntur: & alimentum quod inest vi caloris, facilè pro sua incóctione euaporatur: Itaque siccati duriores redduntur: molle námque humidum est. Hominum verò pili minùs alimenti, sed plus suo initio hauriunt: concoquitur autem pleniùs, quoniam minus est. Concoctum autem pilum efficit molliorem: concocta etenim quæcumque molliora inconcoctis redduntur. Indicium quòd oues recentes vellera molliora gerunt, quàm vetulæ: copia námque excrementi pilum & ouis, & hominis procreat.

Ex alimenti qualitate, vnde nutritur pilus, pendet huius problematis solutio: Appello nutritionem cum Aristotele pili incrementum, illam nimirum materiei, seu alimenti ap-

poſitionem, vnde pilus augetur: hanc autem materiem plùs, aut minùs, hîc aut illic eſſe coctam nec negârint ipſi Galenici. Igitur huiuſmodi alimentum, vnde ouium pili, dulce, & molle eſt, ſicuti dixit proximo problemate: ex eo fit, vt quo longiùs diſcedit à proprio initio, vt in extremis pilorum partibus externis, ſiccior euadat: minúſque eo vellera frui poſſint; à calore enim qui illius alimenti, ſeu humiditatis perpetuus comes eſt, euaporando abſumitur, quod facile factu eſt, cùm ſit humiditas illa dulcis, mollis, & bene cocta, quæque promptè euaporet, & abſumatur: abſumpta autem, & reſoluta humiditate, duriores redduntur capilli. Humidum enim molle, ſiccum autem durum. Hîc autem adnotandum nos locum expoſuiſſe iuxta lectionem Græcorum codicum, δι' ὑπερβολὴν, cùm Theodorus contrario prorſus modo conuerterit, *pro ſua incoctione*, qui videtur legiſſe δι' ἀπεψίαν. At ſenſus qui ea lectione admodum planus videtur, hac vix magna adhibita vi, totóque loco alterato eliciatur. αἱ δὲ τῶν ἀνθρώπων. *Hominum verò pili.* Altera problematis pars, qua in homine oſtendit ex alimenti itidem qualitate contingere illum effectum; ex mollitie nimirum, qua alimentum initio deſtitutum, acquirit cùm producitur capillus; alimentum enim, ſeu humiditas, qua in homine capilli fiunt, generatim minor eſt ea, qua fiunt ouium vellera, hæc enim dulcis, pinguis, vber, & exundans, hominis autem ſicca ſquallens, & excrementitia: Atqui tamen hæc eadem, maior eſt capillorum initio, quàm ipſis productis, cùm cruda excrementa initio abundent: at quò illa minor eſt, meliùs concoquitur, quod enim minus eſt, ab eodem calore meliùs concoquitur, eo quod plus eſt: at dum producitur capillus, minuitur aſſiduè, meliùs igitur concoquitur, concocta autem, pro ſua qualitate molliorem efficit capillum, omnia enim concocta inconcoctis ſunt molliora. Id autem minimè exiſtimandum eſt aduerſari illis, quæ paullò ante dicta ſunt de auium pilis, quorum materia, quò plus extendebatur, ſiccior euadebat; nam pro materiei varietate, & pro varietate termini actionis caloris, vterque poteſt contingere effectus. In mollem materiem, qualis ponebatur ſuperiùs alimentum velleris ouium, ſi plus, quàm par ſit, calor agat; reddet ſicciorem, & duriorem, at in excrementa, quæ dura, cruda, & difficilè coctilia ſunt, de quibus hîc agitur, quò plus calor aget, eo reddet molliora: neque is accipi debet hoc loco calor, aut tanta caloris actio, vt emollitis excrementis, quæ dura erant, illa ad exſiccationem perducat. Porrò autem concocta inconcoctis eſſe molliora, eo ſigno oſtendit Ariſtoteles, quòd oues iuniores vellera molliora gerunt, quàm ætate ſeniores, in iunioribus enim ratione validioris caliditatis, melior fit concoctio excrementorum illorum, & illius materiæ, ex qua tum in homine, tum in oue pili gignuntur. Ita ſanè hanc problematis extremam partem expoſui, ſequutus tralationem Theodori, quæ ſatis quidem plana eſt: at admodum diuerſa à lectione Græca euulgata; illa enim verba: σημεῖον δὲ τὰ μὲν νέα προβατα τῶν παλαιῶν μαλακώτερα ἔχει τὰ ἔρια. quæ Theodorus vertit: *Indicium quòd oues recentes vellera molliora gerunt, quàm vetulæ*, Theodorus antepoſuit illis ὅτι προσπίπτει μᾶλλον μὲν πλείω ἡ τῶν ἀνθρώπων θρὶξ, ἡ ἡ τῶν προβάτων, quæ Theodorus vertit: *Copia námque excrementi pilum & ouis, & hominis procreat.* At hęc præter diuerſam, & præpoſteram collocationem, etiam multùm ſenſu differunt à Græcis allatis, quæ ita ſonant: *Ex pluri enim excremento fit hominis capillus, quàm ouis:* vt totus locus ſicuti ſanè Græca ſe habent, ita ſit conuertendus: *Concocta etenim, quæq; molliora inconcoctis redduntur: ex pluri námque excremento hominis, quàm ouis pilus conſiſtit. Indicium quòd oues iuuenculæ, vellera molliora gerunt, quàm vetulæ.* Hoc autem modo ſi legamus, quemadmodum etiam legiſſe antiquum interpretem apparet, obſcurior ſanè locus eſt, nec adeò commodè ſenſus inde elici poteſt: ita tamen eum exponerem. Concocta etenim quæque, molliora inconcoctis redduntur, pili autem hominum, quò producuntur magis, eò magis illorum materia coquitur, nam hominum pili ex pluri excremento conſtant, id eſt, ex materia, quæ plus excrementi continet, quàm ouium: hoc autem excrementum, dum producuntur capilli, minuitur, & ideo meliùs coquitur; non itidem in ouibus, cùm minus excrementi illa materia contineat, puriórque ſit, & ob eam diuerſitatem caloris actio diuerſum gignit effectum. Ex pluri autem excremento, hominum pilos conſtare, quàm ouium, ſignum eſt, quòd oues iuuenculæ, quia minus excrementorum habent, quippe quæ valido calore præditæ, ea concoquunt, lanam gerunt molliorem, vetulæ contra; homo autem hac quidem re, vetulæ oui ſimilis eſt.

XXIV.

Διὰ τί οἱ ἄνθρωποι καὶ οἱ ὄρνιθες οἱ δασεῖς, λάγνοι εἰσὶν; ἢ ὅτι θερμοὶ καὶ ὑγροὶ τὴν φύσιν εἰσὶ; δεῖ δὲ ἀμφοῖν πρὸς τὴν ὀχείαν· τὸ μὲν γὰρ θερμὸν, ἐπικίνει· τὸ δὲ ὑγρὸν, ἐπικίνει)· διὰ τὸ αὐτὸ δὲ, καὶ οἱ

χωλοῖ

χολοῖ ἄνδρες· ἢ ὅτι τροφὴ αὐτοῖς ὀλίγη μὲ κάτω ἀφικνεῖται, διὰ τὴν ἀναπνοίαν τῶν σκελῶν εἰς δὲ τὸν ἐπάνω τόπον ἔρχεται πολλή, καὶ εἰς σπέρμα συγκρίνεται.

Cur hirti homines,& aues, veneris ſunt auidiores? An quòd naturâ humida, & calida ſunt, qua quidem vtraque qualitate opus ad coitum eſt: calor enim excernit,humor excernitur. Hæc eadem ratio eſt, cur etiam claudi homines ſint ſalaciores: his enim vt parum alimenti deorſum,propter crurium vitiationem labitur,ſic multum loca petit ſuperiora, ſeq; in ſemen conuertit.

Hæc eadem quæſtio propoſita etiam fuit ſuperiùs ſegmento quarto problemate trigeſimo ſecundo, ibidémque copioſiùs ab Ariſtotele pertractata: nec ad eam quicquam nobis addendum eſt hoc loco.

XXV.

Διὰ τί ὁ ἄνθρωπος χαίτην οὐκ ἔχει; ἢ ὅτι πώγωνα ἔχει· ὥστε ἐπεὶ ἀπελθοῦσα τροφὴ ἡ περίττης ἀφελήσεως, εἰς τὰς σιαγόνας ἔρχεται.

Cur homini nulla iuba data à natura eſt? An quoniam barba data eſt: ergo quod excrementitium alimentum cæteris animantibus in ceruicem ſe confert, id homini maxillas adire ſolitum eſt.

Iubam ſeu χαίτην propriè accipit hoc loco Ariſtoteles, nimirum in collo exorti & promiſſi crines, quales leoni mari,& equo; quum tamen equini ab Ariſtotele libro ſecundo de partibus animalium vocentur potiùs, λοφιὰ. Dicitur tamen eadem χαίτη de homine etiam, nimirum comam, aut cæſariem ſignificante voce, quod & ait Ruphus, & eo modo vtitur Homerus Iliados χ.

—ἄμφι δὲ χαῖται
Κυάνεαι πίμπλαντο. Id eſt.

Cæruleæ comæ implebantur puluere. Ariſtoteles autem, qui propriè in collo oriuntur crines, hoc loco nomine χαίτης intelligens,cur eos non gerant homines, nec illi in collo innaſcantur, eam eſſe cauſſam dicit quòd innaſcuntur mento, & barbam conſtituunt: materies igitur illa quæ in quibuſdam animalibus ad collum ratione iubæ demandatur, in homine demandatur ad mentum, & maxillas; ſolet enim natura vbique, quod aliunde dempſerit, reddere ad partem aliam, ſicuti teſtatur idem Ariſtoteles ſecundo de partibus capite decimo quarto: quod verò ad vnam partem deſtinatur, illius defectum ſentiunt proximæ, ſicuti in cornigeris vſuuenit,quorum nullum vtrinque dentatum eſt: ſupernè enim primores dentes non habent, quippe cùm natura hinc adimendo, addiderit cornibus: & alimentum quod in eos dentes digeratur, in cornuum incremẽtum abſumitur: ſicuti ſcribit idem Ariſtoteles tertio libro de partibus animalium capite ſecundo. Porrò autem ex pilis alios à natura ex neceſſitate eſſe factos,alios munimenti cauſſa,teſtatus eſt idem Ariſtoteles, loco quem paullò ante citaui,ſecundo de partibus capite decimo quarto.

XXVI.

Διὰ τί πάντα τὰ ζῶα ἀρτίους τοὺς πόδας ἔχει; ἢ ὅτι οὐκ ἐνδέχεται κινεῖσθαι, μὴ ἑστηκότος τινὸς, ἂν μὴ ἄλλην; ἐπεὶ τοίνυν ἐκ δυοῖν τινοῖν κίνησιν ἀνάγκη τὴν πορείαν εἶναι, ἔκ τε κινήσεως καὶ στάσεως· ταῦτα δὲ δύο, καὶ ἄρτια ἤδη· καὶ τετράποδα, διότι πλείους. τοὺς μὲν δὴ δύο κινεῖ, οἱ δὲ δύο ἑστήκασι. καὶ οἱ ἑξῆς καὶ τὰ ἄλλα δὲ δύο ἐπὶ τέτταρσι τὸ μὲν, κινεῖται· τὸ δὲ, ἕστηκε.

Cur pedes animalia pares habeant? An quòd fieri non poteſt, vt aliquid moueatur, niſi parte aliqua ſui conſiſtat, dummodo non proſiliat. Cùm igitur ex duobus illis, motu, & ſtatu confici ingreſſum, neceſſum ſit, paritatis iam inde ratio patet: bipes enim altero pede mouetur, altero ſtat: & quadrupes quoque cùm duobus mouetur, reliquis duobus innititur. Paríque modo de cæteris, quæ vel ſenis, vel etiam numeroſioribus pedibus ingrediuntur, animaduertere licet.

Hæc

Hæc de animalium pedibus vtrinque ſibi pari numero reſpondentibus, dicta etiam ſunt ab eodem Ariſtotele primo de hiſtoria capite quinto his verbis: *Et quæ obtinent pedes aut binos habent vt homines, atque aues. Duo hæc tantummodo genera: aut quaternos vt lacerti, vt canes: aut plures vt centipedes & apes; verùm quæcúmque ambulant, omnia pedes pari numero poſsident.* Vberiùs autem ab eodem Ariſtotele pertractata in libro de animalium inceſſu capite octauo; quæ verba, quoniam Ariſtotelis ſententiam adhuc planiùs explicant, huc afferenda exiſtimaui ex Theodori tralatione: *Omne autem pedeſtre animal pares neceſſariò habet pedes. Quæcúmque enim ſolo ſaltu, eam quæ per locum eſt, faciunt mutationem, nihil ſanè pedibus ad huiuſmodi indigent motum. Quæcúmque verò ſaltu quidem vtuntur, ipſis autem is ſufficiens, ſed progreſſu etiam indigent, certum eſt, quod ijs quidem melius, illis verò impoſsibile penitus progredi, quoniam omne animal pares habere pedes neceſſe eſt. Cùm enim talis per partes ſit mutatio, & non toto ſimul corpore, vt eſt ſaltus: neceſſe eſt has quidem commutatis pedibus mouere, illas verò moueri, & oppoſitis vtrinque horum præſtare, commutans à motis partibus pondus ad illas quæ permanent. Quam ob rem neque tribus vtens, neque vno, vllum ingredi poteſt animal. Hoc enim nullum penitus habet fulcrum, quo corporis ſuſtineat pondus: illud verò in altera oppoſitionum laborat, quare neceſſe eſt, ipſum ita ſe mouere tentans, ruere. Quæcúmque autem ſunt multipeda vt ſcolopendræ, hæc certè imparibus progredi poſſunt pedibus, quemadmodum moueri conſpiciuntur, ſi illorum quiſpiam vnum decurtauerit pedem: quoniam contraſtantium multitudini pedum, illorum frequentia qui in alia ſtant parte, ſuccurritur. Fit enim in illis vt mutilati membri tractus ab alijs, & non progreſsio. Attamen manifeſtum eſt, quòd melius iſthæc ipſa mutationem efficerent, ſi pares haberent pedes, nullóq; deficiente contra ſe ſtantes omnes haberent pedes. Ita enim magis æquari poterit pondus, neque in alteram partem declinare, ſi contra ſe ſtantia habuerint fulcra, nullumq; oppoſitorum vacuum locum. Procedit autem ab vtraque ſui parte alternatim id quod ingreditur: ita enim ad eum qui in principio fuit ſitum, fit reſtitutio.* Hæc Ariſtoteles. ἂν μὴ ἅλλητας. *Dummodo non proſiliant.* Qui enim ſaliunt cùm toto ſeſe ſimul corpore, non per partes moueant, non egent aliqua parte, quæ ſtet: indigent tamen aliquo quo ſuſtententur, quod tamen ſtare propriè dici non poſſit, vt hîc accipitur; Et partes etiam eorundem ſalientium, alteræ alteris, ſuperiores inferioribus innituntur; vt in ſaltu hominis, exempli loco, tellus eſt neceſſaria, quæ pedes ſuſtentat, ſed & femur tibiæ, tibia talo innititur, quod oſtendit idem Ariſtoteles libro de animalium inceſſu capite tertio his verbis ex Theodori tralatione: *Animalium profectò quæcumq; loco mouentur, alia quidem toto ſimul corpore mouentur, vt illa quæ ſaltu locum mutant: alia verò per partes vt quæcumq; progreſsionibus vtuntur, in vtrisque autem huiuſmodi mutationibus, ſemper mutatur id quod mouetur inniſum ad id quod illi ſubiacet. Quamobrem ſiue id citiùs dilabatur quàm vt inniti poſsit id quod ſuper eum mouetur: ſiue nullum omnino motis præbeat firmamentum, nihil ſuper illud ſe ipſum mouere poterit. Etenim quod ſaltu mouetur, & ad ſe ipſum quod ſupra eſt inniſum, & ad id quod pedibus ſubiacet, ſaltum planè facit. Reniſus enim quoſdam ad ſe inuicem habent partes in ipſis flexuris, & omnino ad depreſſum id quod deprimit.* ἔκ τε κινήσεως καὶ στάσεως. *Motu & ſtatu confici ingreſſum neceſſe eſt.* Sectione quinta problemate trigeſimo nono dixit ἐκ ἄρσεως καὶ θέσεως conſtare ingreſſum, hoc eſt *attollentia & poſitione* vt tranſtulit Theodorus: eſt autem attollentia, quam hîc appellat *motionem*, & poſitio quam hîc *ſtatum*. In libro etiam de communi animalium motu capite primo, de eadem re ita ſcripſit, vt vertit Leonicus: *Etenim in ijs manifeſtum eſt, non poſſe quicquam moueri, niſi aliquid quieſcat. Ac primùm quidem in animalibus. Oportet námque ſi aliqua mouetur pars, quieſcere quippiam, & hanc ob cauſſam articulorum flexus animalibus inſunt.* παῦλα ἢ δύο. *Paritatis iam inde ratio patet.* Quæ hinc ad finem problematis ſequuntur, ea omnia, alia ſunt in Theodori tralatione, ac in Græcis excuſis exemplaribus. Puto autem Theodorum, niſi aliam habuit lectionem cui inhæſerit, cùm in deprauatum admodum locum incidiſſet, nec commodus aliquis elici è verbis, vt ſcripta erant, ſenſus poſſet, ea ex ingenio ſuppleuiſſe, quæ propoſitæ rei quadrare viſa ſunt; ſicuti autem neceſſitatem excuſo, & ingenium laudo, ita ſunt quibus omnino haud acquieſcam: nam quòd ait, paríque modo de cæteris quæ vel ſenis, vel etiam numeroſioribus pedibus ingrediuntur; ſuſpecta ſententia eſt; nam nullum eſt ſanguine præditum animal, quod pluribus quàm quatuor ingrediatur pedibus, teſte eodem Ariſtotele libro de animalium inceſſu capite octauo: Quid igitur illa nominat Theodorus, quæ ſenis pedibus mouentur? illa autem quæ numeroſioribus mouentur pedibus, ſicuti ſcolopendræ, non puto ab Ariſtotele fuiſſe hoc problemate comprehenſa; in illis enim nec pedum paritas requiritur neceſſariò ad progreſſionem, licèt eadem maximè illi inſeruiat. Puto igitur potiùs Ariſtotelem dixiſſe, neceſſariò eſſe pedes pares, vtrinque ſibi reſpondentes, ſiue duo illi ſint, ſiue

quatuor, idque non minùs desiderari, vbi etiam sex essent, aut plures, ratione enim colligitur necessariam esse in illis paritatem.

XXVII.

Διὰ τί τοῖς μὲ ἵπποις, καὶ τοῖς ὄνοις ἐκ τῶ ἀλῶν φύονται τρίχες, τοῖς δ' ἀνθρώποις ὰ; ἢ διότι τοῖς μὲ ἄλλοις ζώοις ὅτι, τὸ δέρμα μέρος τ σαρκὸς, ἀνθρώπῳ δ' καθάπ τὸ πάθος σαρκὸς; δοκεῖ γὰ αὐτοῖς τὸ ὑπόπολης καλούμενον τρεφώτερον γίνεσθ· καθάπ τῶν ἐφθῶν ἀλύρων αἱ γραῖαι καλύμμυαι. ἐπεὶ οὖ κἀκείναι εἰσὶν ἄλυρον ἐφθὸν, ἢ τὸ τῦ ἀνθρώπε καλύμμυον δέρμα, σὰρξ ἂν εἴη. τραυματισθέντος δ', ἢ τριβέντος, ἀνθρώπε μὲ τὼ σάρκα συμβαίνει πυκνοῦσθ· διὸ ἠλλοιωμένης τ ὑπολῆς σαρκὸς, ὲ τὼ αὐτὼ φύσιν λαμβάνει τὰ τραύματα, ἅπερ κ ἐκ γλυκέος. ἀλλοιωθείσης δ' αὐτῆς μὴ γίνεσθ ἐπ τὸ ἐξ αὐτῆς, ἔθεν ἄτοπον, καθάπ κ ἐκ τῶν ἀλφιτικῶν καλεμένων. καὶ γὰ αὖται τ ὑπόπολης σαρκὸς φθοραὶ καὶ ἀλλοιώσεις εἰσίν. τῶν δ' ὑποζυγίων τριβέντων κ ὑγιαζομένων, πάλιν ἀναπληροῦται τὸ νενοσηκὸς μέρη ἐ σώματ. τῶν αὐτῶν μὲ, ἀσθενεστέρων δ' ἢ ἐξ ἀρχῆς ὢ. ἐπεὶ δ' ὅτι κ τὸ δέρμα μέρος ἀυτῶν, γίνοιντό τε ἂν καὶ φύοιντο τρίχες. ἐκ δέρματος γὰ φύονται τρίχες, λευκαὶ δ' φύονται, διὸ τὸ, τὸ δέρμα ἀσθενέστερον γεγονέναι ὲ ἐξ ἀρχῆς, κ τὼ λευκὼ ἀσθενεστάτω ἔδ τρίχα.

Cur equis & asinis pili è cicatrice promere sese possunt, hominibus autem non possunt? An quòd cæteris animalibus tergus pars per se corporis est: hominis autem cutis veluti affectus carnis exultat, quippe quæ summa illis forma refrigente, solidiuscula existere videatur: quemadmodum crustæ in pulte superducuntur, quas vetulas appellamus. Cùm itaque illæ non nisi farina elixa sint, hominis quoque cutis nominata, non nisi caro putanda est. Vbi igitur hæc vel vulnus acceperit, vel attrita fuerit, incidit vt hominis quidem caro condensetur. Quam ob rem summa corporis parte immutata, vulnus non eandem compagem capit, qua corpus iam inde ab ortu naturæ extitit; cùm itaque hæc immutata sit, nihil profectò absurdum fuerit, si ex ea non idem præterea proficiscatur: sicut in areis quoque appellatis licet percipere: nam illas etiam corporis summi corruptionem, immutationémque esse nouimus. At iumentis attritis, vbi ad sanitatem redierunt, partes vitiatæ, corporibus denuò eisdem replentur, quanquam debilioribus, quàm principio fuerint. Sed cùm etiam cutis eorum pars sit, confici pili, proueniréque possunt: cute námque pilos enasci certum est: sed candidi propterea oriuntur, quoniam vt secunda hæc cutis imbecillior, quàm prima est, sic pilus candidus ille imbecillimus exit.

Tribus in locis hanc eandem quæstionem proposuit Aristoteles, primùm sectione nona problemate decimo tertio, qua ex parte ad hominum cicatrices pertinet; iterum hoc in loco; tertiò hoc ipsum problema paullò post hac eadem sectione; variasque vt videre licet, eiusdem attulit solutiones. Quam affert hoc loco, ea tota pendet à diuersitate cutis, quæ alia est, & variè affecta in homine ac in equo & asino: in his enim est pars carnis, in homine, non pars, sed tanquam passio, aut morbus. Dicit autem, tanquam morbus, quia verè morbus non est, particula enim illa καθάπ, *tanquam*, ex eis est, quæ exactam rei formam negantes, similitudinem potiùs indicant: est igitur caro, non ægrotans, sed aliquid tantùmmodo iam passa; quod probat; videtur enim cutis in homine esse superficies corporis refrigerata, atque indurata, non secus ac crusta, quæ pulti superinducitur, quæ ratione ambientis frigoris durior quàm aliæ partes euadat: Quemadmodum igitur hæc dicitur farina elixa, aut puls, licèt varia à reliquo corpore, eodem modo cutis dicatur caro, hoc est caro passa, & immutata. Vulnerato igitur homine aut contuso, seu attrito, in sanatione carnem densari contingit, eadem autem specie gignitur, quæ antea fuit, sicuti Galenus affirmat tertio libro de methodo medendi capite quinto: quæ autem in superficie corporis est, nimirum cutis, immutatur: cutis enim talis omnino, qualis erat quæ periit, prorsus restitui non potest, teste eodem Galeno loco quem paullò ante adduximus: imbecillam autem admodum suapte natura esse hominis cutim, scripsit etiam idem Aristoteles libro quinto de generatione animalium ca-

pite quinto:hac autem immutata,vulnera ipſa ſeu partes vulneratæ non eam ampliùs accipere naturam poſſunt, quam ab ortu naturæ habuerunt: ex illis igitur id non ampliùs gigni quod antea gignebatur, nihil abſurdi eſt: quam rem probat exemplo illius vitij quod ἀλωπεκία dicitur, Latinè *area*, ac fit ob prauorum humorum redundantiam,qui ita corporis ſuperficiem,id eſt, cutim ipſam corrumpunt, & immutant,vt capilli primùm colore immutentur, poſtmodum autem defluant, nudúſque fiat locus & glaber, ſicuti & Galenus & alij poſt ipſum medici variis in locis memoriæ mandârũt.In iumentis autẽ quum vulnerantur, non ita ſe res habet; in ſanatione enim partes corporis malè affectæ replentur eiſdem, quibus antea repletæ erant, licèt imbecillioribus; neceſſe enim omnino eſt, vt ex vulnere imbecillitatem etiam ſubiugalia acquirant, non eam tamen quam homo. Quoniam igitur in his,vt dicebatur,cutis eſt carnis pars, reſtituitur & ipſa, licèt debilior quàm antea, & idcirco ex illa poſſunt oriri pili, quum ex cute naturâ oriantur,non tamen eodem colore quo antea erant prædíti oriuntur, ſed albi:quia vt præ vulnere debilitata eſt cutis magis, quàm antea, ita omnium debiliores oriuntur pili, hi autem albi ſunt,debilitatem enim oſtendit hic color,vt etiam ex canitie apparet.Vnde & de equis dixit Virgilius in Georgicis:

--- Color deterrimus albis.

Nonnulla etiam ad Theodori tralationem obſeruanda: ille enim nimiùm ſæpe ab Ariſtotelis verbis ita diſcedit, vt qui Græca non conſulat, in alium facilè poſſit incidere ſenſum,quàm qui fuit Ariſtotelis manifeſtò.*cæteris animantibus tergus pars per ſe corporis eſt,hominis autẽ cutis,veluti affectus carnis exſultat,quippe quæ sũma illius forma refrigente,ſolidiuſcula exiſtere videatur,quemadmodũ cruſtæ in pulte ſuperducuntur, quas vetulas appellamus. Cùm itaque illæ non niſi farina elixa ſint,hominis quoque cutis nominata, non niſi caro putanda eſt.Vbi igitur hæc vel vulnus acceperit,vel attrita fuerit, incidit vt hominis quidem caro condenſetur, quamobrem ſumma corporis parte immutata, vulnus non eandem compagem capit, qua corpus iam inde ab ortu naturæ extitit.* His verbis videtur Theodorus,animalium tergus ſeparatã quandam partẽ facere, & admodum ab eorundẽ carne diſtinctã, ac plus quàm cutim in homine ab hominis carne:id autem ſecus eſt,contrarioq; ſenſu,vt apparuit,tota problematis ſolutio nititur, verbáque illa, *per ſe*, à Theodoro addita ſunt:ita enim Ariſtotelis verba ſonant: *Cæteris animalibus cutis* (aut tergus,aut corium,id enim nihil interſit hoc loco)*pars carnis eſt, homini autem veluti paſſio carnis, apparet enim, in ipſis, quod in ſuperficie eſt refrigeratum durius euaſiſſe,non ſecus ac in elixis farinis, quæ vetulæ appellantur. Quoniam igitur illæ, & farina elixa ſunt* (hoc tamen loco libentiùs legerim ὡς, quàm ὅτι,vt ita locus vertatur) *quemadmodum igitur illæ &c.* (quem ſenſum etiam in expoſitione ſecutus ſum) *hominis etiam appellata cutis, caro vtique ſit. Vulnerato autem ſiue contuſo homine, carnem ſanè ipſius ſpiſſari contingit: vnde carnis ſuperficie immutata;non eandem naturam vulnera ſumunt,quam ab ortu naturæ.*

XXVIII.

Διὰ τί ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις ζώοις σῴζεται ὁμοίως τὰ δίδυμα θήλεα καὶ ἄρσενα ὄντα· ἐν δὲ τοῖς ἀνθρώποις, ἔστιν ἢ διότι ἀδύνατα μάλιστα τὰ δίδυμα· μονοτόκον γάρ ἐστιν· ἐν δὲ τοῖς διδύμοις παρὰ φύσιν τὸ θῆλυ γίνεται ἢ ἄρρεν· ὥστε ὃ μάλιστά ἐστι παρὰ φύσιν, τοῦτο ἀδυνατώτατον.

Cur in animalium cæterorum genere ſeruari æquè gemini poſſunt, quanquam ſexus ſunt vtriúſque, in hominum autem non poſſunt? An quòd homini maximè partus geminatio contra ſuæ naturæ legem accidit: ſingulos enim parere ſancitum eſt, tum in geminis ipſis marem, ac fœminam creari natura omnino recuſat. Ergo quòd maximè contra naturam eſt, id & imbecillum eſſe ratio poſtulat.

Quæ hîc proponuntur, illa etiam ſcripta ſunt ab eodem Ariſtotele libro ſeptimo de hiſtoria animalium capite quarto his verbis, vt idem Theodorus vertit: *Et cùm in cæteris animalibus gemini nati, etiamſi mas & fœmina ſint, nihilominùs enutriantur, ſeruentúrque, quàm ſi mares ambo, aut fœminæ ſint, in genere certè humano, pauci gemini ſeruantur, ſi alter mas ſit, alter fœmina.* Huius autem effectus cauſſam tradidit tum hoc loco, tum etiam quarto de generatione animalium capite ſexto. Dicit autem hoc loco, cauſſam eſſe cur non ſeruentur gemini, maximam fœtuum imbecillitatem, quæ duabus rationibus prouenit: prima quia præter naturæ legem eſt, vt fœmina duos concipiat; eſt enim fœmina ſua naturâ vni-

para; qua de re ſuperiùs problemate decimo ſexto: Altera quia in geminatione ipſa marem & fœminam gigni magis præter naturæ ordinem eſt, quàm aut ambos mares, aut ambas fœminas, quia nimirum natura conditionéſque alterius, ab alterius natura & conditione differunt, nec legibus naturæ poſſit vtrique ſimul officium præſtari, vnde debilibus admodum vtríſque redditis, rarò ſeruantur. Hanc autem rationem, pleniùs explicat idem Ariſtoteles quarto de generatione animal. cap. 6. nam cùm dixiſſet, quòd in hominibus longè mas à fœmina diſtat calore naturæ, ſubdit: *Hæc eadem cauſa eſt, ne fœminæ ſimiliter atque mares perficiantur in genere hominum, quippe cùm & intra parentem fœmina tempore longiore perficiatur, quàm mas, & vbi in lucem venerint, celeriùs fœminæ, quàm mares perficiantur; nam & pubes & vigor, & ſenectus fœminis priùs venit, quàm maribus: ſunt enim fœminæ ſua naturâ debiliores, frigidioréſque, & ſexum fœmineum, quaſi læſionem naturalem, & detrimentum eſſe putandum eſt. Intus igitur tardè præ ſua frigiditate diſcernuntur; hæc etenim diſcretio concoctio eſt: calor autem concoquit, & quod calidius, id concoctu facilius eſt: ſed foris propter ſuam debilitatem, citò ad ætatis florem, ſenectutémque perueniunt: etenim omnia minora, vt in artis operibus, ſic in naturæ citiùs ad finem deueniunt. Eadem cauſſa eſt, vt qui gemini mas & fœmina in genere hominum prodeunt, minùs ſeruentur, cùm in cæteris animalibus nihilo referat: hominibus enim hic concurſus præter naturam eſt, cùm non pari tempore mas & fœmina diſcernantur: ſed aut marem cunctari, aut fœminam præuenire neceſſe eſt: at in cæteris id non præter naturam eſt.* Ex his verbis patet, quomodo in homine ſit præter naturam geminus partus maris & fœminæ, non ita in cæteris animantibus: quòd ſi contingat aliquando partum incolumem euadere, & vtroſque ſeruari, ſicuti oſtendit Ariſtoteles loco quem adduximus quarto de hiſtoria animalium, & ab experientia obſeruare licet: Ego enim noui geminos natos marem & fœminam incolumi matre adoleuiſſe, & iuuentuti proximos etiamnum viuere, illud ideo fieri exiſtimandum eſt, quòd geſtationis tempus quamquam varium eſt in fœmina ac mare, vt patuit; tempus tamen, ſeu hunc, ſeu illam pariendi, non punctum eſt, aut indiuiſibile aliud: ſed latitudinem obtinet, vt altero fœtu perfecto, atque adhuc in vtero immorante, alter interim perfici poſſit; ac vtrique deinde perfecti ſimul in lucem prodire. *An quòd homini maximè partus geminatio contra ſuæ naturæ legem accidit?* Theodorus non videtur lectionem habuiſſe, quæ modò extat in excuſis exemplaribus huiuſmodi· ἢ διότι ἀσθενῆ μάλιστα τὰ δίδυμα. hoc eſt. *An quòd debiles maximè, qui gemini ſunt?* Interpres antiquus etiam hunc locum habuit corruptum, vt ex ea tralatione apparet. Quod etiam Theodorus vertit: *contra ſuæ naturæ legem*, dixerim potiùs, *præter legem*, quomodo etiam tranſtulit idem Theodorus loco adducto quarto de generatione animalium capite ſexto.

XXIX.

Διὰ τί τοῖς μὲν ἵπποις, & τοῖς ὄνοις ἐπὶ τῶν ἐλῶν φύονῃ τρίχες· τοῖς δὲ ἀνθρώποις, οὔ; ἢ διότι ἡ ἐλὴ κωλύει ἀφὶ τὴν πύκνωσιν; ἢ ἀφὶ τὸ φθείρειν τὴν τροφήν; τοῖς μὲν οὖν ἀνθρώποις παντελῶς κωλύει, ἀφὶ τὴν ἀσθένειαν· τρίχες· τοῖς δὲ ἵπποις οὐκ ἐκώλυσε, διέφθειρε δέ.

Cur equis & aſinis pilis è cicatricibus poſſunt euenire, hominibus autem non poſſunt? An quòd cicatrix vel ſuam ob denſitatem impedimento eſt, vel quia deprauat nutrimentum. Hominibus itaque ex toto propter pili infirmitatem impedimento eſt. Equis autem ne pili exeant, nunquam eſt, ſed deprauat, facítque ne prior integritas ſeruetur.

Iam tertiò de cicatricibus quæſtionem proponit. Affert autem cauſſas duas, quarum ad hominem quidem vtraque, ad equum autem & aſinum altera accommodetur. Inquit igitur à cicatrice impediri pilos, vel ob ipſius denſitatem; vbi enim cicatrix, ibi caro aut cutis denſa, dura, & calloſa, vt pilis non pateat exitus; vel quia eadem corrumpat nutrimentum: pars enim illa immutata debilior facta eſt, nec ad eandem quodcúnque ratione nutrimenti fertur, poteſt concoqui, aut materia habilis gigni ad pilos ſicuti antea. Homini igitur tum ob cicatricis duritiem impediũtur pili ne exeant, pili enim in ipſo debiliores quàm in equo, non poſſunt duritiem illam peruadere: tum etiam quia ob rationem dictam, vitiatur nutrimentum. Equo autem & Aſino, quia pili validiores ſunt, non poteſt durities eruptionem impedire: at corrupto nutrimento, variat in eum colorem qui omnium eſt debilior, ſicuti antea dixi. *Facitq; ne prior integritas ſeruetur.* Hæc addita ex toto ſunt à Theodoro: Ariſtoteles enim id ſolùm dicit: *Equis autem non prohibet: at corrumpit.* Integri-

tatem

tatem autem non ſeruari, quum ſolus color immutatur, mihi quidem haud expeditum ſit dicere.

XXX.

Διὰ τί τοῖς ζώοις ἄρτιοι πόδες; ἢ ὅτι παντὸς μὲ τοῦ κινεμένου, ἀνάγκη τι ἠρεμεῖν; συνέβαινε ἄν, περιττῶν ὄντων, μὴ γίνεσθαι τοῦτ' ὅσῳ κατὰ τὴν ἀντιστοιχίαν τῶν ποδῶν ἡ κίνησις.

Cur pares pedes natura animantibus dedit? An cuique, cùm mouetur, partem aliquam requieſcere neceſſe eſt. Quòd ſi pedes impares eſſent, ne hoc fieri poſſet, accideret: agitur enim motus ſitu obuerſario pedum.

Hoc problema fuit etiam paullò ante propoſitum, & pluribus verbis explicatum, vt alia inſuper expoſitione non egeat. Illa tantùm Theodori extrema verba conſideranda: *ſitu obuerſario pedum.* Quibus Græca, κατὰ τὴν ἀντιστοιχίαν τῶν ποδῶν, exprimere voluit: at ſicuti maximè accommodata eſt ad rem exprimendam, vox ἀντιστοιχία, quam hoc loco Ariſtoteles vſurpat, qua tamen vſus antea non eſt, dum eandem rem tractaret; ita quæ erat Theodoro neceſſitas nouæ vocis fingendæ? Eam ſanè primus quod ſciam in linguam Latinam introducit hoc loco Theodorus, eadem ſignificatione qua vſitatum, *obuerſus*, illi inſeruire potuiſſet, cùm tamen nec omnino feliciter & plenè; eò quòd aduerſum, & obiectum tantùm ſignificat; ſenſum Ariſtotelis expreſſiſſet, qui voce ἀντιστοιχία, non ſitum ſolum, ſed ordines etiam pares oſtendere voluit: hîc enim κατὰ ἀντιστοιχίαν valet, vtrinque reſpondentibus ordinibus, ſicuti in exercitu ſolet, cùm in ordinibus & acie collocati milites, ſibi inuicem pari numero reſpondent: ordinéſque illi στοῖχοι dicuntur. Dicit igitur Ariſtoteles motum fieri pedum ordine ſibi inuicem reſpondente: ita enim pari & æquali ratione fiet motus, & quies illa, quam ad ingreſſum eſſe neceſſariam dicit hoc loco, atque etiam problemate vigeſimo octauo.

XXXI.

Διὰ τί ἐλάττω κρόνον τὰ ζῶα καθεύδει, ἢ ἐγρήγορεν, ἢ συνεχῶς ἢ; ἢ διὰ τὸ μὴ ἅμα πᾶσαν πέπτεσθαι τὴν τροφήν, κουφισθὲν διεγείρεται· καὶ πλεονάκις ἢ ἐγείρεται ὅσοις ψυχρὸς ὁ τόπος ὁ τροφὴν ἔχει τὴν πέψιν, καὶ πολλάκις. ἡ δὲ ἀνάπαυσις, ἔγερσίς ἐστιν. ἡδὺ δὲ καὶ ἀνὴρ, διὰ τὸ ἀνάπαυσιν εἶναι φαίνεσθαι· ἀλλ' ἐνταῦθα πλείω χρόνον ἡ ἀνάπαυσις γίνεται τῶν κατὰ φύσιν ἔργων ἐστίν· εἰ τὸ ἐσθίειν ἥδιον ἦν μή, ὅμως πλείω χρόνον ἐσθίουσιν ἢ ἀπέχονται.

Cur animalia, nec minus temporis dormiunt, quàm vigilent, ſic non continuè, ſed viciſſim modò vigilando, modò dormiendo, ſomnum ſuum perficiunt? An quòd non ſimul omnis vacans materia coquitur: ſed vbi pars aliqua eſt concocta, leuatum iam animal expergiſcitur. Et verò ſæpius illi expergiſcuntur, quibus ea pars frigida eſt, quæ quidem excrementum domat, & concoquit. Fit enim vt celeriter, ſæpeq; ceſſetur: ceſſatio autem non niſi expergefactio eſt: ſuauis quoque res ea ipſa, quoniam requies eſt, non immeritò eſſe videtur: ſed nihilo quidem plus temporis in munere naturalium actionum conſumimus. Nam etſi eſſe, ſuauius eſt, quàm non eſſe, non tamen plus temporis propterea edimus, quam à cibo abſtinemus.

Ariſtotelis verba, quibus in proponenda quæſtione vtitur, ita ſimpliciter ſonant: *Propter quid minori tempore animalia dormiunt, quàm vigilant? non autem continenter?* Illis autem duo quæri, vt quidem locum vertit, ſignificare videtur Theodorus: quæ duo cùm non ſint abſona doctrinæ Ariſtotelicæ alibi traditæ, & illis quæ in ſolutione afferuntur, ita & nos locum exponamus. Duo igitur quærit: alterũ cur animalia minori tempore dormiant, quàm vigilent: alterum cur non continuè, & ſine vlla intermiſſione, aut dormiant, aut vigilent: ſed viciſſim modò dormiant modò vigilent. A primo membro excipienda infantulorum prima ætas; animalia enim recens nata, plùs minùs, pro naturæ ratione, omnia tamen plùs dormiunt, quàm vigilent, ſicuti habemus ab eodem Ariſtotele libro quinto de generatione animalium capite primo. Alterum membrum proponit idem Philoſophus libro de ſomno & vigilia capite primo his verbis: *Pari quoque modo conſtat nullum eſſe animal, quod aut*

ſemper dormiat: aut ſemper vigilet: ſed vtrumque eidem tributum à natura eſſe. Et ibidem paullò poſt: *Fieri autem non poteſt, vt alterum horum eidem ſemper inſit: verbi gratiâ vt genus aliquod animalis aut ſemper dormiat, aut ſemper vigilet.* Hanc autem rem probat ibidem Ariſtoteles pluribus rationibus, quas huc afferre neceſſarium non arbitror. Illud obſeruo: vt hoc problemate vſus eſt particula συνεχῶς, *continuè*, ſeu, *continenter*, ita loco adducto particula, ἀεὶ, *ſemper*, at eodem libro capite ſecundo, eiſdem coniunctis, ἀεὶ καὶ συνεχῶς, *ſemper & continenter.* Priùs igitur explicat Ariſtoteles quòd poſteriùs propoſuit; atque ideo partim dormire, partim vigilare dicit animalia, quoniam excrementum vnde ſomnus gignitur, non totum ſimul, at paullatim & ſubinde concoquitur: nam ſicuti fit ſomnus ex euaporatione, ſeu exhalatione, nimirum calido, & humido alimento, aut vapore, aut excremento (non ſit enim de nomine quæſtio, dum rem ipſam teneamus) ad partes ſuperiores delato, eo modo quo ſcribit idem Ariſtoteles libro adducto; ita expergiſcitur animal, quando abſoluta concoctio eſt, & calor qui ambientis frigoris opera ex amplo in arctum coierat, cuicit, atque ſanguinem fœculentum à ſincero diſcernit: quæ ſunt verba eiuſdem Ariſtotelis libro adducto ad finem voluminis. καὶ πλεονάκις ἢ ἐγείρεται. *Et verò ſæpius illi expergiſcuntur.* Additamentum; quo etiam confirmatur quod propoſitum eſt; concocta materia expergiſci animal: quibus enim pars concoquens materiam efficientem ſomnum, frigida eſt, illi ſæpe expergiſcuntur, nam calor debilis celeriter & ſæpe ceſſat ab opere: eſt autem hæc ceſſatio non aliud quàm expergefactio. Atqui verò & illis eiſdem, quibus ea pars refrigerata eſt, pauca fit exhalatio, quam concoquere calor habeat, ſicuti ſcribit idem Ariſtoteles eodem libello capite vltimo his verbis: *Neque item melancholici* [ſomniculoſi ſunt.] *Nam locus interior refrigeratus eſt: quare in eis euaporatio multa non fit.* Euaporationem autem fieri vi caloris ſurſum materiam ferentis probat Ariſtoteles exemplo puerorum, pumilionum, & eorum qui habent capita magna, quibus omnibus materia multa ſurſum exſpirat. ἡδὺ ἦ. *ſuauis quoque res ea ipſa.* Quod priùs erat propoſitum poſteriùs explicat, cur minori tempore animalia dormiant quàm vigilent? eſt autem ratio à ſimili adducta: Nam licèt (inquit Ariſtoteles) ſuauis res ſit ſomnus, quippe quæ ceſſatio à laboribus ſit, non tamen ei plùs temporis impendimus, ab aliis naturalibus operationibus ceſſantes, quoniam illud idem hîc contingit, quod in vſu ciborũ: licèt enim comedere ſuauius ſit quàm non comedere, non tamen plus temporis præterea edimus, quàm à cibo abſtinemus. Alia porrò ex adducto libello de ſomno & vigilia, ad hoc ſoluendum quæſitum afferri poſſent, ſed ea illinc lectori petenda; non enim omnia huc nobis congerere in animo eſt. ἐοικὲ εἰκὸς. *Quoniam requies eſt.* Hîc ſecutus ſum tralationem Theodori, qui aliam ſcripturam habuiſſe videtur ſenſui magis conſentaneam. At quum vertit idem Theodorus: *ſed nihilo quidem plus temporis in munere naturalium actionum conſumimus:* aut non habuit in exemplari, quo vtebatur, ἐνταῦθα, hîc; aut aliter ſunt illa conuertenda, & exponenda, quod & nos fecimus, Græcum exemplar ſecuti. Theodori autem tralationem ſi approbamus, exponimus hoc modo: *Suauis quoque res eſt ſomnus, quippe requiem laboribus afferens; at ſicuti alijs naturalibus actionibus, quamquam & ipſæ dulces ſunt, non tamen ideo plus temporis inſumimus, ita de ſomno res contingit: alijs autem naturalibus actionibus non plus temporis nos ideo tribuere, exemplo comeſtionis apparet, quæ licèt dulcior ſit, quàm non comedere, non tamen nobis plus temporis eripere ſolet.*

XXXII.

Διὰ τί τῶν ζώων τὰ μὲν, αὐθωὺς ἀκολουθεῖ τοῖς γιγνόμενοι τὰ δ' ὀψὲ, οἷον ἄνθρωπος· ἢ μόλις, ἢ οὐδέ ποτε; ἢ διότι τὰ μὲν, ταχὺ καταλαμβάνει τὸ γνωρίζειν· τὰ δ' ὀψέ; ἔτι τὰ μὲν, ἀναίσθητα τοῦ ὠφελοῦντος· τὰ δ', ἔχει αἴσθησιν· ὅσα μὲν οὖν ἔχει ἄμφω ταῦτα (λέγω δ' οἷον ἔτι αἴσθησιν καὶ ὠφελοῦντος, καὶ ἀποτέλεσιν τοῦ σώματος) ἀκολουθεῖ· τὰ δ' ἢ μὴ ἄμφω, οὐ ποιεῖ τοῦτο. λεῖ γὰρ λύεσθαι ἔτι διαδύνεσθαι.

Cur animantium alia ſtatim parentes ſectantur, alia ſerò, vt homo, vel vix vmquam? An quòd alia citò vim recipiunt cognoſcendi, alia ſerò, & alia rei ſibi commodæ ſenſum obtinent, alia carent. Quæ igitur hæc ambo, ſenſum dico rei commodæ ſuíque corporis perfectionem ſortiuntur, hęc parentem ſectari protinus queunt. Quæ non vtrumque illorum habeant, hæc id facere ipſum nequeunt: opus enim eſt viribus, & ſenſu.

Problematis propoſitio, aut quadrimembris eſt hoc modo; Animantium alia ſtatim

ſectántur parentes, alia tardè, vt homo; alia vix; alia numquam. Aut bimembris, & quæ ſequuntur partes ſunt alterius membri hoc modo: Animantium alia ſtatim ſectantur parentes, alia tardè: tardè autem ſectantium exemplum eſt homo, qui aut vix, aut numquam parentes conſequitur. Exemplum animantium pro ea, quam inquirebat re, nullum præter hominis poſuit Ariſtoteles. Ad primum membrum referuntur coturnices,& perdices, quas ait Ariſtoteles libro nono de hiſtoria animalium capite octauo mox, atque excluſerint pullos, protinus educere, eo quòd nequeant ſuo volatu iis ciburn adminiſtrare: Et referunt, qui eas venantur, illas vix capite, & pedibus ex oui teſta extractis, teſtam ipſam ſecum ferentes matrem inſequi. Porrò Ariſtoteles in ratione reddenda duas affert animalium diuiſiones, alia enim dicit eſſe, quæ celeriter admodum vim cognoſcendi recipiunt, hoc eſt, ita facta à natura ſunt, vt ſtatim parentes ipſos cognoſcant, alia autem ſerò, vt homo. Iterum: animalia ſunt, quæ rei commodæ, & proficuæ ſenſum ſtatim obtinent, ſunt quæ non ſtatim. His diuiſionibus addit aliam: Animantium alia ſtatim habent corporis perfectionem, hoc eſt, robur, & firmitatem gradiendi, alia non.His propoſitis quæſitum ſoluit: Animalia, quæ ex propoſitis conditionibus duas illicò habent, corporis perfectionem, & ſenſum rei proficuæ, illa parentes illico conſequuntur, tanquam notos, & ipſis profuturos; quæ autem vtrumque non habent, haud quaquam: Neceſſe enim eis eſt, vt tum parentes ipſos cognoſcant, tum etiam illam habeant corporis firmitatem, vt cognitos poſſint inſequi: ſi autem alterutrum deſit, fieri nullo pacto poteſt, vt eos inſequantur. Ex eiſdem diuiſionibus poſſumus etiam cæteris membris, quæ propoſita ſunt,ſatisfácere; quæ enim animalia vtráſque conditiones ſerò habent, ſerò; ea quæ numquam, numquam.Porrò cùm in omnibus exemplaribus Græcis, quæ ego quidem viderim,etiam quod ex bibliotheca doctiſſimi Caſauboni prodiit, ad finem problem. legeretur, ἢ μὴ αὐδάνεσι, contrario prorſus ſenſu nos ex Iuſtiniani codice repoſuimus, δυσδάνεσι, quam lectionem habuiſſe etiam videtur tum Theodorus tum antiquus Interpres.

XXXIII.

Διὰ τί λεύκη ἡ γένει τοῖς ἄλλοις ζώοις; πότερον ὅτι τοῖς μὲν ἄλλοις νόσημα, τοῖς δὲ ἀνθρώποις ἡ γένει; Διαφέλουσι τὰ δέρματα καὶ αἱ τρίχες αὐτῶν; ἀλλ' ὅμως ἀπορήσειεν ἄν τις διὰ τί ὕστερον ἡ γένει, ἀλλ' ἐκ γενετῆς ἡ ποικιλία· ἢ ὅτι τὰ δέρματα τῶν ἄλλων ζώων σκληρά, ἀνθρώπου δὲ φύσει λεπτοδερμότατον; ἡ δὲ λεύκη, πανδήμους ἐστὶν ἔκκρισις, ὃ κωλύει διὰ τὴν πυκνότητα ἐξιέναι τοῖς ἄλλοις ζώοις τὸ δέρμα τῷ.

Cur genus vitiliginis, quod leuca appellatur, quaſi albam dixeris, cæteris animantibus contrahi nequeat? Vtrum quòd hominibus, morbo hæc eſt: cæteris autem animalibus tergora varia, piliſque eodem modo albedine afficiuntur. Attamen ambiget aliquis, quærétque cur non poſtea, ſed ſtatim ab ortu naturæ varietas illa exiſtere ſoleat? An quòd cæterorum animantium tergora dura ſunt: homo autem è natura prætenui cute continetur. Vitiligo autem ſpiritus ſecretio eſt, qui cæteris animantibus excerni tergore denſo prohibetur.

Superiùs hac eadem ſectione problemate quinto, de vitiligine idem quæſiuit Ariſtoteles, quod hoc loco proponit. Quamquam autem ad problematis finem hîc eadem afferatur ratio, quæ & ibi adducta eſt; antea tamen nonnulla proponit, quæ & obſcura ſatis ſunt, & mendi ſuſpicionem faciunt. Primùm enim ſatis manifeſtè patet Theodorum, vt ſanè conuertit, aliam lectionem, & penè contrariam ſequutum fuiſſe, quæque ita habent: πότερον ὅτι τοῖς μὲν ἀνθρώποις νόσημα, τοῖς δ' ἄλλοις δ' γίνεσι διαφέλουσι τὰ δέρματα καὶ αἱ τρίχες αὐτῶν: hoc eſt verbũ è verbo: *Vtrum quoniã hominibus quidem morbus eſt, alijs autem quòd alba fiant tergora, & pili ipſorum*; hoc ſenſu, vt mihi quidem videtur. Vtrum quoniam illis morbus eſt, nimirum quia corpora habent & ſubiecta illi affectui, & morbo recipiendo idonea, minimè autem cæteris morbus eſt, ſed ipſorum efficit cutim, & pilos albos. Atqui hominibus nónne & cutim, & pilos ſimiliter albos efficit, & in coloris ea immutatione, nónne homini morbus hic conſiſtit? quæ igitur homini ad cætera animalia diuerſitas? An dicamus ex eis, quæ ſtatim Ariſtoteles ſubdit, cæteris animalibus illam mutationem eſſe ab ortu naturæ, in vtero enim contrahi cùm tenera,& recentia ſunt; accidens igitur naturæ dicendum,

minimè

minimè autem morbum, morbum autem hominibus, quibus, & adultis contingit? Atqui verò non omnibus in vtero fit, non enim omnia cutim, & pilos albos trahunt: Respondendum: Omnia tamen esse eo tempore habilia, vt trahant, sicuti omnes homines vitiliginem non patiuntur: sed habiles sunt, vt patiantur, idque inter homines, & cætera animalia interesse; Quare autem hæc non sint habilia posteriùs sequitur Aristoteles ad inquirendum, & ostendendum, atque eandem proponit rationem, quam problemate quinto priori loco adduxit, homini nimirum fieri vitiliginem, quia cutim obtinet tenuissimam, cæteris animalibus non fieri, quia admodum duram: nam cùm vitiligo fiat ob excretionem, seu exitum spiritus, sicuti problemate quinto vberiùs ostensum est; durum cæterorum animalium tergus cùm adulta sunt non potest spiritus penetrare, potest autem hominis etiam adulti: sed cùm illa adhuc tenera in vtero sunt, fieri potest, vt spiritus eorum cutem permeet, & varietatem, seu immutationem illam cutis, & coloris eo tempore progignat, homini autem præ cutis teneritudine semper. Porrò autem, vt alicui fortè ex legentibus satisfacerem, Latinè etiam proponenda duxi ipsa problematis prima verba, Græcis, vt in excusis leguntur, respondentia. Sonant autem in hunc modum: *Vtrum quoniam alijs quidem morbus est, hominibus autem nequaquàm alba fiunt cutis, & pili ipsorum.* Occurrebat interpungere post δ', *nequaquam*, & ante Λάβδικα, *alba*, addere δὲ, *autem*, hoc sensu; *Vtrum quoniam alijs quidem animalibus est morbus*; hoc est materia efficiens vitiliginem in alium quempiam morbum illis conuertitur, homini autem albam reddit cutim, & pilos, vitiliginem creando: & hoc modo videtur exponere Apponensis, qui vulgatam Græcam lectionem secutus est; at reclamare videntur, quæ statim consequuntur; illis enim omnino requiri apparet albedinem cutis, & pilorum, dictam esse de homine non de aliis animalibus.

XXXIV.

Διὰ τί ἐν μὲ τῇ λεύκῃ πολιᾷ γίνονται· ὅπου ἢ πολιαὶ, οὐκ ἀεὶ λεύκη; ἢ διότι αἱ τρίχες ἐκ τοῦ δέρματός εἰσιν; ἡ δὲ πολιὰ, ὥσπερ σαπρότης τις τῶν τριχῶν ἐστιν. ὅταν μὲν οὖν τὸ δέρμα κάμνῃ, ἀνάγκη καὶ τὰ τρίχα ἐξ ἐκείνου κάμνειν· ὅταν δὲ ἡ θρὶξ, οὐκ ἀνάγκη τὸ δέρμα.

Cur vbi vitiligo, canities quoque est? reciprocari autem non licet, vt semper vbi canities, sit etiam vitiligo. An quòd pili omnes cute proueniunt: canities autem putredo veluti quædam est. Cùm itaque cutis morbo laborat, pilum etiam laborare inde necesse est: cùm autem pilus, cutim malè affici necesse non est.

In vitiligine pilos canitie immutare dictum etiam superiùs est ab Aristotele problemate decimo, & ab aliis, quorum testimonia ibidem adduximus: Contra autem cur non fiat, vt vbi canities, ibi quoque sit vitiligo, (canescunt enim multi, qui vitiliginem non patiuntur) quærit hoc loco Aristoteles: Dicit autem ideo fieri, quoniam vitiligo propriè, & primùm pertinet ad cutim, cuius vitio hæc affectio exoritur; & quoniam pili ex cute oriuntur, sicuti etiam superiùs dictum est, laborante & vitiosa cuti; laborant etiam, & ægritudinem patiuntur pili vnde in omni huiusmodi vitiligine illi albi fiũt: canities autem propriè pertinet ad capillos; effici autem putredine ostenditur ab eodem Aristotele libro quinto de generatione animalium, capite quinto. Fieri autem potest, vt afficiantur capilli, non afficiatur autem cutis, exigua quippe læsio eos immutat, hanc non immutat; contrà hac immutata, cùm & læsio maior sit, & ex ea sint pili, sicuti dicebatur, ipsos etiam immutari necesse est. Dubitat Apponensis, quomodo in vitiligine, quæ propria homini affectio est, ex cuti necessariò trahant colorem pili, cùm quinto libro de generatione animalium capite quinto dicatur, in cæteris quidem animalibus caussam colorum cutim esse, alborum enim albam, nigrorum nigram, variorum, permixtorúmque partim albam, partim nigram conspici, in homine autem cutim nullam caussam esse; qui enim sunt albi, admodum nigros habẽt capillos; Quin potiùs cutem ipsam præ sua imbecillitate ipsam mutari, & vel à Sole, vel à flatu reddi nigriorem, nec pilos tamen vllo pacto cum ea immutari. Respondetur, accepisse Aristotelem cutim integram, & valentem, déque iis pilorum affectionibus locutum, quæ extrinsecus originem ducunt, sicuti à Sole, & flatu. At cutim morbosam, & vitiosis humoribus intus redundantem, communicare necessariò affectionem suam pilis ipsis, sicuti in vitiligine contingit.

XXXV.

Διὰ τί τῶν ζώων τὰ μὲν χαλεπά ἐστι μετὰ τὸ τεκεῖν, οἷον κύων, καὶ ὗς· τὰ δὲ, οἷον γυνή, πρᾶα; ἢ ὅτι ὅσα μὲν περιττώματικὰ περίεστι; ἀπέρχεται γὰρ ἐν τῷ τόκῳ τὰ λυποῦντα. ὅσοις δὲ ἀπὸ τῶν εὖ ἐχόντων γίνεται ἀφαίρεσις, ταῦτα ἐξαγριαίνεται, καὶ χαλεπά ἐστι. ὥστε καὶ ἰσχνότης, ποιεῖ πρὸς τὸν ὀργὴν ὥσπερ καὶ αἱ ἀλεκτορίδες ἐὰν τεκοῦσαι, χαλεπαί, ἀλλ' ἐπωάζουσαι, διὰ τὴν ἀσιτίαν.

Cur animantium alia poſt partum ſæuire ſolent, vt canis, vt ſus: alia nihil efferantur, quod perſpicuum ſit, vt mulier, vt ouis? An quæ ſuperuacua redundant materia, hæc ſuam clementiam ſeruant? Quantum enim doloris eſſet, ſecretum in partu eſt. Quibus autem ſecretio non à vacantibus, ſed integris fieri materiis ſolet, hæc exaſperantur, & ſæuiunt. Vnde fit, vt extenuatio quoque iram ratione habitus moueat: vt etiam gallinæ furiant, non cùm pepererint, ſed cùm incubant ratione inediæ.

Sæuitia, & manſuetudine differre inter ſe animalia nonulla, quo tempore filios enixa eos nutriunt, experientia ipſa conſtat: ſunt enim, quæ ad appropinquantes rabie efferata eos appetant, ſunt quæ mitia, & placida ſe oſtendant. De ſuibus feris habemus etiam Plinij teſtimonium, eas in partu aſperiores, quod tamen ſimiliter de omni ferè beſtiarum genere idem ſcribit. Ariſtoteles autem hoc loco diuerſitatis cauſſam eſſe dicit naturam, & habitum eorundem animalium; nam quæ naturâ, & habitu excrementitio ſunt prædita, multáque & inutili materia redundant, illa poſt partum manſuetudinem ſeruant, quoniam in partu ipſo quicquid erat, quod eas dolore afficeret, illud ſeceſſit, nimirum & copia materiæ, qua onerabantur, & fortaſſe eiuſdem vitium, quod in ea copia aliquod ſubeſſe exiſtimari facilè poſſit: Illa igitur onere, & partus moleſtia alleuata cur ſæuiant, cauſſa nulla eſt: quæ verò excrementis abundare non ſolent, neque eorum copia opprimuntur; quæque euacuantur, à ſanis, & bene habentibus, & ex vtili, nec moleſta materia euacuantur, illa exaſperantur, & ſæuiunt; bonis enim humoribus euacuatis fit in animalibus extenuatio, & talis habitus gignitur quo ad ſæuitiam facilè concitentur: habitus nimirum ſiccus, quo calor facilè accendatur, cuius limam ſiccitatem eſſe, peruulgatum eſt: vnde & qui extenuati ſunt conualeſcentes, & macie affectos, ad iram maximè pronos eſſe videmus. Hanc autem inanitionis & ſiccitatis rationem rectè aſſignari, ex eo conſtare poteſt, quoniam gallinæ non cùm oua pepererint: ſed cùm incubant exaſperari ſolent: hoc enim tempore, non illo à cibo abſtinentes extenuantur, & ſicciores euadunt; vnde acutiore calore reddito, ad iram, & ſæuitiam faciliùs concitantur. Porrò autem, quoniam ipſa Ariſtotelis verborum ſeries, quamquam breuior, planior tamen, & dilucidior, Latina Theodori interpretatione mihi viſa eſt, eam fideliter quidem, ſed admodum pingui Miuerua in Latinum conuerſam ita proponere libuit: *Propter quid ex animalibus alia poſt partum ſæuire ſolent, vt canis, & ſus, alia nequaquam, quod ſit manifeſtum, vt mulier, & ouis? An quæcúmque excrementoſa ſunt, hæc itidem manſueta: ſecedunt enim in partu quæcúmque moleſtia afficiunt, quibus verò ex bene habentibus fit ablatio, illa exaſperantur, & ſæuiunt. Quoniam & extenuatio ob habitum ipſum iram mouet. Quamobrem & gallinæ non cùm pepererint; ſed cùm incubant, exaſperantur ob cibi deffectum.*

XXXVI.

Διὰ τί αἱ ὄνοι, τὰ μὲν ἄλλα εἰς τὸ θῆλυ διαφθειρόμενοι μεταβάλλουσι καὶ γὰρ φωνὴν θηλυκὴν ἴσχουσι, καὶ ἀμορφίαν, καὶ ἀναρθρίαν· καὶ ἔτι σφόδρα μεταπίπτουσιν, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις τὰ ἐκτεμνόμενα· ἐναντίως δὲ οἱ ταῦροι, καὶ οἱ κριοὶ τὰ κέρατα ἴσχουσι. διότι καὶ τὰ θήλεα ἐναντίως αὐτῶν ἔχει· διὸ οἱ μὲν μείζω ἐκτεμνόμενοι ἴσχουσιν· οἱ δὲ ἐλάττω, ἀνίσχυροί εἰσι· τὸ δὲ μεγέθος μόνον οἱ ὄνοι εἰς τὸ ἄρρεν μεταβάλλουσι· μείζους γὰρ γίνονται· ἔστι δὲ τοῦτο τῶν ἀρρένων. τὰ γὰρ θήλεα, ἐλάττω ἐστὶ τῶν ἀρρένων. ἢ διὰ τοῦτο εἰς τὸ ἄρρεν, ἀλλ' εἰς τὸ θῆλυ; διὰ γὰρ εἰς πᾶν τὸ μέγεθος, ἀλλ' εἰς τὸ μῆκος μόνον. τὸ δ' ἄρρεν, καὶ εἰς πλάτος, καὶ εἰς βάθος· τότε γὰρ τετελείωται. ἔτι δὲ ὡς ἔχει τὸ θῆλυ πρὸς τὸ ἄρρεν, ἕτως αὐτὸς ἔχει θήλεος ἡ παρθένος πρὸς τὸν γυναῖκα· ἡ μὲν γὰρ, ἥδη γεγυαία· ἡ δὲ οὔ· εἰς τὸν τέταρτον οὖν μεταβάλλει. διὰ μῆκος γὰρ ταῦτ' ἡ αὔξησις. διὸ καὶ Ὅμηρος εὖ.

– μῆκος δ' ἔπορ Ἄρτεμις ἀγνή.

Ὡς δὲ τὸν παρθενίαν, ὁ ἕλκε, διαιωλύης δοῦναι. οὐκ οὖν εἰς τὸ ἄρρεν καὶ τὸ μέγεθος μεταβάλλει. διὰ γὰρ εἰς τὸ τέλειον μεταβάλλει. οἱ δὲ ὄνοι, εἰς μέγεθος τὸ μῆκος διαιροῦσιν.

Cur ſpadonibus cætera in ſexum fœmineum vitiata mutatur? (vox enim tenuis, corpus imbecillum, denique ita homines commutantur, vt etiam cæterorum animantium quæcúmque caſtrata. Nam & tauri, & verueces ſua cornua è contrario gerunt, quòd fœminæ quoque eorum contra, quàm mares armantur cornibus. Itaque alii maiora exciſi gerunt, alij minora) magnitudo verò tantummodo, ſpadonibus dico, ad ſexum virilem commutatur: maiores námque redduntur. Quæ quidem res maris ſua profectò eſt; quippe cùm fœminæ minores maribus eſſe ſoleant. Anne id quidem ad marem, ſed ad fœminam pertinet. Haud enim omne magnitudinis genus, ſed longitudinis duntaxat acquiritur, cùm mas profunditate etiam augeatur, & latitudine: ſic etiam perfici ipſe aſſolet. Ad hæc, vt fœmina ad marem, ſic fœminæ ipſius virgo ſe habet ad mulierem: altera enim generoſa iam eſt, altera nondum eſt. In eam igitur ipſam fœminæ magnitudinem mutantur: creſcere námque in longitudinem corpus aſſolet fœminarum. Vnde carmen illud Homeri:

Virgo Diana dedit prælongi corporis vſum.

Vtpote cùm rem, quam ſuam ob virginitatem haberet, largiri nimirum poſſet. Ergo non magnitudine in marem mutatur, cùm non in magnitudinis genus perfectè commutetur. Spadones enim longitudine tantùm in magnitudine proficiunt.

Spadonum, quibus exciſi ſunt teſtes, deprauatur, atque ita ferè tota immutatur natura, vt alij propemodum omnino fiant, quàm antea eſſent. Immutatur autem ipſorum virilis natura, parte genitali corrupta, quòd ea principium ſit, principio autem vel exiguo immutato, multa ex iis, quæ à principio ſunt, immutari ſolent; quemadmodum ſcribit idem Ariſtoteles libro primo de generatione animalium capite ſecundo, & quinto eorundem librorum capite ſeptimo. Immutantur autem in fœminam, eodem teſte, libro quinto de generatione animalium capite ſeptimo. Vnde & elegantiſſimus Veronenſis Poëta, membra ſine viro eos habere dixit, & antiquo Gripho, eunuchi appellati ſunt homines, non homines, quamquam de pumilionibus id etiam dictum fuerit. Ariſtoteles igitur hanc immutationem perpendens hoc loco, inquirit, cur cùm cæteris rebus eunuchi fœminis ſimiles ſint, voce, formâ, & imbecillitate, magnitudine tamen ab eis differant: qui enim caſtrati ſunt, maiores euadunt non caſtratis: at magnitudo marium potiùs, quàm fœminarum eſt. Antequàm verò quæſitum diſſoluat, pluribus confirmat cum fœminis propoſitam ſimilitudinem; ait enim eunuchos habere vocem, formam, & imbecillitatem fœmenilem; Theodorus autem in tralatione formam omiſit, & voci addidit, *tenuitatem*, vt putandum ſit, ipſum pro ἀμορφίαν legiſſe ὀξύτητα, ſicuti etiam nonnulli habent, cùm tamen ὀξύτητα, aeuitatem idem tranſtulerit in libris de generatione animalium, non tenuitatem. Verùm, qui fœmenilem vocem dicit, idem dicit tenuem, aut acutam, talis enim fœminini generis vox, præterquàm vaccarum, vt loco citato quinto de generatione, capite ſeptimo, idem Ariſtoteles ſcripſit. Formam tamen non omiſerim hoc loco, cùm eiuſdem nominatim mentionem fecerit, tum nono de hiſtoria animalium, his verbis de caſtratis loquens: *Immutant autem animalia non ſolùm formas*; tum etiam primo de generatione animalium capite ſecundo: *Patet hoc in exſectis, quibus parte genitali tantùm corrupta, tota ferè forma vſque eo commutatur, vt aut fœminæ eſſe videantur, aut parum abſint.* Non diſſimiliter denique tranſmutari homines dicit Ariſtoteles, atque contingit in cæterorum animalium genere, quæ caſtrata ſunt: huius autem maximæ diuerſitatis exemplum à taurorum, & veruecum cornibus petit; hæc enim animalia contrario modo cornua gerunt, quàm ſui generis non caſtrata; taurorum enim nomine exſectos tauros in præſentia accipio: gerunt autem contrario modo, quia fœminis ſimilia reddita ſunt, at fœminæ contrario modo; contrarietas autem hæc in magnitudine, & paruitate conſiſtit; maiora enim, quàm maribus ſunt fœminis in ſuo genere cornua. Igitur & ex tauris, ac veruecibus, qui exciſi ſunt maiora, qui autem non exciſi, minora. Si autem taurorum nomine accipiamus non caſtratos, verba erunt exponenda hoc modo: *Tauri & verueces contrario modo inter ſe cornua gerunt: tauri enim minora, quàm ſui*

generis caſtrata, verueces autem maiora, quàm ſui generis non caſtrata: fœminæ enim & ipſæ contrario modo gerunt, quàm ipſi mares, quoniam maiora. Diſtare autem inter ſe boum fœminarum, & taurorum cornua ſcripſit idem Ariſtoteles libro tertio de partibus animalium capite primo: tauris enim robuſtiora; quod etiam affirmauit libro quarto de hiſtoria capite vltimo: *at robuſtiora iure minora ſunt, minúſque prolixa.* Caſtratos autem boues longiora ſimiliter habere cornua teſtatur etiam Ælianus libro XII. capite decimo nono his verbis: οἱ γριαὶ βόες Δημόκριτος λέγει, σκολιὰ, λεπτὰ, καὶ μακρὰ φύειν τὰ κέρατα αὐτοῖς· τοῖς δὲ ἐνόρχοις παχέα τὰ περὶ τὴν ῥίζαν, καὶ ὀρθὰ, καὶ περὶ μῆκος ἀφῃκοντα ἥπιον. hoc eſt. *Bubulo pecori caſtrato, tortuoſa, gracilia, longa naſci cornua. Contra teſtibus prædito enaſci ſecundùm radicem craſſa, recta, minúſque prolixa.* Porrò duas illas voces, ἀνίσχυροί εἰσι, negleximus tanquam ſuperfluas, neque enim redditæ ſunt à Theodoro, aut ab antiquo interprete, & eas expungit Iuſtinianus, nec video cui vſui poſſint inſeruire. τὸ δὲ μέγεθος μόνον οἱ εὐνοῦχοι. *Magnitudo verò tantummodo, ſpadonibus dico.* Proponit diſſimilitudinem, quam eunuchi à fœminis habere videntur; hæc autem magnitudo eſt, qua illi in mares potiùs immutantur. Caſtrati enim maiores aliis euadunt: at magnitudo marium eſt, fœmenile enim genus minus. Porrò caſtratos maiores aliis euadere ſcripſit idem Ariſtoteles libro nono de hiſtoria animalium capite vltimo his verbis ex Theodori tralatione: *Omnia denique ſi dum creſcunt, caſtrantur, maiora & elegantiora, quàm incaſtrata euadunt.* Obſeruandæ tamen ſunt in hac re conditiones, nam, & vituli, niſi caſtrentur aniculi, minores, & deformes fiunt, ne dum maiores, quod ſcribit idem Ariſtoteles paullò poſt. Fœminas autem minores eſſe in ſuo genere maribus, nimirum viuiparas, teſtatum reliquit idem Ariſtoteles libro primo de generatione animalium capite decimo nono, his verbis ex Theodori tralatione: *Hanc eandem cauſſam eſſe putandum, & vt corpora minora ſint fœminarum, quàm marium in viuiparo genere.* His autem propoſitis ſolutionem aggreditur Ariſtoteles. ἢ οὐδὲ τοῦτο. *An ne id quidem ad marem.* Negat, ex magnitudine, quam acquirunt eunuchi, dicendum eos in marem mutari, quin contra confirmari eos mutari in fœminam; quam enim acquirunt magnitudinem, fœminarum eſſe, cùm non veram & exactam, ſed quæ longitudo tantùm ſit, illi nanciſcantur, fiunt enim longiores, & proceriores, ſicuti fœminæ; mares autem, cùm perfecti ſunt, non ſolùm longitudinem, ſed latitudinem etiam, & profunditatem acquirunt, omnéque dimenſionis genus. Magnitudinem autem vtroque modo accipi, ſed propriè cùm trinas obtinet dimenſiones, liquidò admodum explicat Galenus commentario ſecũdo aphoriſmorum ad aphoriſmum quadrageſimum quartum his verbis Leoniceno interprete: *Magnitudo corporis propriè quidem nominatur, quæ longitudine, latitudine, profunditate moderantiam exuperat. Interdum verò, & quod longitudine ſola amplius auctum eſt corpus, ſolemus magnum nominare, quamuis huic proprium nomen ſit longum. Nam & aliquando, quod ſecundùm latitudinem, ac profunditatem vltra modum corpus eſt auctum, dicunt eſſe magnum, quamuis & hoc craſſum proprio vocabulo nominetur.* Libro etiam ſecundo de differentiis pulſuum capite ſeptimo, eandem rem pluribus percurrit, cùm de pulſo magno, longo, lato & profundo accuratiùs aduersùs Archigenem diſputat. Sed & Ariſtoteles cùm fœminarum corpora marium ſcripſit eſſe minora primo de generatione animalium capite decimo nono dixit, τὰς ὄγκους ἐλάττους εἶναι, id eſt *minora eſſe tumore*, aut, *corpulentia*, vt dimenſionis genus euidentiùs demonſtraret. ἔτι δ' ὡς ἔχει. *Ad hæc vt fœmina.* Non rationem nouam affert, ſed propoſitam magis confirmat, & corroborat, quod ex concluſione apparet: hic autem eſt, vt exiſtimo Ariſtotelis ſenſus: Eunuchi mutantur acquirentes longitudinem, igitur virginibus hac re ſimiles redduntur, earum enim longitudo eſt, non igitur ratione magnitudinis mutantur in mares, cùm in eam mutentur, quæ virginum eſt. Porrò virginum longitudinem eſſe, & procerit atem auctoritate Homeri confirmat, qui Odyſſeæ libro XX. de Pandarei filiabus loquens dixit, eis Iunonem dediſſe ſpeciem, & prudentiam, virginem autem Dianam dediſſe longitudinem, ſeu proceritatem. Obſeruat autem ſummus Philoſophus ideo apud Poëtam Pandarei filiabus, quæ virgines erant, virginem etiam Deam proceritatem dediſſe, quòd rem tribueret, quam præ virginitate poſſideret, & alteri donare poſſet; eſt autem & alter etiam de eadem virgine Diana Poëtæ locus, quo ipſam hac proceritate, & corporis longitudine commendans, dicit eam ludentes ſimul ſocias nymphas capite, & fronte omnes ſupereminuiſſe; eſt autem locus Odyſſeæ ζ. quo eidem Dianæ Nauſicaam virginem comparabat, illis carminibus:

— Ὅτιν δ' Ἀρτέμις εἶσι κατ' ὄρεα.

Quem locum imitatus eſt Virgilius Æneidos libro primo:

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi

Exercet Diana choros. --
Illa enim etiam
--*Gradiénſque Dea ſupereminet omnes.*

Colligemus autem Ariſtotelis rationem ſingulis eiuſdem verbis & ſententiis expoſitis, vt illa faciliùs percipi poſſit: Conſtituit igitur Ariſtoteles vtrinque ſeriem, aut gradus quorundam perfectorum, & imperfectorum, ſeu illorum, quæ ob imperfectionem immutantur: ſunt autem hæc, fœmina, mas, virgo, mulier. Ait igitur quemadmodum ſe habet fœmina ad marem, ſic in ipſo fœmineo ſexu virgo ad mulierem, vtraque enim res alteri comparata, res eſt imperfecta, nec abſoluta; dixit enim ſecundo & quarto libro de generatione animalium, mulierem eſſe veluti marem oblæſum, mutilum, & cui aliquid deſit: virgo eodem modo ſe habet. Probat id Ariſtoteles, mulier enim generoſa eſt, virgo non itidem; generoſa autem, id eſt, abſoluta, quæ amplius non immutatur, quæ denique non degenerat, quæ eſt propria vocabuli notio, talis enim mulier eſt, taliſque eius natura, virgini comparata; virgo autem nequaquam: hæc enim dum adoleſcit, & incrementum ſuſcipit, mutatur in τῶν τέτων, ait Ariſtoteles: Non eſt autem facilè videre, quid repetat τῶν: Theodorus vertit, *magnitudinem*; mutatur itaque in fœminæ magnitudinem, ſeu proceritatem, quoniam auctio virginibus, cùm immutantur in hanc eſt, vt auctoritate Homeri comprobatur, cuius ea ſunt verba *longitudinem autem dedit Diana virgo.* Si igitur eunuchi, concludit Ariſtoteles, in hanc immutantur, non immutantur in mares, quoniam hanc virginum, ſeu fœminarum eſſe, non autem marium probatum eſt.

XXXVII.

Διὰ τὶ οἱ εὐνῦχοι ἢ ὅλως οὐκ ἴσχουσιν, ἢ ἧττον ἰξίας; ἢ ὅτι μεταβάλλουσι τὴν φύσιν ἐν τῇ ἐκτμήσῃ εἰς τὰ ἄγονα; τοιαύτη δὲ παῖς καὶ γυνή. ὧν δεύτερον ἴσχει ἰξίας. εἰ μή τι ἀπάνιον ἡ γυνή.

Cur ſpadones vel omnino varicibus vacant, vel minùs habent, quàm cæteri? An quoniam naturam ſuam, dum caſtrarentur, in genus ſeminis infœcundum commutarent. Talis autem eſt puer, & mulier: quorum neutrum habere varices ſolitum eſt, præterquàm ſi mulier rarò.

Eunuchos in fœminas mutari ſcriptum eſt in proximè ſuperiori problemate. Nihil igitur miri ſit, eoſdem illis non ſubiacere accidentibus, quibus & muliebris natura vacare conſpicitur. Horum autem vnum ſunt varices, nimirum venæ laxiores in coxis, & cruribus, quæ ex craſſo & melancholico ſanguine contingunt, ſicuti ſcribit Galenus commento ſexto aphoriſmorum ad aphoriſmum vigeſimum primum. Hac autem re ſimiles etiam fiunt pueris ipſis, nam & forma ſimilis mulieris, & adoleſcentuli eſt; & eſt mulier, quaſi mas carens ſemine, quod ſcribit Ariſtoteles primo de generatione animalium capite vigeſimo, & quinto, capite tertio his verbis: *Mulierum natura ſimilis puerorum naturæ eſt, vtraque enim ſterilis ſeminalis excrementi eſt.* Quemadmodum etiam mulier podagra non laborat, niſi menſtrua defecerint, nec pueri ſimiliter ante vſum venereorum, ſicuti ſcriptum eſt ab Hippocrate ſexto aphoriſmorum libro; his autem ratione ſimilitudinis ex eodem Hippocrate adduntur, de quibus nunc loquimur, eunuchi, qui neque ipſi podagra laborant; quamquam illud notum eſt, à Galeno, quo viuebat tempore, & eunuchos, & mulieres viſas, quæ ob victus intemperantiam podagra laborarent: ſimilitudo autem, quam inter ſe habent fœminæ, pueri, & eunuchi, ex eo eſt, vt videre licet, quòd omnes naturam habent ſeminis infœcundam, in talem enim mutati ſunt eunuchi, quo tempore exciſi ſunt. Fœminas autem ſemen genitale non emittere, cuiuſmodi mares emittunt, nota Ariſtotelis ſententia eſt, loco citato libri primi de generatione animalium. Eaſdem porrò minimè tentari varicibus, aut paucas, ſeu rarò, quod hîc dicitur, ſcribit idem Ariſtoteles libro tertio de hiſtoria animalium capite decimo nono, & primo de generarione capite itidem decimo nono, nimirum antequàm eis menſtrua profluant, vt ibidem ſcribitur. Carent igitur varicibus eunuchi, quia cùm careant ſemine, pueris, & mulieribus ſimiles redditi ſunt. Vel, quia, vt pueri, & mulieres ſemine carent; quare autem carentia ſemine careant varicibus, alia quæſtio ſit. Iis porrò qui varices habent tolli generandi facultatem (quod minimè aduerſatur iis, quæ hîc dicuntur) propoſitum eſt ab Ariſtotele ſuperiùs ſectione quarta problemate vigeſimo primo, cuius rei cauſſam refere-

bat ad

bat ad ſpiritus, ſeu flatus, quibus & venus exercetur, & quibus varicoſi parte affecta abundant, vnde à varicibus etiam iuuari, qui flatibus infeſtantur, ſcriptum etiam ſuperiùs eſt ſectione ſeptima problemate tertio; ex quo ad quæſtionis propoſitæ diſſolutionem peti ratio etiam poſſit.

XXXVIII.

Διὰ τί ἄνθρωπος γίνεται ἐκ γλυκυτῆς χωλὸς μάλιστα τῶν ἄλλων ζώων· πότερον ὅτι ἰσχυρὰ τῶν ἄλλων ὀστᾶ σκέλη τὰ ζώων, ὀστώδη γὰρ καὶ νευρώδη, καὶ τετράποδα καὶ ὄρνιθες ἔχουσιν· οἱ δὲ ἄνθρωποι, σαρκώδη. Διὰ τὴν ἀπαλότητα οὖν θᾶττον πηροῦνται ἐν τῇ κινήσει; ἢ διότι μόνον τῶν ζώων πολλὰς ἔχει χρόνους ἡ γλυκύτητος. καὶ γὰρ ἑπτάμηνα, καὶ ὀκτάμηνα, καὶ δεκάμηνα γίνονται. τοῖς δ' ἄλλοις εἷς χρόνος τελειώσεως γέγονεν ὁ διατείνας. τοῖς δ' ἀνθρώποις πολὺς ὁ χρόνος γίνεται τῷ ἐν πλήθει διατείνειν. ὥστε κινηθέντων διὰ τὸ ἁπαλὰ εἶναι, καὶ θραύεται τὰ ἀκρωτήρια ἐν τῷ πλείονι χρόνῳ πλείω.

Cur homo omnium maximè animantium oriri claudus poteſt? vtrum quòd cæterorum crura robuſtiora ſunt, oſſe námque, & neruo, tam quadrupedum, quàm auium conſtant, hominum carne redundant. Itaque faciliùs hæc ob ſuam mollitiem lædi poſſunt, cùm ſe in vtero mouent. An quòd ſolus ex omnium animantium genere varia generationis tempora obtinet, nam & ſeptimo, & octauo, & decimo menſe venire in lucem poteſt. Cæteris tempus vnum perficiendi ſine mora ſtatutum eſt: hominum generi temporis multum, pro varia ratione immorandi conſumi neceſſe eſt. Itaque cùm fœtus mouentur, extrema, quòd tenerrima ſunt, facilè infringuntur, & eò magis, quò plus temporis interceſſit.

Hominem claudum naſci, niſi ſit vitio ſeminis, qua ratione dixit Ariſtoteles libro ſeptimo de hiſtoria animalium, capite ſexto; *Gignuntur quoque læſi ex læſis, verbi cauſſâ, claudi ex claudis, & cæci ex cæcis*, duabus contingere ex cauſſis, ſcribit hoc loco Ariſtoteles; quarum altera ex imbecillitate partis, quæ afficitur, altera ex frequentiori pendet occaſione, quam præter cætera animalia ad claudicationem patiendam homo habet: poſtrema autem hæc tangitur etiam ab Hippocrate libro de ſeptimeſtri partu. Ad primam igitur ait Ariſtoteles, cæterorum animalium crura eſſe validiora, & robuſtiora, quàm hominum; quod probat inductione in quadrupedibus, & auibus, hæc enim ſunt, quæ claudicant, quorum crura, quia magna ex parte ex oſſe, & neruis componuntur, validiora hominum cruribus ſunt, quæ multa carne conſtant: hanc autem ſententiam protulit etiam tum libro ſecundo de hiſtoria capite primo his verbis ex Theodori tralatione: *Omnium quadrupedum crura, oſſe neruoſq; abundant, carne deficiunt*; tum quarto de partibus capite decimo his verbis ſimiliter eodem interprete: *Crura etiam homini fæmore, ſuraq; carnulenta ſunt, cùm cætera animalia omnia non modò viuipara, verùm etiam quæcumq; cruribus conſtant, vacua carne hæc habeant: neruoſa enim, oſculenta, ſpinoſa, & rigida.* Qua de firmitate atque imbecillitate tum in homine, tum in aliis pedeſtribus, locus etiam legitur in libro de animalium inceſſu capite nono, non omnino huic idem; ſed cum non vacat in præſentia ampliùs conſiderare. Caro igitur, quia mollior, ideo imbecillior, & magis opportuna eſt, vt in agitatione, & motu peruertatur, laxetur, & detrimentum accipiat, quæ in cruribus ſi fiant, oritur claudicatio. Altera ratio ſumpta eſt à diuerſitate, & varietate temporis partus, quam humanum genus habet inter ſe; natalitium enim tempus, aliis aliud, cùm & ſeptimo, & octauo, & decimo veniat in lucem homo, non idem autem omnibus ſtatum, & præfixum ſit; quam ſententiam habemus etiam libro ſeptimo de hiſtoria capite quarto his verbis: *Sed cùm cætera animalia omnia ſingulari, ac ſimplici modo partum ſuum perficiant (vnum enim pariendi tempus ſtatutum omnibus eſt) homini vni multiplex datum eſt, nam & ſeptimo menſe, & octauo, & nono parere poteſt, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam vndecimum tangunt.* Eandem rem, teſtimonio mulierum ipſarum affirmauit Hippocrates libro de ſeptimeſtri partu his verbis: *Quæ verò iudicio præditæ ſunt, & victoriam de hac ſententia pronunciant, ſemper dicunt, ac teſtantur, naſci ſeptimeſtres, & octimeſtres, & nouimeſtres, & decimeſtres, & vndecimeſtres.* Cæteris autem animalibus vnum pariendi tempus ſtatutum eſſe, habuimus ex Ariſtotelis verbis modò adductis, quamquam in earum genere etiam ex Ariſtotelis ſententia, exigua aliqua poſſit intercedere varietas, quæ tamen propoſitam rationem non poſſit de medio

tollere. Variis igitur hiſce temporibus, quæ exitui ſingula deſtinata ſunt, quibúſque poteſt in lucem prodire homo, variis motionibus afficitur fœtus in vtero, ſingulis enim illis temporibus mouetur, & explorat vires ſuas, num in lucem prodire poſſit: vnde & laborat, & in periculum vitij alicuius, & claudicationis ipſius, & in ipſam claudicationem eo tempore incidit. Non ſic aliis animalibus vſuuenit, quibus vnico exeundi tempore conſtituto, nulla aliis temporibus ſit agitatio, aut impetus ad exeundum, ſed quietè, & pacatè tempora peraguntur. Hanc agitationem & laborem, ex quo claudicatio, aut aliud vitium oritur, agnouit etiam, vt dicebam Hippocrates, qui eadem in octauum menſem præcipuè retulit, ita ſcribens: *Quæcumq; verò mulieres multos pueros pepererunt, & quidam ex ipſis claudus natus eſt, aut claudus, aut cœcus aut aliud quoddam malum habens, aiunt in hoc puero octauum menſem ipſas difficiliùs tranſegiſſe, quàm in his, quos pepererunt, nihil mali habentes.* Hæc Hippocrates. ὥστε κινεμένων μᾶλλον τὰ ἄπαλα ἔξω. *Itaque cùm fœtus mouentur, extrema quòd.* Vtraſque rationes in concluſione iungit, & ex altera alteri vim addit. Et quoniam, inquit, mollia hominum crura ſunt, & multis temporibus in vtero mouetur homo egreſſum tentans, facilè contingere poteſt, vt in motione fractis oſſibus, aut articulo dimotis, quæ in crure ſunt, claudicatio ſubſequatur. πολλὰς ἔχει χρόνους τὰ γενέσεως. *Varia generationis tempora obtinet.* Cicero, γένεσιν, vertit *ortum*, vt in illis Platonis in Timæo περὶ θεῶν καὶ τὰ ἔξω παντὸς γενέσεως. *de Deorum natura, ortuq; mundi*: quæ vox & iam hoc loco minùs ambiguè ſenſum explicet; & Ciceroniana eſt, cùm generatio vix Latina.

XXXIX.

Διὰ τί οἱ εὐνοῦχοι ἑλκώδεις τὰς κνήμας ἴσχουσι, καὶ σαπρούς; πότερον ὅτι ἔχουσι καὶ γυναῖκες· οἱ δ' εὐνοῦχοι, γυναικοῖ; ἢ τοῦτο μὲν συμβέβηκεν. αἴτιον δὲ τὸ γυναιξὶν, ὅτι ἡ θερμότης κάτω ὁρμᾷ δηλοῖ δὲ καὶ τὰ γυναικεῖα. διὸ εἰκὸς οἱ εὐνοῦχοι, εἰκὸς γυναῖκες θαμεῖς γίνονται, διὰ πολλὴν ὑγρότητα.

Cur ſpadones cruribus putridis, vlceroſiſq; ſunt? Vtrum quòd etiam mulieres crura habent eiuſmodi: ſpadones autem effœminati omnino ſunt. An hoc accidit. Cauſſam autem mulieribus quoque reddere illam debemus, quòd calor deorſum ſe vertit: quod etiam menſtrua declarant. Vnde fit etiam, vt præ nimio humore, neque ſpadones, neque mulieres pilis valeant redundare.

Eunuchis malè affici ſolere crura dictum etiam ſuperiùs eſt ſectione quarta problemate tertio, quo loco tumorem eiuſdem partis proponebat, hîc autem vlcera, & putredinem proponit. Affert autē duas rationes, alteram à ſigno, ſeu per accidentalem cauſſam, alteram per ſe. Primùm igitur accidentalem proponit, ideo dicens, eunuchorum crura eſſe vlceroſa, & putredinoſa, quoniam mulieres eodem modo affecta habere crura conſueuêre, eunuchi autem effœminati ſunt. *At num id accidit?* inquit Ariſtoteles; nimirum num autem putanda eſt hæc cauſſa per accidens? talis enim verò (etſi non diſſimili vtatur aliquando hiſce in problematibus Ariſtoteles) exiſtimanda, ſi eiuſdem Philoſophi doctrinam attendimus in libro ſecundo Phyſicorum: quâ cauſſarum genera percurrit; illa enim per accidens cauſſæ ſunt, quæ cauſſis per ſe accidunt aut inſunt; accidit autem ei, in quo ad crura, ex caliditate, & humiditate fluxio fit, vt muliebrem induerit naturam; Cauſſam igitur per ſe proponens Ariſtoteles, quæ tum mulieribus, tum eunuchis ſit communis, ait eſſe caliditatem, quæ ad partes inferiores impetum facit; caliditatem autem intelligit coniunctam humiditati vt apparet ex vltimis verbis problematis, & ex problemate citato ſectionis quartæ, quo non caliditatem, ſed humiditatem dixit ad crura tendere; nimirum intelligit fluxionem rei calidæ, quæ humori eſt coniuncta, & rem humidam, quæ à caliditate non eſt diſiuncta; vnà enim cùm calore humor abſtrahitur, nullus enim humor ſine calore eſt, ait Ariſtoteles quinto de generatione animalium capite tertio, & alibi eodem libro. Huiuſmodi autem humorem deorſum tendere in fœminis, ſignificari tradit ex menſtruis, illuc enim tendunt, & indè erumpunt, in eunuchis autem peculiarem aliquam rationem non affert, ſed multam tantummodo nominat humiditatem, ex qua vlcera; & putredo in cruribus oriuntur, & ratione cuius etiam fieri tradit, vt tum eunuchi, tum mulieres pilis haud quaquam redundent; ſiccitatem enim ad pilorum generationem multùm conferre ſcripſit idem Ariſtoteles ſuperiùs ſectione quarta problemate quarto, & Galenus etiam libro ſecundo de tempe-

ramentis capite quinto, intelligentibus nimirum nobis ſiccitatem in corpore humano, quæ humoris expers numquam eſſe poteſt, ſicuti ibidem affirmat Galenus.

X L.

Διὰ τί τ̃ ζώων ἐξὲν λιθιᾶ, ἀλλ' ἢ ἀνθρωπ@ ; ἢ ὅτι τ̃ μὲ ὑποζυγίων ☾ τ̃ πολυωνύχων οἱ πόροι τ̃ κύστεως δῦρεῖς εἰσιν ; ὅσα ☽ μὴ τ̀ πρῶτον, ὕστερον ☽ ζωοτοκεῖ ἐν ὠτῖς, οἷον ἔνιοι τ̃ ἰχθύων· τούτων ☽ οὐδὲν κύστιν ἔχει, ἀλλ' εἰς τὴν κοιλίαν ὠτῖς ἡ τοιαύτη σωθλίδ@ ὑπόστασις, οἷον ☾ τοῖς ὄρνισιν· ὥστε ταχὺ ☾ διεξέρχε@ κ τὴν ἕδραν· ὁ ☽ ἀνθρωπ@, κύστιν τε ἔχει, ☾ στενὸν τ̀ αὐλὸν, ὡς κ μέγεθ@· διὰ μὲ οὖ τ̀ ἔχειν τοῦτ τ̀ μόριον, σωθλίδ@ τ̀ γεῶδες εἰς τὴν κύστιν· (διὸ κ χρώζον) αἱ ἀμίδες ὑπ' ὠτῆ) διά τε τὴν θερμότητα ἕ κπτ@, συμπέπτ@ ☾ παχύν@) μᾶλλον. ἐμμένει ☽ ☾ αὐξανό@), διὰ τὴν στενότητα ἕ ἐρητῆρ@· ὁ γὰρ ἰλυώδη τὰ γεώδη ὑποστήματα ῥᾳδίως ὑποξιέναι, ποθ̃ ἄλληλα ὑποσυμφόμενα, γίν@ λίθος.

Cur nullum animal, niſi homo, calculoſum fieri poteſt? An quòd iumenta, & quæ vnguibus ſunt numeroſis, veſicæ meatus obtinent ampliores. Quæ autem non protinus, ſed poſt parere intra ſe animal conſueuerunt, vt piſces nonnulli, ex his nullum veſicam habere nouimus. Sed humor ſubſidens, ille totus in aluum conſtringitur, ſicut etiam in auibus fit: itaque celeriter exit per ſedem. At homo veſicam habet, & ceruicem eius canali anguſto pro magnitudine porrectam. Ergo quod membrum id adeſt, quantum terreni humoris ſeuocatur, in veſicam contruditur, ex quo vaſa quoque vrinaria, id eſt matula eo ipſo tinguntur. Loci autem calore efficitur, vt ampliùs concreſcere, atque craſſeſcere poſſit. Retinetur verò, augetúrque propter canalis anguſtiam: cùm enim terrena illa ſubſidentia prodire ex facili nequeant, reuerſa cohærent inter ſeſe calculúmque ita conficiunt.

Cur animal quodpiam calculo laboret, duas requiri conditiones docet Ariſtoteles, quarum alterutrum ſi deſit, lapis haud gignitur; veſicam habere, & meatus ad ipſam pertinentes anguſtos: vtraſque quoniam habet homo, calculoſus fit; quoniam eadem nullum aliud animal, nullum eo vitio laborat: Ad hanc rem oſtendendam diuidit in præſentia animalia hoc modo, vt alia ſint ſubiugalia, & multiunguia, nimirum quæ animal ſtatim pariunt, cuiuſmodi, bos, equus, capra, canis, & multa præter hæc: alia autem quæ non ſtatim intus gignunt animal; ſed ouum, ex quo deinde animal, quam diuiſionem etiam proponit libro primo de hiſtoria animalium, capite quinto; huius autem alterius generis ſunt nonnulli piſces, & aues. Primi igitur generis animalia veſicam quidem habent; ſed meatus latos, & amplos: poſterioris autem, neque habent veſicam, teſtudine excepta: hæc enim ex ouiparis ſola veſicam habet, vt ſcribit idem Ariſtoteles tertio de hiſtoria capite decimo quinto. In his igitur animalibus veſica carentibus, humor ille, qui ſubſidere ſolet, in ventre totus contruditur, ex quo loco deinde celeriter foràs per ſedem prodit. Homo autem tum veſicam habet, tum etiam meatum, quâ ex veſica vrina fluit, anguſtum ſatis proportione magnitudinis ipſius. Hinc fit, vt craſſa, & terreſtris materia ſeroſo humori ammixta, ad partem illam feratur, cùm ea præditus homo ſit: ferri autem craſſam, & viſcidam, ea re patet, quoniam matulæ adhæret, & eam colorat. In veſica autem recepta, ob loci caliditatem, quamquam hæc ſatis modica concoquitur, ea coctione ſcilicet, quam illiuſmodi excrementa recipiunt, & craſſeſcit magis; coctio enim incraſſando fit; eodem autem in loco diutius permanens, quippe cui per meatus anguſtiam non pateat extra aditus, non enim terreſtria illa ſubſidentia poſſunt facilè egredi, augetur aſſiduè, remeans enim materia, alteráque ſuper alteram identidem aggeſta, lapidem tandem creat. Hanc de calculi in homine generatione, illiúſque tum efficienti, tum materiali cauſſa ſententiam, propoſuit etiã auctor libelli *de Renum affectuum dignotione, & curatione*, cuius hæc ſunt verba: *Subnectam aliud de eadem re notum exemplum. In lebete generari lapides ſæpe compertum eſt, aquæ parte, quæ tenuis fuerat diſſoluta, manẽte alia, quæ craſſa, & terrena eſt; ea enim lebetis, vel alius æris corpori affigitur, & lapideſcit. At in nobis lapidem frigus non parit; neque enim fieri poteſt, vt viuo corpori tantum frigus accidat, quo concreſcere valeat in homine lapis, quemadmodum fieri in externis videmus: quo fit, vt à calore lapis in homine generetur, eoq; vel vehementi, vel tepido. Nam ſi craſſa materia eſt, ſufficere poteſt tepida, & moderata caliditas; & quæ naturalis eſt, ad firmandam & indu-*

randam terræ modo craſſam hanc materiam: eſt enim craßities ad generandum lapidem ſingulariter accommodata. Sin tenuior eſt, vehementiori tum planè indigebit caliditate, ſiue naturali, ſiue præter naturam, qua dureſcat in terram: ſiquidem calor tenues materiæ partes euaporare facit, atque ita vbi valuerit, lapidem conformat. Ideóque ſimpliciter à calore fit in nobis calculus. Hæc auctor ille, cui non diſſimilia tum de materie, craſſitie, tum de mediocri calore ſcribit etiam Galenus commẽto tertio in ſextum Epidemiorum particula vigeſima quinta. Ἐ στενὸν ἢ καυλὸν. *Et ceruicem eius canali anguſto pro magnitudine porrectam.* Theodorus ſenſum multò pluribus expreſſit, quàm Ariſtotelis Græca ſint: hæc enim tantùm Ariſtoteles habet: *Et caulem anguſtum proportione magnitudinis:* quod autem hîc dicit *caulem*, καυλὸν, paullò poſt, eiuſdem partis anguſtiam denuò referens, nominat ἀρτηρίαν, vt illis vocibus hoc quidem in loco idem ſignificari appareat: καυλὸς autem, ſeu caules vt in plantis, & oleribus eſt in altum ſurgens veluti virga, ſic in homine auctore Iulio Polluce libro ſecundo, non eſt aliud, quàm in pudendis prælonga illa pars, per quam ex veſica profluit vrina, nimirum penis ipſe. ἀρτηρίες autem ſeu *Vreteres* apud Galenum libro quinto de vſu partium ſunt meatus illi duo, per quos vrina à renibus in veſicam ſtillat, & ſic etiam appellantur à Celſo libro quarto capite primo his verbis: *At à renibus ſingulæ venæ colore albæ ad veſicam feruntur ἀρτηρίας Græci vocant, quòd per eas inde deſcendentem vrinam in veſicam deſtillare concipiunt*; Et à Rupho Epheſio libro primo de corporis humani partium appellationibus capite vndecimo. At hoc loco Ariſtoteles, vt ex ſenſu apparet hanc vocem ἀρτηρίαν *vreteram* non ea ſignificatione ſumpſit, ſed pro eo, quod Galenus libro primo de locis affectis capite primo appellat ἀρήθραν, quod definit, πόρον τῆ τραχήλῳ τῆ κύστεως, *meatum colli veſicæ*, quo modo Theodorus ſenſum potiùs ſecutus, quàm verba locum interpretatus eſt: quamquam Iulius Pollux, & Ruphus Epheſius ἀρήθραν, non eo modo deſcripſerint: Sed & Ruphus Epheſius diſertis verbis nos admonet ne pro ἀρήθρα, quam ipſe dicit eſſe cauitatem per quam ſemen, & vrina excernitur, dicamus ἀρτηρίαν, cùm ἀρτῆρες, alij meatus ſint, per quos vrina è renibus in veſicam fluit, quod dictum auctoritate Ariſtotelis hoc loco refellitur. Adnotandum igitur hæc duo nomina καυλὸς, &, ἀρτὴρ, tum pro eadem re hîc vſurpari, tum verò ea notione ſumpta eſſe hîc ab Ariſtotele, quæ à lexicis, quæ ego quidem viderim, minimè fuerunt obſeruata.

XLI.

Διὰ τί οὐκ ἐρεύγεται τὰ ὑποζύγια, οὐδὲ οἱ βόες, Ἐ τὰ κερατοφόρα, οὐδὲ οἱ ὄρνιθες; ἢ διὰ ξηρότητα τῆ κοιλίας, ταχὺ γὰρ ἀναλίσκωται τὸ ὑγρὸν Ἐ διηθεῖται· ἐμμένον δὲ ἢ Ἐ πνεῦμα ποιεῖ, γίνεται ὁ ἐρεύγμος. τοῖς δὲ λοφάργοις, διὰ μῆκος τῆ αὐχένος, εἰς τὸ κάτω ὁρμᾷ τὸ πνεῦμα· διὸ καὶ ὑποψοφοῦσι μάλιστα. οἱ ὄρνιθες δὲ, καὶ τὰ κερατοφόρα, οὐ ποιεῖ οὐδέτερον. οὐδὲ ἐρεύγονται ἢ ὅσα μηρυκίζει, διὰ τὸ πολλὰς ἔχειν κοιλίας, καὶ τὸ κοιλόμυον κεκρύφαλον· διὰ πολλῶν οὖν γίνεται Ἐ ἄνω καὶ κάτω τῷ πνεύματι ἡ πορεία, καὶ φθάνει ἀναλισκόμενον τὸ ὑγρὸν, πρὶν ἐμπνεύματωθῆναι, καὶ ποιῆσαι ἢ ἐρυγεῖν, ἢ ψοφῆσαι.

Cur non iumenta, non boues, aut omnino, quæ cornua gerunt, non aues ructare ſoleant? An propter ventris ſiccitatem. Celeriter enim conſumitur, percolatúrque humor: qui dum immoratur, inflatúrque ructationem mouere poteſt. Iumentis tamen, ob colli etiam prolixitatem, flatus deorſum ſe vertit; quam ob rem his crepitus ventris maximè incitatur. Auium, cornigerorúmque genera neutrum faciunt. Quinetiam ruminantibus ructare negatum eſt, quoniam plures continent ventres, & quem reticulum appellamus: facultas etenim meandi tam ſuper, quàm ſubter, flatibus multifariam præſtatur. Itaque humor conſumitur ante, quàm in flatum vertatur: qui flatus moueat vel ructum, vel crepitum.

De alio accidenti loquitur, cuius ſunt expertia cætera animalia, ſoli autem homini illud commune eſt, nempe eructatio, qua flatuoſus ventus per os excernitur. Proponit autem Ariſtoteles animalia, triplici membro vtens, vt alia ſint ſubiugalia, vt equus, mulus, & aſinus, alia boues & cornigera, alia aues: quamquam autem inter ea quæ iugo ſubiiciuntur, boues ſunt, eos tamen hîc ſeiungit Ariſtoteles, vt cornigeris adnumeret. Primò autem cauſſam proponit, quæ omnibus communis ſit, tum alicui generi aliquam particularem. Communis autem cauſſa eſt, ipſa ventris ſiccitas, ob quam generatim in omnibus animalibus celeriter

abſumitur

abſumitur humiditas, ructuum materialis cauſſa, tranſmittitur enim per partes illas ſiccas, perq; illorum foramina percolata fugitur, & abſorbetur; ſicca enim promptè recipiunt, admittunt, & trahunt aquam & humores omnes. Cætera autem animalia eſſe ſicciora, hominem autem humidiorem, habemus ex Galeno libro primo de temperamentis, capite quinto, vbi ſcribit, animalibus ad inuicem ſecundùm ſpecies comparatis, hominem quidem humidiorem, canem autem ſicciorem eſſe, cui tamen homini ſimilem temperaturam inter eadem animalia habere porcos domeſticos, quibus exciſi ſunt teſtes, ſcribitur ab eodem Galeno: libro vndecimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Idem habemus etiam ab ipſo Ariſtotele libro primo de generatione animalium capite vigeſimo, cùm ſcribit ex omnibus animalibus plurimam purgationem mulieribus fieri, atque maribus plurimum emitti ſeminis, magnitudinis eorum proportione; Huius rei cauſſam eſſe corporis cõſtitutionem, quæ humida & calida eſt, ratione cuius plurima in eo fiunt excrementa. Igitur ratione ſiccitatis ventriculi, abſumptis humiditatibus, & excrementis, quæ ſunt ructus materia, illi in cæteris animalibus non fiunt, in homine fiunt: manent enim illæ humiditates, & excrementa, atque in flatum conuerſæ, perque os excretæ, ructum pariunt: ſcribit enim Galenus, libro tertio de ſymptomatum cauſſis capite ſecundo, fieri ructus ex halituoſo ſpiritu, genito in locis, qui ſunt in ventre, ſuccis quibuſdam pituitoſis, vel cibis inibi à deficiente calore in halitum ſolutis; ſolam enim & ſinceram frigiditatem prorſus halitum facere non vult, quoniam nec attenuat, nec conficit, nec alimentum diſſoluit: nec etiam fortem calorem, quoniam longiori interuallo nutrimentum ſuperat, & attenuat, quàm pro halituũ generatione ſit neceſſe; calorẽ autem qui in cibos quidem agit, cæterum diminutè; eos ſanè modo quodam diſſoluere, non tamẽ prorſus conficere; atque hinc oriri flatuoſum ſpiritum, qui cùm per os excernitur, ructum parit, cùm per ſedem, flatum, aut cum ſtrepitu, aut ſine ſtrepitu, quod pedere Latini dicunt. τῖς δὲ λοφέροις. *Iumentis tamen ob colli*: Cauſſam aliam aſſignat, alicui generi propriam, nimirum iis quæ λοφέα appellantur, hæc autem ſunt, quæ habent ſetas in ceruice erectas in modum criſtæ, & caudam: Theodorus vertit, *iumenta*, qua voce etiam ſuperiùs dum probléma proponeret vſus idem Theodorus eſt, ibi tamen Ariſtoteles non λοφέα, ſed ὑποζυγία dixit, hoc eſt *ſubiugalia* vt expoſuimus; ſubiugalia autem non eadem ſunt, quæ λοφέα: bos enim ex ſubiugalibus eſt, non tamen ex iis quæ λοφέα dicuntur, quamuis hoc loco cùm à ſubiugalibus boues ſuperiùs diſtinxerit Ariſtoteles, non multùm interſit. In huiuſmodi igitur animalibus, quæ iubam & caudam habent, quia collum etiam longum obtinent, flatus qui gignuntur, ad partes inferiores impetum facere dicit Ariſtoteles, illâc enim tendunt, quâ exitus illis promptior & expeditior eſt, at breuior via per inferiores partes, quàm per ſuperiores ob colli longitudinem, illâc igitur & illuc pergunt: vnde fit vt huiuſmodi animalia multùm etiam & frequenter pedere ſoleant. Aues autem & cornigera neutrum horum facere dicit Ariſtoteles, id eſt nec ructare, nec pedere; non tamen cauſſam aliquam ambobus communem aſſignat, aut auibus vllam peculiarem: ſed cornigeris omnibus quæ conueniat, quod erat reliquum membrum, aliam proponit; & aliis etiam præter cornigera: dicit enim non etiam ructare quæcumque ruminant, ruminant autem omnia cornigera, quæ vtrinque dentata non ſunt, & ex dentatis vtrinque, mures pontici, & piſcis ille quem ab ea re ruminalem quidam appellarunt, vt ſcribit idem Ariſtoteles nono de hiſtoria capite vltimo: & camelus etiam ruminat more cornigerorum, vt ſcribit idem Ariſtoteles libro tertio de partibus capite decimo quarto. Huiuſmodi autem ruminantia animalia habent plures ventres, ſicuti hoc loco ſcribit Ariſtoteles, atque etiam libro ſecundo de hiſtoria capite decimo ſeptimo, & tertio de partibus, quem modò adduxi, capite itidem decimo quarto; quo loco cùm eos ventres ſigillatim enumerat & nominat, tum etiam rationem proponit, cur plures à natura ſint facti, cuius verba etiam prætereunda non duxi: de ruminantibus igitur loquens hæc ſcribit eodem Theodoro interprete: *Habent hæc ſingula plures ventres, vt ouis, capra, ceruus, & ſimilia, vt cùm officium oris non ſatis in molendo cibo adhibetur propter inopiam dentium, munus dentium expleant, dum alius ab alio cibum recipit, ſcilicet primus inconfectum, ſecundus aliquantulum confectum, tertius pleniùs, quartus perquàm plenè confectum. Ita fit vt genus hoc animalium, receptacula cibi habeat plura, quibus nomina hæc aut indita ſunt, aut indere licet, venter, araneum, ſiue reticulum, omaſum, abomaſum. Quónam modo hæc ſe habeant, tum ſitu, tum etiam ſpecie, ex hiſtoria, diſſectioneq; animalium petendum eſt.* Innuit autem Ariſtoteles locum quem citaui ſecundi de hiſtoria capite vltimo. Oſtendit deinde Ariſtoteles quomodo ratione plurium ventrium, non fiant aut ructus, aut crepitus. Inquit enim quoniam plures ſunt in huiuſmodi animalibus ventres, facultatem præſtari flatibus, qui in eiſdem gignun-

tur, sursum & deorsum multifariam per eos ventres meandi, qua varia motione fit vt humiditas anticipet absumi, quàm flatum pariat, qui aut ructum, aut crepitum moueat. Quod igitur paullò ante dixit, flatibus præstari facultatem sursum & deorsum meandi, intellexit flatus imperfectos, & inchoatos, & rudimenta quædam flatuum, hîc autem cum humiditatem ante absumi, quàm flatum excitet; flatum intelligit perfectum & absolutum, qui ructum moueat, aut ventris crepitum. *Facultas etenim meandi.* Pro *etenim*, verterim libentiùs, *ideo*, aut *igitur*, cùm ea Græcè sit οὖ, & meliùs sensum, vt mihi quidem videtur, hæ particulæ exprimant.

XLII.

Διὰ τί ὅσα μὲ ἥμερα τ̃ ζώων, ἔστι πάντως ⊂ ἄγρια· ὅσα δ̀ ἄγρια, ϛ̀ πάντες ἥμερα· καὶ γὰρ ἄνθρωποί πϵ φαίνονται ἄγριοι ὄντες, ⊂ κύνες ἐν Ἰνδοῖς, ⊂ ἵπποι ἄλλοθι· ἀλλ' ϛ̀ λέοντες ἥμεροι, ϛ̀δὲ παρδάλεις, ϛ̀δ' ἔχεις, ϛ̀δ' ἄλλα πολλὰ; ἢ ὅτι ῥᾷον τὸ φαῦλον ⊂ γλίσχρ ἐξ ἀρχῆς, καὶ μεταβαλεῖν εἰς αὐτὸ; ἡ γὰρ φύσις, ϵ̓χ ἡ ϖϵφότη, ἀλλ' ἡ ἐντέλϵι ἐργώδης τυχεῖν δύθυς· διὸ πάντα ⊂ τὰ ἥμερα, ἄγρια γίνονται τὸ ϖϵφότϵν μᾶλλον, ἢ ἥμερα· οἷον παιδίον ἢ αὖηρ, παμφάγον, ϰὴ τῷ θυμῷ ζῶν· ἀλλὰ ἀσθϵνϵστϵρα· ὥσπϵρ οὖν ⊂ ὅπῃ τ̃ δ̀ τέχνης ἔργα, ὅπως ἔχϵι ⊂ ὅπῃ τ̃ δ̀ φύσϵως ἔργων. ⊂ γὰρ ὅπῃ τάττων, παντ' ὀρθῶς φαύλως ϵἰργασμένα, ϰὴ πλϵίω τὰ φαῦλα, κλίνη, ⊂ ἵμάτιον, ⊂ ἄλλο ὁτιοῦν· ⊂ ὃ μὲν ὀρθῶς καλὸν, λαβεῖν ὀρθῶς ἅπαν ⊂ φαῦλον· ὃ δὲ φαῦλον, ϵ̓ πᾶν καὶ καλόν· οἷον ϵἴ τις ὅπῃ τ̃ ἀρχαίως γραφέων, ⊂ ἀνδριαντοποιῶν σκοπεῖ τὰ ἔργα· ϵ̓ γὰρ ὡ πώποτϵ ἐδαμῇ γραφὴ ἀϖϵδαία, ϵ̓δὲ ἀνδρίας· φαῦλα δ' ὁμοίως ἢ ⊂ ἡ φύσις, φαῦλα μὲ πάντα ποιεῖ, ⊂ πλείϵς, ⊂ πλείω ἀϖϵδαῖα ἢ ἐλάττω, ⊂ ϵ̓ πάντα δύνασθ'· τὸ δ' ἥμερον, βέλτιον· τὸ δ' ἄγριον, φαῦλον· φύσις δ' ϵ̓ τῇ ἐξ ἀρχῆς, ἀλλ' ἐφ' ὡ οἶμαι ῥᾷον, ποιεῖ ἀϖϵδαία ⊂ ἥμερα· τὰ δ' ἐναντία; ἢ ϵ̓δέποτϵ, ἢ μόλις, ϰὴ ἔν τισι τόποις, ⊂ ἐν χρόνοις, ἢ ἀρτίως ἢ ποτὲ ἔν τινι κεράσῃ τῷ ὅλῳ, γίνονται ἥμερα τὰ ζῶα πάντα· τὸ δ' αὐτὸ ⊂ ὅπῃ τ̃ φυτῶν πάντων ὀρθῶς ἐστιν· ὅσα μὲ γὰρ ἥμερα ϰὴ ἄγρια· ϵ̓ πάντα δ' δύναται ἡμερωθῆναι, ἀλλ' ὁμῶς εἰσὶν ἐν ἰδίᾳ χώρᾳ ϖϵφυκότα πολλὰ ἰδίως ἐχόντα· ὥστϵ ἠμελημένα, ϰὴ ἄγρια πρέπϵι ⊂ ἡμερώτϵρα φυέσθαι, τ̃ ἐν ἄλλῃ γϵωργϵμένων.

Cur in animantium genere quæcumque domestica, eadem etiam fera reperimus: quæcumque autem fera, non vtique eadem domestica natura creauit? Etenim homines feri nonnusquam cernuntur, & canes apud Indos, & equi alibi: sed non leones, non pantheras, non viperas, non alia complura domestica esse nouimus. An quòd res praua & facilis ortu est, & mutari quoque expeditè in eam rem potest. Naturam enim non quæ prima, sed quæ vltima est, assequi statim perdifficile est. Quapropter omnia etiam domestica, principio fera potiùs, quàm domestica esse solent, vt puer ferocior profectò quàm vir, quippe qui omnium edax, & iræ deditus sit, quamquam infirmus. Ergo quomodo in operibus artis, sic etiam in naturæ licet perspicere. Nam in his quoque praue omnia facta sunt, & plura sunt praua, quàm proba, vt lectus, vestis, quoduis aliud: quódque probum est, id omne prauum, etiam comperiri potest. Quod autem prauum, id non omne probum quoque reperies: vt si quis vetustissimorum pictorum, fictorúmque opera cogitet, nondum enim peritè pingebatur, aut ex ære ducebatur, sed pingui Minerua omnia effigiabantur. Natura etiam praue omnia facit, & plura praua, quàm proba: proba verò pauciora præstare, non omnia, potest. Atqui domesticum omne melius est, ferum autem atque syluestre prauum naturâ, scilicet non quæ initia, ortúsque continet, sed cui, opinor, factu difficile sit probum illud vrbanum, atque domesticum. Contrarium verò, aut numquam; aut rarò efficitur. Attamen vel temporum locorúmque conditione, temperamentóque vniuersi quodam fieri potest, vt vrbana, & mitia reddantur omnium animalium genera. Hoc idem in omni etiam stirpium genere intelligere licet. Quæcumque enim vrbana sunt, eadem etiam comperiri syluestria possunt. At quæ syluestria extitêre, eadem omnia mansuescere non possunt. Non tamen desunt, quæ suis locis quibusdam peculiariter ita se habeant, vt neglecta, feráque proue-

nire præſtantiora poſſint, & mitiora, quàm quæ alibi ſummo cum ſtudio colantur.

Quod hîc proponit Ariſtoteles,ex animalibus quæcunque manſueta & domeſtica ſunt, eadem quoque fera & ſylueſtria eſſe, ſcriptum etiam ab eodem Ariſtotele habemus libro primo de hiſtoria capite primo ad extremum caput, vbi animantium varias proponebat diuiſiones his verbis,Theodoro interprete: *Addo etiam alias eſſe cicures,alias feras,& alias perpetuò cicures,vt hominem, vt mulum:alias perpetuò feras, vt pantheram, vt lupum:nonnullas etiam facile poſſe manſueſcere,vt elephantos:ſed quin aliter partiendum eſt:Genera enim quæcunque placida ſunt,hæc eadem fera quoque poſſunt reperiri, vt ſues,equi, homines,oues,capræ, canes,boues.* Libro etiam primo de partibus capite tertio,eandem protulit ſententiam, omnia quæcunque domeſtica ſunt, ſylueſtria etiam reperiri dicens, quo locoſylueſtre & domeſticum pro differentiis animal diuidentibus docebat non rectè ſumi.Plinius etiam libro octauo capite quinquageſimo tertio,eandem rem monumentis conſignauit,cuius hæc ſunt verba:*Non in ſuibus tantùm,ſed in omnibus quoque animalibus,cuiuſcúnque generis vllum eſt placidum, eiuſdem inuenitur & ferum, vtpote cùm hominum ſylueſtrium tot genera prædicta ſint.* Hæc Plinius. Atqui autem quales ſunt hæ feræ animantes,& qua differentia, aut qua nota, vndéque ſumpta inſignitæ, vt à domeſticis internoſcantur? Non enim ſanè quòd gregales,aut ſolitariæ, aut vtriuſque participes,non quòd politicæ,aut non politicæ,non quòd ſub duce degant, aût nullius imperio ſint ſubditæ,hæc domeſtici,& ſylueſtris natura conſtat; cùm illæ differentiæ tanquam res diuerſæ à domeſtico, & ſylueſtri ab Ariſtotele proponantur loco citato primi de hiſtoria; & in ſingulis hiſce generibus tum ferum, tum domeſticum reperire liceat. Plato in dialogo qui *Politicus* inſcribitur, cùm diuiſiſſet omne animalium genus in cicurum & ferum, illa cicura eſſe dixit appellanda, quæ huiuſmodi naturam habent, vt cicurari poſſint, quæ non item,fera. Theophraſtus etiam libro tertio de hiſtoria plantarum capite tertio, quo de ſylueſtri & domeſtici diſcrimine pulchrè admodum pertractat, *Quod* (ait) *mitigari recuſat,vt etiam inter animalia eſt, id natura ſylueſtre iudicandum apparet. Quamquam Hippon ſylueſtre, vrbanúmque eſſe vnumquodque putat, & cultu quidem vrbanum, inculto reddi ſylueſtre; quod partim rectè,partim non rectè putat. Etenim quodque neglectum degenerat, immiteſcíque:ſed haud quoque cultum melius redditur, vt retulimus. Qua propter diſcernendum diligentiùs, & quædam ſylueſtria, quædam vrbana dicendum:vt animalium, quæ non niſi cum hominibus viuunt quæque manſueſcere poſſunt.* Igitur ad hominem ratione habita,ſylueſtria,& domeſtica dicentur animalia, homo enim cicurator eſt; atque ex illis quæcunque eius imperio obediunt, & illius ſocietate, fruuntur, illa domeſtica, quæ neutiquam, fera.Igitur de huiuſmodi feris natura animantibus proponit Ariſtoteles problema, quam ob rem, cùm cuiuſcunque generis reperiantur domeſtica,illius etiam reperiantur ſylueſtria,quæ tamen cicurari poſſunt, non etiam è conuerſo, cuiuſcunque generis reperiuntur ſylueſtria,illius etiam reperiantur domeſtica? Probat autem vtriuſque partis veritatem exemplis nonnullis inductis; homines enim ſunt domeſtici,ſunt etiam ſylueſtres.Plinius loco ſuperiùs adducto ſe hominum ſylueſtrium multa genera prædixiſſe affirmat, & ſanè dixerat antea libri ſeptimi capite ſecundo,Cyclopas, & Læſtrigones, & Arimaſpos, & in conualle Imai montis habitantes auerſis poſt crura plantis, & monoſcelos, & ſciopodas, & quoſdam ſine ceruice, oculos in humeris habentes, & alios præter hos; quæ genera etiam recenſentur à Strabone libro ſecundo, & decimo quinto. Sicuti autem pleraque ex illis fabuloſa exiſtimare par eſt, quemadmodum etiam exiſtimantur ab eodem Strabone;ita de nonnullis,fortaſſe dubitare liceret,num ſylueſtres homines appellandi ſint, cùm ita ſint efformati, vt hominum formam, quàm illi ſimiæ magis referre videantur. Canes feros apud Indos reperiri ſcripſit etiam vt vidimus ſuperiùs libro primo de hiſtoria animaliũ idem Ariſtoteles, & ſcribit etiã Ælianus,libro quarto capite decimo nono his verbis:*Canes Indos feris adnumero.* Equi ſylueſtres vbi naſcantur, regionẽ non memorat Ariſtoteles: ſed Plinius libro octauo capite decimo quinto, dicit eos naſci in ſeptentrionalibus regionibus his verbis:*Septentrio fert & equorum greges ferorum, ſicuti aſinorum Aſia,& Africa.* Ioannes etiam Leo in ſuis de Africa libris tradit in vaſtis Africæ ſolitudinibus huiuſmodi equos naſci, quorum vniuerſam hiſtoriam diligentiſſimè etiam percurrit. Ælianus quoque libro decimo ſexto capite nono, ſcribit in India tum equorum tum aſinorum agreſtium eſſe greges. Et Strabo libro quarto in Alpibus eoſdem naſci ſcribit. Aliam deinde partem probat Ariſtoteles exemplis ſimiliter adductis: Non enim leones, aut pantheræ, aut viperæ naturâ ſua domeſticæ reperiuntur, vt ille quidem dicit, cùm feræ reperiantur. Hæc tamen omnia manſueſcere negandum minimè eſt, viperas enim ſeu

angues etiam mites & innoxij ex Plinio reperiuntur, libro etenim vigesimo nono capite quarto, vbi de Æsculapio dicatis loquitur, hæc scribit: *Atqui anguis Æsculapio Epidauro Romam aduectus est, vulgóque pascitur, & in domibus.* Sed ex circumforaneis plurimos videre licet iis, qui aduersùs venena remedia in plateis & circulis vulgo propinant, angues varij generis non solùm manibus innoxiè contrectare, sed etiam collo, tanquam monilia appensos gestare, in sinúque & inter mammas ludentes eosdem conspicari licet, quam rem antidotorum insigni vi fieri, quæ eos ab animalibus defendat, mihi quidem illi non persuaserint. ἢ ὅτι ῥᾷον τὸ φαῦλον. *An quòd res praua.* Solutionem proponit: est autem talis argumentatio: Res praua tum facilior ortu est, tum facilior vt in eam quidpiam transmutetur, ferum & syluestre est res praua, igitur ferum ac syluestre, tum faciliùs est ortu, tum faciliùs vt quidpiam in illud transmutetur; ex hoc autem facilè colligitur, syluestrium iure maiorem esse prouentum, cùm faciliùs tum ab ortu generentur, tum postmodum talia euadant. Maiorem propositionem pluribus probat Aristoteles, antequàm minorem proponat; & primùm quidem hac ratione, quòd naturam ipsam quæ in fine consistit, nimirum ipsam rei perfectionem, operosum admodum sit, statim à principio consequi: quam verò naturam hîc in fine sitam dicit Aristoteles, eandem, finem appellauit primo libro politicorum capite secundo his verbis: *Natura verò finis est, quale enim vnumquodq; est generationis perfectæ, hunc vniuscuiusque naturam esse dicimus.* Multa igitur ad hunc finem acquirendum, quocunque in genere, eidem generi conuenientia requiruntur: quibuscunque modis autem ab hoc fine & ab hac in fine natura absumus (variis autem de caussis possumus) in prauum incidimus; est enim finis optimum, vt dicitur eodem loco, atque etiam libro secundo de physico auditu textu trigesimo primo: Primam autem naturam hoc loco, non quemadmodum quinto libro de sapientia, intelligit, ipsum primum à natura exortum, & inceptionem rerum quæ nondum operi absolutionem tribuant, quam vt facile est consequi, sic aliam difficile ob varia impedimenta: hanc autem difficultatem ex ea re probat Aristoteles; aut verò ex hac difficultate illud fieri docet, vt domestica omnia primùm (dicit autem nunc, *primum*, quod paullò ante dixit, *ab initio*, & *primam naturam*) sint inquam primùm, potiùs fera, quàm domestica: adeò enim facilis res est ferum & syluestre, vt ipsa etiam quæ ad domesticam naturam ordinata sunt, aliquo tempore illis participent. Probat id exemplo puerorum Aristoteles, hi enim etsi debiles; quoniam longiùs absunt ab ea natura, quæ finis est, quàm viri facti, sunt etiam agrestiores, syluestrémque naturam magis imitantur: nam omnia vorant, sicuti syluestria animalia consueuerunt, cùm domestica ab homine oblatum cibum accipiant, vt de multis piscibus legitur, ne alia magis domestica proponamus animalia, inter quæ numeretur anguilla sacra in Arethusa, & Murena Crassi omnium prædicatione celebrata, de qua Ælianus libro octauo capite quarto; aut saltim non sicuti fera in omne cibi genus impetum faciat. Sunt etiam pueri iræ magis dediti, quàm viri ipsi, vitámque penè degunt in iracundia, quod ait Aristoteles, nimirum quòd leui quaque de re, vt agrestes feræ, facilè excandescant, quippe qui promptissimè moueantur, nam vt scribit idem Aristoteles sectione trigesima prima problemate decimo tertio, facit calor qui nimius in his est, vt motu plurimo vehementissimóque pueri inquietentur, vnde & amentes illos esse, sicuti ebrios ibidem tradit. Scribit etiam octauo libro de historia animalium capite primo, puerorum animas, per illa tempora nihil à ferarum belluarum anima differre. Porrò quæ vox in Theodori tralatione legitur, *ferocior*, illa desideratur in Græcis exemplaribus, quorũ verba ita sonant: *Quapropter omnia domestica, primùm syluestria sunt potiùs quàm domestica, sicuti puer quàm vir, omniũ vorax, & iracundia viuens.* ὥσπερ οὖν ἡ ὄπι τ τέχνης. *Ergo quomodo in operibus.* Concludit non totum argumentum, sed probationem maioris propositionis, nimirũ rem prauam esse factu facilioré, magnumq; idcirco esse illius generis prouentũ. Probationi autẽ adiungit similitudinem, qua etiã totum argumentũ magis confirmatur; idem vsuuenire dicens in rebus factis à natura, ac factis ab arte. Hæc igitur, ait Aristoteles, omnia prauè fabrefacta sunt, & plura sunt praua. In his autẽ verbis, vel nõ ita præcisè, vniuersalis terminus, omnia, est accipiendus, cùm nõ omnia, sed plura esse praua statim subdat, quemadmodum etiam facit paullò post, cùm similitudinem repetit, sed est accipiendus, ac si diceret Aristoteles, vel omnia, vel plura: vt ita intelligat, omnia fuisse prauè fabricata, quòd omnibus aliqua absolutionis pars desit, quæ praua appellat, plura autem esse praua, quàm bona, quia aliis plùs, aliis minùs desit ad perfectionem, plura autem esse quibus plus desit, quàm quibus minùs, praua itaque plura esse. Probat sententiam suam Aristoteles exemplo operum tum artium mechanicarum lecti, vestis, & aliorum, tum mox liberalium picturæ & sculpturæ. In vnoquoque enim horum genere, quodcumq;

bonum

bonum reperitur, reperitur etiam prauum, dicit Aristoteles, quæ est ad prauitatem facilitas,& procliuitas,è conuerso autem minimè fit; quod etiam probat exemplo artium liberalium,nam si consideremus vetustissimorum pictorum,& statuariorum opera, plura reperire licet praua quàm bona: caussam autem esse dicit quia studium & accurata ratio ea opera perficiendi, nullatenus semper eadem sedulitate viget:sed varia est,& sæpius etiam ad contrarium vergit; hanc autem ad praua appulsionem non solis antiquorum operibus assignâsse Aristotelem existimo, sed ea in exemplum adduxisse, quibus illud re ipsa contingeret, quod volebat exponere; omnium autem temporum operibus commune est, vt potiùs ad praua quàm ad bona appropinquent, eo tamen fortasse plus antiquis, quòd recens inuenta, & ortui proxima, minùs possunt esse absoluta, cùm paulatim procedant inuenta: progrediendo autem, semper qui succedunt partem addant, quod in arte oratoria vsuenisse, pluribus verbis testatus est idem Aristoteles vltimo capite secundi libri elenchorũ,in artibus tum mechanicis, tum liberalibus, elegantissimis hisce carminibus Lucretius Carus:

Nauigia, atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, vestes, & cætera de genere horum
Præmia, delicias quoque vitæ funditùs omneis,
Carmina, picturas, & Dædala signa polire,
Vsus, & impigræ simul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredientis.
Sic vnum quicquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratióque in luminis eruit oras.
Nanque alid ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venêre cacumen.

Sed & illud contingere potest, vt diu ante exorta aliqua arte, paullatímque ad cacumen prouecta, qui humanarum rerum mos est, retrò labatur, eadem verò denuò, hominum diligentia, & industria elaborata, ad summam perueniat amplitudinem: variis autem hisce temporibus, quis prauitate & bonitate varia artificum opera non cogitet esse? Primo enim rudia, & impolita, tum bona, postea labente studio & industria, praua vt antea:iterum verò eadem renata, bona & sedula: quod re ipsa in pingendi, & sculpendi arte contigisse vidimus: nam cùm illa quæ Aristotelis temporibus erant antiqua, praua is fuisse dicat, quæ verò ipsi æqualia, cuiusmodi Apellis, & Hisippi opera, qui æquales Philosopho erant, bona; quis nescit successisse tempora quibus praua denuò earundem artium opera fuerunt? In Italia certè quod omnes scimus, ante trecentos & quadringentos annos nónne fuerunt, non solùm rudia, & impolita, sed puerilia picturæ, & sculpturæ opera? cùm annos ante mille, elegantia, venustatéque plurima efformata essent? à barbaris enim deuastata Italia, omníque cultu corrupto, pessum iêre omnes bonæ artes: at patrum nostrorum memoria, non solùm subleuatæ fuerunt illæ artes: sed maximam præstantiam & claritatem adeptæ cùm Bonarrotus, Raphael, Titianus,& alij,antiquissimis quidem haud comparandi, sed tamen admodum illustres præclaris operibus fuerint. Non igitur quæ antiqua simpliciter,sed quæ ortui proxima, illa praua dicit Aristoteles: quam rem etiam,lepidè admodum & facetè expressit Ioannes Boccatius vir ingenio & facundia præstantissimus, quo loco Florentinæ Baronciorum familiæ antiquitatem facetè ostendere volens, hoc argumento vsus est, turpes illos, & deformes eiusdem familiæ vultus à natura tunc efformatos dicens, cùm illa primùm pingere didicit. Porrò ad Theodori tralationem nonnulla sunt adnotanda, & primùm illa, *nondum enim peritè pingebatur*, nolim conuerti *nondum*, nam cùm significatio ξ, ἀπώποτε, haud cogat, non incidam libenter in eum sensum, quem reieci, vt in antiquitatem prauitatis caussa referatur; quæ autem sequuntur postea, cùm liberiùs more suo transferat, ita totus locus ad verbum ferè mihi conuerti posse videtur: *Fuit enim aliquando nullatenus accurata ars pingendi & statuaria, sed praua erant.* Potest autem statuaria non ære ducere, sed marmor, aut argentum, aut aliam materiam elaborare. ὁμοίως ᾗ ☾ ἡ φύσις. *Natura etiam* sequitur Aristoteles, & similitudinem propositam accommodans, eodémque modo euenire dicens in rebus naturalibus ac in artificialibus dictum est, aliam constituit maiorem propositionem, sed priori satis similem, hoc modo: Natura prauè omnia facit, & plures ac plura praua quàm proba, quod ita exponimus, sicuti superiùs diximus. Plures, autem masculino genere hoc loco dicit Aristoteles, fortasse vt homines

ſpeciatim intelligeret, accipimus autem initia ipſa; ea tamen voce videtur caruiſſe Theodorus, qui illam non expreſſit in tralatione. Proponit deinde minorem propoſitionem, quæ vtrique poteſt eſſe communis hoc modo: Ferum & ſylueſtre eſt prauum, igitur natura plura facit fera, & ſylueſtria: ex quo ratio patet, quæ ad inquirendum proponebatur, cur quæ domeſtica ſunt, illa etiam ſylueſtria reperiantur, non è conuerſo. Atque hæc ſatis eſſe poterant ad eam rem oſtendendam: verùm alia ſubdit Ariſtoteles quæ vt corruptiſſima, ita etiam obſcuriſſima ſunt. φύσει ἢ ἐ τῇ ἐξ ἀρχῆς. Theodorus annectit hæc ſuperioribus: at in Græcis exemplaribus formis excuſis quæcúnque vidi interpungitur ante φύσει. Præterea Theodorus videtur locum habuiſſe abſque particula, ἢ: denique totum locum ita vertit, vt manifeſtè appareat lectionem admodum diuerſam, ipſum eſſe ſecutum. At hoc haud ita magni referret, ſi ex Theodori tralatione aptus aliquis ad problema ſenſus elici poſſet, at nedum accommodatum, nullum ego quidem elicio. Porrò autem vt vulgatæ lectionis à Theodoræa diuerſitas omnibus pateat, locum ad verbum conuerſum proponere placuit hunc in modum: *Domeſticum autem melius eſt, ſylueſtre verò prauum. Natura autem, non quæ ab initio, ſed ad quam; arbitror, facile facit proba & domeſtica. Contraria verò aut nunquam aut vix, & in nonnullis locis, & in temporibus, ſeu nuper, ſeu aliquando in aliquo temperamento vniuerſi domeſtica fiunt animalia omnia.* Sed & in editione doctiſſimi Caſauboni poſt illa, τὰ δ' ἐναντία, *contraria autem*, ponitur interrogationis nota, hoc modo: *contraria autem?* Hæc porrò omnia plena tenebris, & plena mendis quilibet videt: menda autem tollere, & lucem afferre, antiquis & melioribus libris deſtitutus, ego quidem non poſſum. Sanè hoc mihi perſpicere videor, primis illis verbis: *naturæ autem, non quæ ab initio; ſed ad quam, arbitror, facile*: velle Ariſtotelem idem iterare quod principio dixerat, facilia factu eſſe ab initio praua ipſa; eiſdem enim vtitur terminis ἐξ ἀρχῆς ῥᾷον τὸ φαῦλον: Dicit autem, *naturam ab initio*, quam ſuperiùs appellauit *naturam primam*; &, *naturam ad quam*, quam ibidem, in fine cogitabam pro ποιεῖ, addita ſola litera, legere ποιᾶν, vt verba ſaltim conſtarent, at quid lucri pro tota ſententia? Hiſce in tenebris illud dico, exiſtimare me nihil aliud illis verbis Ariſtotelem attuliſſe, quàm ſylueſtria arte & ſtudio domeſtica fieri, abſque illis verò, aut nunquam, aut vix; niſi enim magno concurſu mutationum locorum, aut temporum: ſanè enim locis mirificè naturam immutari, cùm in animalibus, tum in plantis pleriſque obſeruatum eſt. Hinc addit Ariſtoteles, fieri etiam poſſe tantam vniuerſi mutationem, temperationémque illius eam gigni, vt in diluuiis exempli gratiâ contingit, vt ſylueſtria cuncta abſque ſtudio & induſtria domeſtica reddantur, quod antea oſtenderat, vt quidem nunc naturæ ratio ſe habet, minimè fieri poſſe. τὸ ἢ αὐτὸ καὶ ὅτι τῶν φυτῶν πάντων. *Hoc idē in omni.* Quod in animalibus euenire dixit, idem in plantis contingere affirmat, quæcunque enim domeſtica, illa etiam ſylueſtria reperiuntur, non è contrario: nec quæ ſylueſtria ſunt, omnia manſueſcere poſſunt: ſunt enim quæ in propriis locis ita ſe habeant ad multa, quorum nimirum ratione, naturam propriam ſortiuntur ſicuti aër, humus, aqua, vt neglecta, & ſylueſtria gignantur meliora, & manſuetiora, quàm eiuſdem generis alia, quæ alibi hominum ſtudio colantur. Ex his autem eſſe capparim, & qua ratione illud contingat, oſtenditur ab Ariſtotele problemate duodecimo ſectionis vigeſimæ. Theodorus neglexit verba illa, πρὸς πολλά, *ad multa*, quæ nexum adhuc peculiariùs oſtendunt; nos autem in expoſitione ea retinuimus.

XLIII.

Διὰ τί τοῖς μὲ ἀνθρώποις οἱ ὀμφαλοὶ μεγάλοι γίνονται, τοῖς ἢ ἄλλοις ζώοις ἐ φανερόν; ἢ διότι τοῖς μὲ πρὸ τοῦ πολὺν χρόνον εἶσω μένειν ἀναφαίνονται, ἐ διὰ τοῦτο τείνονται· ὅλον δ' ἐπανοιδοῦσι τὰ ἕλκη; διὸ ἔνιοι τῶν ὀμφαλῶν ἐ αἰσχίους εἰσίν· ὁ ἢ ἄνθρωπος ὑγρὸς, ἀτελὴς ἐξέρχεται· ὥστε ἔφυγροι καὶ αἱματοι οἱ ὀμφαλοὶ ἀκολουθοῦσιν· ὅτι ἢ τὰ μὲν, τετελειωμένα, τὰ ἢ, ἀτελῆ ἐξέρχεται, σημεῖον, ὅτι τὰ μὲ διὰ τοῦτο δύναται ζῆν, τὰ ἢ παιδία ἀπιμελείας δεῖται.

Cur hominum vmbilici ampliores, cæterorum autem animantium exigui, incertíque fiunt? An cæteris, quoniam temporis multum geſtentur, vmbilicus areſcit, ínque directum porrigitur, denique vlceribus intumeſcit: quam ob rem nonnulli vmbilici deformes ſunt. At verò homo imperfectus prodit: itaque humidus, atque ſanguinolentus ſequitur eius vmbilicus. Indicium verò, cætera perfecta, hominem imperfectum prodire, quòd illa

ſtatim inde ab ortu naturæ viuere ſua operâ queunt: pueri curam deſiderant, nec ſeruari, niſi alieno beneficio, poſſunt.

Cur hominum vmbilici magni ſint, atque perſpicui, cæterorum autem animalium obſcuri, eam cauſſam tradit Ariſtoteles, quòd homo prodit in lucem imperfectus, cætera autem animalia magis perfecta. Id ex ea re ſtatim probat (probabit alia ratione ad finem problematis) quoniam longum temporis ſpatium manent intus animalia: cuius veritas ex hiſtoriarum libris petenda: longiori autem temporis ſpatio maiorem acquiri perfectionem conſentaneum eſt. Ex hac diutina geſtationis mora, vmbilicos in animalibus obſcurari videtur colligere Ariſtoteles. Illo autem fundamento rationem niti exiſtimo, quod poſuit tum libro ſeptimo de hiſtoria capite octauo, tum libro ſecundo de generatione capite ſeptimo; ea nimirum quæ ad vmbilicum pertinent, aucto animali & perfecto imminui, & tandem obliterari, quo plus enim moræ in vtero eſt, plus augentur animalia. Ponam autem Ariſtotelici vtriuſque loci verba, quæ tamen eadem fermè ſunt. Hæc igitur habet libro ſeptimo de hiſtoria: *Augentur animalia omnia quibus eſt vmbilicus, per ipſum vmbilicum. Hic acetabulis vuluæ adhæret, ſi ſunt: ſed ſi læuis ſit vulua, ipſi vuluæ adhæret vena ſubiecta.* Et paullò poſt. *Quibus in vulua acetabula ſunt, fœtu accreſcente, acetabula ipſa ſubinde minuuntur, poſtremò abolentur omnia. Vmbilicus autem veluti putamen eſt circa venas, quarum origo ab vtero eſt, aut acetabulis ſi habentur, aut venæ commiſſa eſt; ſunt fœtui maiori, vt boui, quatuor venæ, minori duæ, minimo vna, vt auibus. Pertinent duæ ad fœtum per iecur, quas portas appellant, ortæ à vena minori: reliquæ duæ à orta, quæ finditur, & duæ de vna efficiuntur. Vtrumque venarum par membranulæ ambiunt, & membranulas ipſas ambit velut putamen vmbilicus. Collabuntur ſubinde venæ, & quò fœtus ampliùs creuerit, eò adductius ipſæ contrahuntur.* Libro autem ſecundo de generatione animalium ita ſcribit: *Augentur fœtus, qui formâ animalis naſcuntur, per vmbilici annexum, vt ante diximus. Cùm enim vis quoque nutriendi in animalibus inſit, vmbilicum ſtatim quaſi radicem agunt in vterum. Vmbilicum venæ contentæ in putamine complent. Plures in maioribus animalibus, vt boue, cæterisq; generis eiuſdem: binæ in mediocribus, ſingulæ in minimis: hoc ſanguineum hauriunt alimentum. Vterus enim exitus eſt venarum multarum. Animalia igitur non vtrinque dentata omnia, & dentatorum vtrinque, quorum vterus venam non ſingularem habet pertinentem grandem, ſed pro vna plures frequentes continet, hæc in vtero habent quæ acetabula appellantur, in quæ vmbilicus deuenit, atque adhæret: tenduntur enim venæ vmbilicares vndique laterum, fiſſæq; ſparguntur vſquequaque per vterum, & qua deſinunt, hac illa acetabula exiſtunt curuamine ſuo coniuncta cum vtero: cauo autem ad fœtum conuerſa, ſecundæ verò, & membranæ inter fœtum & vterum poſitæ ſunt. Acetabula fœtu accreſcente, proficiſcentéque ad exitum, minora ſubinde redduntur, demumq; obliterantur, cùm perfectus iam eſt. In ea enim veluti mamma reponitur à natura fœtui alimentum ſanguineum, quod dum colligitur, & paullatim ex multis conſiſtit, quaſi puſtula & inflammatio corpus acetabulorum exiſtit.* Itaque quandiu fœtus ſit minor, nec multum cibi aſſumere poſſit, conſpicua maioráque ſunt: ſed aucto iam fœtu conſidunt, & exiles ſunt. In auibus ſpeciatim quomodo deliteſcant docuit libro quarto de partibus capite duodecimo his verbis: *Vmbilicum in generatione ipſa omnia habent quæ vel vtero in viuiparis eduntur, vel ouo ouiparis excluduntur: ſed auibus iam adultis hic deliteſcit, incertusq; eſt, vt patet per generationem eorum: inteſtini namque coalitu, vmbilicus auium conſiſtit; & non venarum pars illa eſt, vt in viuiparo genere.* Hæc omnia Ariſtoteles, ex quibus quamquam problematis ratio ſatis patere poteſt, problematis tamen verba exactiùs conſideranda ſunt, nonnullàque ibidem obſeruanda. Sed illud hoc loco antea libet adnotare. Platonem in Conuiuio iocosè hanc vmbilici turpitudinem, qui quibuſdam veluti cicatricibus apparet deformatus, in hominibus finxiſſe ita fuiſſe fabricatum, vt veſtigium remaneret antiquæ paſſionis; quum iunctis inter ſe hominibus, copulatíſque etiam ſexibus, quod figmentum ſub Ariſtophanis perſona eo loco proponit, iuſſu Iouis medij diſciſſi ſunt. Sed verba problematis conſideremus. ἀναφαίνονται. *Vmbilicus creſcit.* Aptè ad ſenſum: at notio verbi penitùs contraria, quando, ἀναφαίνομαι, non ſit aliud quàm *appareo, emergo, manifeſtus reddor, conſpicuus ſum.* Putandum igitur Theodorum aliter legiſſe, ſicuti etiam antiquum interpretem, qui Theodoro conſentiens vertit, *euaneſcunt*; Putem ſcriptum fuiſſe ἀναίνονται, ſeu ἀφαναίνονται, quod eſt, *intabeſcunt, arefiunt, conſumuntur.* Nam ἀφανίζονται, quo vtitur Ariſtoteles locis citatis ſeptimo de hiſtoria, & ſecundo de generatione, longiùs à vulgata ſcriptura abeſt, ex ἀφαναίνονται autem, facilis eſt lapſus in ἀναφαίνονται· Καὶ διὸ τείνονται. *Inq; directum porrigitur.* Non aſſequor quomodo in directum porrectus vmbilicus, obſcurus & incertus ſit, quod propoſuit Ariſtoteles: nec illa ſatis-

facere

facere possunt quæ à se in dissectionibus visa affert Aponensis hoc loco. Puto igitur nulla litteræ immutatione coniunctim legendum διδύνονται, hoc est, *corrigitur*, seu *formatur rectus*, hominis enim quia nimis magnus, tamquam vitium & res turpis notatur: quam emendationem ea maximè confirmant, quæ sequuntur ὅλον δὲ, & cætera, quæ aliter ego quidem vix possum sententiæ accommodare: nec Theodorum puto sensum assequutum; illa enim ita conuertit, tanquam de aliorum animalium vmbilico sint dicta, faciántque ad id ostendendum quod proposuerat, cur illorum vmbilici minimè sint manifesti: At vlceribus intumescentes, & deformes, nónne contrarium potiùs ostendunt? nec ὅλον vertendum est, *denique*, sed; *omnino*. Hic autem sicuti existimo est sensus: cùm dixisset, magnos, atque adeò turpes esse hominum vmbilicos, minimè autem tales cæterorum animalium, quippe qui præ mora in vtero, ipsis iam perfectioribus, exarescant, & corrigantur, vt magnitudinis turpitudo & vitium non appareat, sententiam communem subdit, qua propositum manifestat, fieri nimirum dicens, vt vmbilici omnium vlceribus intumescant, scilicet intus in vtero, & ex hoc contingere, vt nonnulli ex ipsis deformes fiant, nimirum qui hominum sunt, quippe ex tumore & inflammatione. Puto autem hoc loco intelligi illud quod loco citato secundi de generatione dicebat idem Aristoteles, ad cotiledones seu acetabula tanquam ad mammas reponi fœtui à natura sanguineum alimentum, quod dum colligitur, & paullatim ex multis fit, corpus ipsum acetabulorum repletum eo sanguine, fit tanquam pustula, & inflammatio: Quamdiu igitur fœtus est maior, nec multum cibi, qui est sanguis assumit, partes illæ patiuntur quod dictum est, at aucto fœtu, multúmque cibi assumente, depletis illis, iam ea cessant, vmbilicique corriguntur. Hæc igitur tum homo, tum alia animalia patiuntur, at quoniam homo non ibidem diutius permanet, nec ita in vtero perficitur, non potest præ temporis breuitate, ita corrigi, & ad rectum reduci illius vmbilicus, in aliis animalibus potest, quia longior est intus mora, magísque perfecta eduntur, vt iam extenuatis tumoribus & arefactis partibus, non sint ampliùs illi conspicui. ἔφυγροι καὶ ἄναιμοι. *humidus atque sanguinolentus*. Non enim præ temporis breuitate potuit exsiccari, pustuláque, & humescens inflammatio illa tolli: sed quomodo ἄναιμοι vertatur, *sanguinolentus*; cùm sit ei omnino contraria notio? equidem necesse Theodorum legisse ἔναιμοι & ita legendum postulat sensus, quamuis etiam antiquus interpres eo modo legisse videatur, qui vertit, *exangues*. ὅτι δὲ τὰ μὴ τετελειώμενα. *Indicium verò*. Ostendit alio argumento hominem nasci imperfectum, cætera animalia perfecta, hæc enim inquit Aristoteles statim viuere possunt, nimirum absque operâ & auxilio alicuius, eisdem illa suppetunt, quæ ad tuendam vitam necessaria sunt; pleráque enim omnia à natura vestimentis sunt operta, multis alimenta sunt in promptu, alia facilitate multa à parentibus assumunt, eosdem alia statim ab ortu sectantur, quę nimirum corporis perfectionem statim adepta sunt, sicuti scripsit idem Aristoteles superiùs problemate trigesimo secundo: homo solus nascitur nudus, imbecillis, & omnibus egens, vnde nisi nutricum operâ, & diligentia longo etiam temporis spatio adiuuetur, mox frigore, & fame pereat. Eandem pueri recèns nati miseriam, Plutarchus etiam in libro de amore prolis, ita descripsit: οὐδὲν γάρ ἐστιν ἅτως ἀτελὲς, οὐδὲ ἄπορον οὐδὲ γυμνὸν, οὐδὲ ἀμορφὸν, οὐδὲ μιαρὸν ὡς ἄνθρωπος ἐν γοναῖς ὀρφανὸς ὑφ' μόνῳ σχεδὸν οὐδὲ καθαρὸν ἔδωκεν εἰς φῶς ὁδὸν ἡ φύσις, ἀλλ' αἵματι πεφυρομένῳ, καὶ λύτρῳ πεπλεως, καὶ φονευομένῳ μᾶλλον, ἢ γινωμένῳ ἐοικὼς, οὐδενός ἐστιν ἅψασθαι, καὶ ἀνελέσθαι, καὶ ἀπάσασθαι, καὶ περιλαβεῖν. Hoc est: *Nihil enim est ita imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, vt homo à partu statim conspectus; cui soli ferè ne exitum quidem in lucem mundam natura concesit; sed sanguine inquinatus, taboq; oppletus, & occiso magis, quàm nato similis, à nemine tangi, tolli, suauiari, & amplexu foueri potest*. Hæc Plutarchus. Illa porrò: *Nec seruari nisi alieno beneficio possunt*; non Aristotelis sed Theodori verba sunt, sensum potiùs interpretantis quàm verba reddentis, quod eidem in more positum esse, sæpenumero obseruare licet.

XLIV.

Διὰ τί τὰ μὲν τῶν ζώων, ἅπαξ ὀχεύει, τὰ δὲ, πολλάκις· καὶ τὰ μὲν, ὥρα ἔτους, τὰ δέ, ὅτε ἔτυχεν· ἀνθρωπος μὲν ἀεὶ, τὰ δὲ ἄγρια, καὶ πολλάκις· καὶ ὗς μὲν ἄγριος ἅπαξ· ἡμερος δὲ, πολλάκις; ἢ διὰ τὴν τροφὴν, καὶ ἀλεαν, καὶ πόνον; ἐν πλησμονῇ γὰρ κύουσις ἔπειτα τὰ αὐτὰ ἄλλοτε μὲν ἅπαξ τίκτει, ἄλλοτε δὲ πλεονάκις· οἷον τὰ τρώγλατα ἐν Μαγνησίᾳ καὶ Λιβύῃ τίκτει δὶς τὸ δὲ αἴτιον, ἡ πολυχρονία τῆς γόνης· ὁ γὰρ ὀπθυμεῖ ὅταν πληθῇ, ὥσπερ ἐδὲ τροφῆς, τὰ πλήρη· τὰ δὲ κυοῦντα, ἧττον ὀχείας ἐπιθυμεῖ, διὰ τὸ μὴ γίνεσθαι τὴν κάθαρσιν.

Cur animantium alia semel coëunt, alia sæpe, & alia anni tempore certo,

alia

alia nullo ſtatuto tempore, ſed prout inciderit? homini ſemper concubitus opportunus eſt, feris non ſæpe: & quidem ſues agreſtes ſemel concumbunt; domeſtici ſæpe? An propter pabulum, calorem, atque laborem: quippe cùm Venus comes ſatietatis ſit? Nam eadem alibi ſemel, alibi ſæpius pariunt, vt oues in Magneſia, & Africa pariunt bis. Cauſſam verò tempus pariendi prolixius obtinet. Vbi enim ſe impleuerunt, non ampliùs concupiſcunt: quomodo nec cibum affectant, quæ ſatiata ſunt. Quæ autem grauida iam eſſe incœperint, minùs auida Veneris euadunt, quoniam menſtruæ purgationes nullæ præterea veniant.

In eandem ſententiam de coitus brutorum, hominiſque tempore, eiúſque rei ratione habemus ab eodem Ariſtotele libro quinto de hiſtoria animalium capite octauo hunc in modum: *Tempora autem, atque ætates coitus ſingulis animalibus definita, & ſtatuta ſunt; ergo plurimorum animantium natura vult quidem rem veneream per id tempus, cùm hyemis ceſſante ſæuitia, æſtatis clementia oritur; quod ſanè tempus veris eſt, quo plurima, & volatilia, & pedeſtria, & natantia ad coitum excitantur. Sed ſunt quæ per autumnum etiam & hyemem coëant, atque pariant, vt nonnulla cùm aquatilium, tum volucrium genera. Homini maximè temporibus omnibus opportunus coitus eſt: atque etiam alia plura pedeſtris generis, quæ cùm homine viuunt, coitum nullo tempore aſpernantur, videlicet propter teporem, & pabuli vbertatem. Quorum tempus etiam gerendi vteri breue eſt, vt ſuis, vt canis, & volucrum quæ ſæpius pariunt. Complura etiam educationi ſuorum partuum conſulendo, non niſi commodo tempore coëunt.* Libro etiam ſexto capite decimo octauo ea de re nonnulla traduntur, de qua etiam Plinius libro decimo capite ſexageſimo tertio in hunc modum: *Cæteris animalibus ſtati per tempora anni concubitus, homini, vt dictum eſt, omnibus horis dierum, noctiúmque.* Porrò autem quibus ſpeciatim temporibus ſingula animalium genera coëant, & in ipſis generibus, quæ ſit hac in re differentia, ſicuti etiam, quæ ſemel, & quæ ſæpius ex hiſtoriarum libris de animalibus petenda cognitio eſt. Ipſe enim Ariſtoteles libro quinto, & ſexto abundè hanc materiam perſequitur. τὰ ὴ ἄγρια, ἅ πολλάκις. *feris non ſæpe.* Idem Ariſtoteles quinto de hiſtoria capite nono: *Semel anno magna pars ſylueſtrium animalium parit, quæ ſcilicet non vt lepores ſuperfœtant. Piſces plurimi etiam ſemel pariunt.* De auibus etiam ſylueſtribus capite decimo tertio idem Ariſtoteles: *Auium etiam ſylueſtres, vt dixi, ſemel magna ex parte coëunt, atque pariunt.* Domeſticos autem, qui cum hominibus verſantur, ſæpius parere habuimus ab eodem, loco paullò ante adducto capite octauo libri quinti: & ſpeciatim quod ad aues pertinet eodem libro capite decimo tertio. ἢ διὰ τὸν τροφὴν, ἢ ἀλέαν, ἢ πόνον. *An propter pabulum, calorem, atque laborem.* Tres affert cauſſas: duas quidem poſitiuas, vt loquuntur, tertiam priuatiuam; duæ priores frequentiorem efficiunt coitum, tertia rariorem. Sunt poſitiuæ alimentum, & tepor. Propoſitum comprobat Ariſtoteles; & primùm magis propriè, quod pertinet ad alimentum; Nam in ſatietate venus. Id autem ita profert Ariſtoteles, tanquam non ipſius proprium, ſed aliorum etiam, & fortè vulgare fuerit dictum, vt ſanè ita vim rationis maiorem habeat. Et verò ex pabuli vbertate magna gignitur ſeminis copia, quæ ad concubitum animalia proritare poſſit; habemúſque ſimiliter apud Latinos prouerbium, Ariſtotelico dicto reſpondens; *Sine Cerere, & Libero friget Venus*: id autem ad teporem etiam referri poſſit, bene enim enutriti incaleſcunt; famelici autem frigidi, vt etiam Latino prouerbio indicatur, tepor autē etſi in aëre, primùm tamen in corpore accipiendus. Tum probat Ariſt. propoſitū, & ratione teporis, & ratione alimēti, vnde quod Theod. vertit *non eadem*, vertendum potiùs eſt, *deinde eadem*, Græcè enim, ἔπειτα; temperies igitur aëris, ex qua corporis fit temperies, multùm & ipſa adiuuare eam rem poteſt: nimia enim frigiditas corpus debilius, & torpidum reddit: & nimia etiam caliditas vires diſſoluit. Hæc tamen iuxta rationem ſubiecti accipienda ſunt, alia enim aliis calida, & frigida, ipſe verò tepor huic muneri maximè accomodatus eſt, vnde & veris tempore venerem maximè vigere ſcripſit loco ſuperiùs citato Ariſtòteles. Probat autem propoſitum Ariſtoteles, quod ad vtramque rationem attinet, exemplo ouium, quæ in Magneſia ſunt Macedoniæ regione, & in Africa; ibi enim bis illæ pariunt, quæ ſemel pariunt alibi; id autem tum ob pabuli vbertatem, tum aëris teporem, quam rem ſcripſit ſexto de hiſtoria capite decimo nono his verbis, de ouibus, & capris loquens: *Ferunt quinque menſibus tum oues, tum capræ: vnde fit, vt locis nonnullis, quibus cœli clementia, & pabuli copia eſt, bis pariant*: hîc enim ſine dubio Magneticas, &

Libycas oues intellexit. Duas eaſdem cauſſas frequẽtiores partus propoſuit etiã generatim libro quinto hiſtoriarum capite octauo, & ſpeciatim eodem quinto capite decimo tertio, cùm frequentiorem identidem partum in columbis ex eiſdem prouenire affirmaret his verbis: *Pariunt columbæ omnibus anni temporibus, pullóſque educant, ſi locum apricum habeant, & cibum. Sin minùs æſtate tantummodo fœtant.* τὸ δ' αἴτιον ἡ πολυχρονία. *Cauſſam verò tempus pariendi prolixius obtinet.* Hæc non ſunt apta è proximè dictis, quamquam ita poſita eſſe videntur: non enim, quæ dicitur cauſſa, eſt cur oues in Magneſia & Africa bis anno pariant, cùm hoc medium ſit potiùs contrarium, πολυχρονία enim τὴ γαςὸς, quam Theodorus vertit, *tempus pariendi prolixius*, nimirum mora dum pariant, ſeu geſtationis fœtus longius tempus, rarioris conceptus, & partus, potiùs cauſſa eſt; quæ enim diutius gerunt, rariùs concipiunt, impedit enim geſtationis mora; quæ autem ſæpius, ſæpius etiam concipiunt. Igitur dicendum hîc proponi aliam cauſſam rarioris, aut frequentioris concubitus, fœminis propriam, ſine qua duæ quæ prædictæ ſunt, pabuli vbertas, & tepor, non poſſint quidquam efficere: nec abeſt ſuſpicio, deeſſe particulam, quæ illud indicet, ἔτι, ſcilicet, præterea alia cauſſa eſt, nimirum vt alia ſæpius, alia ſemel venere vtantur: fuit autem hæc tertia cauſſa, cum ſuperioribus duobus ſimiliter propoſita loco citato libri quinti his verbis: *Quorum tempus etiam ferendi vteri breue eſt, vt ſuis, vt canis, & volucrium, quæ ſæpius pariunt.* Igitur ex animalibus illa, quæ diutius vterum ferunt, vt anno, non poſſunt ſæpius concumbere, nam per longum tempus grauida ſunt: quo autem tempore ſunt grauida, non amplius venerem appetunt; ſicuti nec cibum affectant, quæ ſunt ſatiata, quæ nimirum naturali tantùm deſiderio eius rei ducuntur. Ex animalibus autem poſtquàm conceperunt, nulla coitum pati præter equam, & mulierem, ſcripſit idem Ariſtoteles quarto de generatione animalium. Hîc autem eius rei illam rationem affert, quòd eo tempore menſtruæ purgationes deficiant. Illis nimirum vterus irrigatus, quum paullò ante ceſſauit fluxus, tanquam terra veris tempore humido calore irrigata, poſſit ſemina genitalia ad concipiendum maximè idonea. Hæc autem accommodentur etiam Libycis ouibus, hæ namque beneficio vbertatis pabuli, & teporis regionis, bis anno concipiunt, & pariunt, non ſimiliter atque aliæ ſemel. Poteſt autem frequentiori huic conceptui eſſe locus, quoniam huius generis animantium ea eſt natura, vt tantùm quinque menſibus vterum ferant, vt duodecim menſium ſpatio duobus partubus ſit locus. Labor autem quæ tertia ab Ariſtotele proponebatur cauſſa, duarum, quæ prædictæ ſunt, vim minuit, atque adeò vbique rarioris partus eſt cauſſa, qui diſſoluendo abſumat ſeminis materiam. Hinc ſylueſtrium genus, quia multis exercentur laboribus ſemel, vt dictum eſt, magna ex parte coëunt, & ex domeſticis, quæ magis laboriosa, minùs veneri dedita. Homo quia bene, boniſque nutritur cibis, & aduerſùs cœli iniurias veſtium, & vmbrarum remedia multa parata habet, veneri maximè opportunus: cùm etiam fœmina quamuis vterum gerens, patiens veneris nihilominus eſt.

XLV.

Διὰ τί τ' ἀνθρώπων οἱ ῥαιὰς ἔχοντες τὰς ὀδόντας βραχύβιοι ὡς ὀλιτοπολύ; ἢ ὅτι σημεῖον τὸ ὀστοῦ πυκνὸν ἔῃ; ὡς ὁ ἐγκέφαλος ἀσθενὴς ὢν διὰ πνοῶν· ὥστε ὑγρὸς ὢν τῇ φύσιν, ταχὺ σήπεται· καὶ γὰρ τὰ ἄλλα μὴ κινούμενα ἧττον ἀπατμίζοντα· διὸ ἧττον ἀνθρώπου τοῦ κεφαλοῦ δασύτατον, καὶ τὸ ἄῤῥεν τῆς θήλεως μακροβιώτερον, διὰ τὰς ῥαφάς· δεῖ γὰρ ἰδεῖν καὶ ἐπὶ τ' ἄλλων.

Cur homines, qui raris dentibus ſunt, magna ex parte breuioris ſunt vitæ? An indicium hoc eſt, denſum os eſſe capitis: ergo cerebrum inualidum eſt, quia minùs ſit reſpirationibus opportunum: itaque celeriter putret, vt quod ſua naturâ humidum ſit. Nam & cætera cùm non mouentur, neque exhalant, facilè corrumpuntur. Quo etiam fit, vt homo capite piloſo maximè ſit, & mas, quàm fœmina, diutius viuit futurarum ſui capitis beneficio. An in cæteris quoque id ſit cogitandum.

Eandem de paucitate, & raritate dentium ſententiam videre eſt apud eundem Ariſtotelem libro ſecundo de hiſtoria animalium capite tertio his verbis: *Quibus plures* [dentes], *hæc viuaciora, magna ex parte ſunt, quibus pauciores, & rariores, hæc magna ex parte vitæ ſunt breuioris.* Dicit autem *magna ex parte*, quia aliæ interuenire poſſunt cauſſæ, ratione quarum effectus aliter contingat. Modò autem affirmat eam rem ita ſæpius contingere, quia rario-

res

res dentes indicio ſunt os capitis eſſe denſum & compactum, nimirum dilatari, rarefieri, & extendi non potuit os illud, ſeu materia illa oſſifica, ex qua tum dentes, tum calua efformabatur, vnde pauci, & rari extitêre dentes, & os capitis denſius: oſſe autem denſiori infirmum caput eſt; quippe quod minimè expiret: aſſiduè enim gignuntur in ipſo, & feruntur ad ipſum vapores, & fuligines excrementitię, quibus niſi per oſſis meatus exſpirante capite, pateat exitus, accedit celeriter putredo, cùm ſua naturâ humidum ſit cerebrum, humida autem putredini obnoxia ſint: putrent autem quæcunque alia etiam non mouentur, nec expirant, ſicuti dicitur de aqua ſectione prima problemate quinquageſimo tertio: caput autem hominis multa huiuſmodi materia redundare ex eo oſtendit, quòd maximè piloſum ſit, ſicuti dicitur libro ſecundo de hiſtoria capite primo, & ſecundo de partibus capite decimo tertio, quo loco etiam in humiditatem, & caliditatem partis cauſſam referebat: ſed & hac eadem ſectione problemate ſexageſimo primo de capitis hiſpiditate quæſtione propoſita idem confirmatur. Exſpirationem autem capiti eſſe apprimè vtilem, & neceſſariam ad vitam producendam ea re docet (quæ etiam eſſe poſſit corollarium) quòd mas, quàm fœmina diutius viuat, homo enim plures in capite habet, quàm fœmina ſuturas, per quos exhalans materia, minimè putreſcit, nec ægritudinibus occaſionem præbet, quam rem manifeſtis admodum verbis expreſſit Ariſtoteles ſecundo de partibus capite ſeptimo hunc in modum: *ſuturas etiam plurimas in capite homo habet, & mas plures, quàm fœmina eadem de cauſſa, vt locus ſpirantior ſit: & ampliùs in quo plus cerebri habetur: nam ſi cerebrum vel humet, vel ſiccet ſupra modum, ſuo fungi officio non poteſt: ſed aut non refrigerabit, aut coagulabit. Itaque morbos, deliria, mortes afferet.* Atqui tamen plures hæ in capite viri quàm mulieris ſuturæ ab omnibus haud conceduntur: cùm ipſa diſſectio, & experientia doceat, homines eſſe, qui exiguas, & nullas etiam haberent, ſicuti etiam in fœminarum genere, vnde ad ſingularium potiùs naturas in vtrouis ſexu, quàm ad ſexum ipſum cauſſa referenda eſt: ſicuti etiam eadem experientia, manifeſtò innotuit, detrimendum, quod ex ſuturarum arcta compage exoritur; affirmat enim Realdus Columbus libro primo, quæcúmque ſine ſuturis oſſe denſo, & compacto reperta ſunt capita ſiue hominum, ſiue fœminarum, illa perpetuo ferè capitis dolore laborâſſe, breuiſque etiam interiiſſe, quòd vaporibus, & excrementis minimè pateret exitus: Atqui Cornelius Celſus elegantiſſimus Medicinæ ſcriptor contrarium manifeſtiſſimis verbis aſſeruit capite primo libri octaui ita ſcribens. *Rarò autem caluaria ſolida ſine ſuturis eſt: locis tamen æſtuoſis faciliùs inuenitur: & id caput firmiſſimum, atque à dolore tutiſſimum eſt: ex cæteris, quò ſuturæ pauciores ſunt, eò capitis valetudo commodior eſt, neque enim certus earum numerus eſt, ſicut nec locus quidem.* Porrò autem vera eſſe, quæ ſcribit Cornelius, ſi iniurias tantùm, atque detrimenta conſideremus, quæ exteriùs capiti incidunt, minimè verò ſi ab internis vaporoſis & fuliginoſis excrementis, quæ afferuntur damna pendamus, alij ante nos dixerunt. Atqui ſanè, cùm plura capiti detrimenta per interiora illa importentur quàm per exteriora hęc; vniuerſim, multis, & laxis ſuturis prędita, potiùs, quàm contrario modo affecta, erunt firmiora exiſtimanda capita; quod & hoc loco ſcribit Ariſtoteles, & ſcribit Hipp. libro de locis in homine his verbis: *ſaniores autem capite ſunt, qui plures ſuturas habent.* Illud etiam hoc loco non omiſerim pro ῥαφὰς eſſe qui legant ὀροφὰς, & ita etiam legiſſe antiquum interpretem, qui vertit, *propter nutrimentum.* Iuſtinianus autem in margine habet ϛροφὰς. At ſi ante pedes via certa, & expedita eſt, quid ſalebras ſequar? δεῖ ἢ ἰδεῖν. *An in cæteris quoque idem ſit cogitandum.* Ad verbum. Oportet autem etiam conſiderare de aliis. Duobus autem modis hæc exponi poſſunt: primo ſit. Quod de homine, & muliere dicitur, idem etiam conſiderare debemus in aliis animalium generibus, in iis enim ſimiliter mares ſunt vitæ longioris, quàm fœminæ, ita enim ſcribit idem Ariſtoteles libro de longitudine & breuitate vitæ, niſi tamen mares ſalaces, ſint. Iterum hoc modo. Non ex ſola dentium raritate, & frequentia conſideranda eſt vitæ longitudo, & breuitas: ſed ex aliis etiam; multæ enim aliæ huius cauſſæ afferuntur in libro proprio de longitudine, & breuitate vitæ. Hoc problema iterum ſcribitur ſectione trigeſima quarta, & primum omnium poſitum eſt. In eo autem pro ſolutione Ariſtoteles vtitur tantummodo ſigno quodam, cui ratio ex iis adhiberi poſſit, quæ hoc loco poſita ſunt, vt legenti animaduertere licet.

XLVI.

Διὰ τί ἢ ὅσοι τὴν ἀρὰ τ̃ χειρὸς τομὴν ἔχουσι δι' ὅλης, μακροβιώτεροι; ἢ διότι τὰ ἀνάρθρα, βραχυβιώτατα, ὡς τὰ ἔνυδρα; εἰ ἢ τὰ ἀνάρθρα βραχύβια, δῆλον ὅτι τὰ ἠρθρωμένα χαῦνον· τοιαῦτα ἢ ὧν ℂ τὰ φύσῃ ἀνάρθρα μᾶλλον ἠρθρω̃· τ̃ ἢ χειρὸς τ̃ εἴσω, ἀνάρθρότατον.

Cur qui manus cæſuram per totam obtinent palmam, viuere diutius poſſint? An quoniam minùs viuere poſſunt, quæ carent articulis, incompactáq; ſunt, quale genus omne aquatile eſt. Quòd ſi quæ articulata non ſunt, vitam breuiorem agere ſolent, conſtat contra ſe ſe habere quæ articulata. Cuius profectò generis illa etiam ſunt, quæ cùm ſua natura omni articulo careant, tamen articulata, nonnumquam quoad maximè licet, conſiſtunt. Manus autem pars interior penitus articulo vacat.

De hac eadem re ſic idem Ariſtoteles libro primo de hiſtoria animalium capite decimo quinto eodem Theodoro interprete: *Pars interior manus vola dicitur: carnoſa eſt, ſciſſuris vitæ indicibus diſtincta: longioris ſcilicet vitæ ſingulis aut binis ductis per totam, breuioris binis, quæ non longitudinem totam deſignent.* Sed quas Theodorus *ſciſſuras* vertit, Græcè eſt ἀρθρώσεις, quæ vox propriè ſignificat *articulum*, id eſt, *naturalem oſſium compoſitionem*, quæ variis modis fit, vt latè docet Galenus initio libri de oſſibus: hîc autem appellat τμήν, ſicuti etiam problemate decimo ſectionis trigeſimæ quartæ, vbi hoc idem iterat problema, hoc eſt ſciſſuram, ſectionem, aut diuiſionem: articuli autem propriè non ſunt, ſed merito articulorum fiunt; vulgò lineæ appellantur; bene quidem articulatis longiores, malè autem breuiores: cùm enim fœtus in vtero manus habeat adductas, & veluti in orbem conglobatas, ex articulorum, qui in digitis ſunt, motione, & flexu, lineæ illæ exculpuntur, quæ editis augentur. Et ſi quidem virtus formatrix valida, & materia obediens per totam manum protenſæ, ſin ſecus non per totam. Porrò autem quæ linea à quorum articulorum motione fiat, non eſt hîc explicandi locus neceſſarius. Igitur quæ articulis carent, aut malè articulata, illa ſunt debilia, ſicuti oſtendit idem Ariſtoteles loco adducto ſectionis trigeſimæ quartæ, teneræ ætatis exemplo. Non articulatorum autem, & breuis vitæ exempla affert tum problemate citato, tum hoc loco piſces. Athenæus autem libro octauo, ex eiuſdem Philoſophi ſententia, ſerpentes, oſtrea, & pulmones marinos his verbis: πάλιν τῶν ζώων τὰ μὲν ἔναρθρα, ὡς ἄνθρωπος, ὄνος, βοῦς, τὰ δὲ ἄναρθρά ἐστιν, οἷον ὄφεις, ὄστρεα, πνεύμονες. Quæ Dalechampius ita vertit: *Animalium quædam rurſum Ariſtoteles ſcribit, commiſſuris articulorum compingi, vt hominem, bouem, aſinum, quorundam membra nullis articulis vinciri, vt pulmonis marini, oſtreorum, ſerpentis.* Igitur articulus firmitudinem, robur, & rei abſolutionem, ac perfectionem denotat: vnde & metaphoricè ἀνάρθρος, quod eſt *articulis carens, pro* ἄτονος, & ἀσθενής, hoc eſt *infirmus*, & *debilis*, poni, obſeruant Grammatici; ſicuti, ἄναρθρος, *informis, imperfectus*, partes diſtinctas, & abſolutas non habens, vt ἔμβρεον ἀδιάρθρωτον, *fœtum informem*, & minimè diſtinctum dixit Ariſtoteles: contra ἀρθρώδης *articuloſum, robuſtum*, vt de leone dixit idem Ariſtoteles; vniuerſum corpus ἀρθρώδης, & νευρώδης, *articuloſum*, & *neruoſum*, quod dixit alibi διηρθρωμένον: ἁρθροῦσθαι etiam, *articulare*, pro vltimam manum imponere, tanquam huiuſmodi perfecta, & abſoluta ſint alia verò minimè: Ergo malè articulata vitæ breuioris: à contrario igitur bene articulata longioris ſunt: quæ autem manus interior pars cæſuras habet per totam protenſas, illa quoad licet, bene articulata eſt, atque idcirco vitæ longioris nuncia; dicitur autem *quoad licet:* illa enim pars naturâ ſua articulo caret, eſt enim carnoſa, vt habuimus ſuperiùs ab eodē Ariſtotele; perpaucā autem in ipſis articulis carnem; plurimam autem in partibus inter articulos mediis à natura meritò productam, monumentis conſignauit Galenus libro primo de vſu partium capite decimo tertio: Huiuſmodi autem quaſdam articulationes in ipſo cordis etiam corpore extare, ſcripſit idem Ariſtoteles libro tertio de partibus animalium capite quarto his verbis: *Quin etiam articulationem rimis, ſuturíſve capitis ſimilem habere viſuntur, quamquam non ita conſiſtant, vt quod ex pluribus ſit compactum, ſed vt modò dixi, articulationem potiùs oſtendunt. Sunt articulatiora corda eorum, quæ ſenſu meliùs valent: inarticulatiora eorum, quæ ſenſu hebetiori ſunt, vt ſuum.* Hæc Ariſtoteles eo loco.

XLVII.

Διὰ τί τῶν ζώων ἀνθρώπῳ, ἢ μόνον, ἢ μάλιστα διαστρέφεται; ἢ ὅτι ἢ μόνον ἢ μάλιστα λεπτὸν ἐν τῇ νηπιότητι γίνεται, ὅτε καὶ διαστρέφεσθαι συμβαίνει πᾶσι.

Cur animantium homini vel vni, vel maximè oculi deprauantur? An quòd homo vel ſolus, vel maximè morbo comitiali capi in puerili ætate ſolet, cùm certè deprauari omnibus accidit.

Sectione trigesima hoc idem problema repetit Aristoteles iterum; atque tertio continenter: quæ ibi sunt problemata vigesimum septimum,& vigesimum octauum: cùm verò vigesimum septimum eisdem omnino quibus hîc efferatur verbis; vigesimum octauum duabus rebus differt, primùm quia illo nominantur oculi, τὰ ὄμματα διαστρέφονται, *oculi peruertuntur*, quorum hîc nulla mentio, sed ἄνθρωπος διαστρέφεται, *homo peruertitur*, vt appareat manifestè in præsentia de oculis problema proponi, sicuti interpretans facit Theodorus: quamquam & sanè verbum ipsum διαστρέφεσθαι, de oculis ipsis,etiam haud nominatis accipi, exemplum habeamus in Hippocraticis: deinde quòd eodem vigesimo octauo cùm tres afferantur ad quæsitum rationes, atque tertia eadem huic sit; ibi dicitur hominem solum ex animantium genere morbo comitiali corripi, quod cùm falsum sit, oues enim, & capræ eodem corripi dicuntur, & canes obseruâsse me aliquando memini; ex præcedenti vigesimo septimo, & hoc quod in præsentia exponimus (sicuti admonuit Hieronymus Mercurialis variarum lectionum libro quarto capito nono) ita moderanda est Aristotelis sententia, vt non solùm inter animantia hominem, sed maximè eo morbo corripi dicamus. Plinius tamen & ipse libro vndecimo capite trigesimo septimo, soli ex animalibus deprauari dixit his verbis, cùm de oculis loqueretur: *Vni animalium homini deprauantur; vnde cognomina Strabonum, & Pætorum.* Aristoteles igitur cur homini deprauentur, eam caussam satis perspicuè tradit, quòd vel solus, vel maximè epilepsia in puerili ætate corripiatur; hic verò morbus cùm partes omnes corporis conuellat, præcipuè tamen oculos, qui sua naturâ mobiliores, & infirmissimi sunt, sicuti scripsit idem Aristoteles sectione trigesima prima problemate vigesimo secundo, & vigesimo tertio. Quòd verò pueros maximè morbus ille infestet, puerilis etiam dictus est:quia igitur obnoxius puer epilepsiæ, obnoxius etiam oculorum distorsioni, præsertim ætate puerili, quo tempore maximè accidere solet.

XLVIII.

Διὰ τί τῶν ζώων ἄνθρωπος μάλιστα καπνίζεται; ἢ ὅτι μάλιστα δακρύει· ἡ δὲ κάπνισις, μετὰ δακρύων;

Cur animantium homo maximè fumo affici potest? An quòd homo lacrymam maximè emittit: fumatio autem non nisi cum lacryma est?

Ad hanc oculorum ex fumo læsionem pertinentia problemata alia duo proposuit sectione trigesima prima, sextum propriè ad prominentes, vigesimum secundum generatim ad omnes: non eodem tamen quo hîc termino vsus est problemate vigesimo secundo ἄνθρωπος καπνίζεται, *fumatur homo*, sed κάπνος δάκνει τοὺς ὀφθαλμούς, *fumus oculos mordet.* Porrò de iis erit nobis sermo cùm Deo concedente illa exponemus. Nunc cur fumo irritetur homo, aut eius oculi molestiam eam sentiant, illam reddit rationem, quod affectus hic sit cum lacrymis: fumus enim lacrymas ciet, homo autem maximè illacrymat: dicit autem *maximè*, quia etiam alia animalia vt crocodilus post interfectum hominem dicitur lacrymare, vnde adagium, *Crocodili lacrymæ.* Cur autem fumus lacrymas cieat, alia quæstio est ad quam ex problemate citato vigesimo secundo multa suppetunt.

XLIX.

Διὰ τί ἵππος ἵππῳ χαίρει καὶ ὀπιθυμεῖ, ἄνθρωπος δὲ ἀνθρώπῳ, καὶ ὅλως τὰ συγγενῆ τοῖς συγγενέσι, καὶ ὁμοίοις; ἆρ' ὅτι ὁμοίως, ὅτι σὺ ζώων καλόν· ἡ δὲ ὀπιθυμία, οὗ καλόν. ἔοικε οὖν τὸ καλὸν ἡδὺ εἶναι. νῦν δὲ μᾶλλον λύπης κάλλος, ἡδύ, τὸ καλὸν καὶ τὸ ἡδύ. ἔοικε πᾶσα ἡ ἡδονὴ, ἢ τὸ καλὸν, ἡδύ· οἷον φάγλν ἢ πιεῖν ὅτι ἥδιον ἑτέρῳ, καὶ ἀφεθισιάσαι ἄλλῳ. διότι μὲν οὖν ἕκαστον τῷ συγγενεῖ μιγνύμενον μάλιστα καὶ ἥδιστα ἀφεθισιάζει, ἄλλο πρόβλημα. ὅτι δὲ καὶ κάλλιστον, δοκεῖ ἀληθές. ἀλλὰ ἡμεῖς τὸ εἰς τὴν συνουσίαν ἡδύ, ὅτι ὃ μὲν καλὸν, ὅτι ὀπιθυμοῦντες χαίρομεν ὁρῶντες· καί τοι καὶ ὀπὶ τῶν ἄλλων ὀπιθυμιῶν ἔχει ὁμοίως. ἁπτόντες γὰρ, ἥδιον ὁρῶσι τὸ σῶμα· τὸ μὲν οὖν πρὸς χρείαν τινὰ καλὸν, οὗ καὶ μάλιστα ὀπιθυμοῦμεν, τοῦτο δοκεῖ ἥδιστον εἶναι. τὸ δὲ καθ' αὑτὸ, δοκεῖ ὅπως. σημεῖον δὲ τούτου· δοκοῦσι γὰρ ἡμῖν καὶ ἄνδρες καλοὶ εἶναι, πρὸς τὴν συνουσίαν βλέψασιν. ἆρ' οὖν ὅπως, ὥστε καὶ ἁπτοῖσι μᾶλλον ἂν εἰς συνουσίαν; ἐοικέν γε κωλύειν, εἰ μὴ ὀπιθυμοῦντες τύχομεν. ὅτω δὲ σῶμα κάλλιον. εἰ γὰρ ἁπτόντες τύχομεν, ἥδιον ὀψόμεθα.

Cur equus equo, homo homini,atque omnino cognata cognatis,sibíque similibus gaudent, atque cupiunt? non enim quia pulchrum videtur. Cupi-

ditas autem formam ſequitur elegantiorem: nam ſi id eſſet, rem pulchram ſuauiorem eſſe oporteret. Nunc autem contra potiùs euenit, vt quia iucundum, ſuauéque eſt, ideo pulchrum eſſe videatur. Nec etiam omnibus res eadem voluptati eſt, nec pulchrum idem lætitiæ: aliis enim eſſe, aut bibere, aliis concumbere lætabilius eſt. Sed cauſſa cur vnumquodq; iunctum ſuo cognato maximè, ſuauiſſiméque concumbat, in aliam cadit quæſtionem. Pulcherrimum verò id etiam eſſe, nondum aſſeri verè poteſt, ſed nobis quod ad concumbẽdum ſuauius eſt, pulchrum certè videtur: quoniam rei quam cupimus aſpectu quoque nimirum delectemur. Et quidem in cæteris etiam cupiendi generibus res pariter ſe ſe habet. Cùm enim ſiti detinemur, humorem ſuauiùs cernimus. Quod itaque ad vſum aliquem pulchrum eſt, & quod idem maximè cupere ſolemus, ſuauiſſimum id eſſe ipſum videtur. Quod autem per ſe tale eſt, non præterea ſic eſſe videbitur. Argumentum quòd adoleſcentuli, pleríque formoſi aptíque nobis eſſe videbuntur, cùm ad concumbendi vſum reſpexerimus: Nunquid igitur ita, vt etiam plus geſtiamus, quàm ſi deformes quoſdam intueamur? Non hercle, niſi eorum auidi ſumus: quo modo potio quoque videtur pulchrior. Nam ſi ſiti detinemur humorem multò ſuauiùs aſpiciemus.

Verſus eſt Homeri Odyſſea ρ.

– Αἰεί τοι τὸν ὁμοῖον ἀγὰ θεὸν ὡς τὸ ὁμοῖον:

Hoc eſt: *ſemper ſimilem ducit Deus ad ſimilem.* Ex quo verſu multa ad hanc ſimilitudinem, & amicitiam inde prouenientem diſputat Plato in Dialogo, qui inſcribitur Lyſis; quæ videre, ad hanc quidem materiam conducibile ſit. Ariſtoteles autem non ſoluit quæſtionem conſueta particula, ἤ, adhibita: ſed amouet reſponſionem quandam, & ex ea viam ſternit ad ſolutionem; vt videbimus. ἐ γὲ δὴ ὁμοίως ὅτι σὺ ζώων καλὸν. *Non enim quia pulchrum videtur.* Amouet reſponſionem, & inquit non ideo contingere delectationem, & mutuum illud deſiderium, quod inter ſimiles, & congeneres eſt, quia ſimile pulchrum ſit. Erat autem hæc reſponſio, vt puto, ex vulgari ſententia, ſeu potiùs antiquo prouerbio, de quo idem Plato in citato dialogo, τὸ καλὸν φιλὸν εἶ, *pulchrum eſſe amicum.* Hic autem problematis locus admodum corruptus eſt, primùm enim particula, σύ, hoc eſt, *tu*, locum nullum hìc habere videtur, & omittitur ab antiquo interprete, qui pro ea reddit *autem*, nec in Theodori tralatione eam agnoſco: deinde ipſe Theodorus haud exprimit ζώων: quo modo coniectura exiſtimem poſſe corrigi, dicam ad finem. Interim puto hunc eſſe ſenſum: Voluptas, & deſiderium, quo congeneres animantes ſimul eſſe & verſari cupiunt, non inde oritur, quòd pulchrum congeneri videatur, cupiditas autem, & voluptas à re pulchra oriatur; ſi enim ita eſſet, quò res quæque pulchrior apparet, dulcior etiam, & ſuauior videretur, id autem non vſuuenire ſequitur ad probandum. νῦν ᾗ μᾶλλον λύπαις. *Nunc autem contra potiùs.* Et hunc locum magis etiam priore corruptum eſſe puto: ac Theodorum valde diuerſam lectionem ſecutum eſſe. Ego autem Græci textus, quem excuſum habemus veſtigia ſecutus, hunc puto eſſe ſenſum: Non ſolùm, quod pulchrius eſt, illud etiam non eſt ſuauius, quod proximè dixerat; ſed potiùs contingit aliquando, vt pulchritudo contriſtet, & dolore afficiat, quæ res nimirum variis occaſionibus accidere poteſt; neque quod verè, & re ipſa eſt pulchrum, illud etiam eſt ſuaue. Hoc autem ſenſu duntaxat immutanda eſt particula ἡδὺ primo loco poſita, & pro ea reponendum ἐδὲ, hoc modo ἐδὲ τὸ καλὸν ἢ τὸ ἡδύ, quòd ſi pro λύπαις, dicamus λύπει, expeditior adhuc erit idem ſenſus: eſt autem hæc veluti iteratio eius, quod initio dixerat, non quia pulchrum videatur, opportuna tamen, tanquam modò ratione probata ſit. ἐδὲ πᾶσα ἡ ἡδονή. *Nec etiam omnibus res.* Sequitur ad probandum Ariſtoteles, non ideo cõtingere alteri alterius deſiderium, aut mutuam inter congeneres animantes voluptatem ob pulchritudinem; quam rem modò alio etiam argumento confirmauerat. Ait itaque, quod volupe eſt, quódque eſt pulchrum, nimirum naturâ, & ex ſe, non illud volupe, & pulchrum omnibus eſt: & fortaſſe legendum πάσι, non πᾶσα, & ita puto legiſſe Theodorum, qui, *omnibus* vertit. Non eſt autem idem omnibus volupe, quoniam alius deſiderat comedere, aut bibere, alius concumbere: ſi verò quæ dulcia ſunt, talia apprehenderentur, æquè ab omnibus omnia, & à ſingulis ſingula appere-

rentur,

rentur, quod non fit. Ex verbis autem allatis, & ex materiæ vicinia, de concubitu verba faciens, qui inter congeneres ſuauiſſimè perficitur, aliam ait eſſe quæſtionem, quæ nimirum ſpeciatim ſit pertractanda, de qua tamen illico nonnulla ſubdit, illud ſtatim excludens, quod propoſitæ ſententiæ aduerſabatur, non creari in eo voluptatem, quia pulcherrimus ſit congener: ſed potiùs, vt apparebit, quia vſui ſit, vnde ſternit viam ad problematis ſolutionẽ dicens: ἀλλὰ ἡμεῖς τὸ εἰς τὴν συνουσίαν. *ſed nobis quod ad concumbendum.* Nobis inquit, quod in conſuetudine, & vſu dulce percipitur, hoc pulchrum videtur, hoc deſideramus, & hoc cùm aſpicimus, gaudemus: quia igitur cognatus cognato ſuauiſſimus ad vſum percipitur, & ſimilis ſimili, ideo cognatus cognato, & ſimilis ſimili mirificè gaudet. Vſus autẽ ratione, iucunditatẽ in nobis oriri probat exẽplis; nam quia ex potione, cùm ſiti afficimur, maximum vſum percipimus, quia ſiti nos leuat, ideo ſitientes potionẽ iucundiùs aſpicimus: vnde colligit iã problematis ſolutionẽ, perſpicuè inferẽs. Igitur quod ad vſum quendã pulchrum eſt, quodq; maximè deſideramus, hoc videtur dulciſſimũ eſſe; tale autem nimirum eſt congener, non autem quod per ſe pulchrũ eſt: illam etenim adhuc perſeuerat amouere, reſponſionem, quam initio attulerat, dicens non quod per ſe, & ex natura ſua dulce, ſeu pulchrum eſt, iam ſuaue appareat, neq; eo gaudemus, niſi tale vſui fuerit; Probat id ſigno Ariſtoteles in re quidem turpi, & inhoneſta, ſed materiæ propoſitæ admodum affini, & illis temporibus in Græcia admodum vſitata, quid enim illa in regione vulgatius puerorum amoribus? Probat igitur Ariſtoteles, quod ex ſe tale eſt, non videri nobis tale, niſi vſui ſit. Viri enim ſunt, inquit, qui pulchri nobis appareant, quum ad conſuetudinis vſum reſpexerimus (dicamus potiùs conſuetudinis, quàm, *concumbendi*, quod transfert Gaza; ſuus enim eſt, & conſuetudinis vſus) ſunt, inquit, qui tales nobis appareant, vſum illum reſpicientibus qui etiam, quâ viri pulchri fortaſſe ſint; apta nimirum, & proportione reſpondentia membra habentes, cum viris conuenienti & accommodato colore; indéque etiam voluptatis aliquem ſenſum haurimus. Nunquid autem, ait Ariſtoteles, ita pulchri appareant, vt magis delectemur, quàm illi, aut nos ipſi, quum alios aſpicimus ad conſuetudinis vſum aptiores, at re ipſa fortaſſe magis deformes, membrorum ſymmetria & colore? id vero non fit, ait Ariſtoteles: nihil verò prohiberet fieri, ſi deſiderio non afficeremur; at deſiderium, rectum iudicium impedit: quæ enim ob vſum, quem præſtant à nobis deſiderantur, illa libentiùs aſpiciuntur, etſi ſua naturâ haud ita pulchra ſint: ſic enim etiam contingit, vt pulchrior videatur humor, ſuauiúſque ab eo conſpiciatur, qui ſiti afficitur. Atque hoc modo videtur procedere ratio; verùm expeditiùs aliquantò (ſi modò incorruptis locis ferendæ coniecturæ) ſi ad illa πρὸς τὴν συνουσίαν βλέψασιν, negatiua particula apponatur, legentes ὐ πρὸς; hic enim erit ſenſus, & ita procedet ratio: ſi ad conſuetudinis vſum minimè reſpexerimus, viri ſanè nobis videntur pulchri, qui naturâ ſua tales ſunt, partéſque illas, & conditiones habent, quæ in viro pulchri aſpectus deſiderantur, quo aſpectu etiam voluptas aliqua percipitur. Nunquid autem, ait Ariſtoteles, ita pulchri appareant, vt iis delectemur magis, quàm alij, aut nos etiam quum alios aſpexerimus ad conſuetudinis vſum oculis intentis, qui fortaſſe naturâ haud ita pulchri ſint? Id verò minimè contingit, ait Ariſtoteles, nihil autem prohiberet; vt ſcilicet, quæ pulchriora ſunt, pulchriora viderentur, ſi vſus deſiderio non eſſemus affecti. Vſus igitur eſt qui gaudium, & ſuauitatem commendat. Nec verò Plato in dialogo, quem adduxi, cùm de amicitia ex ſimilitudine loqueretur, vtilitatem, quæ ex ſimili eſt, præteriit; licèt ille rem alio modo pertractârit, & in alia abierit. Porrò autem quoniam nos à Theodori tralatione admodum receſſimus, quia & ille à Græcis verbis, quæ excuſa habemus, admodum receſſit; vt expoſitionis noſtræ ratio conſtet, & diuerſitas appareat, neceſſarium exiſtimauimus, problema ipſum Latinè, ſeu potius barbarè verbum è verbo proponere, & ad verba ipſa ſubinde quædam adnotare, fidelitatem omnino, elegantiam nullatenus ſequentes: *Cur equus equo, & homo homine gaudet, atque omnino cognata cognatis, & ſimilibus? non enim ſanè quod ſimile animal pulchrum ſit, deſiderium autem pulchri.* [Puto legendum ἐ γὸ δὴ ὅμοιον ὅτι ζῴων καλὸν, pro ὁμοίως, ὁμοίων, & ablato σὺ.] *Oportebat enim pulchrum ſuaue eſſe; nunc autem potiùs contriſtat pulchritudo; neque quod pulchrum etiam ſuaue eſt.* [Puto legendum, vt dixi pro λυπᾶις λυπεῖ, & pro ἡδὺ, ἐδὲ.] *Neque omnibus voluptàs, aut pulchrum, ſuaue: quemadmodum eſſe vel bibere alij dulcius eſt, alij concumbere.* [Melius, πάσι, quàm πᾶσα: ſenſus enim, quem expreſſimus eo modo expeditior.] *Propter quid igitur vnumquódque cognato mixtum maximè, & ſuauiſſimè venerem exerceat, alia quæſtio eſt: quoniam ſanè pulcherrimum ſit, non iam verum: ſed nos, quod ad conſuetudinem iucundum eſt, quoniam ſanè pulchrum, & quoniam deſiderio afficimur, gaudemus cùm aſpicimus. Et ſanè in alijs etiam cupiditatum generibus res ita ſe habet: ſitientes enim iucundiùs potionem vident. Quod itaque ad vſum*

aliquem pulchrum eſt, quódque maximè deſideramus, hoc videtur dulciſſimum eſſe: quod autem per ſe tale, non ita: ſignum autem huius. Videntur enim nobis etiam viri pulchri eſſe, ad conſuetudinem ipſam reſpicientibus. [Hoc loco putabam addi poſſe negationem, vt ſenſus expeditior eſſet.] *Nunquid autem ſic, vt etiam delectemur magis, quàm aſpicientes alios intenti ad conſuetudinem.* [Hic etiam puto ſubeſſe mendum; quem tamen exiſtimem eſſe loci ſenſum, patet ex commentario.] *Nihil ſanè prohibet, niſi deſiderio affecti ſimus: ita verò potio pulchrior eſt; ſi enim detineamur ſiti, eam iucundiùs aſpicimus.*

L.

Διὰ τί ποτε τὰ μὲν ἀνθρώπε τὰ ἔμπροσθεν δασύτερα τοῦ ὄπισθέν ἐστι, τὰ δὲ τετραπόδων τὰ ὄπισθε; ἢ ὅτι πάντα τὰ δίποδα, τὰ ἔμπροσθεν ἔχει δασύτερα; οἱ γὰρ ὄρνιθες τὸν αὐτὸν τρόπον τοῖς ἀνθρώποις ἔχουσιν· ἢ τὰ ἀσθενέστερα μᾶλλον ἀεὶ σκεπάζειν ἡ φύσις εἴωθεν; ἀσθενὲς δὲ ἕκαστόν ἐστί που τρόπον· τὰ δὲ τετραπόδων ἅπαντων, τὰ ὄπισθεν ἀσθενέστερά ἐστι τοῦ ἔμπροσθεν, διὰ τὸν τόπον· ὑπὸ γὰρ τοῦ ψυχροῦ καὶ κρυμάτων, μᾶλλον δυνατά ἐστι πάσχειν· τῶν δὲ ἀνθρώπων τὰ ἔμπροσθεν ἀσθενέστερά ἐστι, διὰ τὸν αὐτὸν τόπον εἶναι.

Cur hominis prior pars piloſior, quàm poſterior eſt: quadrupedum contra poſterior, quàm prior, ſetoſior? An quòd omne animal bipes partem priorem habet piloſiorem: nam aues quoque eodem modo, quo homines ſe habent. An partes infirmiores natura ſemper integere potiùs conſueuit: infirmum autem vnumquódque loco ſui corporis aliquo eſt. Quadrupedum verò omnium partes poſteriores, infirmiores loci cauſsâ ſunt, quàm priores affici námque à frigore, æſtúque ampliùs poſſunt. Hominum priores infirmiores ſunt, incommodíſque illis eiſdem opportuniores.

Quæ hîc proponuntur habemus etiam apud eundem Ariſtotelem libro ſecundo de hiſtoria capite primo his verbis: *Cæteris animalibus, quæ pilis veſtiuntur, partes primæ piloſiores ſunt, ſupinæ autem glabræ omnino, aut minùs piloſæ: homo contrà.* Et eodem libro capite octauo. *Simiæ tum parte corporis prona piloſæ ſunt, vtpote quadrupedes, tum ſupina tanquam hominis formam gerentes: hæc enim res contrario modo ſe habet in hominibus, ac in quadrupedibus, vt dictum eſt.* At libro ſecundo de partibus capite quartodecimo, cauſſam præterea appoſuit his verbis: *Quadrupedum generi pili non parte ſupina, ſed prona potiùs habentur. Homo contra parte magis ſupina, quàm prona: pili etiam operimenti gratiâ adiuncti ſunt animalibus. Itaque quadrupedibus prona potiùs egent tegumento, priora autem quamquam nobiliora ſunt, tamen per corporis totius flexum fouentur, ac tepent. At homini quoniam prior pars compar poſteriori eſt, propter corporis excretionem, idcirco natura parti nobiliori adiumentum cenſuit adhibendum, ſemper enim natura rei melioris auctor eſt: quoad eius fieri poteſt.* Hæc autem ratio eadem eſt, quæ & hoc problemate ſecundo loco affertur: ſed priùs de priore agamus. Homo ideo partes ſupinas, quæ ad ventrem & pectus pertinent habet piloſiores, quàm pronas dorſi, quoniam bipes eſt, omne autem bipes ita ſe habet, ſicuti oſtendit auium argumento; hæ enim ventris partes pluribus, ſed minutioribus plumis veſtitas gerunt. Hæc autem ratio, eſt quidem à poſteriori, cuiuſmodi multas alias in hoc problematum libro affert Ariſtoteles, ſed ea, ſicuti & illæ, vt plurimùm aliis validioribus innituntur: bipes enim ideo ſupinas partes habet piloſiores, quoniam eſt rectæ ſtaturæ, rectæ autem ſtaturæ ita conuenit ob eam, quam ſecundo de partibus attulit rationem à nobis modò adductam, & iam declarandam: vt enimuero in idem denique hæ duæ rationes cadant, ſitque prior imperfectior & veluti inchoata, altera autem perfectior, & abſoluta. ἢ τὰ ἀσθενέστερα. *An partes infirmiores.* Manifeſta admodum argumentratio. Natura ſolet integere partes infirmiores, partes infirmiores in quadrupedibus ſunt poſteriores, aut pronæ, natura igitur has meritò integere ſolet. Porrò pilos eſſe animalibus integumento hîc non exprimit, exprimit autem citato loco ſecundi de partibus. Illud probat, poſteriores partes in quadrupedibus eſſe infirmiores: proponit autem; animal vnumquodque eſſe aliqua ſui corporis parte infirmum; quod inſeruiat tum infirmitati quadrupedum, tum hominum oſtendendæ, de qua mox. Videtur autem Theodorus legiſſe τὸν τόπον: at formis excuſa habent τρόπον: id verò haud multùm interſit, bonus enim, & aptus ex vtroque ſenſus; ſiue aliquo modo, ſiue aliqua ex parte, aut aliquo corporis loco dicamus vnumquodque animal eſſe infirmum. Igitur in quadrupedibus par-

tes hæ infirmæ posteriores sunt, quia obnoxiæ multis incommodis, loci, & situs causâ, qui est apertus, & detectus, vnde frigora, & æstus patientes, redduntur imbecilliores; anteriores autem, quod dicebat secundo de partibus ob corporis flexum, cùm prona incedant quadrupedia, tepescunt: fruuntur igitur commodo, & carent incommodis: debilioribus igitur, æquiùs, & meliùs erat consulere. In hominibus res aliter se habet: priores enim, seu supinæ partes, debiles similiter, ac infirmæ ratione loci sunt, nam eisdem incommodis subiiciuntur, quibus posteriores, nam ratione figuræ rectæ, æquè frigora, & æstus patiuntur venter, & pectus, ac dorsum, & nates: & hoc est, quod dicebat secundo de partibus, ἐξίσα διὰ τὴν ὀρθότητα τὰ πρόσθια τοῖς ὀπισθίοις, *ratione figuræ rectæ æqualia esse priores posterioribus.* Cùm igitur partes hæ, ratione loci sint non dissimiliter infirmæ; cur ob eam quidem debilitatis rationem, homini pilosa redderet posteriora, caussa non erat: at erat in quadrupedibus. Adfuit autem alia, quam proposuit loco sæpius iam adducto secundi de partibus; quia haud cogente alibi indigentia, parti nobiliori magis consentaneum fuit adiumentum adhibere: priora autem nobiliora sunt, sicuti ibidem scribit Aristoteles. Porrò autem quod Theodorus vertit ad finem, *incommodísque illis eisdem oportuniores*, non bene facit, vt puto, nam & sensum corrumpit, & verba. Verba ita sonant: *& hoc idem patiuntur.* Nulla verò hîc adest comparatio; dicit enim, idem pati, minimè verò, magis pati; Nec verò comparationi locus est: non enim verum in homine partes anteriores posterioribus infirmiores esse, sicuti in quadrupedibus posteriores anterioribus ratione loci & situs dictum est: sed paria sunt, hac quidem parte vt diximus. Igitur si rationis vim & sensum attendimus, quod Aristoteles dixit, hominum anteriora esse infirmiora, cautè accipiendum, & explicandum est ex illis quæ sequuntur, *patiuntur hoc idem*, minimè verò, quod Theodorus facit, ex illis hæc postrema corrumpenda. Alioquin etiam cui ignotum, comparatiuum pro positiuo sumi aliquando? Vel etiam dicamus, Aristoteli anteriora hominum esse infirmiora, non tamen ratione loci, aut situs: sed alio nomine: debiliora igitur alio nomine, paria ratione situs, eisdemque passionibus subiecta, erant tanquam nobiliora vestibus integenda: Et verò etiam argumentationi superiùs positæ locus est: Nam si natura partes debiles & infirmas contegere solet, partes autem anteriores & supinæ debiles sunt, non secus ac posteriores & pronæ, quia eisdem incommodis subiectæ, non sanè hac ratione negetur illis hoc adiumentum, quod denegatur quadrupedibus, quia eis aliud ex corporis flexu paratum est.

L I.

Διὰ τί ἄνθρωπος τῶν ζώων μᾶλλον πάρυς; ἢ ὅτι καρυζᾷ μάλιστα; τοῦτο δ' αἴτιόν ἐστιν, ὅτι τῷ θερμῷ ὄντι περὶ τὴν καρδίαν, καὶ πεφυκότος ἄνω φέρεσθαι, τοῖς μὲν ἄλλοις ζώοις ἡ κατὰ φύσιν αὐτοῦ φορά ἐστιν ἐπὶ τὰς ὦμους· ἐντεῦθεν γὰρ ἐξ ἀνακλάσεως ῥιζόμενον, τὸ μὲν, ἐπὶ τὸ τράχηλον, καὶ τὴν κεφαλὴν φέρει αὐτό· τὸ δὲ εἰς τὴν ῥάχιν, καὶ τὴν ὀσφὺν, διὰ τὸ ἐπὶ τὰ αὐτῆς διήκειας εἶναι πάντα ταῦτα, καὶ ἄνω τὴν βάσιν φερόμενον. ὁμοίως τὸ σῶμα, καὶ τὰ ὑγρὰ μᾶλλον εἰς αὐτὰ ὁμαλῶς ἔπεσθαι διὰ τὰ ὑγρὰ τῷ θερμῷ· διὸ δὴ πάνυ καρυζᾷ τὰ τετράποδα ζῶα, διὰ πάρυς· ὁ γὰρ πάρμος, ἡ πνεύματος αὐθορός φορά ἐστιν, ὑγρῶν ἐξαλμιζόντων τι μᾶλλον τοῦ σώματος· ἢ ὑγρῶν ἀπέπτων· διὸ καὶ τὸ κατάῤῥουν γίνεται, ἃ δὲ συμβαίνει τοῖς ἄλλοις ζώοις, διὰ τὸ τὴν τοῦ θερμοῦ φορὰν ὁμαλίζειν ἐν αὐτῷ εἰς τὸ πρόσθεν καὶ ὄπισθεν· τοῦ γὰρ ἀνθρώπου πρὸς ὀρθὴν πεφυκότος τῇ βάσει, καθάπερ τὰ φυτὰ, συμβαίνει τοῦ θερμοῦ φορὰν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν γίνεσθαι πλείστην, καὶ σφοδροτάτην· φερόμενόν τε ἐνταῦθα, ἀέρωσι, καὶ θερμαίνει τὰς περὶ αὐτὴν πόρους· ὄντες γὰρ τοιοῦτοι, δεκτικοὶ γίνονται τῶν ὑγρῶν μᾶλλον, ἢ οἱ κάτω τὰς καρδίας πόροι· ὅταν οὖν συμβῇ ἐξυγραίνεσθαι μᾶλλον τοῦ δέοντος, καὶ καταψύχηται, ἔξωθεν συμβαίνει τὸ θερμὸν τροφήν τε ἔχον καὶ συγκεκλιμένον ἐντὸς αὔξεσθαι· αὐξανόμενόν δὲ, φέρεσθαι ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ πόρους· εἰς οὓς ἀναλυθησόμενα τὰ ὑγρὰ, ὄντα λεπτὰ καὶ ἄπεπτα, πληροῖ αὐτοὺς, καὶ τοὺς καταῤῥοὺς ποιεῖ, καὶ πάρμους ὁμοίως· ἐν γὰρ ταῖς ἀρχαῖς τῶν καταῤῥόων, τὸ θερμὸν συναναφερόμενον τοῖς ὑγροῖς, καὶ πνευματοῦντες πόρους, τῇ τε ἐκβολῇ τοῦ πνεύματος τοὺς πάρμους ποιεῖ, καὶ τῇ πρὸς τὰ ὑγρῶν ἀναγωγῇ, ἃ ὄζει λεπτὰ καὶ δριμέα· διὸ καὶ συμβαίνει μὴ τὸν τοῦ κορύζης πάρμον, ὑδατώδη ὑπομύττεσθαι· πάντων γὰρ τούτων ὁρμησάντων, τὰ συνεχῆ καὶ πάσης ἔχοντα ὑγρὰ, ὑφίστασθαι αὐτῆς, καὶ ἐμφράττει τοὺς περὶ τὸν κεφαλὸν καὶ τὸν ῥίνα πόρους· ὀγκηρότερα γὰρ γινόμενα, καὶ διατείνοντα, ποιεῖ τοὺς περὶ τὸν κεφαλὸν πόνους· σημεῖον δὲ, τὸ μήτ' ἐκτὸς, ἢ δι' αὐτῶν πνεῦμα ἀφεῖσθαι· διὸ ὅταν πάρυνθῇ, ὅταν ὀσφραίνωνται οἱ κορυζῶντες· οἱ δὲ ἄνευ κορύζης γινόμενοι, διὰ μὲν τὰς αὐτὰς αἰτίας γίνονται. μικρὰς δὲ καὶ ἐλαφρὰς δεχὰς λαβόντες ὥστε συναχθέντα τὰ ὑγρὰ τῷ θερμῷ, ἐκπνευματούμενα τὸν αὐτὸν δὲ ὀλιγότητα, εἰσπίπτει κατὰ τὰς ῥίνας· ποιεῖ δὲ τὸ ψόφον τοῦ πνεύματος, οὐχ ἧττον ἡ βία τῆς φορᾶς, ἢ τὸ πλῆθος αὐτό· ἐνεχθέντος δὲ τοῦ θερμοῦ πρὸς ὀρθὸν, πρὸς τὸ ἐγκέφαλον, καὶ περισπασθέντος αὐτοῦ, ἀνακλᾶται ἐπὶ τὰς ῥίνας, διὰ

τὸ τὰς ταύτῃ πόρους ἐκτὸς ἀπὸ τῆς ἐγκεφάλου διατείνειν· ὥσθ' φύσιν οὖν ἡ ἐκτὸς κλάσεως φορᾶς γινομένης ὅτι τὰς ῥίνας τῷ πνεύματι, σφοδρὰν συμβαίνει γίνεσθ· διὸ ποιεῖ τὰς ψόφους τῶν ἄλλων ζώων συμβαίνει μάλιστα κορυζᾶν τὰς ὄρνιθας, διὰ τὸ μάλιστα ὁμοιόχημον εἶν αὐθρώπῳ· ἧττον ἢ αὐθρώπῳ πάσχει αὐτὸ, ὅτι τὰ πολλὰ κάτω ἔχει τῶν κεφαλῶν, διὰ τὸ τῶν νομέων ἀπὸ τῆς γῆς εἶν.

Cur animantium homo maximè ſoleat ſternutare? An quòd etiam grauedine maximè homo teneatur. Cuius rei cauſa eſt, quòd calor, qui circa cor eſt, ſurſúmque ſua naturâ effertur cæteris animantibus in armos ſe effert, vnde per refractionem diſiectus, partim ceruicem, capútque petit; partim in ſpinam, lumbóſque defertur: hæc enim linea recta, iuxtáque baſim ſita omnia ſunt. Quòd cùm æquè corpus penè totum recaleſcat, humores quoque in ſe ſe pariter digerit, planéque partitur: humores enim calorem ſequuntur. Ex quo fit, vt neque à grauedine admodum infeſtari, neque ſternutare quadrupedes ſoleant. Sternutamentum enim, vel ſpiritus vniuerſi delatio eſt, humore ſcilicet plus aliquid exhalante, vel crudi humoris conatus, excurſúſque. Quocirca deſtillationes ſolet præcedere, quæ quidem animantibus cæteris minimè incidunt, eò quòd caloris illa delatio, antè, retróque portionibus æquis ſe digerit. Homini verò, quòd erecta baſi ſe in ſublime modo ſtirpium, attollit, euenit, vt caloris elatio plurimi, & vehementiſſimi caput adeat: elatúſque eò calor, meatus concalfacit, rarefacítque capitis, qui tales demum effecti, nimirum capaciores humorum, quàm meatus cordis inferiores redduntur. Quoties itáque accidit, vt caput humeſcatur, refrigereturq; extrinſecus ampliùs, quàm ſatis ſit, efficitur vt calor, qui & alimentum habet, & ſe in partem interiorem contrahit, nimirum, creſcat, creſcens ſe ſe in caput, meatuſq; capitis efferat, quò humores prætenues, crudiq; ſectantes, implent meatus, deſtillationeſq; faciunt, & ſternutamenta ratione ſimili mouent. Nam inter initia deſtillandi, calor humorem ſurſum præcedens, inflanſq; meatus, ſternutamenta expulſu ſpiritus, ductuq; humoris tenuis, acriſq; incitat. Vnde fit, vt poſt grauedinis ſternutamentum, pituitam aquæ ſimilem abſtergamus. Hæc cùm omnia ſeſe mouerint, humores coacti, craſſiq; ſubſident, & foramina capitis, naſiq; interſæpiunt. Facta enim tumidiora, diſtentioráque caput dolore infeſtant. Argumentum quòd nullus per eas ſpiritus foràs mittitur. Ex quo ſequitur, vt neque ſternuere, neque olfacere poſſint, qui grauedine detinentur. Sternutamenta autem, quæ ſine grauedine mouentur, has quidem eaſdem ob cauſas veniunt, ſed exiguis, leuibúſque initiis. Itaque vbi vi caloris collecti humores ſunt, facilè ab eodem calore pro ſua exiguitate ſpiraſcentes, in nares interrumpit. Strepitum verò ſpiritus, non minùs violentia ſe ſe efferendi, quàm ſui copia, mouet. Cùm enim calor directo tramite ſe ad cerebrum vſque extulerit, eíque ipſi impegerit, ad nares reflectitur, eò, quoniam meatus illac foràs de cerebro pertendant. Quòd cùm illa foràs reflectendi delatio ſpiritus, nares versùs contra naturam agatur, vehemens vt fiat nimirum euenit: itaque ſtrepitum mouet: Cæterorum autem animantium aues maximè grauedinem ſentiunt, quòd formam corporis maximè ſimilem hominibus gerunt: verùm minùs quàm homines afficiuntur: quoniam caput magna ex parte deorſum tenent, vt quæ victum abs terra petere ſoleant.

Hoc problema ter ab Ariſtotele hoc libro proponi video. Primum ſuperiùs hac eadem ſectione vigeſimum: iterum hoc loco; tertio ſectione vigeſima tertia decimum. Cum verò huius ſectionis vigeſimum, & decimum trigeſimæ tertiæ, iiſdem penè verbis, iiſdem ſanè

ſenten

ſententiis fuerint explicata, ratioque ducta ex forma ſeu figura loci per quem fit ſternutatio; hic à materia & eſſentiali forma eiuſdem ſternutamenti rationes promit. Tradit autem non minùs deſtillationis quàm ſternutamenti cauſſas, quoniam eodem fermè gradu procedunt, & eodem fonte manant: vnde & ſtatim illam frequentioris in homine ſternutationis cauſſam reddit, quòd frequentiùs etiam grauedine ob deſtillationem corripiatur. Primò igitur deſtillationem pertractat, tum ſternutationem. Deſtillationis autem cauſſam eam reddit, quòd caliditas multa (cui humiditatem iungi mox ſubdit) in homine ad caput feratur, minimè verò in cæteris animalibus, in quibus per vniuerſum corpus, & per cæteras partes diſpergitur, idque ratione figuræ, qua prædicta animalia ſunt: nam cùm quadrupedia prona incedant, & caput demiſſum habeant, calor qui ſua naturâ ſurſum fertur, non in caput rectà aſcendit, quia demiſſum, & minimè ſurſum vt in homine eſt: ſed in armos impingit; inde autem per refractionem diſpertitus in ceruicem, caput, ſpinam, & lumbos defertur; nam hæc omnia ſunt in eadem circumferentia, nec à corde & baſi vnde calor manat, magis rectum, aut magis promptum calori eſt iter ad caput, quàm ad armos: quoniam verò calorem ipſum ſequuntur humores, ſicuti etiam ſcribitur quinto de generatione, quemadmodum diximus ſuperiùs, ſicuti calor diſpergitur per omnes dictas partes, ita etiam humor, vnde multo humiditatis onere capite leuato, cuius partem cætera etiam membra ſuſtinent, minimè infeſtatur grauedine, aut ſternutatione: fit enim ſternutatio merito eiuſdem caloris & humoris. Sternutamentum enim nil aliud eſt quàm delatio vel ſpiritus, qui ſimul & vniuerſim eſt collectus, eò quia corporis humores aliquid plus exhalârint à calore; aut delatio humorum crudorum, nimirum tenuium, & aqueorum, cum quibus etiam ſpiritus neceſſariò coniungitur, ſicuti oſtendit Galenus commentario ſeptimo aphoriſmorum quinquageſimo primo, quem locum etiam arbitror ſuperius à me fuiſſe adductum; ex quo etiam fieri ſolet vt ſternutamentum præcedat diſtillationes ipſas, tanquam nimirum incipiente materia agitari, & in ſpiritum verti, quæ deinde copioſius ad nares fluens grauedinem gignit. Deſtillatio autem haud contingit animalibus, quæ quadrupedia ſunt ob rationem dictam, cùm ratione figuræ calor æqualiter per totum corpus diſpertiatur, nec minùs ad anteriora quàm ad poſteriora feratur. Porrò autem quoniam hæc Ariſtotelis ſenſa, alicubi à Theodori tralatione diuersè expoſuimus, quod fecimus Græci textus verba ſecuti, vt expoſitionis ratio conſtet, operæ pretium putaui, verbum penè è verbo conuertentes problematis partem quam hactenus expoſuimus, lectoribus, Græcæ linguæ ignaris proponenere, ſicuti in reliquis, vbi opus fuit à nobis factum adhuc eſt, & verò fiet poſtea: *Cur ex animalibus homo maximè ſternutet? An quòd & grauedine maximè corripitur? Huius autem cauſſa eſt, quoniam exiſtente calore circa cor, & natura apto ſurſum ferri, in aliis quidem animalibus ſecundùm naturam eius, latio eſt ad armos; hinc autem per refractionem diſciſſus, partim quidem ad collum, & caput fertur, partim autem ad ſpinam & lumbos, quoniam in eadem rectitudine hæc omnia ſunt, & porrecta ad baſim. Æquè autem per corpus delatus, humores etiam per ipſum æqualiter diuidit, quoniam humores calidum ipſum ſequuntur: ex quo neque admodum grauedine corripiuntur quadrupedia, neque ſternutant. Sternutatio enim vel ſpiritus vniuerſim collecti delatio eſt, humoribus ipſis corporis aliquid magis exhalantibus, vel humorum crudorum, vnde ante deſtillationes contingit, quæ minimè eueniunt cæteris animalibus, quoniam calidi delatio illa æqualiter ſe habet, & ad anteriora, & ad poſteriora.* Quod autem vertimus, *æquè autem per corpus delatus*, vbi Theodorus habet, *cùm æquè corpus penè totum recaleſcat*, puto Theodorum legiſſe θερμαινόμενον: nos autem ſecuti ſumus formis excuſos codices, qui omnes habent φερόμενον, hoc eſt *delatus*. τῷ δ' ἀνθρώπῳ πρὸς ὀρθήν. *Homini verò quòd erecta.* Hactenus docuit, quare grauedo, & ſternutatio non fiant in quadrupedibus: nunc docet quare fiant in homine, ab illius figura ſimiliter argumento ducto, quæ à quadrupedum figura diuerſa eſt: homo enim erectus eſt, & ſublimis, capite elato, quod Ariſtoteles dicit, erecta baſi; animalia non item. Superiùs igitur in illis vſus eſt voce εὐθείας hic autem ὀρθῆ, at ἔνθυ, vt Grammatici docent, *rectum* eſt, nimirum porrectum in rectum, aut in rectum tendens, ὀρθὸν autem, *erectum*, ſeu *arrectum*, aut ſublime. Eſt igitur motus caloris, & cum ipſo humoris, in quadrupedibus à corde ad omnes partes directus, ſeu recta porrectus, minimè declinans, non tamen erectus, vt ita dicam, aut ſublimis: talis verò eſt in homine, quia ille ſtirpium modo ſublimi capite ſtat. Ex hoc igitur fit vt tota ad caput aſcendente euaporatione, maxima & vehementiſſima ſit, ad alias partes haud diſtributa, ex qua capitis pori, hoc eſt venæ & arteriæ, ac etiam meatus inſenſibiles dilatantur, & incaleſcunt, ob quam rem capaciora redduntur ad humores ſuſcipiendos quàm ſint vaſa inferiora cordis: calor enim aſcendens maior & vehementior in capite colligitur quàm inferius ſit, & effectum, qui dicitur, ibidem gignit. Si igitur contingat caput

ita affectum extrinsecus aliqua de caussa magis quàm par sit humescere, & refrigerari, calor idem in corpore rursus augetur ob duas caussas; nam & alimentum habet, scilicet humores ipsos qui abundant, quorum aliqua pars etiam coquendo & nutriendo est, atque eidem calori augendo apta; & ob contractionem simul idem calor cogitur, vnde etiam illi augmentum: Auctus autem in caput & illius meatus fertur. Iam verò etiam cum ipso, qui remanserunt crudi & tenues humores illuc asscendunt, & meatus ac vasa opplentes, efficiunt destillationem, ac sternutamenta. κὴ καταψύξιναι ἔξωθεν συμβαίνει. Interpunximus iuxta Theodori tralationem post ἔξωθεν, & hoc aduerbium superioribus iungendum censuimus. ἐν γὰρ τῇ ἀρχαῖς. *Nam inter initia.* Persequitur adhuc eundem sternutationis, & grauedinis sermonem, & docet liquidiùs ex qua materia sternutatio fit, & ex qua grauedo, cur sternutatio inter initia catarrhi; & cum vera grauedine non fieri sternutationes, sed absq; illa, verùm ab eisdem caussis, sed leuioribus. Ait igitur sternutamenta ab initio fieri, quia oriuntur à calore, & ex materia magis subtili & acri; calor autem fertur in caput antequàm ipsi humores ex quibus postea fit grauedo, meatúsque replet spiritu, cuius emissione sternutatio creatur: argumento autem est fieri ex materia magis subtili, quoniam post sternutamenta ex grauedine orta, absterguntur aquosa, nimirum cruda, & subtilia. Postquàm autem hæc omnia extra impetum fecerint, alij humores magis densi, crassi, & qui ab illa affectione passi sunt, subsident, & obstruunt meatus, qui sunt in capite, & circa nares, fitq; grauedo; ex qua etiam gignuntur capitis dolores: nam tumidioribus factis, & extensis partibus illis, solutionéque continui genita, dolores creantur. Illinc autem perspicitur, obstructos esse meatus istos, quoniam ne spiritus quidem ex illis prodire potest: vnde sequitur vt neque sternutare, neque olfacere possint, qui grauedine tenentur: cùm sternutatio sit cum spiritus emissione, & olfactus cum spiritus attractione: grauedinem autem hîc accipit propriè, nimirum quæ fit ex materia magis crassa vt dictum est, cùm hac enim minimè fieri sternutamenta dicit; atqui cum alia, quæ etiam dicitur grauedo, nimirum ex tenui & aquosa materia fieri sternutamenta apparuit superiùs, cùm diceret, post sternutamenta grauedinis abstergi à naribus aquosa: quin & apparet ex verbis, quæ illico subdit, sternutamenta nimirum quæ fiunt absque grauedine, de qua scilicet modò locutus est, fieri ob easdem caussas: sed caussas esse leuiores; nimirum materiam pauciorem; vnde haud quaquam replet caput: sed à calore ipso præ exiguitate coacta simul, atque in flatum conuersa, & in nares incidens, erumpit, & strepitum facit; quamuis enim exigua sit, vis tamen qua fertur ea est, vt strepitum edere possit, cùm non solùm multitudo, sed impetus etiam possit strepitum gignere: est autem motus vehemens, quia præter naturam, nam cùm calor vnà cum istis tenuibus humoribus, ex quibus grauedo haud fit, sursum rectà ad cerebrum efferatur, & in ipsum impingat, reflectitur cum eisdem ad nares; via enim est ab eo ad has, at quia præter naturam hæc reflexio aut refractio: sursum enim asscendens retrò flectitur, violentam, & maiori cum impetu esse contingit: nimirum sicuti ventus alicubi incluſus, magis strepit, & maiori impetu mouetur. Porrò autem de strepitus caussa, qui in sternutatione contingit, hæc habet Hippocrates citato loco septimi aphorismorum quinquagesimo secundo: *Sonat autem quia per angustum ipsi est exitus.* τῶν δ' ἄλλων ζώων. *Cæterorum autem animalium.* Corollarium, quo illius etiam quod dictum est, veritas magis confirmatur; ratione figuræ rectæ destillationem maximè contingere: nam inter bruta ipsa, eadem ratione aues maximè corripiuntur grauedine, quia formam gerunt hominibus similem, id est capite sublimi sunt; id autem eò contingit, quia sunt, sicuti homo bipedes: minùs tamen quàm homines destillationem & grauedinem patiuntur, quoniam victus caussâ, quem è terra, & humilioribus locis petere solent, sæpius caput demissum, & humi inclinatum habent.

LII.

Διὰ τί τὰ θαλάττια ζῶα τῶν ἐν τῇ γῇ μείζω καὶ διαφέρεται ἐστιν; ἢ ὅτι ὁ ἥλιος καταδαπανῶν τὰ περιέχοντα τὴν γῆν, ἀφαιρεῖται τὴν τροφήν; διὸ καὶ τὰ κατακεκλεισμένα διαφέρεται ἐστι· πάντων οὖν τούτων ἀπήλλακται τὰ θαλάττια ζῶα.

Cur maris animalia maiora, vegetioráque sunt, quàm terræ? An quòd vis Solis consumendo, quæ terram ambiunt, copiam detrahit nutrimenti: quam ob rem quæ abdita vitam agunt, vegetiora sunt. His igitur omnibus incommodis cùm genus maritimum sit immune, meritò tum adolescere potest corpore ampliori, & vegetiori.

Plinius capite ſecundo libri noni in eandem ſententiam cùm de aquatilibus loqueretur ita habet: *Sunt autem complura in ijs, maiora etiam terreſtribus.* Et capite ſequenti: *Plurima autem & maxima in Indico mari animalia, è quibus balenæ quaternum iugerum, priſtes ducenûm cubitorum, quippe vbi locuſtæ quaterna cubita impleant; anguillæ quoque in Gange amne tricenos pedes.* Enimuero mira de hac aquatilium magnitudine narrant hiſtoriæ: Nam & balenam fuiſſe referunt adeò vaſtam & immenſam, vt ad eam tanquam inſulam appellerent olim nautæ, & veluti in terram neceſſariis rebus expoſitis deſcenderent. Cauſſam huius magnitudinis refert Ariſtoteles in nutrimenti copiam, quæ aquatilibus ſuppetit, non itidem terreſtribus: Sol enim qui totam terram ambit, calore ſuo quæcunque in ipſius ſuperficie continentur exſiccat, & abſumit. Vnde quæ animalibus in nutrimentum cedunt, quæcunque illa ſint, tenuiora & minùs bene nutrientia eſſe neceſſe eſt: & ipſa etiam quæ nutriuntur animalia, Solis vi exſiccata nutrimentum haud ita latè, & amplè poſſunt digerere, ſicuti aquatilia, quibus præ mollitie facilè vndequâque extenditur. Igitur quæ Soli minimè expoſita ſunt, ſed ab illius vi abſcondita, ſicuti aquatilia, cùm illis incommodis ſint immunia, & magis ac meliùs nutriri poſſint, tum ratione corporis proprij nutritioni magis apti, tum ratione cibi ampliùs & meliùs nutrientis, iure maiorem acquirunt corporis magnitudinem. Plinius loco citato haud abſimilem attulit rationem his verbis: *Cauſa euidens, humoris luxuria: alia ſors alitum, quibus vita pendentibus. In mari autem tam latè ſupino, molliq; ac fertili nutrimento, accipiente cauſſas genitales è ſublimi, ſempérque pariente natura, pleraq; etiam monſtrifera reperiuntur.*

LIII.

Διὰ τί ποτε τὰ μὲν ἄλλα ζῶα, πλεονάκις τ' ξηρᾶν τροφὴν ἢ τ' ὑγρὰν προσάγεται· ὁ δ' ἄνθρωπος, τ' ὑγρὰν, ἢ τὴν ξηρὰν; ἢ ὅτι φύσει ὁ ἄνθρωπος θερμότατον; πλείστης οὖν καταψύξεως δεῖται.

Cur cætera animalia cibum ſæpius ſiccum, quàm humidum capiant, homo humidum ſæpius, quàm ſiccum? An quòd homo naturâ calidiſſima eſt, plus refrigerationis deſiderat?

Hominem potus quàm cibi eſſe auidiorem; atque ideo ex illo ſæpius, ex hoc rariùs aſſumere, quotidiani victus experientia conſtat. Multi enim vix ſemel aut iterum demorſo pane, aut exiguo alio attacto cibo, largo hauſtu ſe proluunt. Quin & notæ, ac admodum celebres Græcorum compotationes, præſertim ad finem conuiuiorum etiam ad ebrietatem; vt naturali non ſolùm indigentiæ, ſed multa quoque ex parte videantur voluptati inſeruire: Denique homines, vix aut ne vix quidem comedunt, quin bibant, bibunt autem multi abſque vllo paſtu; mirum quàm ſæpe. Bruta contra plurima, poſt longum & copioſum totius ferè diei paſtum, ex ſicco etiam pabulo, vix ſemel hauriunt; cùm tamen nonnulla etiam ſint, quæ humidiori aliquantulùm delectentur vt ſues. Ariſtoteles cauſſam dicit eſſe caliditatem. Homo enim calidiſſimus eſt, nimirum in genere animalium: calidiſſimus autem *naturâ*, id eſt *calore innato*, vt Hippocratis verba exponit Galenus commentario primo aphoriſmorum decimo quinto: Abundantia igitur caloris, ſeu calorificæ ſubſtantiæ multitudine, ſuperat homo cætera animalia, qualitate autem, nimirum vehementia, aut acrimonia, quædam ex illis excellere vt leonem, pardalim, canem; id verò haud negat Ariſtoteles: & videtur conſentaneum ſiccitati, quæ illorum animalium calori eſt coniuncta: illa enim calida & ſicca; homo autem calidus & humidus, vt habetur primo de generatione animalium: plus tamen hac in re caloris poſſe abundantiam, & ſubſtantiæ multitudinem, quàm qualitatis modum, hoc quidem loco appareat: quæ tamen abundantia ſi ipſa qualitate adiuuetur, vt in æſtate vſuuenit, mirum quàm efficiat homines ſiticuloſos, & humoris auidos. Igitur homo quia maximè calidus, maximè indiget refrigerio, refrigeratio autem à potu, qui & actu & facultate talis eſt; iure igitur frequentiorem & copioſiorem ſumit potum quàm cibum: temperamento autem quo quiſpiam præditus eſt contraria, minimè autem ſimilia, conſuêſſe hominem accipere, ſcribitur etiam problemate ſequenti quinquageſimo octauo, qua de re ad eum locum nonnulla dicemus.

LIV.

Διὰ τί οἱ σύνοχοι γίνονται φαλακροί; ἢ ὅτι πολλῷ ἔχουσι τ' ἐγκέφαλον; τοῦτο γὰρ συμβέβηκεν αὐτοῖς, διὰ τὸ μὴ συγίνεσθαι ταῖς γυναιξίν· ἡ γὰρ γονή ἐστιν ἀπὸ τ' ἐγκεφάλου χωρεῖσα διὰ τ' ῥάχεως· διὰ τοῦτο

οὐ δοκεῖσι ἢ οἱ βόες οἱ ἐκτομίαι μεγάλα τὰ κέρατα ἔχειν, ὅταν ἐκτμηθῶσι· δοκεῖ ἢ αὐτὴ αἰτία εἶ, ὅτι αἱ γυναῖκες & οἱ παῖδες οὐκ εἰσὶ φαλακροί.

Cur ſpadones calui effici nequeant? An eo quòd multum cerebri obtinent: quod ſanè his contingit, quia rem veneream non agunt: ſemen enim labi per ſpinam à cerebro videtur. Qua de cauſſa boues quoque caſtrati cornua gerere maiora putantur: nec non & mulieres, & pueri cur calui non ſint, eadem ratio eſſe creditur.

Hippocrates ſexto aphoriſmorum vigeſimo octauo hæc habet: *Eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt.* Ad quem locum ita Galenus: *Eunuchos ſectio teſticulorum ſimiles efficit fœminis; ſicuti ergo in eis caluities non accidit, ſic neque in eunuchos propter temperaturæ humiditatem.* Caluitium autem à ſiccitate oriri ſcripſit etiam idem Galenus libro ſecundo de temperamentis capite ſexto: & commentario tertio in ſextum de morbis vulgaribus particula prima, fieri ex ſiccatione in calueſcentibus, cerebri conſumptionem, hoc eſt imminutionem. Ait igitur Ariſtoteles hoc loco eunuchos quia vſu veneris carent, multum cerebri habere, atque ideo multam eadem parte humiditatem, qua redundante, haud fiat caluitium. Porrò autem vſu veneris priuatos, multum cerebri habere ex eo probat, quoniam ſemen ex cerebro fluit per ſpinam: quibus igitur ſemen haud decidit, eis hac quidem ratione haud inſumitur cerebrum: ſed æquè multum perſiſtit: decidere autem ſemen ex cerebro, argumento boum caſtratorum probat, qui cornua maiora habere videntur: tanquàm ſcilicet vberiori materia ad partes illas auerſa, quæ in non caſtratis ad teſtes è cerebro deſcendebat. De hac autem in caſtratis bobus cornuum amplitudine diximus etiam ſuperiùs problemate trigeſimo octauo. Porrò autem ſemen ex cerebro per ſpinam delabi, ſcripſit etiam Hippocrates in libro de genitura, & in libro de aëre, aquis, & locis, quæ omnia cùm à nobis allata fuerint in commentario ad problema ſecundum ſectionis quartæ, non eſt vt hîc denuò referantur. *δοκεῖ ἢ ἡ αὐτὴ. Nec non & mulieres & pueri.* Eandem rationem extendit etiam ad mulieres, & pueros, quia non diſſimili conditione ſunt, nimirum ſeminis expertes, talis enim Ariſtoteli mulier eſt libro primo de generatione animalium capite vigeſimo; vt hac quidem ratione cerebrum non diſſimiliter afficiatur. Porrò hanc de caluitio materiam, cùm pertractaret idem Ariſtoteles libro quinto de generatione animalium capite tertio, eaſdémque tangeret quæſtiones, quamquam non diſſimilia attulit, non tamen eadem omnino. Proceſſit autem hoc ordine: nam primùm oſtendit, homines non calueſcere niſi tempore venerei vſus; pueros igitur non calueſcere, nec mulieres, quia natura earum ſimilis puerorum naturæ eſt, nec eunuchos quia in fœminam mutantur. Cur autem calueſceret nemo ante venereorum vſum, non ſolùm ſiccitatem propoſuit, ſed frigiditatem etiam, quæ ad eam ſequeretur: dixerat enim paullò ante; nullus humor ſine calore eſt: ablato igitur humore, aufertur calor: exſiccationi igitur ſuccedit frigiditas. Caluitij ergo cauſſam dixit eſſe inopiam humoris calidi, qualis præcipuè eſt humor pinguis. Cerebrum autem cùm frigidiſſimum ſit omnium corporis partium, veneris vſu refrigeratur etiam ampliùs: eſt enim vſus veneris depuratæ & naturalis caliditatis ſecretio. Itaque (ait Ariſtoteles) cerebrum, ſentit meritò prius. Quæ enim imbecilla ſunt, & malè habent, cauſſa parua exiguoque momento immutantur. Quapropter ſi expendet quiſpiam quòd ipſum cerebrum exiguæ caliditatis eſt particeps; quodque & ipſam cutem, quæ illi eſt circumpoſita talem adhuc magis eſſe neceſſe eſt, atque hac etiam magis naturam pilorum, quantò ſcilicet longè plus receſſit, meritò exiſtimabit fieri, vt qui ſemen ferunt eadem ætate calueſcant, qua ſemen emittunt. Eadem cauſſa eſt, & vt priore capitis parte calueſcant, & vt hominibus ſolis omnium animalium id eueniat: quòd enim parte priore cerebrum continetur, hinc ea parte calueſcimus. Quòd autem homo maximum humidiſſimúmque cerebrum habet, hinc ſolus animalium ita afficitur. Mulieres non caluent, quoniam natura earum ſimilis puerorum naturæ eſt; vtraque enim ſterilis ſeminalis excrementi eſt. Spadones etiam non calueſcunt, quoniam in fœminam mutantur. Atque his quidem exactè declarata videntur, tum quæ ad preſens de caluitie ſpadonũ problema, tum etiam ad alia quædam proxima pertinent. Leuis tamen in Ariſtotelis verbis reſtat dubitatio, quæ proponenda & diluenda eſt. Dicit enim Ariſtoteles hoc problemate, eunuchos ideo non calueſcere, quia multum cerebri obtinent: at loco qui adductus eſt quinto de generatione; ideo inter animalia ſolum hominem calueſcere, quia plurimum, & humidiſſi-

mum

mum habeat cerebrum, vt idem cerebrum, eiuſque copia & humiditas videatur eſſe cauſſa, tum vt quiſpiam caluefcat, tum vt quiſpiam non caluefcat. Reſpondetur: fieri verò poſſe vt eademmet res & cauſſa variè affecta, & accepta contraria effecta producat, alterum per ſe, alterum per accidens. Cerebrum plurimum bene habens & validum piloſitatis multæ cauſſa eſt, idem vſu veneris vitiatum & imbecille, caluitiei. Quæ habentur ex eiuſdem Ariſtotelis verbis libro quinto de generatione animalium.

L V.

Διὰ τί τὰ μέν, διὸ ὑς ἀνάγκη δι' αὑτῶν τρέφεσθαι μὴ τῷ γήρᾳ· τὰ δὲ, ἃ; ἢ ὅσα ὀλιγοχρονιώτερα τῆς μνήμης μετέχοντα; διὸ ἅπαντα καὶ τελευτᾷ θᾶττον.

Cur animantium alia, vbi primùm in lucem edita ſunt, nutriri per ſe ipſa poſſint, alia nequeant? An ea poſſunt quæ in genere, quod memoriæ capax eſt, breuius viuunt: quocirca ocyus quoque morte eadem omnia occumbunt.

Non eſt abſimile ei quod propoſitum eſt ſuperiùs problemate trigeſimo ſecundo. Dicit itaque ideo fieri vt quædam animalia ſtatim in lucem edita per ſe ipſa nutriri poſſint, vt perdicum, & coturnicum pulli, quoniam duas habent conditiones, quarum alterutra ſi deſit, id verò haud quaquam fiat, nimirum vt & memoria polleant, & vitæ breuioris ſint. Igitur in animalium genere, quæ memoriam habent, non enim omnia habent, vt ſcribitur libro de memoria & reminiſcentia capite primo, & primo capite libri primi de diuina philoſophia. Quæ igitur inter animalia memoriam habentia, ſunt vitæ breuioris, illa ſtatim edita nutrire ipſa per ſe ipſa poſſunt, ſi enim memoria carerent, ad victum neceſſaria exquirere, & comparare haud poſſent: & quoniam breuioris vitæ ſunt, illa iam ſibi præſtant, quæ alia animalia, quibus longius vitæ percurrendum ſpatium, non niſi multo temporis ſpatio exacto: omnia enim ipſis celeriùs contingere apparet, nam & breuiùs intus gignuntur, ſicuti dictum eſt problemate nono huius ſectionis; & celeriùs augentur, ac vigent; & denique vt hîc ſcribit Ariſtoteles, ocyùs intereunt, eſtque hoc præcocioris augmenti ſignum.

L V I.

Διὰ τί ποτε ὁ μὲν ἄνθρωπος, πλείω τὴν ὑποχώρησιν ποιεῖται τῶν ξηρᾶς τὴν ὑγράν· οἱ δὲ ἵπποι καὶ οἱ ὄνοι, τὴν ξηράν; ἢ διότι ταῦτα μὲν τὰ ζῶα, πλείονι τῇ τροφῇ χρῆται τῇ ξηρᾷ· ὁ δὲ ἄνθρωπος ὑγρᾷ μᾶλλον ἢ τῇ ξηρᾷ; πᾶσα δὲ ἀφίστωσις, ἀπὸ τῆς τροφῆς ὅτι, καὶ ἀπὸ τῶν πλείων πλείων· τὰ μὲν οὖν, τῇ ὑγρᾷ μᾶλλον· τὰ δὲ, τῇ ξηρᾷ πλείονι τῇ τροφῇ χρῆται· διότι τὰ μὲν τῶν ζώων, ἔστι φύσει ξηρά· τὰ δὲ ὑγρά· τὰ μὲν οὖν τῇ φύσει ξηρά, τῶν ὑγρᾶς μᾶλλον ἐπιθυμεῖ (ταύτης γὰρ ἐνδεέστερά εἰσι) τὰ δὲ τῇ φύσει ὑγρὰ, τῶν ξηρᾶς· ταύτης γὰρ ἐνδεέστερα καθέστηκεν.

Cur homo plus excrementi humidi egerit, quàm ſicci, equi & aſini plus ſicci, quàm humidi? An quòd hæc animantium genera ſicco pabulo largiori vtuntur: homo humidis magis, quàm aridis, veſci ſolet. Ex cibo autem omne proficiſcitur excrementum, & ex copioſiori copioſius. Igitur alia humido potiùs, alia ſicco largiori vtuntur pabulo: quoniam alia ſicca naturâ ſunt, alia humida. Itaque humidum potiùs capiunt, quæ ſicca conſtant natura: huius nánque ſunt indigentia. Contra ſiccum affectant, quæ humida ſunt naturâ, vtpote quæ qualitatis eius inopia magis teneantur.

Quæ egeruntur, illa tum quantitate, tum etiam ſimilitudine & qualitate reſpondere iis debent, quæ ingeſta ſunt, ipſorum nimirum ratione, & niſi alia interueniat cauſſa, quæ proportionem hanc de medio tollat, quæ plurimæ eſſe poſſunt, & à Galeno variis locis, atque ab aliis Medicis proponuntur. Porrò ſimpliciter homo plus excrementi humidi egerit quàm ſicci: equi & aſini contrà. Cauſſam affert Ariſtoteles, quæ modò dicta eſt, quia ſimilia iis ſunt vnde proficiſcuntur, proficiſcuntur autem à cibis: at cibi ab iis animalibus aſſumpti maiori ex parte ſicci ſunt, ab homine autem humidi, iure igitur talia redduntur

excremen

excrementa. καὶ ἀπὸ τ πλείονος πλείων. *Et ex copiosiori.* Ita Galenus libro tertio de pulsuum caussis capite vltimo: *Semper quantitati confectorum succorum quantitas respondet excrementorum: proinde vbi plurimi conficiuntur, illic plurima sunt excrementa.* Ostendit autem præterea Aristoteles, cur alia potiùs sicco, alia potiùs humido pabulo delectentur: quia nimirum alia sicca, alia humida naturâ sunt; ab vnaquaque autem contrarium desideratur pabulum; à sicca humidum, ab humida siccum; quia nimirum vnumquodque illud expetit cuius percipit indigentiam: at humida indigent siccis, sicca humidis; meritò igitur ita appetunt. Perspicuum autem est, Aristotelem non loqui de proba & propria hominis natura, sed de iis quæ non sunt bene secundùm naturam temperata, dixit enim, illa indigere, sicca humidis, humida siccis, vt hac contrariæ qualitatis appositione, vel leuis aliqua fiat immutatio, aut saltim præseruetur ne ad vlteriorem contrariæ qualitatis gradum delabatur: At probè temperata non egent immutatione, sed conseruatione in eodem statu, quæ per similia fit, similia enim similibus conseruantur: præseruatio autem ad curationem, quæ per contraria fit, reducitur. Galenus in hanc sententiam libro tertio de alimentis capite quadragesimo secundo: *Atque animalibus naturalem temperiem inculpatam quidem seruantibus, similia suis naturis cibaria conueniunt: ijs verò quæ prauam temperiem aut ab initio sunt sortita, aut post acquisiuerunt, non similium sibi ipsis esus, sed contrariorum est vtilis. Seruatur enim similibus, quod probè secundùm naturam est temperatum: quemadmodum quod malè est temperatum, à contrarijs ad proprium temperamentum adducitur.* Quæ verò hîc de cibis dicta sunt, eadem de anni temporibus, & regionibus similiter proponit tertio aphorismorum, decimo octauo aphorismo; vbi Hippocratis in eandem sententiam propositum aphorismum exponebat. In ventriculo frigido memini quid hac de re scripserit idem Galenus libro artis medicinalis, quod propositæ sententiæ videatur contrarium, cùm naturales eius intemperaturas similia appetere diceret, morbosas contraria; sed huc non sunt omnia congerenda.

LVII.

Διὰ τί ὄρνιθες καὶ ἄνθρωποι, καὶ τ ζώων τὰ ἀνδρεῖα, σκληρότερα; ἢ ὅτι ὁ θυμὸς μετὰ θερμότητος; ὁ γὰρ φόβος, καταψυξις· ὅσων οὖν τὸ αἷμα ἔνθερμόν ἐστι, καὶ ἀνδρεῖα, καὶ θυμοειδῆ. τὸ δὲ αἷμα τροφή· ὅσα δὲ θερμῷ ἄρδεται τῶν φυομένων, σκληρότερα πάντα.

Cur aues & homines, & genus quódque animantium forte, corpore sunt duriori? An quòd animositas cum calore est: metus enim refrigeratio est. Quorum igitur sanguis ampliùs feruet, hæc & robustiora, & animosiora sunt: sanguis autem alimento corporibus est. Et quæcunque verò ex stirpibus terræ aqua tepida irrigaueris, omnia duriora euadent.

Quæ animalium genera animosa & fortia sunt, in ipsisq; generibus quæ talia ipsa sunt; illa corporis duritiem cur obtineant, causſam dicit esse Aristoteles, caliditatem sanguinis, quo illa nutriuntur; quæ enim calido nutriuntur, duritiem acquirunt, sicuti patet exemplo plantarum, quæ calido irrigatæ, ac enutritæ duriores fiunt: at robusti ac animosi sanguine calido nutriuntur, quod ostendit quia timor, qui ei affectui contrarius est, frigidus est. Nutriuntur igitur sanguine calido, quia sanguis nutrimentum animalium est, eis verò calidus in corpore inest sanguis. Huic autem caliditati quæ multa est, iungi etiam siccitatem profectò consentaneum. Dicit autem Galenus libro artis medicinalis, qui calidum & siccum hepar habent, illis esse sanguinem crassiorem, nimirum tenuiori parte à calore resoluta; crassior autem & terrestris sanguis, membra duriora efficit. A caliditate etiam cordis audaciam & ad actiones promptitudinem oriri scripsit eodem libro Galenus. Signum autem eiusdem fortitudinis Aristoteles libro de physiognomia capite secundo & tertio posuit duritiem pilorum, pili autem naturam à cute habent.

LVIII.

Διὰ τί τέρατα τίκτουσι μάλιστα τὰ τετράποδα τὰ μὴ μεγάλα· ἀνθρωπος δὲ, καὶ τὰ μέγαλα, ἧττον, οἷον ἵπποι καὶ ὄνοι; ἢ ὅτι πολύγονα ταῦτα, οἷον κύνες, σῦες, καὶ αἶγες, καὶ προβατα, πολὺ μᾶλλον τῶν μεγάλων; ἐκείνων δὲ τὰ μὲν ὅλως μονότοκα, τὰ δὲ ὡς ἐπιτὸ πολύ· τὰ δὲ τέρατα γίνονται, ἐπαλλαττόντων σπερμάτων ἀλλήλοις, καὶ συγχεομένων ἐν τῇ ἕξοδῳ τ γονῆς, ἢ ἐν τῇ μίξει τῇ ἐν τῇ ὑστέρᾳ τ θηλείας.

διὸ καὶ ὄρνιθες αὐτὰ ποιοῦσιν. τὰ δὲ ὠὰ δίδυμα τίκτουσι, τὰ δὲ τέρατα ἐκ τῶν διδύμων γίνεται, ὧν ἡ λέκιθος τῷ ὑμῷ ἐ διαιρεῖται.

Cur monſtra paruæ quadrupedes pariunt, homo autem, grandéſque animantes omnes minùs, vt equi & aſini? An quòd paruæ vt canes, ſues, capræ, oues longè ſunt fœcundiores, quàm grandes. Illarum enim aliæ omnino ſingulos pariunt, aliæ magna ex parte. Monſtra autem tum confici ſolent, cùm plura ſemina inter ſeſe cohæreſcunt, confunduntúrque; vel cùm prodeunt ex mare, vel cùm ſe in fœmina permiſcent, vnde aues monſtra edere poſſunt. Oua enim vitello pariunt geminato. Monſtrum autem ex geminatis illis conſiſtit, quorum vitelli nulla interiecta membrana diſtinguntur.

Quæ ad animalia monſtroſa, eorúmque generationem pertinent, illa multò quàm hîc exactiùs pertractantur ab Ariſtotele libro quarto de generatione animalium capite quarto, & ad finem tertij; vt qui ea legat nulla omnino opus habeat hoc loco alia explanatione. Inde igitur quædam tantummodo huc afferentes reliqua lectori ſuo loco videnda relinquemus. Igitur quæ partum numeroſum edunt, ab iis monſtra enaſci, & quomodo id contingat per hæc verba ſcribit: *Omnino autem magis cauſſam putandum eſt eſſe in materia, conceptibuſq; conſtituendis. Quam ob rem monſtra eiuſmodi rarò admodum fiunt in iis quæ ſingulos pariunt: ſed crebriùs in iis, quorum partus eſt numeroſus, & præcipuè in auium genere, earumq; potiſſimùm in gallinis. Iis enim partus numeroſus non modò quòd ſæpe pariant, vt columbæ, verùm etiam quòd multos ſimul conceptus intra ſe continent, & temporibus omnibus coëunt. Hinc gemina etiam pariunt plura. Cohærent enim conceptus, quoniam in propinquo alter alteri eſt, quomodo interdum fructus arborum complures. Quòd ſi vitella diſtinguantur membrana, gemini pulli diſcreti ſine vlla ſuperuacua parte generantur. Sed ſi vitella continuantur, nec vlla interiecta membrana diſterminantur; pulli ex eis monſtrifici prodeunt, corpore & capite vno, cruribus quaternis, alis totidem, quoniam ſuperiora ex albumine generentur, & prius: (vitellum enim cibo eis eſt) pars autem inferior poſtea inſtituitur, quamquam cibus idem, indiſcretúſque ſuppeditatur. Iam ſerpens etiam bipes viſus eſt, videlicet eadem de cauſſa.* Et paullò poſt: *Vnde apertum eſt cauſſam euentorum huiuſmodi in materia eſſe putare oportere. Vt enim in iis quæ plura pariunt magis, ſic in iis quæ pauciora, minùs id accidit: quocirca homini minùs. Singularem enim perfectumq; parit. Nam & homini locis quibus mulieres præfœcundæ ſunt, magis id euenit, vt in terra Ægypto. Capris verò & ouibus magis vt fœcundioribus accidit. Atque etiam magis multifidis: multipara enim id genus animalia ſunt, nec partum perficiunt vt canis.* Hæc adduximus quòd ad eorum explanationem facerent, quæ in problemate ipſo afferuntur. Monſtra porrò ad finem capitis tertij duplicia conſtituit, alia vt puer capite arietis, aut bouis, ſiue vitulus capite pueri, quod genus fieri non poſſe eodem loco docet: Alterum genus eorum quæ forma prodeunt multimembri, ſcilicet multis pedibus, aut multis capitibus. Sed vniuerſim capite quarto ſcribit: *Deeſſe, aut ſupereſſe quicquam monſtroſum eſt: monſtroſum eſt enim res præter naturam: ſed præter eam quæ magna ex parte fit; nam præter eam, quæ ſemper & neceſſariò eſt, nihil fit: Demum in rebus ijs quæ magna quidem ex parte ita fiunt; ſed aliter etiam poſſunt fieri, euenit quod præter naturam conſiſtit.* Et mox: *In ijs autem quæ pariunt plura, tum ea ipſa eueniunt, tum verò copia partus impedit alter alterius perfectionem, & cauſſam genitalem.* Monſtra etiam accidere non ſolùm partibus externis: ſed etiam internis, ibidem per hæc ſcribit Ariſtoteles: *Partibus etiam internis mutationes, detrimentáque accidunt: vt vel careant aliquibus, vel habeant minuta, aut læſa, vel plura numero: vel non ſuis poſita locis: ſed corde carens nullum vnquam animal ortum eſt, quamquam liene carens, & duplicem habens lienem, & altero vacans rene viſum eſt. Iecore etiam carens toto nullum notatum eſt: quamquam quod non totum haberet iam patuit. Hæc autem in perfectis viuiſque reperiuntur. Felle item priuata prodierunt, cùm ſua natura habere deberent: Alia contrà plura habuerunt. Iam locis etiam permutatis iecur latere ſiniſtro, lien dextro contineri viſus eſt.* ἢ ὅτι πολύγονα ταῦτα. *An quòd paruæ.* Hac de re habuimus nonnulla ſuperiùs, & de eadem agit Ariſtoteles loco adducto, nimirum quarto de generatione capite quarto, cauſſas pluribus exponens. τὰ δὲ τέρατα γίνεται. *Monſtra autem.* Ex Democriti ſententia hanc opinionem adducit loco citato, ſicuti autem eam non improbat, ita meliori via in hac quæſtione eo loco ſibi procedendum ſtatuit. Porrò Theodori tralatio obſcura mihi videtur, atque haud ſcio an fidelis: nam quod inquit: *ſemina inter ſeſe cohæreſcunt:* Græcè eſt ἐπαλλαττόντων, hoc eſt, *euariant, nec eodem*

tempore procedunt: citatúrque hic Theodori locus à lexicis cum particula negatiua hoc modo: *ſemina inter ſeſe non cohæreſcunt*. Enimuerò ad verbum hæc erit conuerſio ſatis liquida: *Monſtra autem fiunt cùm inter ſeſe ſemina euariant, confunduntúrque vel in ipſo ſeminis exitu, vel dum in vtero fœminæ fit commixtio.*

LIX.

Διὰ τί ἡ κεφαλὴ δασεῖα τ̃ ἀνθρώπων μᾶλλον ἢ ἄλλα σώματ̃ων, ⁊ ἐμ̃ λόγον· τοῖς ᾗ ἄλλοις ζώοις τοὐναντίον; ἢ ὅτι ⁊ τ̃ ἄλλων, τὰ μ̃, εἰς ὀδόντας ἐκδίδωσι κατ̃ ὑπ̃βολὴν τ̃ τροφ̃ς· τὰ ᾗ, εἰς κέρατα· τὰ ᾗ εἰς τρίχας; ὅσα μ̃ εἰς κέρατα ἧττον τὸ κεφαλὸ ἔχει δασεῖαν· ἐκεῖ γ̃ αὐξηλ̃· ὥσα ᾗ εἰς ὀδόντας, μᾶλλον μ̃ τ̃ν κερατοφόρων· ἔχει γ̃ λοφίαν ἧττον ᾗ τ̃ν ῥινάτων, οἷον ὀρνέων· ἔχουσι γ̃ ταῦτα ⁊ τὸ τ̃ν ἀνθρώπων· ὃ ἐκείνοις πολλαχ̃ διᾳ̃ πλ̃θος, τοῦτο εἰς κεφαλὸ ἐκδίδωσιν· ἀλλ̃ γ̃ ἀδὲν ἔχει, ἀλλ̃ πολὺ ἔτως ὥστε πανταχ̃.

Cur hominum caput piloſius, quàm reliquum corpus, nec ex proportione piloſum eſt: cæterorum autem contrà? An cætera vel in dentes exuperant præ nimia alimenti copia, vel in cornua, vel etiam in ſetam. Quæ igitur in cornua, capite minùs ſetoſo hæc ſunt: abſumptum enim illam in rem eſt. Quæ autem in dentes, plus quidem pili, quàm cornigera, obtinent: capronarum enim nonnihil ſortiuntur, ſed minus, quàm aues. His enim illud etiam, quod homini, genus integendi natura tribuit: ſed quod illis præ copia nutrimenti multis luxuriat locis, id in capite homini abundat. Nec enim nullum habet, nec adeò multum, vt pilorum vndique excreſcat congeries.

Hominum membra quod pertinet ad piloſitatem, proportione haud ſibi reſpondent: nam cùm caput ſit admodum hirtum, cætera præter pauca ferè nuda ſunt, quam rem ſcripſit etiam libro ſecundo de hiſtoria capite primo his verbis: *Omnia ferè quadrupedia, eadémque viuipara ſunt piloſa: nec hominis modo læuia eſſe nouimus. Homo certè pauciſſimis, exiguiſque integitur pilis, niſi in capite, qua quidem parte hirtiſſimus omnium ipſe eſt.* Cætera animalia contra ſe habent: piloſiora enim ſunt reliquis partibus, quàm capite. Cauſam Ariſtoteles refert ad illud, quod ſcriptum reliquit ſecundo de partibus capite decimo quarto his verbis: *Vbique natura quod aliunde dempſerit, reddere ad partem aliam ſolet. Igitur nonnullis animalibus quæ ſuperſunt ex alimentis, abeunt in dentes, alijs in cornua, alijs in iubas & criſtas*: ſicuti autem aliqua parte abundant, ita alia deficiunt, quemadmodum oſtendit idem Ariſtoteles loco citato ſecundi de partibus capite decimo quarto, & hoc loco: nam quibus in cornua abeunt excrementa, illis caput eſt minùs piloſum, abſumptum enim excrementum non ſufficit etiam alteri loco. Quibus autem in dentes, plus quidem, quàm cornuta habent pilorum circa caput, quoniam non tanta abſumpta eſt materia; iubam enim ſeu criſtam habent, vt equi, & leones mares: minùs tamen hæc habent quàm aues: Hæ enim quod ad hanc rem pertinet diſpoſitæ ſunt quemadmodum homo, verùm in illis propter abundantiam, & copiam materiei, vbique luxuriant pennæ, homini verò, quia non adeò largè ſuppetebat, in capite ſolummodo. Porrò in illis verbis: ἔχουσι γ̃ ταῦτα, ⁊ τὸ τ̃ ἀνθρώπων: quæ Theodorus vertit: *his enim illud etiam quod homini genus integendi natura tribuit*: ſuſpicor ineſſe mendum: nam cùm appareat velle Ariſtotelem rationem reddere communem, quare auibus & hominibus ſit caput piloſum, quia aliqua re conueniant, vnde vtriſque caput integatur, non exprimitur hæc res in textu Ariſtotelis. Quæ enim Theodorus habet illa: *genus integendi natura tribuit*: vt finem naturæ, ſeu adiumentum ſignificaret, de ſuo addidit, niſi aliud ab excuſis habuit exemplar. Fortaſſe autem expreſſerat Ariſtoteles figuram bipedem aut erectam, ratione cuius in caput magna pars excrementorum aſſcendat, vnde piloſitas oriatur: in auibus tamen quoniam copia maior eſt, toti etiam corpori ſufficiat. Porrò huius eiuſdem quæſtionis ſolutionem etiam attulit Ariſtoteles loco citato ſecundi de partibus capite decimo quarto, ſunt autem hæc verba: *Homo animalium maximè omnium piloſo capite eſt, cuius rei cauſſa, tum ad neceſſitatem, tum ad præſidij rationem referenda eſt: neceſſarium enim propter cerebri humiditatem, & commiſſuras caluæ. Nam vbi plurimum humoris, caloríſque eſt, ibidem ortum pilorum eſſe copioſum neceſſe eſt. Adiumenti autem ratio, vt frequentia pili caput operiens defendat à nimio frigore & calore.* Hippocrates ortum pilorum refert ad glandulas,

libro

libro de glandulis ita ſcribens: *Vbi cœnoſæ partes ſunt & humectæ, ibi etiam pili. Natura enim facit glandulas & pilos, vtraque eadem vtilitate participantes: illas quidem vt quod influit (velut antea dictum eſt) ſuſcipiant. Pili verò ex glandulis opportunitatem habentes naſcuntur, & augeſcunt, colligentes id quod in extremitates redundat, ac efferueſcit. Vbi autem corpus ſiccum eſt; neque glandula, neque pilus ineſt. At verò teneræ & exercitatæ, & humectæ partes glanduloſæ ſunt ac piloſæ. Glandulæ porrò ſunt ab vtraque aurium parte iuxta iugulares colli venas, & pili etiam ibidem. Item ſub alis vtrinque, & glandulæ & pili ſunt. Inguina & pubes ſimiliter vt alæ, & glandulas & pilos habent.* Et mox quod ad caput pertineat; *Caput etiam ipſum glandulas habet, cerebrum nimirum ſimile glandulæ. Eſt enim cerebrum album, ac friabile, quemadmodum etiam glandulæ.* Et paullò poſt. *Maius autem eſt cerebrum, quàm aliæ glandulæ, & capilli etiam maiores, quàm aly pili.* Hæc Hippocrates. ὁ ἐπένοις πολλαχῇ ἅμα πλῆθος. *Sed quod illis præ copia nutrimenti*: Hæc Iuſtinianus virgula includit, tanquam à codice abeſſent, vnde lectionum varietatem deſcribebat, & verò ſine ſenſus iactura abeſſe licet. Nihil enim præter quàm continent, hominem non omnino, & cunctis partibus eſſe depilem; cùm ei aliqua adſit pilorum materia, quæ alibi minimè inſumpta eſt; nec vndique piloſum, quòd ea copia minimè ſuppetat.

LX.

Διὰ τί ἀνθρωπος μόνον τῶν ζώων πολιὰς ἔχει; ἢ ὅτι τὰ μὲν πλεῖστα τῶν ζώων, ῥυάδα τὴν τρίχα ἀνὰ πᾶν ἔτος ἔχει, οἷον ἵππος, βοῦς; ἔνια δὲ ῥυάδα μὲν οὐκ ἔχει, βραχύβια δέ ἐστι, καθάπερ πρόβατον. ἄλλα δὲ ἢ θείᾳ ὥσπερ ἀφῄρηται, ἢ διὰ πολιὸν ὁ ἄνθρωπος, ἢ διὰ ῥυάδα ἔχειν τὴν τρίχα, μακρόβιόν τέ ἐστιν ὥστε ὑπὸ τοῦ χρόνου πολιοῦται.

Cur vnus omnium animantium homo caneſcit? An quòd pars animantium maxima pilum quotannis deciduum gerit, vt equus, vt bos: nonnulla deciduum non gerunt, tempus autem viuunt breue, vt oues, & quædam alia, quorum pilus, vtpote non ſeneſcens, caneſcere non poteſt. At homo nec deciduum gerit pilum, & longam degit ætatem, itaque breui tempore caneſcit, atque inueteratur.

De canitie quid ſit, & qua ratione homini contingat, pluribus agit Ariſtoteles libro quinto de generatione animalium capite quarto; & quare non aliis animalibus capite quinto. Caneſcere tamen equum eodem loco ſcripſit, & cauſſam etiam attulit, oſſis cerebri tenuitatem. Vnde quod hîc ab eodem dicitur, ſolum hominem caneſcere, ita intelligendum eſt, eum ſolum caneſcere, quia in hoc genere omnes homines plùs minùs, ſeriùs, citiùs caneſcunt: in genere autem equorum non omnes: ſed pauci. Quin & equus diutiſſimè etiam inueteraſcens ad tantam non peruenit pilorum albedinem, ad quam homo etiam non admodum ſenex peruenire conſpicitur, vt illi propria videatur hæc affectio: quam rem ſignificauit etiam Ariſtoteles eodem quinto libro de generatione capite 1. his verbis: *Sed altero oculo cæſi præcipuè homines, atque equi gignuntur, eadem de cauſſa, qua & homo ſolus caneſcit, & equus inter cætera animalia vnus euidentius albeſcit pilo per ſenectutem.* Ariſtoteles igitur hoc loco præter cauſſas, quas alibi adduxit, duas vult adeſſe conditiones, vt canities animali aduenìat, quarum alterutra ſi deſit, canitiei locus non ſit. Prima vt animal pilum minimè gerat quotannis deciduum; altera vt non ſit vitæ breuioris. Oſtendit autem has conditiones eſſe neceſſarias, cùm ſcribit: *quorum pilus vtpote non ſeneſcens, canere non poteſt.* Hæc enim quamquam videntur poſita ad comprobandam poſtremam ex duabus conditionibus, quæ pertinet ad vitæ longæuitatem, poteſt tamen etiam accommodari ad priorem: ſi enim pilus in iis, quæ vitæ breuioris ſunt, haud poteſt caneſcere, quia haud ſeneſcit morſque anticipat animal occupare, cur non etiam illis id contingat, quibus quotannis decidit? Qui enim quotannis decidit, ille etiam quotannis renaſcitur, & iuueneſcit, nec ſeneſcit, vnquam. Igitur vtræque conditiones ſunt neceſſariæ; vtraſque autem, præter hominem, nulla animalia habent. Nam equi, & boues, quotannis pilum mutant, carent igitur prima, oues non mutant, ſed ſunt vitæ breuioris: carent igitur altera conditione. Homo autem nec deciduum gerit pilum, niſi aliquo ex accidenti, vt morbo; & vitæ eſt longæuæ; meritò igitur ob temporis curſum, & diuturnitatem ſolus caneſcit. Porrò hæc vltima problematis ſententia, ſeu concluſio à Theodoro corrupta eſt, qui legerit παλαιᾷ, cùm legendum ſit, πολιᾷ, quem-

admodum habet doctiſſimi Caſauboni editio: quæ vox cauſſa fuit Theodoro vt ſenſu immutato, & corrupto, addiderit de ſuo vocem, *breui*, quæ à textu abeſt. Addita autem à Theodoro fuit, vt ſenſum illum concinnaret, quem putabat elici ex verbo παλαιῷ. At verus ille eſt, quem nos in declaratione explicuimus.

LXI.

Διὰ τί ὅσοις τὰ ἀπὸ τοῦ ὀμφαλοῦ κάτω μείζονα, ἢ τὰ πρὸς τὰ στήθη, βραχύβιοι καὶ ἀσθενεῖς; ἢ ὅτι ἡ κοιλία ψυχρὰ διὰ μικρότητα· ὥστε ἡ πεπτικὴ, ἀλλὰ προϊεμαστική; οἱ δὲ τοιοῦτοι, νοσεροί.

Cur vita breui, imbecilliſq; viribus ſunt, qui partem vmbilico ſubiectam maiorem, quàm ſuperiorem habent, pertinentem ad pectus? An quòd venter ſuam ob breuitatem frigidus eſt: itaque vt vim paruam obtinet concoquendi, ſic excrementis redundare aptiſſimus eſt. Morbis autem nimirum patent, quia tali ventre conſtiterint.

Ariſtoteles capite tertio libelli de phyſiognomia ſcriptum reliquit, eos qui ſpatium haberent ab vmbilico ad pubem maius, quàm ab eodem vmbilico ad pectus, indicari eſſe bonos, & validos comeſſatores: quod non alia ratione fieri exiſtimandum eſt, quàm ea, quæ hîc ſcribitur, eos, qui vmbilico ſubiectam partem habent maiorem, quàm ad pectus pertinentem, id eſt ab vmbilico ad pubem maiori, & ampliori ſpatio porrectam, quàm ab eodem ad pectus, breui vita, imbecilliſque viribus eſſe. Vtrumque enim ex meliori, aut deteriori ventriculi coctione ortum ducit. Nam quod ſpatium eſt ab vmbilico ad pectus, eo ventriculus ipſe continetur, quo concoquuntur cibi, & quæcumque ad ſuſtinendam vitam alimenta aſſumuntur. Qui igitur huiuſmodi ſpatium amplum habent, illi ventriculum etiam amplum obtinent: At amplus, & magnus ventriculus, magnam calidi innati copiam obtinet, cuius vi, quæcumque aſſumpta ſunt, facilè & promptè concoquuntur: atque inde boni comeſtores, & compotatores exiſtunt. Quibus verò ſpatium illud exiguum eſt, ſicuti illis vſu venit, quibus maius eſt, quod ab vmbilico tendit inferiùs ad pubem, quod hoc problemate dicitur, illi frigidum habent ventriculum, quoniam præ breuitate exigui calidi innati copia ei ſuppetit. Ita verò fit, vt excremẽtorum magna copia colligatur, cibis enim haud concoctis, multa relinquuntur excrementa, quæ morborum occaſiones afferunt, debilitatos pariunt, & tandem vitam reddunt breuiorem. Porrò duo hoc loco ſunt animaduertenda. Alterum eſt, partem illam ab vmbilico ad pectus, qua ventriculus ſitus eſt, quam ad longæuitatem amplam requiri diximus, bene etiam efformatam cæteris partibus proportione reſpondere debere; ita enim natiui caloris copia in eo vnita & coacta abundabit: alioqui præ loci amplitudine diſſoluenda, & diſſipanda: quam rem etiam Ariſtoteles ſignificans, non dixit ſimpliciter partem illam, vt ampla, & magna eſſet, conuenire: ſed ſi minor eſſet, quàm inferior ab vmbilico ad pubem, imbecillitatem, & vitæ breuitatem effici. Alterum eſt, ita ventriculo efformatos, bonosque comeſſatores, & compotores, vt dicitur in phyſiognoticis, non eſſe accipiendos, qui omnia vorent, & quàm nimia aſſumant, hóſque robuſtos eſſe, & vitæ longioris, ſed hac quidem ventriculi ratione, quod aſſumitur ab iis, meliùs concoqui, minoráque gigni excrementa, ac vitam ideo longiùs produci. Vnde & in phyſiognomicis, vt nihil diſſonet, libentiùs verterim, quod Græcè eſt, ἀγαστὶ φαγεῖν, *non voraces*, vt faciunt interpretes, quæ vox excedentem quandam oſtendit copiam: ſed vt nos vertimus ad verbum, *bonos comeſſatores*, quod robur potiùs, & firmitatem oſtendit; nimirum præ caloris ventriculi copia, celeriter facta coctione, ad alia præterea aſſumenda, & concoquenda eſſe maximè apparatos, & firmos.

LXII.

Διὰ τί τὰ μὲν γίνεται τῶν ζώων, ἃ μόνον ἐξ ἀλλήλων, ἀλλὰ καὶ αὐτόματα· τὰ δὲ, ἐξ ἀλλήλων μόνον, οἷον ἄνθρωπος, ἵππος; ἢ κἂν εἰ μὴ ἐξ ἑτέρας αἰτίας, ἀλλ' ὅτι τοῖς μὲν ὀλίγος ὁ χρόνος τῆς γλυκέσεως· ὥστε ἡ γλυκυτικὴ ὥρα ὑστερτείνει, ἐκδέχεται γλυκεῖς τὴν μεταβολὴν τῶν ὡρῶν; τῶν δὲ πολὺ ἡ γλυκεσις ὑστερτείνει· ἐνιαύσιοι γὰρ, ἢ δεκάμηνοί εἰσιν· ὥστε ἀνάγκη γίνεσθαι, ἢ ἐξ ἀλλήλων γίνεσθαι.

Quam ob cauſſam anim antium alia non ſolùm coitu, ſed etiam ſponte

naturæ

naturæ procreantur, alia coitu duntaxat proueniunt, vt homo, vt equus? An quòd etsi non aliam ob causſam, tamen quòd aliis gignendi tempus breue ſtatutum eſt. Itaque fieri non poteſt, vt tempus, quod vim obtinet generandi amplificetur, prorogetúrque: ſed temporum viciſſitudine, commutationéque, vt procreentur, contingit. Aliis multò generatio ampliari ſolet: etenim vel anno vel decem menſium ſpatio confici aſſolet. Quapropter vel nullo pacto, vel ex coitu procreentur illa neceſſe eſt.

De animalium ſpontina, & non ſpontina generatione pluribus etiam actum eſt ſuperiùs huius eiuſdem ſectionis problemate decimo quinto, quo eadem proponebantur. Quamquam autem rationum momenta eodem fermè tendunt; quoniam tamen verba non eadem ſunt, & aliqua indigent conſideratione, nonnulla ad hæc afferemus. Primùm autem Ariſtoteles videtur negare, quod problemate decimo quinto ex quorundam ſententia videbatur conceſſiſſe, perfecta animalia, vt hominem, vt equum ſponte naturæ oriri poſſe, qua de re eodem loco plura dicta ſunt. Tum verò problema ſoluit dicens, ſi non alias, hanc tamen eſſe cauſſam, vt quædam animalia non ſolùm ex ſe inuicem, *ſeu coitu*, vt vertit Theodorus, ſed etiam ſponte; alia vero ſolummodo ex coitu procreentur; quoniam alterius generis procreatio aliam temporis rationem, & occaſionem, alterius aliam exquirit: quæ enim ſponte gignuntur, illorum generationis tempus, ſeu interuallum exiguum, & breue eſt, facilè nimirum, & exiguo materiæ apparatu fit eorum procreatio, vnde contingit, vt ipſa temporis occaſio, qua gignuntur poſſit extendi, & ampliari, nec ſtatuto quodam, & præfixo termino concludatur, vt in altero genere, vnde in tempeſtatum mutationibus, quæ variæ ſunt, ac eſſe poſſunt, de quibus diximus problemate decimo quinto; fieri ipſorum generationem contingit. Non ita vſuuenit in alterius generis procreatione: nam cùm illorum generationis tempus multùm extendatur, hoc eſt prolixius ſit ob maiorem apparatum, pluréſque conditiones, quas materia requirit, nam & annus, & decem menſium ſpatium eſt, occaſio temporis genitalis aut generatio ipſa non poteſt per illas temporum mutationes contingere, ſed alia requiruntur, vnde vel non fiunt, vel ex inuicem neceſſariò fiunt. Rationis igitur fundamentum his verbis poſitum eſt, quæ conſideranda ſunt: Nam ſpontinis dixit breue eſſe generationis tempus, ὀλίγος ὁ χρόνος γενέσεως: *non ſpontinis multùm extendi generationem*, πολὺ ἡ γένεσις ὑπερτείνει. Sunt autem varij termini, quamquam eadem exprimitur res, quod fortaſſe locum aliquantulum obſcurauit; eò magis, quòd eadem dictione ὑπερτείνει vſus eſt, cùm tempus, ſeu potiùs temporis occaſionem denotauit, qua ſpontina procreantur, eámque extendi dixit; vt niſi diligenter ſenſus obſeruetur, in verbis videatur contrarietas, quæ nulla omnino eſt; fuítque, vt puto hæc Theodoro cauſſa, qui ſenſum non aſſequutus, eum corrupit, vt in illis, *Itaque fieri non poteſt, vt tempus, quod vim obtinet generandi, amplificetur, prorogetúrque*, negationem adderet, qua Ariſtotelis verba carent, quæ ita ſcribuntur, ἡ γυνὴ οὕτω ὑπερτείνει. Vnde neceſſarium putaui, etſi ruditer, vt conſueui, conuerſum problema ita Latinè proponere: *Cur animalium alia non ſolùm ex ſe inuicem fiunt, ſed etiam ſponte; alia autem ex ſe inuicem ſolùm, vt homo & equus? An quoniam niſi ob alias cauſſas, tamen quoniam aliis quidem breue eſt gignendi tempus. Vnde genitalis temporis occaſio extenditur, ac in mutatione tempeſtatum, generationes fieri contingit. Aliorum autem generatio multùm extenditur, nam & annuæ, & decem menſium ſunt. Quare neceſſe eſt, vel non fieri, vel ex ſe inuicem fieri.* Porrò his extremis verbis cùm in Græco textu deeſſe negationem exiſtimarem, ſecutus ſum Theodori tralationem, quæ illam habet; & quem puto ita legiſſe. ὥστε ἀνάγκη ἢ μὴ γίνεσθαι, ἢ ἐξ ἀλλήλων γίνεσθαι.

LXIII.

Διὰ τί τῶν Αἰθιόπων οἱ μὲν ὀδόντες λευκοί, καὶ λευκότεροι ἢ οἱ τῶν ἄλλων· οἱ δὲ ὄνυχες, οὐκ ἔτι; ἢ οἱ μὲν ὄνυχες ὅτι καὶ τὸ δέρμα μέλαν, καὶ μελάντερον ἢ τῶν ἄλλων· οἱ δὲ ὄνυχες οὐ τῷ δέρματι φύονται· οἱ δὲ ὀδόντες λευκοὶ διὰ τί; ἢ ὅτι ἐξ ὧν ὁ ἥλιος τὸ ὑγρὸν ἐξάγει, αὐθις τῷ ὀπιδάπτειν λευκαίνεται, οἷον καὶ τὰ κηρύν; τὸ μὲν οὖν δέρμα ὀπιδάπτει, τὰς δὲ ὀδόντας οὐκ ὀπιδάπτει, ἀλλὰ τὸ ὑγρὸν διὰ τῶν ἀλέων ἐξατμίζεται ἐξ αὐτῶν.

Cur Æthiopum dentes candidi, & candidiores, quàm cæterorum, vngues autem non dentibus in candore reſpondeant? An vngues ideo nigri-

cant, quia cutis etiam nigra est, & nigrior, quàm cæterorum: vngues autem ex cute proueniunt. Sed cur dentes candeant, quæ nam ratio sit? An quòd albescere illa solent, quibus vis solis humorem detrahit, dummodo nihil superinficiatur, quo modo etiam ceram albescere nouimus. At cutem superinficit calor, dentes minimè: sed totus eorum humor in vaporem à calore conuertitur, atque exhalatur.

Hæc satis per se manifesta, quæ ad vnguium, & dentium Æthiopum pallorem pertinent, explicantur etiam magis eiusdem Aristotelis verbis tertio de historia animalium capite nono, quæ ita habent: *Colores cornuum, vngium, vngularum, pro cutis pilorúmque colore sequuntur, etenim cutis nigræ cornua nigra, & vngulæ nigræ oriuntur, & candidæ pari modo in colore respondent, & cornua, & vngues, & vngulæ mediis etiam medium eadem colorem præferunt. At dentes naturam ossium æmulantur, quam ob rem hominum nigrorum, vt Æthiopum, atque similium, dentes, & ossa candent, vngues nigri modo suæ cutis apparent.* Et libro secundo de generatione capite quarto: *De dentibus dubitaueris, sunt enim eiusdem naturæ, cuius ossa, gignuntúrque ex ossibus: vt vngues, pili, cornua & similia ex cute, quo fit, vt ipsa colorem pariter cum cute immutent: alba enim & nigra, & vario modo diuersa pro colore cutis redduntur. At dentes nihil tale recipiunt; ossibus enim anumerantur in iis animalibus, quæ ossa habent, & dentes.* Hæc ibi Aristoteles. Quod verò ad candorem dentium pertinet, exactiùs adhuc rem hoc loco pertractat. Ait autem illa albescere à quibus vi, & calore Solis expellitur, & dissipatur humiditas, nimirum impura, sordida, crassa, densa, qua nigrities continetur ob admixtionem terrestris cum eodem humido, sicuti scribitur problemate primo sectionis trigesimæ octauæ: absumitur enim, & in halitum resoluitur; redditurque ea substantia magis rara, & pura; pellucensque aër permeans, & inclusus albedinem inducit, quemadmodum ceræ contingit, cùm aëri exposita dealbatur; quod scribit idem Aristoteles problemate primo sectionis trigesimæ octauæ. Hæc autem ita fiunt, nisi ei rei alia quæpiam interueniat caussa, quæ effectum impediat, & rem eandem inficiat; sicuti cuti ipsi contingit: ab ea enim Sol si expellit humidum, quod in superficie est, interim tamen ex partibus internis extrahit, quod impurum, & crassum similiter existens cutim subinde inficit, ac nigram reddit. Hoc in dentibus minimè fit: totus enim humor vi caloris in vapores resoluitur, exhalat, ac expellitur; quòd si aliquis remanet, ille tenuis, & purus est, qualis & albedinem inducit, ex Aristotelis sententia libro quinto de generatione animalium capite sexto.

LXIV.

Διὰ τί τὰ μὲν, ἀφαιρεμένης τὴν κεφαλὴν, ἀποθνήσκει θᾶττον, ἢ ταχὺ· τὰ δὲ, ἐν; ἢ ὅσα αἷματα καὶ ὀλιγότροφα, τοῦτο πάσχει; ἔστε τροφῆς δεῖται βραχὺ· ἔστε ἐγκεῖται αὐτῶν τὸ θερμὸν ἐν τῷ ὑγρῷ· ὧν οὐδὲ ἀὴρ οἷόν τε ζῆν τοῖς αἱμάτοις· τούτοις δὲ οἷόν τε ὀξὺν ἀπνοῦσι ζῆν δὲ διάνταμ πολὺ μᾶλλον· ἢ δὲ αἰτία ἐν ἑτέροις εἴρηται.

Cur animantium alia præciso capite, vel protinus moriuntur, vel paullò post; alia minimè? An ita afficiantur quæ sanguine carent, exiguóque cibo contenta sunt: quippe quæ neque continuo cibum desiderent, neque in humore calor eorum diffundatur, quibus rebus priuatum animal sanguine constans viuere nequit. Illa verò sine respiratione viuere multò diutius possunt. Caussam cur ita, alias abundè reddidimus.

De animalibus quibusdam, quæ diuisa viuunt, agit etiam Aristoteles libro de respiratione capite decimo septimo: nominat autem ibidem insecta, quæ sanguine carent, & testudinem, quæ licèt sanguinea sit, corde tamen exempto etiam longo temporis spatio viuit, eius enim natura, quod eo loco dicit Aristoteles, non bene composita est, sicut etiam insecta. Caussam porrò cur diuisa viuant insecta, quam eo loco tradit Aristoteles, cum iis sanè conuenit quæ hoc loco afferuntur, eisdémque innititur fundamentis; sed non eisdem mediis proponitur. Illa verò nobis huc afferenda non sunt: sed ea solùm exponenda, quæ problemate continentur. In eo igitur Aristoteles primùm sanè quæ animalia sint, quæ præciso capite aliquo etiam temporis spatio plùs minùs vitam producere possint, vniuersaliter docet, tum ex eo caussam elicit, quam ob rem effectus ille contingat. Inquit igitur animalia,

quæ

quæ poſt capitis, aut etiam alterius partis præciſionem viuunt, eſſe quæ carent ſanguine, & exiguo alimento ad vitam tuendam opus habent. Nam quoniam exiguum eis ſufficit alimentum, minimè neceſſe eſt, vt continuo, & breuibus omnino interuallis cibum ſumant: & quoniam ſine ſanguine ſunt; in capitis amputatione, ille haud effunditur, qui nullus eſt: nec cum eo effunditur calor, & ſpiritus, qui in eo humore continetur: vt ſine quibus animalia, quæ ſanguinem habent, viuere haud poſſunt. Nomine autem alimenti & cibi intelligitur hoc loco aër ipſe, quod eſt ipſius caloris cordis tum nutrimentum, tum refrigerium; ſicuti habemus apud Galenum libro de vtilitate reſpirationis, & apud Ariſtotelem in libro de reſpiratione: hoc enim nutrimentum eſt, quo continenter, & ſingulis penè momentis ſanguinea animalia opus habent, & ſine quo viuere haud poſſunt. Quæ autem ſanguine carent, illa etiam abſque reſpiratione, qua aër attrahitur, poſſunt vitam ſuſtinere. Id autem cur fieri poſſit, inquit Ariſtoteles ſe dixiſſe alio loco: id autem præſtitit in libro de reſpiratione capite nono, & decimo. Porrò autem verba illa: ὅτε ἔσχειται αὐτῶν τὸ θερμὸν ἐν τῷ ὑγρῷ, quæ Theodorus ita conuertit: *Neque in humore calor eorum diffundatur*: poſſunt etiam alio modo exponi, ac nos fecimus; & verò exponenda videntur ex eiuſdem Theodori tralatione, qui verbum ἔσχειται, quod nos expoſuimus, *effunditur*, vertit, *diffunditur*, quæ ſanè magis illius verbi communis notio eſt. Igitur licet etiam ſic exponere. Quæ animalia carent ſanguine, in iis natiuus calor haud eſt diffuſus, diſperſus, & dilatatus in eorundem humido, ſed eidem magis adſtrictus, & vnitus: humidum enim, quod illa animalia habent, craſſius, & viſcidius eſt, quàm ſanguis, magis igitur ei hæret calor, atque ideo difficiliùs exhalare poteſt: in ſanguineis non item; quoniam in liquido ſanguine calor eſt diffuſus, atque exhalationi facilis admodum patet exitus, & via.

FINIS.



RERVM ET VERBORVM

OMNIVM INDEX CERTISSIMVS AC LOCVPLETISSIMVS, QVÆ IN HIS Commentariis notatu dignissima recensentur.

A

ABortvs *quando vt plurimùm fiant, & eorum causſæ duæ.* 14
Abſtinentia rei venereæ quibus noxam afferat. 207
Accubitus in planis cur laborioſior ſit, quàm in concauis. 228
Aceti & ſalis vſus contra inflammationem. 305
Adoleſcens qua ratione mulierem, re venerea peracta, odio proſequatur. 179
Ἀκρατέστερον, & ἔνκρατον εἶνον *idem.* 117.150
Ἄκρατος *quid ſit ex Heſychio.* 117
Ἀκροχειρισμὸς, *exercitationis athleticæ genus.* 78
Ἀκροδώρακες *qui dicantur.* 116
Æginetæ de ſcabie & lepra ſententia. 282
cur Ægritudines æſtate plures, ſed periculoſæ minùs, hyeme contrà pauciores, ſed magis periculoſæ, ac lethales incidant 35.37. *cur pernicioſos poſt vtrumlibet ſolſtitium.* 36
Ægritudinibus longis affecti, à Vergiliarum occaſu ad Fauonij vſque flatus, interire ſolent: de eo ſolutiones duæ afferuntur. 25.26
Æqualitas aut inæqualitas ambulationum quomodo accipienda. 225
Aer verberans qua ratione lacrymas excutiat. 231.257. *cur in ſtatum nobis fieri videatur inter currendum.* 237
Aëris permutatio grauis admodum eſt, & morboſa. 21. *an ipſe nutriat.* 22
cur Ære tollantur liuores. 310. *an naturâ frigidum.* 315. 317
Æs cur in opere ſectionis cum maiori ſanitate adhibeatur quàm ferrum. 42.43
cur Æſtas febribus & ophthalmijs abundat, cùm hyems Aquilonia, ver autẽ pluuioſum fuerit. 11. *cur ſicca, & Aquilonia pituitoſis & mulieribus maximè conferat, bilioſos verò morbo infeſtet.* 18.19. *cur in ea plures ſint morbi.* 35.37. *laſſitudinum medela per eam quæ.* 47.48.258. *in ea potiùs mouendus ſudor quàm hyeme.* 92.105.110.111. *cur per eam minùs viri concumbere valeant, mulieres magis.* 198.199.206
per Æſtatem pluuioſam quid intelligatur. 12
Æſtuantes, ſeu ſicco calore inflammati quare vigiles eſſe dicantur. 153
Æſtas in corporibus humidis quare ſuffocationis & ſtrangulationis cauſa ſit. 240
Ætate tenella qui inebriantur, magis per ſomnos immingunt, quàm ſeniores, & quare. 163
Æthiopes qua ratione dentes candidos habeant, vngues verò nigricent. 394
Affectus calidus quomodo curetur à calidis. 55
Agoniæ affectu qui percelluntur, quare ſudent pedibus non autem facie. 97.102. *quid ſit.* 103
Ἀγωνιῶντες *Græca voce, qui intelligantur.* 97
Αἰμωδία, *ſiue dẽtium affectus quid ſit.* 45. *vnde dicatur, & oriatur.* 45
Alce quare maximè fœtent. 79. *& ſudent.* 86
Albedo, & nigredo igni tribuuntur. 285
Alexander Magnus quare ad Venerem minimè procliuis fuerit, ex Athenæo. 136
Alimenti exceſſus morbos curat. 3
Alimenti defectus marcorem caloris gignit. 123
Alimenti & cibi nomine aër intelligitur, & quare. 395
Alimentum quod ex potione eſt, valentius & magis principale dicitur quàm ſiccum, duabus rationibus. 25. 24. *eſt materia ſeminis.* 175
in Alis tumoribus aut morbis alijs affectis, nec ferro, nec igne vtendum, ſed medicamentis, & quibus. 41.42
Allium calidum, & ſiccum, vrinas ducit. 59. *valet ad arcendam ebrietatem, ex Hippocrate, ſed non eadem ratione qua oleum.* 164
Ἀλωπεκία *vnde fiat.* 351
ad Alui fluxiones cur braſſica vtantur Medici. 143
cur Amara, & auſtera, aut alijs ſimilibus excedentibus qualitatibus prædita, non eundem creent effectũ, purgentq́, & ipſa, ſicuti purgans pharmaca. 53. *contrà.* 57
Ambulationes longæ per loca plana vtrùm laborioſiores ſint quàm per inæqualia, breues autem leuiores. 214. 225.229.244.255.259.262. *quam noxam afferat.* 223. *denominationem ſortiuntur à locis quibus fiunt.* 225. *ex quibus conſtare debeant.* 227.262. *earum genera, aut differentiæ.* 260. *quare per frigus factæ cibi appetentiores nos reddant.* *ibid.*
Ambuſta ex ære celeriùs ſaneſcunt, quàm ambuſta à ferro, & quare. 43
Angues mites & innoxiæ reperiuntur. 368
Angina, autumnalis morbus. 8
Anima in ebrietatibus labitur, offendit, & peccat. 160
Animal ex noſtro ſemine procreatum, qua ratione proles noſtra appelletur. 185
Animalia ſphacelo quandoque laborant. 14. *cur plurima non tuſſiant.* 321. *quare quædam ſub cutem, alia intra carnem pingueſcant.* 322. *nonnullorum coloris immutatio ex vſu aquarum.* 327. *cur alia breui tempore, alia longiori vterum ferant.* 331. *eorum generatio duplex.* 336. *multipara, paucipara, & vnipara quæ.* 339. *cur ſeminis effuſionem non habeant per ſomnum ſicut homo.* 341. *cur alia caput moueant, alia non.* *ibid.* *quare pedes pares habeant.* 349.353. *quare minori tempore dormiant, quàm vigilent: cur*

non continuè, & sine intermissione. 353.354. *quare vitiliginem non contrahant.* 355. 356. *diuersitas eorum post partum vnde procedat.* 357. *quæ vesicam habeant, & quæ non.* 363. *quæ eructare & pedere soleant, & quæ non.* 365. *vtrum syluestria à domesticis dignoscantur.* 367. *an cuiuscunque generis inueniantur. ibid. cur vmbilicum exiguum habeant.* 371. *perfectiora nascuntur homine.* 372. *quo tempore coëant.* 373. *cur habeant posteriores partes pilosiores.* 380. *cur maiora in mari, quàm super terram.* 385. *quare pastu magis delectentur, quàm potu.* 385. *quæ nutriri per se ipsa possint statim in lucem edita.* 355.387. *cur duritiem corporis obtineant quæ animosa & fortia sunt.* 388. *quænam sint illa, quæ post capitis, aut alterius partis præcisionem viuunt.* 395

Animalium motus omnis partium innisu indiget. 222

Anni humidi morbos afferunt. 31

Ἀνησυχία, *quomodo accipienda.* 353

Apollonius, & Dexippus Hippocratis discipuli defenduntur. 3

Aponensis opinio de ebriosorũ semine. 119. *de more Italorum circa experientiam ebriorum.* 132. *de ebrietate exercitatorum ac inexercitatorum.* 139. *de brassicæ facultate.* 144. *de ebriorum balbutie.* 160. *de immictione puerorum.* 163. *de oculorum à situ suo varia dimotione.* 165. *de calida & humida hominis qualitate.* 175. *de seminis emissione in morientibus.* 177. *de fœmina plurimùm diligente eum à quo deuirginata est.* 180

per Ἀποπληκτικὰς ἀῤῥωστίας *quid intelligat hic Aristoteles.* 155

Apoplexia morbus acutus. 30

Appetentia canina quid sit, eius causa, & differentia cum bulimo. 289.290

Apprehendere, pro obstruere. 96

Virùm Aqua nutriat. 21. 22. *eius sunt multæ species inter se differentes.* 22. *calida aut frigida quare prosit pernionibus.* 66. *eius mixtio cum oleo quare magis approbanda ad lassitudines tollendas, quàm singulorum separatim vsus.* 217. *frigida affusa pueris, iram sedat.* 302. *aqua vino, & vinum aquæ mutuum præbet auxilium.* 118

Aquarum permutatio grauis admodùm, & morbosa est, & quare. 21. *grauior quàm aliorum ciborum.* 22

Aquatilium magnitudo qua ratione terrestrium magnitudinem superet. 385

Aquilonares homines capillos habent molles, & boni coloris. 346

Arbusculorum, quæ in vasis seruntur, paruitatis causa. 335

Archolai opinio de animalium generatione. 337

Ἀρχὸς *cur Theodorus hìc reddiderit,* renes. 169

Arcturi ortus quando. 6

Argilla quare vibices tollat. 310

Arietis pellis recenter excoriati parti percussæ superimposita ad quid conferat. 305

Arrectionis penis causa. 196.197

Ars curandi morbos per excessus, à duobus medicorum generibus exercetur. 4

Articuli quid, & quomodo ex Austri flatu debilitentur. 34

Ascensus genibus contrarius est, quia fit motus præter naturam. 239. *eius labor qualis.* 245

Asini pediculis carent. 24. *syluestres vbi nascantur.* 367

cur Asinis & equis pili è cicatrice exoriri possint. 350. 351.352

Ἀστροβολία & σφακελίσμὸς *quid sint, & in quo differant.* 14

Asthma morbus acutus. 30

Athenæi sententia & verba, de brassicæ virtute aduersùs crapulam & ebrietatem. 142

Athletæ non solùm ponuntur pro tanquàm sanis, verùm etiam tanquàm pro summè & perfectè talibus. 38. *qua ratione rigore afficiantur.* 287.293

Athletica quædam vitiosa Galeno dicitur. 38

Ἀθρόως *variè & diuersè redditur.* 189

Attolli, & efferri, esse contra naturam, probatur. 227

Auditus quare horrorem, non ita pariat, atque visus. 278

Aues vtrùm colorem mutent. 328. 329. *pilosæ quare libidinosæ.* 209

Auicennæ sententia de signo pestilentiæ futuræ. 31. *de ebrietatis origine.* 117. *de semine infœcundo ebriosorum.* 119. *de somni ortu.* 152. *de immictione puerorum.* 163. *de oleris.* 164. *de ortu seminis genitalis.* 168. *de seminis ad sanguinem proportione.* 183. *de tempore dispositionis ad coitum tam viri, quàm mulieri.* 198. *de vomitu* 220. *de bulimo & appetitu canino.* 290

Aurora apparente sunt plures refrigerationis causæ, quàm media nocte. 298

Austri sicci qui dicantur, & quare febres creare soleant. 32. *quinam plantis prosint. ibid. eorum effectus.* 33

Αὐτόματα, *seu* ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου *quæ dicantur.* 336

Autumnus quare pernicioſus, cùm post hyemem Aquiloniam, & ver Austrinum, ac pluuium, æstas sicca fuit. 27.28. *magis morbosus est, quàm ver, & quare.* 37

B

Balneum æstate maximè conuenit, & quare. 47.258

Balneus calidus prodest febre quartana laborantibus. 70

Bilioſi morbi magis æstate concitantur, & quare. 8

Bilioſis quantùm sit noxia æstas sicca, & Aquilonia, eodemque autumno. 19

Boues tussire dicuntur. 321

Βέλτιον *quid sit, & in quo differat ab appetentia canina.* 289.290. *eius accidentia, & rationes.* 291. *curatio. ibid.*

Boum fœminarum & taurorum cornua distant inter se. 359

Brachy iactatio manu inani laborioſa, & quare. 222

Brachiorum exercitatio sudores excitat, & quare. 78

Brassicæ seu raphani facultas aduersùs crapulam & ebrietatem. 142. *cur ea vtantur Medici, ad alui fluxiones.* 143

Bruma quid sit, & quando fiat. 36

Bruta, licèt non videant mingentem socium, qua ratione tamen mingant eo loco, quo præcedentia minxerunt. 279

C

Cæsius color, seu glaucus, quis dicatur. 333

Καλάμινον *vnde deriuetur.* 127

Calces pedum quare conquassantur, si quis peracta longo itinere, aut cursu, se super summos erexerit digitos. 233.234

Calculus in homine, quomodo generetur. 363

Caldaria quare sudorem eliciant. 82. *cur magis tempore frigido, quam calido.* 100. *cur in illis magis sudatur, igne neque vniuersò, neque decrescente assiduo, sed per incrementa continua oblato.* 104

Calefactio multa procuranda est in febre quartana laborantibus. 70

Caliditas cur ambusta faciat, & tollat. 67

Calor innatus extinguitur à summo frigore duobus modis. 14

Caloris corruptio in corpore humano quot & quibus modis fiat. 122.123
Caluitium vnde oriatur, & quare eunuchi eo non afficiantur. 192.386
Camelus quot mensibus vterum ferat. 331
Canes feri vbi reperiantur. 367
Canis ortus quando. 6
Canis quot diebus vterum ferat. 331
Canities vnde fiat, & quare vbi est, non sit quoque semper vitiligo. 358
Capite saniores qui sint. 375
Caput semper humidum est, & quare. 24. *calefactum cur maximum sudorem effundat.* 90. *dolores eius vnde oriantur.* 384. *quare contingant in hyeme succedente æstatem siccam, & Aquiloniam, autumnum humidum, & Austrinum.* 17. *cur eius vlcera celeriùs sanentur, quam tibiarum, in iis, qui in palustribus, & humidis locis degunt.* 26. *sudor eius quare minùs fœtet.* 79
Capræ pediculis carent. 24. *cur maximè abundent lacte.* 326. *quot mensibus vterum ferant.* 331
Καρδία *os ventriculi, ex Erotiano.* 146
Καρδιώττειν, *& καρδιαλγεῖν, quid significent.* *ibid.*
Carnis copia duplici nomine sudorem tergo conciliat. 86
Caro cur percussa ferula magis doleat, quàm à re dura. 312
Cassij Iatrosophistæ sententia de doloribus capitis ex cursu veloci. 224
Castrata & saccata vina quæ dicebantur. 118
Castrati maiores aliis euadunt non castratis. 359. *an podagra laborent.* 360
Cataplasma quid sit, & eius virtus. 39.40
Cataplasmata cur mutari debeant in tumoribus, & vlceribus, aut in aliis, quæ id genus remedij postulent. 56
Κατέχειν *&* σωτίνεσιν *verba quomodo accipienda.* 72.73
Catonis sententia de brassicæ facultate. 143
Catuli Melitenses quinam essent. 335
Καυλὸς *de plantis & homine dicitur.* 364
Καῦμα *quid significet.* 12
Cauponæ loca vilia & sordida. 335
Caustica escharotica, aut putrefacientia in quo dissideant inter se. 41
Cauterium in quibus vulneribus aut vlceribus est adhibendum. 40
Celsi sententia de Petrò quodam antiquo medico. 3.4. *de morbis hyemalibus.* 12. *de hyeme Australi, & pluuiosa, vere autem frigido, & sicco.* 16. *de autumno sicco Aquilonibus perflato.* 18. *de alimento copioso hyemis tempore.* 48. *de odoratis.* 59. *de vitiligine.* 323
Cerebrum est metropolis frigidi & glutinosi humoris. 88
Cernæ quot mensibus vterum ferant. 331
Charemon quis fuerit, eiúsque de vino sententia. 141
Χαίτη *quid propriè significet, & de quo etiam dicatur.* 348
Χειροκονία, *exercitationis athleticæ genus.* 79
Χίμετλα, *siue perniones quid.* 66
Chirurgi in bubonibus passim ferro & igne vtuntur. 42
Κιβδηλιῶντες *qui dicantur ab Aristotele.* 7
Χυλίζειν *&* ἀποχυλίζειν *quid significet.* 144
Cibi copiæ parcendum æstatis tempore, potui verò magnopere indulgendum, & quare. 48
Cibi quantitas qualis esse debeat initio morbi. 61. *& quis ille.* 62
Cibo crudo seu inconcocto caloris & humoris elatio sursum fit, cocto autem deorsum. 162
Ciborum & aquæ mutatio cur noxia sit, & corporibus morbos conferat. 23. *vnde fiat eorum corruptio.* *ibid.*
Cibus quamobrem statim ab exercitatione non sit assumendus. 250
Cicatrices in oculis qua ratione albæ sint. 306. 312. *cur atræ fiant ex vlceribus eodem loco sæpiùs existentibus.* 318
in Cicatricibus quare pili non oriantur. 172. *nigris quæ medicamenta possint restituere candidum colorem.* 307
Cicatrix etiam vsu exsiccantium inducitur. 60
Ciceronis sententia de mania & melancholia. 20
ex Cicuta quomodo mors oriatur. 151
Claudicatio vnde oriatur. 361.362
Clepsydrarum vsus antiquus quis. 73
quare Clunes in opere venereo maximè laborent. 167. 168
in Coitu cur oculi sursum attollatur, & maximè afficiantur. 165.168.211
Coituri nocte, quare largè prandere debeant, & parcè cœnare. 135.162
Coitus humectat per accidens, & quatenus prosit morbis qui à pituita contrahuntur. 60. 190. *eius dulcedo an ex necessitate, vel rei alicuius gratiâ oriatur.* 188. 189. *cur ventrem refrigeret, & exsiccet.* 190. *eius facultas tollitur, cùm mingendi desiderium adest.* 193. *per eum, qua ratione totus homo resoluatur & langueſcat.* 195
Colliquamentum, & excrementum, duo humiditatum genera Aristoteli. 51
Colliquatio, quæ σώπηξις, *vel fit latenter, vel manifesta aliqua fluxione.* 7
Color in paucitate perfectiùs apparet, quàm in multitudine. 63
Color bonus est sudoris melioris & vtilioris effectus. 102
Color liuidus, qui Græcè πελιδνὸς, *quis sit.* 285.
Coloris immutatio in nonnullis animantibus ex aquarum vsu. 327
Κόλυς *& qua significatione ab Hesychio accipiatur.* 199
Columbæ cur frequentius pariant. 374
Comessatores boni & validi vnde dignoscantur. 392
an Comitiali morbo solus homo corripiatur. 377
Concoctio iuuatur maximè à labore. 35
Concumbentes magna ex parte resolui atque langueſcere, duobus modis exponi potest. 194
Contento, *participium tum à contendo, tum à contineo, ambiguitatem parit.* 72
Contraria contrariis curantur, *quomodo intelligendum.* 71
Conualescentes quare in frigore acriores reddantur. 286
Conuulsio fit vel ex repletione, vel inanitione. 34
Cor quare in anterioribus partibus locatum sit. 86
Cordis & penis inuoluntarij motus vnde proueniant. 234
Cornea cuius coloris sit. 306
Corpora vestibus induta cur magis sudent, quàm nuda. 81. 108. *contrà.* 110. *σύμμετρα, siue εὔκρατα quæ dicantur.* 241. *an sæpiùs in morbos incidant, aut ab iisdem remoueantur, nécne.* 242.243
Corporis constitutiones duæ, in quibus pedes intumescere solent. 7
Corporum genus duplex est, quod à frigore variè afficitur. 30
Corpus rarum cur salubrius denso existimetur 65. *quare nudum in Sole ambulare non debeat.* 66. *nedum nudo pectore.* *ibid.*
Corpus humanum etsi assiduè fluat, effluxúsque ipse de excrementis prouenitat, leuari tamen non potest, nisi sudauerit, & quare. 93

Coturnices mox atque excluſerunt pullos, protinus educunt. 355.387

Coxæ ſiue femora qua ratione in deſcendendo laborare dicantur. 238.245

Κραπάλη, *ſiue crapula, quid ſit ex Galeno.* 117. *ex Ariſtotele.*

Crapula quid ſit, eiúſque cum febre differentia. 144. *item cum temulentia.* 145

Crapulas magis ſentire quid ſit, & quare id vſueniat potiùs illis, qui vinum aquæ admixtum bibunt, quàm qui ex toto merum. 117.118.150

Crepitus, qui glutinatis contingunt, vnde. 33.34

Cruciatus & tormenta aliorum quare nos commoueant. 279

Cruditas, pediculorum materia. 24

Cruditates plurimæ gignuntur æſtatis tempore, & quare. 35

per Crudorem, cui ſyderatio nomen eſt, quid hîc intelligatur. 17.18

Crura ſpadonum quare afficiantur vlceribus & putredine. 362

cur Cubare corpore inflexo melius ſit, quàm extento. 266

Cubicula Vitruuio Orientem ſpectare debebant. 270

Cupiditas à quibus excitetur. 202.203

Curationem aliquando exceſſibus perfici probatur. 3

Currentes qua ratione magis cadere dicantur, quàm ambulantes. 237.251

Currere, qua ratione ſit difficilius, quàm ambulare. 251

in Curſu dum ſumus non æquè ſit ſudor, ac dum quieſcimus, & quare. 95

Curſus motum & euacuationem corporis parit. 58

Curſus velox quis dicatur, & vtrùm partes capitis morboſas reddat. 223

per Curuaturam corporis quid hoc loco intelligat Ariſtoteles. 109

Cutis raritas pilorum abundantiæ cauſa eſt. 88

Cyathus quid erat, ex qua materia, quare vibices tollat. 315.318

Cyceon craſſa potio valdè antiqua. 137. *ebrietatem reprimebat.* ibid.

D

Δὲ *particulæ vſus apud Ariſtotelem, & hoc præſertim loco.* 2. *à μὲν paſſim dependet.* 15

Debilitatis corporum ex Auſtrorum flatu prouenientis, duæ redduntur cauſſæ. 33

Dentes rariores in homine qua ratione breuiorem eius vitam magna ex parte indicent. 375

Dentium affectus, αἱμωδίαι Græcis dictus, quid ſit, vnde ita appelletur, & oriatur. 45

Deſcenſus femoribus contrarius eſt, quia accidit illis motus præter naturam. 239. *eius labor quis.* 245

Deſiderium & voluptas inter congeneres animantes vnde oriatur. 378.379

Dexippus, & Apollonius Hippocratis diſcipuli defenduntur. 3

Diatritarij qui fuerint, & vnde originem duxerint. 61

Dioſcoridis ſententia de elaterio. 52. *de braſſicæ facultate.* 143.144. *de thapſia.* 314

Dioſcoridis ſententia de elaterio. 52

Diſtenſio partium ſeu membrorum quomodo fiat, & ad quem vſum. 265

Diſtillationis cauſa quæ. 383

Dormientes cur magis ſudent, quàm vigilantes. 87.99

Dormientes multùm temporis, minùs bene colorati ſunt, quàm qui dormiunt moderatè. 102

Dormire non poſſunt qui rigore afficiuntur, & quare. 286

Durities vnde acquiratur. 388

Dyſenteria quomodo appelletur à Cornelio Celſo. 12. *in mulieribus quando gignitur.* 16. *eius origo autumni tempore.* 29

E

Ebrietas tremorem gignit, & quæ. 121.155.156.157. *quare impediat ſomnum, & vigilias inducat.* 153

Ebrietate incipiente, quare ea quæ procul poſita ſunt, conſpici non poſſint. 132.147

Ebrij leuiter quare petulantiùs ſe & iniurioſiùs gerant aduerſùs alios. 115.116.158

Ebriorum lingua quare inter loquẽdum offendat & vacillet. 160

Ebrioſi tremunt, & eò magis, quò liberaliùs merum hauſerint. 120.155. *eorum ſemen eſt infœcundum, & quare.* 119. *cur illis res omnes videantur circulo ferri.* 131.132.147.149. *ad Venerem inepti.* 135.160. *ſunt veluti non deſiderantes, ſobrij ſicut deſiderantes.* 147. *cur ad lacrymandum propenſiores.* 155. *quare ſomnus ijs oriri nequeat* 152. *cur Solis calore gaudere maximè ſoleant.* 158.160

Ἔχειν *pro* ἐλαύνειν. 237

Efferri, & attolli, eſſe contra naturam, probatur. 227

Elaterium tum vomitum, tum aluum ciet. 52

Elephantes cituri aquam ingrediuntur. 187

Elephas quot menſibus vterum ferat. 331

Enema medicamenta ſeu pharmaca quænam ſint, eorúmque vſus duplex. 41

Epilepſia cur morbus puerilis dicatur. 377

cur Equa & mulier poſtquàm conceperunt, coitum patiantur. 374

Equa quot menſibus vterum ferat. 331

Equitatio motum & euacuationem corporis generat. 58

Equitatio muli quàm aſini minùs periculoſa. 263

Equitationis vſus Veneris appetitum & frequentem incitat. 181

Equi tuſſire dicuntur. 321. *quare alibi oculos glaucos vt plurimùm habeant,* 333. *ſylueſtres vbi naſcantur.* 367

qui Equis vehuntur, quò velocior curſus extiterit, eò magis illorum oculi illacrymari ſolent, & qua ratione. 230.257. *quare curſum arripientes minùs cadant.* 262

cur Equis & aſinis pili è cicatrice oriri poſſint. 350.351.352

Equus caneſcere quare dicatur. 391

Eſcharotica cauſtica in quo differant à putrefacientibus. 41

Eſuritio vnde fiat. 252

Ἔτι *per* iam, & adhuc, *exponitur.* 106

Euacuatio ſpirituum aut halituum percutit meatus, non alleuat corpus oppreſſum, ſicuti per ſudores fit. 94. *quæ fit per ſudores, quare cognata appelletur.* 105

ex Euaporatione quomodo ſomnus fieri dicatur. 153

Εὔκρατον, & ἀκρατέστερον οἶνον, *idem.* 117.150

Εὐδία, *dictio quomodo hîc accipienda.* 15

Eunuchi qui dicantur, & quare in acumine oculorum etiam offendantur, ſicut ij qui immoderata vtuntur Venere. 171

in Eunuchis ſiue caſtratis quare tota immutatur natura. 358. *an podagra laborent.* 360

Euſtathij de cyceo opinio. 137

Excalefactio ad ſeminis expulſionem maximè neceſſaria. 135.162

Exceſſibus perfici aliquando curationem probatur.3.duplex eorum conſideratio. 4
Excrementa varia, vel etiam contraria gignuntur in temporum mutationibus,& quare. 7
Excrementa & putredines, & quæ ex illis oriuntur, noſtra dici non poſſunt,& quare. 186
Excrementum, & colliquamentum, duo humiditatum genera Ariſtoteli.51. ſumitur pro eo quod alicui parti ſupereſt. 210
Excretio ſeminis cur timentibus & morientibus pleriſq; contingat. 176
an Exercitati facilius vino prehendantur, quàm inexercitati,nécne. 139
Exercitatio maximè ad ſanitatem conſert,& quare.56. 58.in vniuerſum melior eſt otio. 101. *eius vtilitas.* 112. *cur ſtatim poſt illam cibus non eſt aſſumendus.* 250.*nec eſurimus.* 252
Exercitationes proficuæ ſunt febre quartana laboratibus. 70.*quæ manuum motibus perficiuntur, maximè ſudores elicium,& quare.* 78
Expergiſcentia & ſomnus vnde fiant. 354
Exſuperantia quid ſit. 2
Exſuperantias vim habere morbos committendi, confirmatur. ibid.
Extinctio,& marcor,duæ ignis corruptiones. 123

F

Faba quare vibices tollat. 310.311
Fabrorum ferrariorum exemplo confirmatur, calorem ambuſta facere,& tollere. 67
*Facies quamobrem maximè ſudet.*81.88. *quid per eam hîc intelligatur.* 88
Fames eſt calidi & ſicci appetitus. 96. *non coniungitur cum ſiti.* 252
Fauonij,qui & Zephiri dicti,quando ſpirare incipiant. 25
cur Febres hyeme contingentes ſint violentæ, & præter naturam. 9. *acutæ gignuntur biliоſis æſtate ſicca, & Aquilonia, eodémque autumno.* 19. *ardentes quibus, & qua ratione hyemis tempore contingant.* 30.39
Febricitantibus ſæpe, & paulatim potus eſt exhibendus, quare. 68. *immunes à motu iacere debent, minimè vento expoſitos, ſed concluſos, exemplis confirmatur.* 69
Febricitantis hominis curatio à Petrò ſeu Petronà antiquo medico facta. 3
Febris definitio. 30.32
Femora qua ratione in deſcendendo laborare dicantur. 238.245. *cur media eorum pars in omni itinere.*239. *quamobrem in omni motu magis laborent, quàm tibiæ.* 248
cur Ferrum non ſit ita commodum in opere ſectionis atque æs. 43
*Ferulæ nomine, quæ Græcè νάρθηξ dicitur, quid intelligatur.*307.*cur partis ab ea percuſſæ medium,album; extrema verò rubida efficiantur.* 307. 308. *quare ex illius ictus maior fiat dolor.* 312
Ferum & ſylueſtre quid ſieri quàm ſit facile. 368
Flatus qua ratione emitti nõ debet,niſi natura poſtulet. 177
Fluxiones minùs vrgent cibo ſumpto,& quare. 96
cur Fœmina maximè diligat eum virum à quo deuirginata eſt. 180
Fœminæ cur intento corpore mingunt, mares minimè. 343
Fœtoris in ſudore cauſa quænam ſit. 79
Fœtuum imbecillitas duabus rationibus prouenit. 351
Frictio cruris ſiniſtri quamobrem moleſta & laborioſa. 254
Frictionis vſu an corpora augeantur, & carne repleantur. 232
Frigiditas facit & tollit perniones. 67
in Frigore acriores qui reddantur. 286
Frigus quot modis in corpore noſtro progignatur, ſeu calidum corrumpatur. 122. 123. *quare lacrymas mouet.*230.257. *qua ratione reddat homines cibi appetentiores.* 260. *cur acrius ſit tempore matutino.* 298
Fumus cur oculos hominis afficiat. 377
Funambuli minore cũ labore exercitationes ſuas obeunt, ſi vtraque manu baculum teneant. 223

G

Galeni ſententia de Petrò quodam antiquo medico. 3. *de exceſſu.ibid. de mutationibus temporum.*6.*de ſphacelo.*14.*de aqua cibi vehiculo.* 21.*de conuulſionis ortu.* 34. *de phymatibus.* 42. *de remedijs aduersùs laſſitudines.* 47. *de diureticis.* 59. *de corporis habitu, ſeu textura* 65. *de vehementioribus contrarium efficientibus.* 69. *de maiori igne trahente ad ſe minorem. ibid.de ſudore ſalſo & amaro.*75. *de exercitationibus per brachia.* 78. *de trepidationis affectu.*97. *& vini quantitate.* 114. *de crapula.*117. *de vini cum aquâ, aut aceto mixtione.* 118. *de refrigeratione caloris innati.* 124.*de Scytharum colore & temperatura.* 129. *de vino dulci.*136. *de cyceo.* 137. *de facultate braſſicæ.*143. *de rebus geminatis apparentibus.* 148. *de ſomni ortu.*152. 153. *de ebriorum balbutie.*160.*de ſpiritibus oculorum.*165. *de caluitio, & capitis cute.*171.*de verbo,* ἐγγύν.177.*de coire incipientibus.*179. *de pruritu & Veneris deſiderio.*189. *de voluptate coitus.* 190. *de pilis congenitis.* 192. *de melancholicis, quòd ſint libidinoſi.* 208. *de laſſitudinum medela.* 217.*de lacrymis.*230.*de frictionis effectu.* 232. *de rhythmo.* 235. *de corporibus ſymmetris.* 241.*& ſeq.de vlceribus in exercitationibus contingentibus.* 249. *de cibo non dando ſtatim ab exercitatione.* 250. *de corporis diſtenſione.* 265. *de vertigine.* 267. *conciliatur cum Ariſtotele quoad vertiginem attinet.* 268. *de pathos & affectionis differentia.*275. *de bulimia & canina appetentia.* 289. *de tremore.* 296. *de cauſſis doloris.* 299. *de medicamento ad reſtituendum colorem candidum cicatricibus nigris.* 307.*de ſuggillatorum curatione.* 311. *de hypopio.*313. 316. *de aëris frigiditate.* 315. *de magnitudine corporis.* 359
Gelu quomodo vrere dicatur. 156
Gemelli hominum qua ratione non ſeruentur. 351. *cur aliquando viuant.* 352
Gemina conſpici ab ebrijs quare dicantur. 134. 148. 159
Generatio animalium duplex. 336
Genitalium ſedes tum ſurſum, tum deorſum conſtituit Ariſtoteles. 177
Genua ſiue tibia quamobrem aſcendendo laborare dicantur. 238.245
Grauedo hîc quomodo accipiatur,& vnde oriatur. 384
Grues ſeneſcentes efficiuntur nigriores,& quare. 328

H

Habitus rarus denſo præferendus,& quare. 65
Halteres quid, ex Galeno & Antyllo apud Oribaſium. 222

Haly opinio, quod vinum humectet & exsiccet. 151
Henricus Stephanus arguitur volens Theodorum reprehendere. 225
Hesychij de cyceo sententia. 137
Hieronymi Iracastorij de vini qualitate sententia. 114
Hippocratis sententia de Austri flatu. 33. *de cataplasmate.* 40. *de elleboro.* 58. *de corporis habitu, & textura.* 66. *de cutis raritate.* 88. *de cursus effectu.* 101. *de sudore spontaneo.* 112. *de Scythis.* 128. 129. *de vino dulci.* 136. *de allij ad ebrietatem arcendam facultate sententia.* 164. *de oculorum spiritibus.* 165. *de genitalis seminis ortu.* 168. *de coctis movendis, non crudis.* 178. *de coitus dulcedine & voluptate.* 188. *de elleborum assumpturi præparatione.* 221. *de ambulationibus quæ fiunt ἐν ἀλκῇ.* 260. *de partus tempore.* 361. 362. *de strepitu sternutationis.* 384. *de ortu pilorum.* 391
Hirquitalli, & hirquitallire adolescentes quando dicantur. 182
Homines cur non inter laborandum, sed postquàm à labore destiterint, sudare soleant. 90. 94
Homines albi quare oculis cæsis sint magna ex parte. 333
Homini soli qua ratione sanguis fluat de naribus. 322
Homo solus ex cæteris animantibus tunc incipit pubescere, cùm etiam concumbere posse, & ratio. 172. *quare ex usu Veneris, plus dissoluatur, & langueſcat.* 174. *cur plurimùm seminis emittat.* 175. *in aqua coire nequit, & quare.* 187. *cur pilosus sit maximè libidinosus.* 209. *mensuratus idem est qui Græcè σύμμετρος, & quod sit eius medium.* 240. *eius per memoriam commotio differt ab illa brutorum.* 279. *cur solus vitiliginem patiatur.* 325. *quare non immutetur secundùm calorem ex usu aquarum.* 328. *cur inter alia animalia maximè sternutare soleat.* 342. *qua ratione claudus nascatur.* 361. *calculo afficiatur.* 363. *nascitur imperfectius.* 372. *quare diutiùs viuat, quàm fœmina.* 375. *an solus comitiali morbo corripiatur.* 377. *cur priores partes habeat pilosiores.* 380. *quare potus audior quàm cibi.* 385. *cur plus excrementi humidi egerat, quàm sicci.* 387. *quare omnium animalium maximè piloso sit capite.* 390. *quare canescit.* 391
Hordeum quomodo humidius esse tritico intelligatur. 44
Horror per nonnullos sudores efficitur, & ratio. 106. *ob asperitatem soni quomodo contingat.* 277
Humiditates congestæ in hominibus inexercitatis, assumpto vino multo diluuntur & attenuantur. 139
Humor qualis oporteat in articulis existere, vt conseruentur. 34
Humoris multùm haurimus in potu & cibo æstatis tempore. 111
Hyems Aquilonia quos morbos gignat. 11. *quos Austrina, & pluuiosa.* 13. *cur ea quæ sequitur æstatem siccum, & Aquiloniam, autumnum humidum, & Austrinum gignat dolores capitis, raucedines, & tusses, ac nonnunquàm phthises.* 17. *cur morbosa quæ æstatem & autumnum pluuiosas & humidos sequitur.* 30. *cur in ea ægritudines sint magis periculosæ, ac lethales.* 35. 37. *lassitudinũ medela per eam quæ.* 47. 48. 258. *an in ea sit sudor mouendus.* 91. 105. 110. 111. *qua ratione in ea magis refrigeremur dum currimus, quàm si quiescamus.* 297
Hyosciami succus multùm prodest pernionibus. 67

I

IChor sanguinis quid sit. 322
Ieiunis qua ratione facilior & expeditior sit Veneris vsus. 178
cur ad ignem multum minùs sudamus, cùm tamen præ calore sudor omnis moueri soleat. 82. 104. 108
Ignis maior trahit ad se minorem. 69. *tribus modis potest sudaturis offerri.* 82. *eius corruptiones duæ.* 123. *an illius vicinia prouocet desiderium vrinæ.* 274. *cur partes exteriores calore destitutas, & præfrigidas subitò aggrediens, afficiat illas.* 303
Illinimentum, quo probantur mulieres, vtrùm fœcundæ an steriles sint. 169
Immutatio partis laborantis quomodo agnoscatur. 40
Impotentia coëundi in ebriosis vnde oriatur. 162
Inæqualitas in ambulationibus variè consideratur. 226. 229
Incisio facienda est in tumoribus, qui in acutum se colligunt. 42
Inediæ excessus morbos curat. 3
an Inexercitati facilius vino prehendantur, quàm exercitati. 139
Infantes tussire nec sciunt, nec possunt. 321
Inflammationis aut phlegmasiæ nomine quid significetur. 55
Infœcunditatis causa in ebriosis quænam sit. 119
Ingressus cõstat ἐκ ἄρσεως καὶ θέσεως, & quid illa sint. 349
in Inguinibus tumoribus aut alijs morbis affectis, nec ferro, nec igne vtendum, sed medicamentis, & quibus. 41. 42
Insecta cur diuisa viuant. 394
Inspectio vrinarum fieri debet potiùs in modica, quàm in multa quantitate. 62
Inuectio quæ adhibeatur ijs qui per hyemem lassitudinem patiuntur, & quare. 47
Ioannitij de refrigeratione & desiccatione vẽtris per coitum, relata ab Aponensi sententia. 191
Ira est ebullitio quædam sanguinis circa cor. 97
Ira & timor quomodo sint contraria, & qua ratione fiat, vt qui illa sunt correpti, non rigeant. 301. *contra illam remedium aqua frigida affusa.* 302
Iracundi quare in frigore acerbiores reddantur. 286
Italorum mos in experiundo vtrum aliqui sint ebrij nécne. 132
Itineris notitia vel ignorantia an aliquid conferant. 246. 247
Ἰξίας vocabulum quid significet. 193

L

LAbor maximè iuuat concoctionem. 35. *qui Græcè κόπος, duobus hic modis sumitur.* 213. *cur ventrem extenuet.* 216. 231. 232. *pinguedinem absumat. ibid. ex eo fit liquamentum.* 220. *suffocationis & strangulationis causa est in corporibus humidis, & qua ratione.* 240
Laborare melius est quàm non laborare. 101
Lac, etsi purget, non est propriè pharmacum, & quare. 58. *qua ratione maximè abundet in ouibus & capris.* 326
Lacryma quid sint, & vnde fluant. 201
Lacrymam sudorem esse quendam, aut illi similem, probatur. 230
τὸ Λαγνεία nihil aliud significat quàm τὸ συνουσία 60. *& moderatum & immoderatum coitum significat.* 171
Lassitudines morborum nunciæ. 35. *quid sint, earumq; medela* 47. 217. *vnde oriantur, & qui illis vomitus conferat.* 219. *tres earum differentiæ.* 220
Lectiones variæ, prout necessariæ visæ sunt, notantur. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 13. 15. 16. 17. 19. 22. 26. 27. 28. 29. 34. 38. 39. 40. 43. 44. 49. 50. 51. 53. 55. 58. 59. 60. 61. 62. 64. 66. 68. 71. 73. 75. 76. 78. 82. 83. 91. 92. 93. 96.

93.96.97.98.99.101.102.105.106.108.112.113. 116.119.121.122.123.124.125.126.127.130. 132.134.135.138.140.141.144.145.147.148. 151.153.156.159.164.167.168.169.170.172.173. 176.183.184.195.186.188.191.194.195.196. 197.199.201.202.203.204.206.209.210.211. 214.215.221.225.227.230.231.232.233.237. 238.244.246.247.253.254.258.260.261.267. 269.272.273.274.280.281.282.286.290.291. 294.298.300.301.302.304.305.308.310.312. 315.316.323.327.329.331.332.334.335.337. 339.346.347.351.352.353.354.355.356.358. 369.370.371.372.375.378.379.383.391.393. 395

Leo ex pauciparis animalibus. 339
Léporis fœcunditas vnde. 210
Lepra & scabies in quo differant. 282
Libido immoderata adiumento est morbis qui à pituita contrahuntur. 60.190. *quomodo excitetur.* 209. 210
Lienosi Græcis quomodo appellentur: & cur eorum cicatrices nigræ sint. 309
Lingua ebriorum, cur inter loquendum offendat & vacillet. 160
Lingua rigentium quamobrem errare soleat, quemadmodum & ebriorum. 296
Lingua cur pinguedine carere debuit. 343
Lippus qua ratione morbum suum sano communicet. 276
Liuiditas quid sit, & vnde producatur. 285
quare Lixiuium non tollat dentium stuporem. 46. 283
Λοφύρα *quæ sint, & quomodo differant ab* ἑπτυγμοῖς. 365
Lucretij carmina de oculi suppressione, per quam efficitur, vt vires geminatæ appareant. 148
Luctæ intermissio quare sudorem pariat. 80

M

Macrobij sententia de ebriosorum infœcundo semine. 119
Μᾶλλον *&* Μάλιστα *particularũ vsus sæpe cõfunditur.* 37
Mania quomodo generetur, vtrum, & in quo differat à melancholia. 19.20. *an bene interpretes eam Latinè insaniam vel furorem interpretentur.* 20
Μανικὸς *quid significet.* 140
quare Mansuetudo reperiatur in quibusdam animalibus, in alijs verò sæuitia. 357
Manus bene articulata quid indicet, & contrà. 376
Manus nomine totum brachium intelligitur. 78
Manus quomodo laborare dicantur. 103
Marcor, & extinctio, duæ ignis corruptiones. 123. *fit duobus item modis.* ibid.
Mare cur saluberrimum esse dicatur. 65
Mares cur maiori sint corpore vt plurimùm quàm fœminæ. 330
Marsilius Cagnatus vir multæ lectionis, & insignis doctrinæ. 60
Materiæ ablatio & absumptio, quartus refrigerandi modus, an comprehendatur in extinctione, quæ est secundus. 123
Meatuum reserationis & occlusionis ad semen emittendum efficacia. 179
Medicamenta seu pharmaca enema quæ sint, eorumq; duplex vsus. 41. *quæ ventrem soluunt, non autem vesicam, & contrà, qualia sint.* 48.49. *cur nonnulla vomitum, nonnulla aluum, alia vtramq; cieant.* 50.51. *quæ possint restituere candidum colorem cicatricibus nigris.* 307
Medicamentorum purgantium conditiones necessariò requisitæ quænam sint. 53
Medicina definita est adiectio & ablatio, & quare. 2. *temeraria quæ.* 4
Mediocritas tuenda valetudinis vim habet, exsuperantia contrà. 2
Medium hominis symmetri quodnam sit. 240
Melancholia quomodo generetur, vtrum, & in quo differat à mania. 19.20
Melancholici naturâ qui intelligantur, & quare ex vino reddantur celeres. 141. *quare vigiles sint, atq; etiam qui sicco calore æstuant.* 153. *an, & qua ratione sint libidinosi.* 208
per Μᾶλλον *quid intelligatur.* 98
Membra aquæ calidæ immersa cur non sudent. 74
Mensura & proportio aquæ vino miscendæ exactè definiri non potest. 118
Meridionales homines capillos habẽt duros & siccos. 346
Mictus qua ratione horrorem moueat. 292. 293. 295
Mixtio aquæ & vini duobus modis fieri potest. 145
Μώλωπες *quid sint, & vnde hæc vox derivetur.* 304
Monstra quæ sint, & quotuplicia, & in quibus illa eueniant. 389
Morbi futuri signa sunt sudores spontanei, & quomodo. 112
Morbi curantur aliquando per excessus, & quare. 3
Morbi ex bili acuti, & periculosi quare hyeme potius quàm æstate contingant. 9
Morbi acuti quibus, & qua ratione hyemis tempore contingant. 30
Morbi magis contingunt ex refrigerato calido, quàm frigido calefacto. 37
Morbi ignis seu calidi, ab humiditate: & qui ex humiditate, à caliditate curantur. 70.71
Morbi longi natiuum calorem corrumpunt. 125. *quinam ex ea corruptione oriantur.* 126
per Morbum qua ratione emittatur affectio, non autem per sanitatem. 274.275
Morbus & sanitas definiuntur. 2.5
quare Morbus dicatur à Galeno ex genere permanentium. 275. *quomodo fiat nolenti, sanitas volenti.* ibid.
le Moresche, *aut* Mattacini. 79
Mors quomodo non potius à frigefaciente, quàm à calefaciente oriatur. 151
in Morte cur oculi sursum attollantur. 165
Motus vehemens qui dicendus, & qui multus. 214. *omnis animalium indiget partium innisu.* 222. *an omnis semper calefaciat.* 256. *triplex in omnium ambulatione.* 262
cur Mulier postquàm concepit, coitũ etiam patiatur. 374
Mulieres vtrum fœcundæ an steriles sint, quomodo aliqui experiantur. 169. *quare magis per æstatem, minùs autem vere concumbere valeant.* 198.199.206. *cur non caluescant.* 386
Mulieribus maximè conferunt æstas sicca, siccusq; autumnus Aquilones habentes. 18
Mulierum corpora & cutem minùs perspirabilem esse, quàm virorum, ratione & signo docetur. 324. *pariendi plura tempora.* 331
Μύρτον *quid propriè significet.* 84.85
Mustum, etsi purget, non est propriè pharmacum, & quare. 58. *cur non inebriet.* 136
Mutatio omnis mobilitas quædam est. 23
Mutationes temporum sedant, aut pariunt morbos, & quare. 5.37. *duobus modis accipiuntur.* 6
Mutationes maxima pars sunt rei gignendæ. 338

N

Nani differunt ab his qui ὅλως μικροὶ appellantur. 334

Naturæ nomine quid intelligatur. 332
Nauigatio motum & euacuationem corporis parit. 58
Nautæ & piscatores cur Solis calore gaudeant. 161
Nεότης vox pro tenera ætate siue pueritia accipitur. 163
Nigredo & albedo igni tribuuntur. 285
Nitrum non tollit dentium stuporem, & ratio. 46.283
Νοτὶς, *quod est humiditas, de rore etiam dicitur.* 71
Nuditas pedum vtrùm conferat in re veneréa, nécne. 173.174

O

OBiecta quæ visui offeruntur qua ratione signa & notæ passionum appellentur ab Aristotele. 277
per Oculi suppressionem quod vnum est, duo apparent, & quare. 148
Oculi cur in coitu, & in morte sursum, in somno autem deorsum submittantur. 165. *cur maximè laborent.* 168. 169. 211. *qua ratione vni animalium homini deprauentur.* 377
Oculus est ex natura aquæ non ignis. 171
Odor, qualitas quædam est minimè corpulenta, sed tenuis. 59. *grauis, qua ratione pubertatis tempore contingat.* 182
τὸ Οἰκεῖον τῶ ὑπὸ οἰκεῖα ἔστιν ἀπαθὲς, *quomodo explicandum.* 130
Οἶνον γλυκερὸν, *seu* γλυκὺ, & ἡδὺ *in quo differant.* 137
Oleum calefacit tum actu, tum facultate. 47. *etsi purget, non est propriè pharmacum, & quare.* 58. *ebibitum ad arcendam ebrietatem confert, & ante vini potum, largiùs potandi occasionem præbet, & ratio.* 164. *quare illius mixtio cum aqua magis approbanda sit ad lassitudines tollendas, quàm singulorum separatim vsus.* 217. *exsiccare probatur.* 218
Οἰνόφλυγες, *per ebriosos reddit Theodorus.* 119
Ophthalmiæ quare æstatis tempore abundent. 11. *cur in eas incidant bilioſi vere frigido, & sicco.* 15. *æstate sicca, & aquilonia, eodemq; autumno.* 19. *morbus contagiosus.* 281
τὸ Ὀπτικὸν *per* ι, & ὀπτικὸν *per* η, *notiones.* 126
Ὀργᾶν *quid significet.* 177.178
Ὄρεξις κωώδης, & βούλιμος *quid sint, & in quo differant.* 289.290
Oribasius quid de vsu vomitorij suis temporibus referat. 51
Orionis ortus quando. 6
Ὀρθοπνοϊκὰ *quid sint.* 334
Ortus stellarum quid significet hoc loco. 5. *varietatis causa duplex.* 6
Oscitationis materia quæ. 273
Ova cruda quare non possint in gyrum verti, cocta verò contrà: eorúmque apta similitudo. 267
Ova confracta partis alicui percussæ superimposita, futurum affectum prohibent, & quare. 305
Oues pediculis carent. 24. *cur maximè lacte abundent.* 326. *quot mensibus vterum ferant.* 331. *qua ratione molliores pili illis subnascantur, si euulsi priùs fuerint, non forcipibus præcisi.* 345. *cur quò prolixiores, eò duriores.* 347. *quædam bis pariunt in anno, & quare.* 373.374
Οὖν *particula illationem inducens, non conclusionem.* 31
Οὐρητῆρες & ὐρήθρα *quid sint Galeno.* 364

P

PArtes externæ corporis qua ratione maximè frigescere dicantur. 287
cur Partes, quæ percussionem acceperunt, intumescant, & liuidæ fiant. 319
Partes in quadrupedibus infirmiores quænam sint. 380. 381
Partibus carnosis non est adhibendus ignis, & quare. 42
quare Partibus quibus inuitimur, & iacemus, non sudemus. 87
Partus animalium, quoad numerum prolis quotuplex sit. 339. *frequentioris causa.* 373.374
Pathos & affectio differunt, ex Galeni doctrina. 275
Pedes calefacti cur maximum sudorem effundant. 90. *quare dicantur inepti ad sudandum.* 97. *sublimes & elati qui dicantur, & quare magis frigescant, quàm si firmato vestigio hæreant.* 288. *cur pares animantibus natura dederit.* 349. 353
qui Pedibus currendo iter faciunt, quò velocior cursus fuerit, eò magis illorum oculi illacrymari solent, & qua ratione. 230.237
Pediculi gignuntur ex mutatione aquarum. 24
Pedum intumescentia vnde oriatur. 7
Pelles animalium recenter excoriatæ parti alicui percussæ calidæ admotæ affectum futurum prohibent, & quare. 305
Penis qua ratione vehementiùs intendi possit iis qui concumbunt, si mingendi desiderio teneantur. 193.196. *arrectionis eius duæ causæ.* 196. *cur minùs attollatur, licèt insigni mensurâ sit.* 197. *illius & cordis inuoluntarij motus vnde proueniant.* 234
Pentathli erant, qui Latinè quinquertiones dicebantur. 222
Perdices mox atque excluserint pullos, protinus educunt. 355.387
Περιοχὴ *quid significet propriè, & quomodo à Theophrasto vsurpetur.* 107
Peripneumonia, hyemalis morbus. 8. *quo tempore biliosis contingat.* 30
Perniones, Græcis χίμετλα, *quid sint.* 66. *quare ex frigiditate generentur, atque etiam curentur.* 67
Pestis conditiones duæ assignantur, ratione quarum dicitur esse contagiosa. 10 *futuræ signa quæ.* 31
Petri Bembi de mulierum manca & imperfecta persona relatio. 180
Petrò, seu Petronàs antiquus medicus. 3
Pharmaca enema quæ sint, eorumq; duplex vsus. 41. *qualia sint ea quæ venirem soluunt, non autem vesicam, & contra.* 48.49
Φιλοσοφίτου *quomodo hoc loco exponantur à nonnullis.* 122
Φιλοποσία *propriè bibendi amorem significat, non vinositatem.* 128
Φλέβες *quid significent.* 292.293
Phlegmasiæ, aut inflammationis nomine quid significetur. 55
Φλύειν, *est* τὸ ὁρμὴν ἔχειν. 119
quare Phthises quibusdam contingant in hyeme succedente æstatem siccam, & Aquiloniam, autumnum verò humidum, & Austrinum. 18
Phthisicis qua ratione semen in somnis profluere soleat. 253
Phthisis quare contagione afficiat. 281
Phymata quid sint, ex Galeno. 42
Pigmenta quæ sint. 84
Pili capitis quomodo oriantur. 80. 88. *quare non oriantur in cicatricibus.* 172. 318. *congeniti qui sint, & quando defluere soleant.* 191.192. *quæ sit eorum materia.* 209. *qua ratione erigantur ex soni alicuius asperitate.* 277. *item ex horrore.* 295. 296 302.303. *cur cicatricibus animantium exoriantur.* 350.351. 352. *quamobrem in vitiligine ex cuti necessario trahant colorem.* 356

Pinguedinis circa ventrem, aut eius partes, causæ duæ. 217.232
Pinguedo quæ ratione fiat in quibusdam animalibus sub cutem, aliis intra carnem, & aliis utroque modo. 322. 323
Pingues homines qua ratione frigescant & rigeant. 292
Piper larga copia assumptum vesicam soluit, exigua verò aluum, & quare. 54
Piscatores & nautæ cur Solis calore gaudeant. 161
Pisces in aqua concumbunt, quia sine attritu coëunt. 187.
Pituitosi in raucedines & distillationes incidunt vere frigido, & sicco succedente hyemem Austrinam, & pluuiosam. 16
Pituitosis sicca æstas, siccúsque autumnus Aquilones habentes maximè conferunt. 18
Πυγμαλίξειν, *exercitationis athleticæ genus comprehendit.* 79
Plantæ sphacelo quandoque laborant. 14. *odoratæ, diureticæ.* 59. *quæcunque domesticæ, illæ etiam syluestres reperiuntur, non è contrario.* 270
Plantis præsunt austri quos mare miserit. 32
Pleiadum ortus & occasus quando. 6.25
Pleuritis ponitur inter morbos à frigore gigni consuetos. 8.114
Pleuritides, & Peripneumoniæ qua temporis constitutione bilosis contingant. 30
Plato maniæ duas species tradidit. 20. *arguitur à Galeno.* 121. *eius sententia de vini qualitate.* 114. *de vocis εἶνος etymologia.* 140. *de vitiligine.* 323. *iocus de vmbilico.* 371
Plinij sententia de aquis pediculos gignentibus. 24. *de brassicæ facultate.* 143. *de medicamento pro restituendo colore candido nigris cicatricibus.* 307. *de pygmæis.* 336. *de aquatilium quorundam magnitudine immensa.* 385
Plumbum calidius redditur quàm lana, & quare. 301
Plutarchi sententia de vulneribus atries gladiis inflictis. 43. *de vini qualitate.* 114. *rationes de semiebriis.* 116. *de infœcundo ebriosorum semine.* 119. *de musto.* 136. *de pueri recèns nati miseria.* 372
Πνεῦμα, *siue spiritus non tanquàm efficiens, sed tanquàm materialis causa sumitur.* 89
Πνεῦμα μεδίωσεν *quid sit.* 261
Poculis magnis & amplis potantes, cur minùs inebrientur, quàm qui paruis eandem vini quantitatem hauriunt. 136
Pori aut meatus purgantur spiritu, qui illis proprius & domesticus est, per distensionem. 263
Portulaca cur dentium affectui medeatur. 45.46.283
cur Potio multa vniuersim & raptim bibita minùs ventrem humectet. 149
Potui magnoperè indulgendum est æstatis tempore, cibi verò copiæ parcendum, & quare. 48
post Potum non ingesto cibo quare plus sudent qui ingerunt. 96
quare Potus sæpe, & paulatim febricitantibus est exhibendus. 68
Praua plura esse quàm bona, probatur ab Aristotele. 368.369
Problemata, quæ hac prima sectione continentur, ad medicinam pertinent omnia, sicut & aliarum quàmplurima. 1
Προσιέναι, προσιέναι τὸ πνεῦμα, *quid sit.* 109
Prolem variari iuxta affectionem, quæ concubitus tempore parentibus insit, exemplis comprobatur. 332
cur Proles nostra appelletur id quod ex semine nostro procreatum est. 185
Propositiones in materia contingente, etsi contrariæ, vel subcontrariæ, veræ simul esse possunt. 2
Πρὸς τὸν πλειόχρονον, *quomodo explicandum.* 106
Περιαναφέρεσθαι *quomodo explicandum.* 125
Ptissanæ nomine quid intelligatur, quomodo fiat, & an triticea vel hordeacea lenior sit, & ægrotantibus conuenientior. 44. *ab Hippocrate datur statim exhibito pharmaco, & quare.* 250
Pubertatis tempore quare abscedant cocta, & reliquantur cruda. 183
Pubescere quando dicamur, & quid sit. 172
Pueri quare ægrotent autumni tempore, hyemi Aquiloniæ, & veri Austrino ac pluuio, æstatiue siccæ succedentis. 28. *ad quam vsque ætatem hîc intelligantur, & qua ratione non ita vinum appetant ac viri robusti, & Scythæ.* 128. *ebrij magis per somnos immingunt, quàm senes, & quare.* 163. *per æstatem reduntur tenuiores, & ratio.* 206. *sunt agrestiores, & iræ magis dediti, quàm viri facti.* 368. *quare non calueſcant.* 386
cur Pueruli vere frigido & sicco nati, debiles sint & imperfecti. 15
Pulchrum omne non omnibus est iucundum. 378
Pulmo quare vibices tollat. 310.311
Pus esse factum, vnde nobis apparere possit. 40
Putredines & excrementa, & quæcunque ex his oriuntur, nostra dicà minimè possunt, & ratio. 186
Putrefacientia causticà in quo differant ab escharoticis. 41

Q

Quadrupedũ partes infirmiores quænam sint. 380. 381. *cur illis destillatio non contingat.* 383
Qualitates corporum ad pestem recipiendam aptorum quales. 10
Qualitates medicamentorum quæ ventrem soluunt, vesicam minimè, & contra, quænam sint. 48.49
Quantitas cibi initio morbi qualis esse debeat. 61
Quantitas vrinarum obseruanda est, vt signum ex colore certius & fidelius nobis appareat. 64
Quartanæ origo, autumni tempore. 29
Quartanæ remedia quæ adhibenda, & quæ non. 70
Quies Solis radiis exposito qua ratione maiorem adferat calorem quàm ambulatio. 256
Quiescentes qua ratione minùs afficiantur vertigine, quàm surgentes. 267. *cur minùs refrigerentur hyeme, quàm currentes.* 297
Quinquertiones erant, qui Græcis pentathli dicebantur. 222

R

Ranarum paruarum rubetis similium prouentus, pestilentiæ futuræ signum, & quare. 31
Raphani seu brassicæ facultas aduersùs crapulã & ebrietatẽ. 142. *cur eo vtantur medici ad alui fluxiones.* 143
cur Raucedines contingant in hyeme succedente æstatem siccam, & Aquiloniam, autumnum humidum, & Austrinum. 17
Refrigerati admodùm quare dolorem & laborem patiantur si ad ignem accedant. 299.301
Refrigeratio exitum prohibet noui sudori. 84
Refrigeratio caloris in ebriosis an eodem modo fiat quo in senibus. 124.156
Renes quare his vocibus ἰσχία, & ἀρχὸς, significentur, & in coitu maximè afficiantur. 170
Repleti non ita faciles atque expediti sunt ad Veneris vsum, sicut ieiuni, & quare. 179
Respiratio in moderatè currentibus quomodo rhythmum

efficiat. 235
Rheuma quid significet apud Medicos. 96
Rhythmus omnis mensuratur ex motu determinato, seu definito. 235
Rigor, tremor, horror, quid sint, & in quo differant inter se. 39.121.157.284.296
Rubei vnde fiant, quæ sit eorum materia, & qua ratione in hominibus fiant, non autem in cæteris animalibus. 365
Ruta quomodo sudores fœtidos mouere dicatur. 84.86

S

Saccata & castrata vina quæ dicebantur. 118
Sæuitia qua ratione reperiatur in quibusdam animalibus, in alijs verò mansuetudo. 357
cur Sal potest tollere dentium stuporem. 45.46.283
Salis & aceti vsus contra inflammationes. 305
Saliua prosilit in os illius qui alium intuetur acerba comedentem, & quare. 277.279
Saltatio corporis motum & euacuationem generat. 58
Saltatores cur halteribus vterentur. 222.223
Sanguis in venis existens excrementum appellatur. 201. quare cùm plaga intumuit, non possit eundem locum repetere. 308. quomodo congeletur in suggillatis. 316. cur soli homini de naribus fluat. 322
Sanitas & morbus definiuntur. 2.5
per Sanitatem qua ratione non mittatur affectio, sicut fit per morbum. 274.275
Satyri Clazomenij exemplum. 158
Scabies qua ratione contagiosus morbus sit. 282
τὸ Σκαίρεσι quomodo Hesychius interpretetur. 103
Scammonium multa copia soluit aluum, exigua autem, & vetus vesicam, & quare. 54.55
Scythæ vtramque venam post aures incidebant. 168
per Scythas calidos & siccos significat Aristoteles. 128
Sectio decima problematum cur ὀπτορὴ φυσικῶν inscribatur. 320
Sedile quos impleat, quos verò extenuet. 264.265
Semen genitale quid sit. 60.61. quomodo pituitæ naturâ dicatur simile. 61. excrementum esse, probatur. ibid. 207. ebriosorum magna ex parte infœcundum, & quare. 119. ex cerebro ad maris genitalia defluere confirmatur. 168. quid sit, & eius natura. 175.186. quare illius excretio contingat tumentibus, & morientibus plerisque. 176. non potest in aqua liquescere, sed igni. 187. eo recedente qua ratione totus homo resoluatur & languescat. 195. quibus potissimùm in somnis profluere soleat. 253
Semiebrij quare minùs peccent, quàm omninò ebrij. 116
Semina odorata calida sunt, ideóque diuretica. 59
Seminis corpulentia ex calore fit, & contrà. 119
Seminis commotio quare fiat in somnis. 341
cur Senes ebrij minùs per somnos immingant, quàm qui ætate tenella. 163. quare facilius à somno excitantur. ibid.
cur Seniores in apoplexias incidant vere frigido & sicco succedente hyemem Austrinam, & pluuiosam. 16
Sensus vtrùm fiat à similibus, aut à contrarijs, quæstio inter antiquos Philosophos, dissoluitur ab Arist. 130
cur Similitudo maior ad parentes obseruetur in alijs animalibus, quam in homine. 332
Σιμὸς, quid significet, & vnde deducatur. 109
Sinistræ omnes partes imbecilliores sunt. 254
cum Siti non coniungitur fames. 252
Sobrietas maximè ad sanitatem confert, & quare. 56
Sobrij rectè iudicant, & cur. 116. quamobrem aquas salsas, vitiosasq; minùs sentiant, quàm temulenti. 130. 131. 147
Sol multùm vaporis de terra excitans, pestilentiam futuram designat. 31
in Sole quiescens qua ratione maiorem percipiat calorem quàm si ambulet. 256
Solis calor cur ebrius iucundus atque vtilis sit. 161
Solstitium quid sit, & quando fiat. 36. cur ægrotis pernicioſum. ibid.
Somnus die accessionis febris quartanæ fugiendus. 70. magis sudores excitat, quàm vigiliæ. 99. dupliciter sumitur. 152. vnde fiat. 153. cur in eo oculi deorsum submittantur. 165. qua ratione facilius accedat parte corporis dextra recumbentibus, quàm sinistra. 268. 269. 270
Sonus quid sit, & quomodo eius asperitas horrorem concutiat. 277
Sorbitiones ægrotis suppeditari debent initio morbi, & quare. 62
in Spadonibus quare tota immutetur natura. 358. cur vlceribus & putredine circa cruraafficiantur. 362
Σπαρτία quid significent. 292
Spasma quid sit, quomodo fiat, & quamobrem eo corripiantur, quibus aliquis obuiam factus restituerit. 258
Sphacelismus & syderatio quid sint, & in quo differant. 14.15. eius vocis alia notio. 17
Spiritum prosistere, τὸ πνεῦμα προσισάναι, quid sit. 109
Spiritus non tanquàm efficiens sed tanquàm materialis causa sumitur. 89. sublimis, aut suspensus qualis dicatur. 109. duobus modis sumi, seu intelligi potest. 111
Spithama quid sit. 336
Σπλωτῆντες, σπλωτικοὶ, siue σπλωτώδεις, qui dicantur: & cur eorum cicatrices nigræ. 309
Στέαρ quid significet. 195
Sternutatio fieri non debet, nisi postulante natura. 177. quare horrorem moueat. 292. vnde fiat. 342. 383. quamobrem in homine, & non in quadrupedibus. 383
Stobiti de somni ortu sententia. 152
Strepitus, qui in sternutatione contingit, vnde fiat. 384
Succus hyosciami multùm prodest pernionibus. 67
Sudantes quare nauseare soleant, si vento aut aqua refrigerentur. 89
quare Sudor neque adducentibus neque continentibus spiritum proueniat. 72. cur non inter laborandum, sed post laborem incipiat. 74. 90. 94. quare salsus sit, & frequenter etiam amarus. 75. quomodo superiore corporis parte magis fieri dicatur, quàm inferiore. 77. cur capitis minùs malum odorem reddat, quàm reliqui corporis. 79. quare maior sit in ijs, qui sudare assueti sunt, quàm in alijs qui iamdiu non sudarunt. 81. cur magis profluit detergenti, quàm residere sinenti. 84. quare tergo magis contingat, quàm priori parti. 85. 86. an hyeme mouendus. 91. 105. vnde sit eius principium. 99. vilior est qui à corpore nudo prodit. 101. cur ex aliquo horror efficiatur. 106. quare calidus melior sit frigido. 107. cur per æstatem plùs emittitur. 110. 112. spontaneus qui dicatur, & cur deterior sit eo quem labores excitarint aut exercitationes. 111. quomodo sit signum morbi futuri. 112. illius excretio multam vtilitatem affert ijs qui laborant & exercitationibus vtuntur. 241
Sues quare pilum hyemis tempore non amittant. 344
Suffocationis & strangulationis causa in corporibus humidis quænam sit. 240
an Superbi aliqui reddantur per vini vsum. 40
Supercilia augentur, & quare. 192
Superfluitates congestæ in hominibus inexercitatis, assumpto vino multo diluuntur & attenuantur. 139

an Suturæ sint plures in capite hominis, quàm fœminæ. 375
Syderatio & sphacelismus quid sint, & in quo differant. 14.15
Syluestre & ferum quid fieri quàm sit facile. 368
Σωτείνουσιν & κατέχουσιν *verba quomodo accipienda.* 72.73
Σωπῆξις, *siue colliquatio, vel fit latenter, vel manifesta aliqua fluxione.* 7
Sympathia quomodo definiatur à Fracastorio. 272

T

Tabis nomen de tribus affectionibus dicitur. 281
Tauri castrati per cornua dignoscuntur à non castratis. 358
quare Temulenti aquas salsas, vitiosasq; magis sentiant, sobrij verò minùs. 130.146
Temulentia & crapula in quo differant. 145
Terga cur magis pruriant, quàm cæteræ corporis partes. 86
Tergo magis quàm priore parte sudamus, & quare. 85. 86
Testium pondus quando fiat, & quare penem erigant. 179
Testudo corde exempto longo temporis spatio viuit. 394
per Τετυφωμένους *qui intelligantur.* 140
Thapsia tum vomitum, tum aluum ciet. 52. *quomodo faciat* ὑπώπια *candida.* 314
Thebanæ fœminæ historia. 180
Theodorus reprehenditur quòd λαγνεία *verterit libidinem immoderatam.* 60. *Auctor eum liberat à calumnia Henerici Stephani.* 225
Theophrasti sententia de Austris siccis. 32. 33. *de sudoribus.* 74. 76. 77. 79. *de sudoris graueolentia.* 79. *de Sole exsiccante & densante cutis foramina.* 81. 83. *de mixturis odoris gratiâ.* 84. *de sudoribus à tergore.* 86. *de sudore faciei.* 88. *de nauseantibus ob sudorem.* 89. *de sudoribus post laborem.* 91. *in somnis.* 99. *de brassicæ virtute aduersùs ebrietatem.* 142. *de odore.* 182. 183. *de lassitudine.* 220. *de accubitu super iis quæ reniuntur.* 228. *de ascensu & descensu, femoribus & tibiis contrariis.* 246. *de maiori femorum quàm tibiarum labore in omni motu.* 249. *de lassitudinum medela.* 259. *de vertigine.* 267. *de thapsia.* 313. *de syluestris & domestici animalis discrimine.* 367
per Θερμασίαν, *quæ &* ὑπερβολὴ τῆς θερμότητος *ab eodem Aristotele dicitur, quid intelligendum sit.* 14
Thriueri opinio de potu sæpe, & paulatim febricitantibus exhibendo. 68
Tibiæ siue genua quamobrem ascendendo laborare dicantur. 238. 245. *cur media earum pars in omni itinere.* 240. *quare in omni motu minùs laborent, quàm femora.* 248
Θώρηξις, & ἀνεσθώρηξ *quid.* 116
Tormenta & cruciatus aliorum quare nos commoueant. 279
Torpor, siue stupor quare manibus & pedibus magis accidant. 269
Tremor quid sit, & in quo à rigore differat. 121. 157. 284. 296. *quare ex vino oriri dicatur. ibidem.* 122. 156
Trepidationis naturam liquidò explicat Galenus. 97.
Tristes quare in frigore acerbiores reddantur. 286
Tumores in locis venosis consistentes vrendi sunt. 42
Τυφωμανία *quis affectus esse dicatur, ex Galeni sententia.* 141
Turgere Latinis quid sit. 177
cur Tusses contingant in hyeme succedente æstatem siccam, & Aquiloniam, autumnum humidum, & Austrinum. 17
Tussire hominum ab eo dissimile est, quod in bobus obseruamus. 321

V

Vaccæ quænam lacte plurimùm abundent. 325. *quot mensibus vterum ferant.* 331
Vapores calidi vini visionem seu aspectum commouent. 132
Varices quid sint, & qua ratione generandi facultatem tollant iis quo ab illis detinentur. 193
Vectio in lectica motum & euacuationem corporis adfert. 58
Venæ duæ post aures incisæ sterilitatem inducunt, & quare. 168
Veneris desiderium non propriè pruritus dicendus est. 189
Venter non ita laborat in coitu vt oculi & sedes, & quare. 169
quare illorum tantummodò extenuetur, qui se exercitationi dederunt. 216. 231. 232. *cur partes circa eum pinguescant maximè.* 217
Ventris nomine quid intelligatur. 94
Ventris fluxiones, tum ventriculi, tum inferioris aluifluxus comprehendit. 126
Ventrium plurium ratione quomodo ructus aut crepitus non fiant. 365
Verecundiam maximam infert concubitus desiderium, & quare. 205
Vertigo qua ratione surgentibus magis accidat, quàm sedentibus. 267
Verueces castrati per cornua dignoscuntur ab aliis. 358
Vesica est receptaculum totius humidi illius, quod in ventre haud coctum est. 49
Vetustas vina potentiora reddit, & magis calida, minimè verò magis humida, sed potiùs sicca. 127
Vicornercati de Orionis exortu contra Alexandrum & Theophrastum opinio. 6
cur Victu calido vti debeat febre quartana laborans. 70
Vigilantis & dormientis contrarius habitus. 268. 270
Vina aquosa vrinas mouent. 59
Vina ex acrioribus herbis confici solita. 85
Vini qualitates quæ. 114
Vinolenti quare non calent, sed frigent, & dolore, cæterisq; huiusmodi vitiis excipiuntur. 114. 115. 127. *cur ad lacrymandum propensiores.* 151
Vinum merum difficiliùs inebriat, mixtum verò velociùs. 117. 138. *vetustum & coctum quale sit.* 118. *vtrùm mixtum magis crapulam pariat quàm merum, atque etiam ad coctionem conducat. ibid. quomodo frigus pariat.* 122. 155. 156. *maiorem habet humiditatem à natura, quàm caliditatem.* 127. *quare dulce & merum assumens, inter potandum alia venorum genera, ebrietatem fieri impediat.* 136. *cur fluitat, & in superficie immoratur.* 138. *an aliquos reddat superbos illius vsus.* 140. *quare insanos reddat aliquos.* 141. *quomodo quoddam balneum dicatur. ibid. cur maximè dilutum magis vomitum concitet, quàm aut aqua sola, aut merum.* 145. *consideratur sicut nutrimentum, & sicut medicamentum.* 151
Viperæ & angues mites & innoxij reperiuntur. 368
Virgiliarum ortus & occasus quando. 6. 25
Virginum longitudo & proceritas confirmatur exemplo. 359

cur Viri per ætatem minùs, mulieres magis concumbere possint. 198.199.206
Visio ebriorum quare non fertur longiùs. 132.148
Visiones duæ sunt in ebrio eo tempore quo vnica in sobrio. 134 (278
Visus qua ratione magis horrorem pariat, quàm auditus.
cur Vita diutior sit hominis, quam fœminæ. 375
Vitiligo vnde fiat, & eius species tres. 323. *quamobrem minùs comprehendat pueros & mulieres, quàm viros.* 324. *cur solum hominem.* 325.356
Vlcera capitis quare in plenis impuriſq; corporibus sanentur potiùs quàm tibiarum. 26
Vlcera quæ cauterium volunt. 40. *pura & sanescentia diuersa requirunt medicamenta ab impuris & malignis: & quæ sit diuersitatis ratio.* 59.60
an Vmbilicus amplior sit hominibus, quàm ceteris animalibus. 371
Vnguenta grauiorem quendam odorem emittentia, quænam essent antiquitùs. 84
Voluntaria & inuoluntaria quomodo differant. 275
Voluptas maxima in coitu vnde proueniat. 188. 189. 203
Voluptas & desiderium inter congeneres animantes vnde oriatur. 378.379
Vomitorij medicamenti genera quot sint, & quæ. 50
cur Vomitus necessarij sint in temporis mutationibus. 7
Vomitus humoris acidi sicuti pituitæ, aut nigræ bilis, dentium affectus gignit. 45
Vomitus magis quàm sudores corpora leuat, & quare. 94. *fieri non debet, nisi postulante natura.* 177. *quid conferat lassitudinibus.* 219.220. *quomodo laboriosus dicatur.* 220. *duplex.* ibid.
Vrinam prouocantia duplicia genere sunt. 49
Vrinæ desiderium an prouocetur ab ignis vicinia. 274
Vrinarum inspectio potiùs in modica, quàm in multa quantitate fieri debet. 62
Vrinas mouentia quædam, sed non facultate propria. 59
Vrsa quot diebus vterum ferat. 331
Vsum in nobis generare iucunditatem, probatur exemplis. 379

Υ

Περὶ Υπεκχαύματων *quid denotetur.* 19
Υπώπια *cur ære tollantur.* 310. *quid sint.* 313. *duo genera eorum.* 316
Υπόστασις *sudoris quomodo explicetur.* 184
Υποζύγια & λοφέρα *quî differant* 365

Z

Zephyri, *qui à Latinis Fauonij, quando spirare incipiant.* 25

FINIS INDICIS.

BIBLIOTECA PROV... SORIA

Signt.ª Top.ª
Est. 60
Tab. 4
Núm. 13

3928

Iuli⁹
Guaſ
tauin

In
pro-
ble-
mat
Ariſt